


*Sir Joseph Copley Bar*t.





AVRORA
EDICORVM
ALENO-CHYMI-
CORVM:

Seu,

RECTA PVRGANDI METHODO
iſcæ Sapientiæ decretis poſtliminiò in lucem
ucta, & medicamentis purgantibus ſimplicibus,
compoſitiſque tam veterum, quam neoteri-
corum & chymiatrorum

LIBRI IV.

LECTIS OBSERVATIONIBVS ET AD
nes pene morbos remediis, ad inſtar Diſpenſatorii v-
niuerſalis, propriâ experientiâ comprobatis, & ſe-
cretioribus, multifariam referti.


Auctore
OHANNE FREITAGIO M.D.

Cum Priuilegio S. Cæſ. Majeſt.



penſis IOANNIS THEOBALDI SCHÖNVVETTERI,
ANNO M. DC. XXX.

24516



Sir Joseph Copley Bar^t.

372
391



AVRORA
EDICORVM
ALENO-CHYMI-
CORVM:

Seu,

RECTA PVRGANDI METHODO
tiſcæ Sapientiæ decretis poſtliminiò in lucem
ucta, & medicamentis purgantibus ſimplicibus,
compoſitiſque tam veterum, quam neoteri-
corum & chymiatrorum

LIBRI IV.

LECTIS OBSERVATIONIBVS ET AD
nes pene morbos remediis, ad inſtar Diſpenſatorii v-
niuerſalis, propria experientia comprobatis, & ſe-
cretioribus, multifariam referti.

Auctore

OHANNE FREITAGIO M.D.

Cum Priuilegio S. Cæſ. Majeſt.





ti, Impenſis IOANNIS THEOBALDI SCHÖNVVETTERI,
ANNO M. DC. XXX.

September
September

2456



Sir Joseph Copley Bar^t.

372
391

60
12
120
600
720



AVRORA MEDICORVM GALENO-CHYMICORVM:

Seu,

DE RECTA PVRGANDI METHODO
è priſcæ Sapientiæ decretis poſtliminiò in lucem
reducta, & medicamentis purgantibus ſimplicibus,
compoſitiſque tam veterum, quam neoteri-
corum & chymiatrorum

LIBRI IV.

*SELECTIS OBSERVATIONIBVS ET AD
omnes pene morbos remediis, ad inſtar Diſpenſatorii v-
niuerſalis, propria experientia comprobatis, & ſe-
cretioribus, multifariam referti.*

Auctore

IOHANNE FREITAGIO M. D.

Cum Priuilegio S. Cæſ. Majeſt.

Francofurti, Impenſis IOANNIS THEOBALDI SCHÖNVVETTERI,
ANNO M. DC. XXX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO
Principi & Domino

DN. FRANCISCO WILHELMO,

POSTVLATO ET CONFIRMATO EPISCOPO
Oſnaburgenſi, Præpoſito Ratisbonenſi, Comiti in Wartenberg,
Domino in Waldt, Domino meo Clementiſſimo.

QVATVOR effluxere Olympiades, Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime, ex quo, relictis orcheſtris Academicis & Profeſſorio auctoramentó, in hanc aulam, iuſſu, qui tunc rerum potiebatur, Patris Patriæ, cuius memoria ſit in benedictione, & anima in cælituum Elyſio, accitus fuerim. Ægre tuli inſuaue illud Muſarum diuortium, quod (præfiſcinè dixerim) ad genium inſtillandæ in Iuuentutem doctrinæ nuncupatus, imo natus, factus multis viderer. Neque caruit iſta res morſiunculis apud literatorum familiam, & ordines. Verum aliter in Deo fuit & fatis. *Fata ducunt volentem, & trahunt nolentem.* Diuinæ prouidentiæ & Principis voluntati erat acclamandum, & eundum in obſequia. Tunc primum amæniſſimis ſtudiorum tempeſin egreſſus & extorris, cæpi me totum dare in horriſonum illud intempeſtumque curandorum ægrorum pelagus & diſturbium. Non cum vno morborum Vlyſſe, aut Cyclope, mihi ibi colluctandum, nec in vllam me adeo prolixe induerem doctrinam, nullaq; tam præclara imbueram (pro captu meo imbelliæ) pectus ſcientia, quam non decuplo vberius in animo fruticaſſe operæ pretium fuiſſet. Tunc peruidi non omnino inepturiiſſe illum, *qui omnes in cathedra ſa-*

nari, multos autem in praxi emori dixerat. Etſi vero ſubſelliis profeſſoriis mihi exiliendum fuerit, tamen illud æs, quod in hac incude verſamus, & dedolamus, non abieci:

Sed creperos inter ſtrepitus, interque iacentum
Agmina, naſorum tetras halantia peſtes,
Incluta doctrina, ſapientum templa ſerena,
uſquam deſerui, nec Hyanthean Aganippen.
Quamuis ſæpe mihi, quæ tunc erat vſio rerum,
Turpis aqualiculum ſaturarit crapula in aulis.
Inuito, cum ſponte animi componere curas,
Auſpiciiſque meis vitam tolerare negatum.
Pocula, magnatum cum plena ſalute, trahenda,
Cum dare vela Scyphis, & per vada magna Lyæi,
Sulcandum, inque amplo foret omnis gloria vitro,
Non tamen excuſſit mihi Bacchi Maſſicus humor,
In quo cottidie tunc aula natabat, amorem
Et ſtudium, Aſcræas veneror quo indeſide diuas,
Non quæ falcidia ſibi iam de lege timebat,
(Quamuis curam animi merito res vindicet omnem)
Quærquera turba trahens lapſantis licia vitæ,
Vſque adeo minuit cerebrum, vt ſerotina noctis
Noluerim ad magni comburere ſcita Galeni.

Identidem reſpiciebam ad manticam, quæ in tergo erat, & qua exiueram prouincia, mecum ruminabar, ſperans futurum, vt aliquando cum bono Deo in deſertam viciſſim ſuccenturiarer ſtationem, aut quæ medicamenta, commemoratu ad poſteritatem haut ignobilia, ſtudioſe mihi repoſuiſſem, in publicam lucem parturirem. Verum enim vero cum paſſim gentium mea ſeſe effunderet praxis, & per aulicorum negociorum indies inualeſcentem molem integrum non eſſet, ea, quæ in memoriæ ſubſidium mihi perfunctorie notaram, penſiculatius excutere, & apud animum æſtimare, fatalis ille belli cataclyſmus potiora Chriſtiani orbis climata inundans & inuoluens, otii

feriarumque non hunc in modum deſideratarum, affatim inuehebat. Ceſſationem à practicis laboribus tempeſtas bellica quidem adduxit, ſed talem, quæ elucubrandis hiſce meis ſcrutiniis inutilis fuiſſet, niſi tuis REVERENDISSIME & ILLVSTRISSIME PRINCEPS auſpiciis onerum publicorum immunitate clementiſſime donatus, ſerena tranquillitatis halcyonia meis laribus obtinuiſſem. Verum quam limis oculis liuida iſta inuidentiæ Dea & toruo obtutu, has meas fortunas colluſtrat, vt inexpugnabilem (è vulgo tamen & infimis,) fremitum aduerſum me igniculat? nuſquam acrius vapulaui, aut conuitiis lapidatus ſum grauioribus. Viuicomburio expiandum crimen in conſcientiam intromiſi, quod orando otia Muſis, & immunitatem auguſtis meis penatibus, impetrabilem Heroa & Dominum Clementem nactus ſim. Verum cum neminem, quod ſciam, mortalium, vlla iniuriæ aut maleuolentiæ aura adflauerim, vel vſſerim, nec otii hanc beatitatem in triſcurriis triuerim, ſed in elimando opere, ad communem hominum ſalutem in publicum ituro poſuerim, quid eſt, quod ab vltima populi ſentina imo vappa quiſquiliiſq; gentis, tantis diuerberer criminationibus,

Iliacos extra muros fortaſſis & intra?

De meritis in patriam, quæ nec omnino nulla ſunt; Stentorem non agam, vnicum hoc ſaltem ad publicos huius prouinciæ parietes conſigno, me tribus ordine Principibus in aula Patriæ, Medici aulici operam ſubiectiſſima, & qua fidelem ſubditum miniſtrumque conuenit, iugi vigilantia ac veneratione, totis viginti, & quod excurrit annis probaſſe. Sed facile apud bonos & cordatos ſympatriotas auerruncem inuidiam, quæ male feriatum ex quinta claſſe hinc inde popellum, adeo profunde inſedit, vt non niſi cum extremo ſpiritu in cauros euaneſcat & faceſſat.

Hos equidem excipio, quibus è potiore metallo
Corda dedit Phœbus, melior quos flamma Promethei
Excoquit, inuidiæ vacuas vredine mentes,
Non omnes Dea felle virens & pota veneno

Imbuit ex æquo, ſuperant queis pectoris aruum,
Candidius, violas & ſuaue rubentem hyacinthum.
Pubenteſque roſas, immortaleſque amaranthos
Fert, & odoratis virtutum floribus ardet,
Tetra coloratæ fugientes toxica linguæ.
Fert etiam hæc tellus, dum culta ſit, Aona tempe,
Et ſacros latices profundit & Hippocrenen,
Nec lolium paſſim & ſteriles dominantur ariſtæ,
Aut tribuli ſenteſque & inexpugnabile gramen.

Inuidendum illud REVERENDISSIME & ILLVSTRISSIME PRINCEPS ab Illuſtri tua munificentia in me erogatum beneficium, cui redhoſtimentum penes me nullum, non aliter, quam in communem mortalium ſalutem impendere, & vſurpare tacita quadam intimitus vrgente religione iuſſus ſum. Poſtquam enim in medicæ praxeos arena palæſtritam iam multis annis egerim, vbi alii ceſpitarint, & in quam partem errorem errauerint maxime pernicialem, in procliui fuit mihi, non ſaltem diuinare, ſed facili æſtimio emetiri. De veteratoribus artis medicæ, & Paracelſiſtarum ciniflonibus, empiricorum ſcarabæis, deque aliis in celeberrimam hanc profeſſionem inſilientibus, & offucias infundentibus, quorum potiſſima ſcientia eſt veritatis ignoratio, (lapides equidem loquar, ſi horum impuritias & colluuiem Augiæ ſtabulo hircoſiorem vel eminus notare velim) ſermonem non cædam, ſed ſtrictim duntaxat tangam aliquos, qui audiunt, vel audire ſatagunt ab arte celebres, vulgi tamen opinatione, quam re ipſa verius. Potiſſimam & vſu maxime frequentatam, de ratione & methodo purgandi, purgantibuſque omnium generum pharmacis, doctrinam excutiendam & ediſſerendam in manus ſumpſi, qua nec vtilius, ſi recte ad viuum ſecetur, nec ſalutarius medicinæ theatro, & communi hominum ſocietati, dum ad veritatis amuſſim liquido enodetur, tradi, nec peſtilentius, aut pernicioſius quicquam à Medico ignorari poteſt. Omnis quippe morborum ſoboles, quæ ex cacochymiæ minera fami-

liam ducit, non niſi methodice & iuxta artis cynoſuram per pharmaca ſtirpitus eruderatis cicuratur cauſis. In quam diſcrepantes, & toto cœlo diſſidentes abeunt ſententias, cum de purgatione tam in acutis, quam chronicis, tam in peſtilentibus & contagioſis, ſeu inimici ſyderis ægrimoniis, quam cæteris, nec ab olympi inuidia profluis, aut cauſarum ex abyſſo repetendam indaginem poſtulantibus, diſquiritur adminiſtranda? Quantis pene voluminibus de iſto ſenis noſtri oraculo, *Cocta purganda eſſe*, velitamur, & digladiamur? Haut pigeret luctæ, dum ingeniorum iudicioſorum colliſione, veritas non tam diſcuteretur, quam excuteretur, & in proſcænium palam educeretur. *Animas negotiantur, qui extra orgaſmi procellas coctionem ſemper præſtolandam eſſe docent, priuſquam purgationi accingamur.* Si enim ea ſit materiæ morbificæ indoles, vt citius, quam matureſcat, & naturæ dominium recipiat, ægrum vitæ poſſeſſione deiiciat, & animâ exſuat, qua luxati iudicii vertigine aguntur, qui in ipſo ægrimoniæ frontiſpicio ſalutares, ad purgandum manus continuo non extendunt? Præſtat crudam initio diripi, cum virium & naturæ qualicumque quaſſatione, quam permittere, vt adulta & ætatem nacta iugulandi potentiam, fœneretur. Sed ſuper his, in natali ſua gleba aratrum ſufficienter duxiſſe videor. At quoties quiſque vulgo medicinam facientium penſiculatius apud animum ſuum hæc deliberat? Exemplo ſeruiat febris malignæ paſſim ambigue & periculoſe adminiſtrata curatio. In hac alii initio generoſiora euacuationum, qualis purgatio, & venæ ſectio, remedia continuo adhibenda cenſent, alii ſiniſterius id fieri arbitrantur, huic ſententiæ aqua, & igni interdicunt, & comprotenus ad alexipharmacorum hydroticorumque vſum conuertuntur. Rationum Adamantinis vtraque pars ſe munitam & ſtipatam profitetur momentis. Neutra ſuæ ſententiæ ſeu potius opinandi pertinaciæ neruos incidi patitur. Faceſſat æger in fata, dum vel recti pertinax, aut flagitioſe ſciolus, vanas mentis impreſſiones & conceptuum ludibria maſcule propugnet. Ad ſcopum veritatis pauci collimant. Verus curandi proceſſus ex cognitione naturæ cauſarum dependet. *Medicus tantum bene curat, quantum recte cognoſcit.* Si extrinſecus incidente cauſa à maligna ſyderis facie vel auræ vene-

fica

fica impreſſione febris ſuſcitetur, virus allectum & hauſtum abſque vlla comperendinatione, momento quolibet otius, ab interiori viſcerum cordiſq; territorio foras alexipharmacis & diaphoreticis propulſandum erit.

Si verò ab interiore prauitate, humorumque maligna corruptione, & à genuina integritate in vappam, & rancorem apoſtaſia ſit genita, omnino æquum fuerit, maioribus vacuationum præſidiis humorem adulteratum, & propria malitia intoxicatum continuo auerruncare, & foras nulla exſpectata concoctione, proiicere, quod reliquum eſt à virore, quantum res patitur, vindicare, ad ſymmetriam reducere, & quæ intaminata ſunt, tueri. Quæ niſi quiſpiam accuratè internoſcat, & in curandi munere ob oculos poſita, rite ſequatur, Plutonis granaria ampliſſima meſſe ſuffarcinabit, multoſque, qui exitium recta curatione enauigare, & elabi potuiſſent, libitinæ conſecrabit.

Adducto in proſcenium exemplo febris malignæ, quæ quartam Parcarum Furiarumque trigæ perſonam adiicit, demonſtrare annixus ſum, totam bene medendi rationem à recta & rationali methodo proficiſci, ſine cuius amuſſi fruſtra ſit, omnis remediorum famigeratorum vſus, aut arcanorum paſſim gentium depræconiatorum, vel in gremio ſilentii apud inuidos occultatorum, plauſtra infructuoſa. Quandoquidem vero in mediciua, recte purgandi ratio vtramque paginam faciat, eiuſque quo crebrior & celebrior ſit vſus, doctrina, ſeculi ſupinitate magis rubiginet & euiluerit, aut verior eiuſdem & genuinus ad genium Hippocratis, Galeni & venerandæ antiquitatis ſenſus, Cimmeriis offuſus ſit tenebris, non abs re me facturum duxi, ſi in gratiam eorum, qui ad praxios clauum conſcenſuri, & in publicæ ſalutis emolumentum, pro ingenii mei macie, veræ ſcientiæ obſcuritatis pallium detraham, facem alluceam, quodque ſitu & profunda nocte pene funeratum, vindicem. Quis enim Medicorum adeo ſibi ſit Suffenus, vt negatum ire velit, neglectis, aut non adhibitis tempeſtiue vniuerſalibus præſidiis, quibus tanquam baſi cæteroquin tota curandi ſumma innititur, omnia fortunæ temeritati committi, & ægrum in præcipitium dari? Seculo ludibrium debet,

qui

quiſecus ſentiat. Atqui in vniuerſalium remediorum conſeſſu primas tenet purgatio.

Cui merito Phœbi chorus aſſurrexerit omnis.

Eius vſurpandi tempus, ordinem, modum, doſin, & cætera requiſita, qui rectè aſſequitur, & fæliciter exſequitur, non contemnendos in medicina progreſſus feciſſe, iure merito exiſtimabitur. In ea ediſſerenda ſic verſatus ſum, & calamum duxi, vt ſimul omnem recte medendi rationem, & canones ad hanc ſcientiam neceſſarios vniuerſim penè vna adduxerim, & in meridiana luce poſuerim.

Sed officii partes minus impleuiſſe mihi viſus eram, niſi & vniuerſam remediorum purgantium tam ſimplicium, quam compoſitorum aciem in hunc campum educerem, & luſtrarem, cuiuſque ſigillatim robur, vires, acumen, arma, ſeu naturam, qualitates, potentiam, & quibus inſeruiat & conducat ægrimoniis, vſurpandique viam commonſtrarem & explicarem.

Neque ſuperſedi vna adducere mineralia Chymicorum, ſpagiricè præparata, in quibus mirificè ſibi recentior ætas placuit magnamque beatitatem venari viſa fuit. Potiora horum, & quæ pene ſeculum pro abditis, & in profundiſſimis Chymici cerebri abyſſis, aut cauernis aut furnulis latitare & hærere putabantur, erui, perſonam detraxi, ad lydium lapidem examinaui,

Quid ſolidum crepet & fictæ tentoria linguæ.

Et ſi quiſpiam horum rectus & auſpicatus poſſit eſſe vſus, eliminaui & detexi, quæ in eis pericula, caſus, & funera multorum inſint, aperui, fraudes, technas & circumuentiones, & flagitiorum tyronicia, vt cautius merceтur poſteritas, commonſtraui. Nec in his ſimplicium remediorum purgantium, tam ex vegetabilium & veterum, quam neotericorum & mineralium familiis explicandis acquieui, ſed occaſionem arripui, omnis generis inde dedolata, & conferruminata ad

quoſcunque ferè affectus medicamenta, tradendi & interpretandi, ſimulque meas curationum obſeruationes particulares inſerendi, & in Candidatorum Medicinæ gratiam publicandi. Abſque ambitu & inuidia, quæ & mea, & aliorum Clariſſimorum virorum, cum quibus mihi coniunctio, & neceſſitudo interceſſit, experientia comprobata erant, apertè recenſui, ſecreta ſublimia, & ſingularis monetæ, ſecretius non ſeruaui, nec mecum ſilentio abducta preſſi, ſed è liquido candidi pectoris canali in publicum torrentius emanare paſſus ſum, nec enim mihi ſoli viuere aut ſapere volui:

Nec ſolem proprium natura, nec aera fecit,
Nec proprias vndas ad publica munera veni.

Nihil naturæ noſtræ tam conſentaneum, quam naturæ conſortem iuuare, & periclitanti ſuccurrere.

Quidquid autem ſit, quod diuinæ gratiæ in me contulit opulentitas, quicquid huius beneficio ſub mea manu ſatum, natum & elucubratum eſt, REVERENDISSIME & ILLVSTRISSIME PRINCEPS, totum hoc, quantumcumq; eſt, Reuerendiſſimæ tuæ Celſitudini, tuæ profuſæ in me Clementiæ & Clementiſſimæ in hac cadaueroſa rerum facie, & fatali armorum cataclyſmo, protectioni & tuitioni debeo & acceptum fero, meritoque ad auctorem muneris reflectit, & redit gratia operis: proinde

Suſcipe magnanimo Boiorum à ſanguine Princeps,
Quod peperit virtus Ingeniumque mihi.
Sit leuidenſe, tamen charis hoc mea portat ad aras,
Te Dominum meritò deueneratà, tuas.
Te Duce non nocuit radiatus ſyrmate miles,
Et ferus à noſtra Mars procul æde fuit.
Cumque animis paſſim Phœbos expectoret omnes,
Indulſit Muſis tecta lareſq; meis.

Viximus

Viximus in tuto Duce te, nec ſenſimus vllas,
Quas vomat indomiti militis ira, minas.
Præ reliquis noſtros pax fulciit alma penates,
Me penes immunis turba nouena fuit,
Quæq; mihi ante diem canis incanduit annis,
Cecropiæ ceruix eſt operata Deæ.
In tuto licuit ventos audire cubili
Threiciaq; fides increpuiſſe chelys.
Principis auſpicio fluxerunt mollia nobis
Tempora, nec gelidus perculit ora metus.
Quocirca hæc doctis impendimus ocia Muſis
Tota arſit ſtudiis nocte lucerna meis.
Nec temere á ſera pallebat Pallade vultus,
Inq; mea vigilax mente Thalia fuit,
Supremum in valida dum expertum incude, laborem
Procuſumq; meo marte adoleuit opus.
Id quia te ſolum maturuit auſpice, ſolum
Prodeat in laudes magne Dinaſta tuas.
Hoc ſubmiſſa tuis veneratio ponit in aris,
Atq; tibi ſupplex collocat ante pedes.
Excipe magnanimo Boiorum á ſanguine Princeps.
Quod fluit è fida mente clientis opus.
Et tibi deuotum non auerſatus honorem
Tenuia Clementi ſuſcipe dona manu.
Quod ſi prognatum gracili ſub pollice munus,
Senſero nec ſtomacho diſplicuiſſe tuo,
Acrius accenſæ pandent ſua vela Camœnæ
Materieſq; nouæ maxima laudis erit.
Neſcio, quo feriis nequeam me dedere fato,
Semper in auguſtum ſpiritus ardet opus.

Principis Interea quem ſacra fauentia texit
Numinis eiuſdem hunc fulciat aura diu.
Diua nec illius Clementia ſtirpe recedat,
Sed tremulos annos caniciemque tegat.

Reuerendiſſimæ & Illuſtriſſimæ
Veſtræ Celſitudinis

Subiectiſſimus IOHAN FREITAG M.D.

CARMEN

CARMEN AVCTORIS AD LECTOREM DE OCCASIONE FABRICÆ & argumento huius operis.

DVm fera magnanimi ſurgunt in prælia reges
Fulmineaque manu crepitantia concutit arma
Vndiq; Gradiui proles Mauortia patris,
Graſſaturque auidi funeſta licentia ferri,
Et data libertas gladijs, dumq; omnia bellis
Feruere, & in furuas reſident exciſa fauillas
Stirpitus, æqua ſolo, laniatis oppida muris,
Et iam ſumma procul templorum culmina fumant,
Vixque bibat latices ſpumantis, anhela, cruoris
Cæde ſaginata & paſſim ebria ſanguine tellus,
Dumque ea per terras fatali lege geruntur
Æthereumque iubar ſiet hæc in bella ſolutum,
Nec veniæ ſpes vlla ſuper, nec cura ſalutis
Expedit, aut gelido quemquam de funere ſeruet,
Incumbatq; eadem fati violentia cunctis,
Omnia communis populetur Erynnis & Ate,
Quid facerem medio deprenſus in orbe malorum,
Ingenij num ſacra mei conceſſaque mentis
Munera proijcerem, calamoque ſilente quietas
Aut profugas mecum paterer torpere Camænas
Deſidioſa trahens ignobilis otia vitæ?
Non ita; per Muſas & Apollinis enthea iuro,
Per ſacra cordato nunquam temeranda poetæ
Diruat, atque acri metat omnia acinace Mauors,

Imitus hoc nullos exſculpet pectore Phœbos,
Quos mecum feret vna dies, feret vna poteſtas,
Seu patefacta ſinu capiat nos hoſpita tellus,
Seu quocunque loco exanimem fortuua reponat.
Dÿ ſeruate animam, terræque relinquite terram,
Dum mihi reſtituat nullis obnoxia fatis
Membra, immortali radiata nitore, redemptor,
Omnem exuta necem & genus illætabile mortis.
Ergo animi neruos non ipſa retundet Erynnis
Publica, nec vieto faciet ſquallere veterno.
Et licet ægrorum cogar ſuſpendere curam,
Abdita ſyluarum rabida inſidente caterua,
Et populatrici furum inſultante maniplo,
Non tamen excutiet manibus monumenta Galeni,
Quicquid & antiqui peperit ſapientia ſecli;
Quando igitur dubios excurrere non ſit ad ægros,
Licia nutantis neq; fas pertexere vitæ,
Quantulacunque ſalus dum in pæonis arte repoſta eſt,
Inſedit grato, quamuis inuita, labore
Otia miſcere, & dum tempora clade referta,
Barbara dum patrios perſultant agmina campos,
Mentem animumque omnem creperis ſubducere rebus,
Atque inconceptas penetralius abdere curas.
Omnis in hoc igitur ſtudium meditatio fertur,
Naturæ vt penitos valeam explorare receſſus,
Quis fruticum vigor & rutuli pollentia floris,
Pharmaca, totius, quo marte ſuperflua ducant
Corporis, exonerentque per inteſtina ſaburram,
Interiora graui mulctantem viſcera morbo.
Cur primos vltra nequeat proferre meatus
Illa ſuas vires, nec longius exſerat herba,
Quur aliæ totum penetrare medullitus auſint
Corpus; & extremos forte illa perambulet artus,
Nilque ſuperuacui hac impune quieſcere ſucci

In re-

In regione ſinat, Quæ ſit virtutis origo
Eius, & vnde trahat cognatum planta vigorem.
Nec tantum arcanis iuuat indulgere, ſed artem
Extruere, humanos qua cuncta trahantur ad vſus
Appoſite, veterum ritu, methodoq; magiſtra.
Quæ pueris, & quæ medicina trementibus annis,
Quæque iuuentuti, carioſæq; apta ſenectæ
Pharmaca, quid mollis vel edentula poſtulet ætas,
Quid pro naturæ cuiuſq; ſit indole dandum,
Quid vires anniq; ferant, & ſexus, & ordo:
Vnum conueniens equidem nequit omnibus eſſe.
Talis amariciem fallat meditatio ſecli,
Dum reducis liceat ſpectare exordia pacis,
Et vexare armis Mars deſinat impius orbem,
Si viſum ſuperis mihi vitæ extendere fila,
Extinctis donec ſuccedant aurea bellis,
Et renouata trahant florentem ſecula pacem.
O mihi ſi dubiæ ſeruetur ſpiritus horæ,
Dum reuoluta nouis excurrant tempora fuſis,
Quæ noſtros tantis purgent â cladibus annos,
Omne nefas patrium procul exactura ſub orcum,
Aſtræam terris, populoque datura quietem.
Hæc meditata mihi tanto in diſcrimine rerum
Lector habe, tecumque impenſius excute, ſi quid
Non ſit in exacta acriculorum incude dolatum,
Adde nouam limam, non inſpexiſſe pigebit,
Si qua meorum operum quiſquam emaculatius edat,
Excuſet vigor ingenij cum ætate tepeſcens,
Et ceruix canis quod ferme incanduit annis.
Det veniam quod Apollo ſolum & quod turba Nouena
Extorris vertit, claruſq; euiluit amnis.
Et quis in hac rerum fatali clade ſuperſtes
Spiritus ingenij eſt? dominante libidine ferri
Luxatos animi neruos torpere neceſſum eſt,

Et

Et ſepeliri altos, aut obbruteſcere ſenſus,
Vſq; adeo celebres nemo procudet Athenas
Parnaſſosq; graues hac tempeſtate profundet
Omnem animi prorſus Marte excutiente vigorem
Fare agedum, â furiis ſi nil bacchantibus oti,
Lucida cognatos ſi lambat flamma penates,
Iamque ſacri metuenda lares incendia pallent,
Inque leues abeat vicinia multa fauillas,
Quis color oris erit, quid in imo pectore mentis?
Num lethalis hyems potiusq; perambulet oſſa
Frigus, an extrudes ſudata labore vigentis
Ingenii monumenta tui, queis ſera vetuſtas
Atque olim Phœbi chorus aſſurrexerit omnis?
Da veniam lector, fatalia temporis huius
Candidus excuſa, demorſos quod ſapit vngues,
Rarius à nobis tali proficiſcitur æuo,
Vix tenui neruo gracilique ſuperſtite flamma
Ingenij, genium vario obtundente Cyclope.

LIBRI

LIBRI I.

CAPVT I.

Definitio purgationis adæquata eiuſque explicatio, & indicatio deſignatur; vacuationum differentiæ recenſentur; de plethora & cacochymia, huiuſque ſede, cauſis, & ſpeciebus agitur.

Definitio purgationis adæquata.

PVRGATIO eſt humoris qualitate peccantis, ſeu cacochymiæ ex vna, altera, vel tribus ſimul corporis regionibus publicis per ſeceſſum aut vomitum euacuatio: facta vi naturæ in actum deducentis pharmacum, ſelectiue trahens humorem vnum vel plures, vnaque irritans vt ijdem promptius expellantur: quo ſanitas præſens conſeruetur aut amiſſa recuperetur.

Differētia vacuationum generalium.

Vacuatio ſub ſe complectitur primo æquabilem omnium humorum eductionem, & abſolutè ſpecialiterque Hippocrati ita nuncupatur, teſte Gal. ſect. 2. com. 17. deinde inutilium ſeu qualitate peccantium purgationem. Hæc verò eſt naturalis vt in criſibus, vel ſymptomatica vi morbi excitata, vel mixta, vt ſit partim critica, partim ſymptomatica, vel denique artificialis vi pharmaci promota, de qua in præſentiarum pertractare induximus.

Qualitatis vocabulū quomodo hic intelligant medici.

Qualitatis vocabulum hic non de nuda qualitate quatenus eius exceſſus defectuſque alteratione per contrarium corrigi poſſit, vel vt ad prædicamētum qualitatis duntaxat pertineat, ſed de tali diſpoſitione præternaturali, quæ nulla porrò temperatione ad vtilē ſtatum deduci queat, cuius merito nullum præter euacuationem detur remedium: ſeu de differentiâ & ipſa humoris ſpecie ex ſe nutritioni ineptâ, naturæ inutili & infeſta accipiendum eſt.

Proindè cacochymia omnem humorem qualitate adeò peccantem, vt nutritioni ineptus, naturæque inutilis & moleſtus ſit, comprehendimus, ſiue is dyſpepſia, ex qua propriè cacochymia naſcitur, ſiue bradipepſia qua cachexiam potiſſimum conſtituens oritur, progenitus ſit.

Vti plethoræ venæ ſectio ita cacochymiæ purgatio conuenit.

Vti verò humor nutrimentalis & per ſe laudabilis totâque ſubſtantiâ naturæ amicus, ſed quantitate excedens, eâque negocium faceſſens vel minitans, vacuationem propriè dictam, quę ſanguinis miſſione perficitur, requirit, ita is qui adeò malâ qualitate deprauatus aut corruptus eſt, vt ad nullam ſubſtantiæ benignitatem aut nutrimentalem bonitatem conuerti poſſit, totoq; genere præter naturam omninoque inutilis & moleſtus fuerit, pharmacum ſpecifica virtute expurgans flagitat & indicat. Summa, vti plethoræ ſanguinis euacuatio, ita cacochymiæ purgatio remedium exſiſtit. Et his duobus inſtrumentis generalis totius corporis tam à multitudine humorum benignorum quantitatem tolerabilem excedentium, quam à qualitate peccantium colluuie perficitur liberatio.

Sedes plethoræ & cacochymiæ.

Humorum in corpore redundantia eſt vniuerſalis vel particularis. Illa vnam vel duas aut omnes tres totius corporis regiones, hæc aliquam regionis partem, aut eiuſdem membrum occupat. Vniuerſalis redundantia in cacochymiam vel plethoram, diuiditur. Hæc tanta boni integrique ſanguinis exſiſtit ſuperfluitas, vt aut venas tendat, vireſuè grauet, vel vtrumque efficiat, ſecundum corporis regionem venæ cauæ arteriæque magnæ ductibus circumſcriptam, propriè tenens, licet ex eadem tertiæ etiam regioni & corporis habitui communicetur: atque vti plethoræ ſedes propria eſt ſecunda corporis regio (ſanguinis autē hoc priuilegium eſt, quod innoxiè donec venas tendat accreſcere & cumulari poſſit) ita cacochymia quamlibet regionem omneſque ſimul occupare comparata eſt. Eſt autem cacochymia, quādo humores ſanguinis maſſam conſtituentes debitam excedunt proportionem, vnde cacochymia bilioſa, pituitoſa, melāncholica, vel cum ſeruata legitima cuiuſcunque quantitate ipſe ſanguis eiuſque partes vitium qualitatis aut ſubſtantiæ perpetiuntur, & putreſcunt, aut copioſa prauorum humorum miſcella & perfuſione inficiuntur. Atq; hac ratione cacochymia ex humoribus naturalibus in ſtatum præter naturam, & malam corruptionem in venis, degenerantibus, oritur. Quæ verò ex aliorum à ſanguine humorum prouentu naſcitur, ea eſt, vel excrementitiorum naturalium, vel purè præternaturalium. Naturales excrementitii ſunt qui potiſſimum in epate geniti ſuos etiam habent vſus, & ad propria receptacula relegantur, veluti bilis ad veſiculam fellis, humor melāncholicus ad lienem, ſeroſus ad veſicam, vt debito tempore per legitima emiſſaria è corpore excernantur. Pituitæ excrementitiæ peculiare natura non aſſignauit receptaculum, tria tamen in corpore loca obſeruantur, quibus potiſſimum colligitur, videlicet ventriculus, vbi generationis initium etiam illa capit, quæ in epate vt pars ſanguinis per-

Quid ſit cacochymia & quæ eius differentia.

facit dein cerebrum &inteſtina,quorum naturale eſt excrementum. Illi quantitate vel qualitate peccantes cacochymiam efficiunt. Quantitas excedens oritur vel propter vitium obiecti,cum videlicet cibi fuerint ingeſti,qui in hunc illumue humorem facillimè faceſſunt, vel ob læſam facultatem ex intemperie. Epatis calor ſiccitaſque plurimum bilis cum atræ tũ flauæ, frigida venæ conſtitutio pituitoſos,ſeroſos aut terreſtres humores producit.Cum itaque plus humorum excrementitiorum generatur quã naturalia receptacula concipere poſſint, non ſolum in venis aut ſecunda corporis regione ſed in toto frequenter cacochymia ſuppullulat. Ratione partium recipientium colligitur cacochymia quoties illæ propter læſam ex intemperie,vel impeditam ex obſtructione facultatem non ritè attrahunt humores à ſanguine ſuperuacuos excrementitioſq; aut attractos debite nõ expellunt, adeoq; in primá & ſecunda regione primo eos reſtagnare faciunt. Iſti humores hoc pacto excedentes qualitate & ſubſtantia naturæ moleſtiam creant,eamq; vehementiorem inferunt cum putredine & corruptela aliqua deprauantur.

Cauſa cacochymiæ.

Cacochymiam demum conſtituunt humores,qui toto genere ſunt præternaturales, hoc eſt preter naturæ inſtitutum & ordinem producti, & maxima parte ex prauis corruptiſue alimentis, in vel extra venas in ventriculo aut alibi generati,vel ex naturalibus propriam bonitatem exuentibus & in malignitatem putredinemue vergẽtibus nati ſunt. Hi etiam in minima quantitate ſunt præternaturales, nec enim vti excrementitii naturales tunc demum delinquunt,cum ſupra menſuram excreſcunt, quod etiam in nulla nec ſaltem minima quantitate adeſſe debeant in corpore, ſola quippe ſubſtantia & qualitate ſub quauis portione naturæ noxii & infenſi exſiſtunt.

Quales cumprimis bilis porracea, Iſatodes, vitellina, humor melancholicus corruptus,acerbus,acidus,aduſtus, atrabilarius,pituita putrida vitrea; ſerum corruptum, putreſcens. Hæc cacochymia. Et hi humores deſignati quatenus bonitatis limites exceſſerunt,adeo vt ad benigniorem naturæque vtilem ſtatum redire nequeant, & primam ſecundam vel tertiam regionem occupãt, morbum facientes aut facturi, purgans pharmacum indicant. Quod enim ad naturalem ſtatum redire nequit,aut plane corruptum eſt, id ſe auferendum dictat. Ablatio autem hæc per venæ ſectionem, vt qua primo ea quæ in ſecunda continentur regione atque vtilia pariter cum inutilibus vacuantur, nec humores à ſanguine alieni electiue ſecernuntur,magiſq; quantitate quam qualitate nocentes educuntur, & primæ regionis ſuperfluitates haud extrahuntur,fieri nequit. Neque hæc cacochymia duntaxat ſui euacuatio-

Differentia purgationis proprie dicta.

nem ex iſtis regionibus qualemcunque ſed vniuerſalem quæ vomitu & alui deiectione perfi. itur, quarũ illa Galeno ἀνωκάθαρσις, hæc vero Κατωκάθαρσις, *vtpote* quæ ſola purgationis nomen Κατ' ἐξοχὴν ſibi vendicet, appellatur. Quamuis enim per ſudores & vrinas ex ſecunda & tertia regione etiam euacuẽtur ſuperflua ſpecialiter, tamen his viis nulla artis medicamẽtique opera rite & recte fiet expurgatio, priuſquam illa generalior qua toti prouiſum ſit, præceſſerit, neque quin iſta præuia per alios ductus vtpote palatum, nares, aſperam arteriam, ſimiliaque partium emiſſaria quicquam ritè extrahitur. vti enim totum corpus per ſpecialem partem non eſt euacuandum, & veluti membrum quoddam recte euacuari nec debet nec poteſt, niſi totius facta expurgatione, ita vniuerſi ſuperuacua ad partem inuitabit, qui neglecta totius prouiſione per eam eiuſdem colluuiem educere conabitur.

Nulla ſpecialis purgatio molienda priuſquam generalis totius præceſſerit.

Deinde humores quibus cum medicamentis purgantibus talis relatiua intercedit proprietas vt ab iiſdem in corpus aſſumptis attrahantur, ii ſi negotium naturæ faceſſant, quacunque corporis parte ſtabulentur pharmaco in id adaptato & ſpecialiter eos reſpiciente, euacuari debent. ex quo ſequitur cuilibet humoris ſpeciei peculiare & ſpecificum ſuum conuenire & decernendum eſſe pharmacum, veluti bili cholagogum, pituitę phlegmagogum, melancholię melanagogum, ſero hydragogum. Hæc enim pharmaca vti non quantitatem humorum, ſed peculiarem & ſpecificam eorum qualitatem reſpiciunt, ita ab humoribus qualitate peccantibus, ad ſui eductionem vt recipiantur, ſpecifice indicantur.

Quilibet humor qualitate peccans peculiare & proprium ſuũ indicat pharmacũ.

Vnde etiam non obſcure liquet, humorem peccantem è particulari membro & ex habitu corporis, dummodo nondum ſit impactus ad vniuerſales vias quodãmodo reduci, & per eas euacuari poſſe de qua re infra latius. Cum in definitione dicitur quod purgatio ſit humorum qualitate peccantium ſeu cacochymiæ eductio, conſequens eſt, pura corpora nõ eſſe purganda, quod ſani purgantib. ſumptis exſoluantur, ſ. 2. aph. 37. peculiarem n. humorem quem educant & in quem agant ſi non inueniãt ſanguinem & carnes colliquant, vt ex ijs quippiam exprimant. vnde porro Hippo. ſ. 4. aph. 16. qui corpore bene habent, hos purgare periculoſum, & item veratrum dare ſanas carnes habentibus malum, quippe conuulſionem efficit. ceſſante indicante quieſcit indicatum.

Pura corpora non eſſe purganda.

Non minus itaq; delinquunt qui ſingulis hebdomadib. purgãtia exhibent vel aſſumunt. Eos Gal. in comm. aph. 15. ſect. 3. his verbis perſtringit: Valde indigentib. & longis temporũ interuallis purgatio vtilis eſt. Eorum vero q̃ quotidie ꝓcreãtur in corpore excrementorum vacuatio minor eſt quã vt exigat purgantis medicamẽti efficaciã. Si vero quiſpiã voluerit bis in mẽſe aut ſemel omnino ſaltẽ ea vti,

veritus

veritus ne excrementorum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam conſuetudinem inducet. Hactenus Gal. Etſi enim, quæ quotidie generantur excrementa excludi vel diſſipari conſultum fuerit, tamen leuioribus præſidiis veluti parca victus ratione, exercitatione, frictione, diureticis vel eccoproticis id fieri par eſt.

Diximus naturæ & pharmaci operatione perfici humorum purgationem. Natura duplici opera concurrit, primo enim medicamentum in actum deducit, eiuſque virtutem exſuſcitat attenuando & in vapores ſpiritusve reſoluendo, qui arteriarum beneficio per totum corpus diffunduntur, & in ſuccum familiarem delati attractionem eius perficiunt.

Quomodo à natura & pharmaco fiat purgatio.

Secundo motum humoris à medicamenti tractione excitatum (eſt enim omnis cauſa materialis commota, ſemet ipſa quieſcente inſolentior magiſq; infeſta naturæ) ſentiens, eundem irritata expellere feſtinat.

Pharmacum vero naturæ vi ſuſcitatum humorem quem proprie & ſpecialiter reſpicit, emiſſa virtute adoritur, attrahit, tractumque medicamentoſa ſua & aduerſa qualitate, qua omnia illa pene ſunt prædita, quarum vires ad ſecundam tertiamque regionem pertingunt, naturam, vt expellat irritando, ad expulſionem promouet: vt purgatio medicamenti trahentis, & naturæ à pharmaco & humore attracto commotoque irritatæ & expellentis opera, quibus calor catarcticorum, cum pleraque calida ſint, in auxilium venit, perficiatur. Quo determinatus attrahatur humor, ſpecifica facit remedii proprietas talem ſeligens & peculiariter alliciens: vt vero expellatur naturæ irritatæ facultas ſatagit, adeo vt à medicamento ſpecifice trahente ſimulque irritante, & natura expellente purgandi actus definiatur. Vbi tamen notandum, medicamenta vomitoria magis irritatrice vi, cætera vero deorſum promouentia, potius ſelectiua tractione agere.

CAP. II.

Fallopii argumenta, quibus definitionem purgationis à Galeno traditam, labefactare annititur, refutantur, naturam nullum dediſſe pharmacum, quod ſanguinem proprie trahat & educat; an ſanguis & ſemen putreſcens, cum qualitate maxime peccent, indicent pharmacum ſelectiue purgans eſſe adhibendum, & quomodo ſanguis purgari dicatur Galeno; qua ratione in aſthmate & catarrho ſuffocatiuo catarſi vtendum.

CVM in arenam aliqui nō infimæ claſſis prodeāt, qui adductam & conſtructam ex Hippocratis & Galeni placitis definitionem purgationis conuellere & arietare moliantur, non præter rem facturi ſumus, ſi potiores, quibus pugnent rationes &

argumenta in medium producamus & excutiamus. Inter primos eſt Fallopius, ad cuius guſtum non eſt definitio purgationis à Galeno tradita, qua humoris qualitate peccãtis euacuatione determinatur. Hanc nõ eſſe vniuerſalem, omniq; per pharmacum educendo humori haut conuenire, annititur probare, eo ipſo, quod & ſubſtantia & quantitate peccantes humores, pharmaco expurgentur.

Fallopius reprehendit definitionem purgationis Galenicã.

Gratis largitur humores peccantes eo educi, ſed non ſolos, atque ideo mancam & imperfectam eſſe cum cæterorum obliuiſcitur, & falſam cum eos excludit. Subſtantia itaque & quantitate peccantes humores, etiam purgante pharmaco educi ſequentibus rationibus conuincere non dubitat. Primo, adducit exemplum aſthmatis ex deſtillatione aquoſi humoris in vias pulmonis non tantum qualitate lædentis, ſed etiam ſuo corpore & ſubſtantia obſtruentis, & ob id medicamentum, quod humorem illum euacuet poſtulantis, nati. Ait enim illum, non quod calidus frigidus tenuis putridus imputridusve ſit, ſed quod corpore & ſubſtantia ſua vias pulmonum obſtruat, euacuationem mereri.

Fallopii reprehenſio diluitur.

Sed admiratione dignum eſt, virum clariſſimum & in re medica vſqueadeo exercitatum, tam pueriliter hallucinari. Quis enim vel leuiter medicina tinctus ignoret ab humorũ copia vel craſſitie potiſſimum, in viis partium corporis oriri obſtructionem, veluti accidit renibus à muco ſabuloſo, vtero in ſuppreſſis menſibus, naribus in coriza, veſicę in iſchuria, epati lienique in venarum & viarum infartibus, veſiculæ fellis in ictericia? Verum, quis vnquam obſtructiones per pharmaca purgantia primo & per ſe ſoluere recte conatus eſt? Nunquid obſtructa viarumque infartus purgationem vniuerſalem & ſpecificam prohibent, an non cum Hippocrate Galenus vias deſiderat ad purgandum liberas, & corpus fluxile? Sed eſto, obſtructio poſtulat vacuationem & liberationem ab humore obſtruente, fietne id per purgantia vniuerſalia? Ita ſane rationalis methodus non dictitat, ſed talia præſcribit, quæ humorum craſſitiem incidere, attenuare, viſcoſa detergere, & infartus expedire, naturamque ad expulſum, cum primis in affectibus pectoralibus, vbi tenuia incraſſanda, & craſſa attenuanda, vt à virtute naturali commode eiici poſſint, iuuare nata ſunt vteri, cerebri, pectoris, lienis, iecoris, renum obſtructiones appropriatis & peculiaribus deoppilantibus ſoluuntur, non primo & per ſe ſpecifica facultate purgantibus expediantur. Quantam ægro adferat calamitatem obſtructa purgantibus demoliri id ex Galeno in ſequentibus manifeſtum fiet.

Quid ſit aſthma.

Satis impropriè loquitur Fallopius cum aſthma (niſi vocabulum nimis late extendat) ex tenui deſtillatione

An & quo modo in aſthmate & catarrho ſuffocatiuo conueniat purgatio.

ſtillatione, vt cauſa proxima & continente conſtare aſſeuerat. Eſt enim ſpirandi & anhelandi difficultas ex craſſo humore aſperæ arteriæ ductibus bronchiis pulmonumque viis inuiſcato, adeo vt plerumque inter reſpirandum raſcationem, barbaris dictam, efficiat. Huic malo, ſi accedat nouus materiæ tenuioris affluxus, oritur ſuffocationis periculum, quod mali ad catarrhum ſuffocatiuum refertur. Hoc infeſtante, imo ſola deſtillatione tenui in pectus decumbente & opplente, ſi quis pharmacum purgans exhibeat, cum in præſentiſſimum exitium perducere ægrum, experientia & claſſicorum auctorum ſcripta teſtantur, cuius rei exempla obſeruatione digna vide apud Arculanum in libro 9. Rhaſis.

Et quis adeo foret inſipiens, vt in vero aſthmate cauſam proximam per aluum purgare, quæ bechicis remediis ſurſum promoueri & extundi debeat, conetur? Vti enim vniuerſalia ea, quæ corporis partibus penitius inſederunt, ad aluum pertrahere nequeunt, quantumuis particulariter euacuantia, ante illorum vſum intempeſtiue adhibeantur, ita illæ per proprias vias ductusque ſuos à ſuperfluis, quibus onerantur ſpecialiter liberari debent.

Quid ſi vero vniuerſali per medicamentum purgans euacuatione iſti è pulmonibus humores tenues educerentur, an non ille purgandi actus definitione noſtra comprehenderetur; qua aſſerimus humorem qualitate peccantem, hoc eſt inutilem, nutritioni ineptum, naturæ moleſtum, ſeu ipſam peccantis humoris ſpeciem euacuari? Nemo iſtos humores à naturæ moderatione alieniſſimos cruditatis expertes, & peccantis qualitatis exſortes aſſeuerabit, qui & tenuitate ſua multitudinem in penitiores pulmonum pectorisque vias & meatus inſinuant, vt eos demum opplere poſſint.

Secundum argumentum à menſtrua fœminarum purgatione extortum, longe ineptius eſt, adeoque à re præſenti alienum, vt admodum impertinenter huc accerſatur & alligetur.

Secundum Fallopii argumentum refutatur.

Non enim hic agimus de quomodolibet facta purgatione vel euacuatione, ſed de illa, quam definiuimus humorum qualitate peccantium euacuationem ex vniuerſalibus corporis regionibus per vomitum aut deiectionem medicamento ſeligente & ſpecifice operante factam.

Quocirca admodum friuole conſtruitur argumentum ex vocabulo purgationis. Etiamſi enim generaliter vel catachreſticôs auctores pluribus aut etiam omnium particularum à ſuperfluitate emundationibus id applicent, tamen cum hac, quæ per excellentiam ſic proprie nominatur, & operatione medicamenti ſpecifica virtute è toto ducentis perficitur, haut confundi, multo

multo minus ea, quæ naturæ opera fit, aut è parte quapiam per propria emiſſaria quocumque modo peragitur, huc referri debet.

Deinde ſinceri ſanguinis euacuatio natura vel arte facta hoc ipſo manifeſte diſtinguitur à purgatione, quod per illam humorum ſubſtantia & qualitate innocentium, vel æquabilis omnium non ſelectiua, ſed quales in venis exiſtunt, humorum fiat eductio, per hanc autem qualitate duntaxat peccantium ſpecifica ſeparatio & extractio.

Proinde non fuiſſet opus Fallopium tantopere laborare in eo, vt demonſtraret ſanguinem menſtruum qualitate non peccare, & vnum ſpecie eſſe cum illo, qui indiuiduam nutriat & fœtum alat. Idcirco enim eius euacuatio non venit pro purgatione, quod qualitate non peccet. Et ſi ſanguinis ſinceri euacuatio ad purgationem referenda, phlebotomia erit ſpecies purgationis, & turpis methodi rationalis ſequetur confuſio. Quinimo ſi purgatio tam ſanguinem ipſum, quam à ſanguine alienos, tam quãtitate excedentes proprie, quam qualitate nocentes educat, purgatio phlebotomiæ locum ſupplebit. Verum cum nullum hactenus inuentum ſit pharmacum, quod ſanguinem inſita vi & ſpecifica proprietate per aluum educat, quemadmodum ad eductionem cæterorum natura ſuppeditauit, (hiſtoriam apud Gal. lib. de purg. medic. facultatibus ex contextu fabuloſam eſſe liquet) ſanguis enim vti naturæ theſaurus non expurgari, ſed retineri, noxiorum autem eductio fieri debet, conſequens eſt eius quocunque modo profuſionem factam ad purgationem referri non debere. Et quid iſti bono viro in mentem venit, quod Galeni & Fernelii definitionem carpat, cum ipſemet purgationem aſſeueret noxii & determinati humoris per medicamentum purgans factam euacuationem, eamq; hoc pacto à menſtruorum excretione (& cur non à qualicunque ſanguinis effuſione) aliisque euacuationibus naturæ aut morbi vi factis diſcriminet? Idem volebat Galenus: idem profitetur Fernelius. Illi enim vacuationem humorum qualitate nocentium pharmaco ſeligente procuratam proprie purgationem nuncupant, tantum abeſt, vt ſanguinis effuſionem arte vel natura factam, multo minus arenularum è renibus expulſum, puriſve exerſionem, ideo ad purgationem referẽda putent, quod vulgo dicamus vlcus à ſorde, renes à ſabulo purgarii, nepta ſcilicet à vocabulo purgare argumentandi ratione deſumpta. Neque alicuius momenti eſt Fallopii diſtinctio, qua purgationẽ in diſcretam & indiſcretam diſpeſcit, & hac omnis generis ſuperuacua veluti ſanguinem, ſaniem, pus, arenas, vrinas, illa vero determinatum humorem noxium educi docet, cum quæ aperta qualitate agant medicamenta nunquam inter vere purgan-

Nullum natura dedit pharmacum, quod proprietate ſanguinem educat.

purgantia totius ſint relata, & pueri facile intelligant hanc ratiocinationem, ſi ea Hippocrati & Galeno totique æuo inſequenti dicta ſint purgantia, quæ ſpecifica vi determinatos certosq; humores qualitate corpori nocentes à publicis corporis regionibus educunt, ad purgantia referri non poſſint, hæc, quæ manifeſta qualitate vrinas, ſordes, ſaniem, menſes, arenas peculiariter expurgant, & multo minus naturales aliasque ſanguinis purgationes eo reduci aut accenſeri poſſe.

An ſemen putreſcens quod ſit humor qualitate peccans, ſelectiue purgans indicet.

Proinde ſi quiſpiam quærat, an non ſemen corruptum in vaſis paraſtatiſque ſit humor qualitate peccans, & idcirco pharmaco purgante educendus, ei reſpondemus id non in publica aliqua corporis regione ſed regionis mēbro ſtabulari, & per eius peculiares ductus educendum: naturamq; vti nullum hęmagogum, ita nec ſpermagogum, ſelectiua proprietate trahens protuliſſe, ſemenq; inſtar cacochymiæ in toto nec publica aliqua regione redundare poſſe.

An ſanguis putreſcens cum ſit humor qualitate maxime peccans purgationem indicet.

Incidere autem poſſet dubitatio de ſanguine corrupto aut putreſcente, ſit ne humor qualitate peccans iuxta qualitatis ſignificationem in definitione ex mente Galeni & claſſicorum medicorum vſurpatã, & an hoc pacto indicet poſtuletq; ſui per pharmacum expurgationem? quod ſi ita ſe habeat cur Galen. dixerit libro 11. meth. omnium quos putreſcens generauit humor febrium præſentiſſimum eſſe remedium venæ ſectionẽ. ſuperius enim aſſertum eſt, illam non qualitate peccanti ſed quantitate excedenti cumprimis conuenire.

Cui difficultati ſoluendæ reponimus, nos ſanguini corrupto cum ad naturam propriam redire nequeat, & tamen viciſſim obediens factus ſit, vi definitionis traditæ & ex ipſa rei natura aſſignare & præſcribere purgationem tanquam remedium directe competens. Verum cum cruda non ſint purganda & putredo, humorum ſanguiniſque ſumma cruditas exſiſtat (loquimur autem de putredine κατὰ μέρος) dum adhuc in fieri ſit, non tam purgationem, quam phlebotomiam requirere. Initio enim non adeo ſolliciti ſumus, vt purgemus humorem putreſcentem, quam vt eundem quo ad fieri poteſt, à putredine vindicemus, & quod integre reduci nequit, coctione, quæ putredinem ceſſare facit manente ſubſtantia, in meliorem ſtatum, atque ad obedientiam naturæ reuocemus, & deinde expurgemus. Quamobrem cum ex Galeni doctrina putredo inhibeatur, ſi pars putreſcens remoueatur, & quod reliquum eſt, euentationi liberiorique perſpirationi exponatur, initio potius venæ ſectio, quæ humorum putreſcentium partem, vt reliquum natura facilius ſubigat & vincat, eximit, & venarum calidam intemperiem difflat, æſtumq; putredinalem remittit, (refrigerat enim ſanguinis miſſio quocunq; modo facta, quod ſpi-

ritus & caloris pabulum minuat) competit. Hoc pacto victa putredine vel putreſcentibus humoribus ad meliorem ſtatum perductis adeoque concoctis conuenit purgatio. Vnde Galen. aſſerebat putreſcentibus humoribus conuenire venę ſectionem, videlicet dum adhuc ſanguini miſti neque à natura ſuperati & ſeparati, cum eodem vena ſecta partim emigrare poſſint. Ceſſante humoris putreſcentia (parcite manes Ciceroniani) eaque euicta conuenit purgatio.

An ſanguis putreſcens coctione in puri finitimum quippiam conuerſus purgante pharmaco ſpecifice educi queat.

Atqui noua hinc pullulat dubitatio. Sanguis putreſcens caloris natiui beneficio ſeu concoctione, dummodo vincatur, in aliquid puri finitimum ſeu purulentum (qua de re poſtea vberius & ſincerius) vertitur, cuius portio in vrinis poſtea ſedimentum conſtituens proportione & forma puri abſceſſuum reſpondet. Hanc materiam ſic edomitam natura plurimum critice euacuat. Primo enim coquit, dein ſeparat, demum vacuat, quem ordinem, vt ſpectator præſtolari, & ſi eundem ſeruet nihil tentare medicus debet, iuxta illud Hippocratis ſect. 1. aph. 20. Quæ iudicantur & iudicata ſunt integre nec mouere, nec irritare, ſed ſinere oportet. Si vero vel omnino non præſtet id, aut non debite, medicus debet eſſe miniſter eiuſdem & adiutor, iuxta illud ſectionis 1. aph. 22. cocta ſunt medicanda non cruda, neque per initia morborum. Quæ enim à morbis relinquuntur, recidiuas facere conſueuerunt. Proinde quod natura non præſtitit id medicus pharmaco purgante exſequi & ſupplere materiamque coctam & ſubactam educere tenetur.

Atqui tali humori qui puri ſit finitimus vel purulentus, vti nec ipſi puri natura vniuerſalis, nullum determinauit aut deſtinauit pharmacũ ſelectiua proprietate trahens. præter cholagoga, melanagoga, phlegmagoga, & hydragoga, haut aliud datur pharmacũ virtute formali peculiarē ducens humorem. quo pacto itaque medicus proprio & accommodato deſtitutus remedio iſtum proportione puri reſpondentem è venis trahet & expurgabit.

Iſti dubio vt occurramus oportet diſpicere medicamenti in corpus & humores operationem. Galenus ait ſanas carnes habentibus idcirco difficiles & moleſtas eſſe purgationes, quia cum non inueniant, quod attrahant pharmaca è ſanis partibus aliquid exprimant & eliquent, ſuæ proprietati quam fieri poteſt, ſimillimum. In actum enim deducta, non ſuſpendunt actionem, ſed pro viribus operantur.

Si itaque in corpus tali materia grauatum, demergatur pharmacum, natura, corporis nutrix ſtudioſiſſima, vt eiuſdem vellicata, potius hanc inutilem & excrementiciam colluuiem dimittit, quam ex partibus ſanis aliquid exprimi & eliquari patiatur; quin imo cum hanc ſecretioni & expulſioni deſtinarit, facili negotio leuiterq; impellitur & excitatur, vt pro

ordine & lege ſuâ eam maſculè & fortiter expellat. Et quamuis medicamẽtum purgans primario actionem ſuam tractione ſeligente perficiat, tamen habet inſuper aliam adhuc vim, qua naturam irritet vt ſuperuacua eiiciat, quæ cum indeterminate quẽlibet humorem præter naturam redundantem reſpiciat, ſufficit hæc ad promouẽdum huius materiæ, quam alias ſponte ſua natura critice eiicere ſolet, expulſum.

Quomodo ſanguis Galeno expurgari dicatur.

Inueniuntur demum qui ex comment. 2. Gal. in aph. 2. ſ. 1. vbi dicitur humori noxio & qui corpus infeſtet applicandam euacuationis ſpeciem, veluti ſi redundet pituita eam extrahendam, ſi bilis, hanc non alium, ſi item ſanguineus in corpore humor modum exceſſerit, aut ſerum abundauerit, id euacuandum eſſe, contẽdant, ſanguini excedenti, euacuans per venæ ſectionem non conuenire ſed medicamentum purgans rectè aſſignari, vel hoc etiam argumento, quod ipſe Galenus in vniuerſo huius aphoriſmi commẽtario vrgeat, Hippocratem loqui non de vacuandorũ quantitate, ſed ſola qualitate quibus proprie purgantia competere docet; imo ipſam vaſorum depletionẽ purgatione perfici inculcet. Ex quo neceſſario ſequi dictitant, eum purgantia ad ſanguinis euacuationem præſcribere. Verum ſi rectè cribrentur verba Galeni, ſecius res habet, dicebat enim non ſanguinem purgante educendum, ſed ſi ſanguinei humores modum exceſſerint, hoc eſt, ſi pars eius bilioſa, pituitoſa vel melancholica ſupra iuſtam proportionem aucta fuerit, hac autem ratione cacochymiam conſtituunt, euacuandos eſſe, vt etiam, ſerum ſi abundet, inſtar aliorum in ſanguine humorum exundantium, foras ducendum.

CAP. III.

An pharmaca purgantia irritatione naturæ, vel hoſtili qualitate humores adoriendo & fugando, num vero ſubſtantiæ familiaritate attrahẽdo operentur, opinio Eraſti, Schekii, Iouberti, Paracelſi, Peuceri & Chymicorum remouetur, ſaluberrimam & ſecuriſſimam fieri purgationem ab iis medicamentis quæ ſola tractione ſine magna naturæ irritatione operentur: mineralia chymicorum ſumentibus eſſe periculoſa, & non niſi robuſtis in deploratis affectibus ſumma cautione danda: & quomodo rite & recte violentium ferocia cicuretur & inhibeatur.

Quo modo pharmacũ purgans operationem ſuam perficiat.

TRactionem medicamenti expulſionẽ naturæ vi fieri, ſuperius aſſertũ eſt. Natura ab humore tractione medicamenti moto & per ſenſiles corporis partes ad vẽtriculum & inteſtina prolecto, vti & aliquando à pharmaci qualitate ingratiore irritata, excretionem perficit. Medicamẽti vis in potentia ſubſiſtens à calore natiuo vt ſuſcitetur, & in actum perducatur, opus habet. Etiamſi enim in-

ſtar magnetis ferrum trahentis humorem peculiarem alliciat, tamen hanc vim non actu ipſo ſed potentia poſſidet; atque vt eam exſerat, caloris natiui opera, vti cæterorum medicorum virtutem inſitã actuari neceſſe eſt. Ille enim pharmaci Spiritus ſoluit & euocat, qui ſeſe quoquo verſum in corpus per venas arteriaſque & occultos meatus explicant; humorem ſpecifica qualitate ſibi familiarẽ alliciunt, & ad ventriculum atq; inteſtina, vbi ipſum medicamenti corpus hæret conuehunt & attrahunt. vti autem cuilibet pharmaco facultas ineſt peculiarem humorem attrahendi, ita etiam ineſſe proprietatem qua eundem ad ventriculum & inteſtina tanquam deſignata loca trahat, non aliter quam cantharides cuicunque corporis parti applicatæ ſeroſas ad veſicam ſuperfluitates impellunt, multorum non inepte eruditorum fert opinio.

Hæc orthodoxa venerandæ antiquitatis ab Hippocrate primum tradita, à Galeno exculta & explicata, demumque ad nos deuoluta de ratione & modo, quo pharmacũ quoduis expurget corpus, eſt ſententia. Hippocrates dicebat medicamentũ trahere humorem è corpore, quemadmodum ſtirpes ex terra nutrimentum. Galenus tractionem hanc explicabat fieri familiaritate ſubſtãtiæ, qua pharmacum humores reſpicit; tractionem remedio expulſionẽ attracti, naturæ & expultrici facultat adſcribebat. In recenſenda & euertenda Aſclepiadis & Eriſiſtrati è veteribus opinione erronea, cum à Galeno & ſequacibus iam dudum antiquata, poſtergata, confutata, & ex Scholis medicorum recte exploſa ſit, operam & oleum non perdemus.

Reſtat vt quæ patrum & noſtra memoria à recepta antique veritatis ſententia diuerſæ fuerint exortæ & productæ opiniones, excutiamus. Vti Hippoc. & Galen. medicamentum purgans quatenus tale ſola vi attractrice operari recte ſtatuerunt, eamque in qualitate familiari & formali qua humorem purgandum ſympathetice reſpicit, fundarunt, ita alii in aduerſa quadam qualitate quæ occulta vel manifeſta ſit, virtutem catarctici collocarunt. Qui in ſola inimica qualitate eaque per antipathiam proſequente humores expellendos, vim purgandi ponunt, ij è diametro Hippocrati & Galeno repugnantem adducunt opinionem. Nã vt hi in familiari diſpoſitione per ſympathiam attrahente humores eã ſtatuebant, ſic illi in hoſtili aduerſa & per antipathiam eos ex corpore fugante & propellente eandem ſitam eſſe opinantur. Qui manifeſtæ qualitati vim purgandi adſcribunt, illi eam quidem naturæ moleſtam & aduerſam, non tamen humori proprie inimicam eſſe, eumque primo & per ſe fugare aſſerunt, quamuis irritationem hanc, qua natura ad eiiciendum humores noxios ſtimuletur, ex parte etiam occultæ qualitatis virtuti videantur aſſignare. Illi itaque medicamentum

Recentiorum de modo quo pharmacæ expurgent humores, opinio.

camentum purgans acri mordicante, acuta & infeſti, ſed manifeſta qualitate naturam ad excutiendum humores purgandos incitare, & ſic purgationem perficere comminiſcuntur, nec tamen magnopere repugnant, ſi quis occultam remedii vim ad idem patrandum concurrere aſſerat. Hanc opinionem, qua irritatione naturæ, pharmacum duntaxat operationem perficere ſtatuitur, introduxerunt & amplexi ſunt potiſſimum Thomas Eraſtus & Iacobus Scheckius clariſſimi Germaniæ Philoſophi & Medici, multisque pro ea tuenda dimicarunt argumentis, aliam vero illam Paracelſus eiusque ſequaculi & Ioubertus in paradoxis protulerunt. Paracelſus vero diuerſa quam Ioubertus ratione, eandem producit & amplectitur. Hic enim per antipathiam ex occulta qualitate medicamentum humores proſequi, expugnare & fugare docet, ille vero certa prædeſtinatione remedium habere ſcientiam & notitiam aduerſarii & hoſtis ſui aſſerit, eaque inſtructum, cum in corpus demerſum fuerit, protenus per omnes latebras eundem quærere, inuentum hoſtiliter adoriri, expugnare & exturbare: ſic ſe tertianam febrem è corpore eieciſſe, vt in terram proiecta adhuc tremuerit, & priſtinum rigorem oſtenderit, ſatis inepte deblaterat. Vide cyclopica impudentis ſtellionis mendacia quouis barbaro & Empirico pene indigna. Humorem quendam atrabilarium terram fermentare haud ignotum, bilem vero fermentantem & ampullantem nominare febrem, magnæ ſtoliditatis eſt. Cæteri Chymici moderatiores ſunt & rem veriſimilius exprimunt. Pharmaca Mercurialia Et antimonialia, nuncupant Catholica purgantia, quod tenuitate ſpirituali totum corpus penetrent & perambulent, moueant, alterent, quaſſent, & ſicubi diſpoſitam materiam inueniant, eam ſic adoriãtur, vt aqua fortis ferrum vel ſtibiũ, vel vti duæ aquæ liquoresve cauſtici confuſi & commiſſi. Vbi itaque totum generaliter mouerint, ea quæ in aluo ſunt ſeceſſum petere, quæ in ventriculo reiici vomitu, quæ in ſecunda exiſtunt regione per veſicam, quæ in habitu corporis per ſudorem exigi, atq; ita grauium morborum, qui ceteris remediis non cedunt, vti quartanæ, epilepſiæ, maniæ elephantiaſis, cancri, arthritidis, luis venereæ, veneni extremas eſſe medelas & præſidia imò (phantaſia & ſomnium) totum hominem renouare & iuuentutem reducere aſſerunt.

Eraſti, Scheckii, Paracelſi & Iouberti opinio de modo operationis purgantium.

Quomodo Chymicorũ mineralia purgantia dicantur operationẽ ſuam perficere.

Pharmaca chymica è mineralibus ſic expurgant veterem hominem, vt nouus renaſcatur & reiuuneſcat.

Medicamenta itaque purgantia mouent & vacuant ſola irritatione, vel per antipathiam ex occulta qualitate, aut tractione ſola vel tractione & irritatione ſimul operantibus. Sola irritatione & antipathia, quæ purgant, ea longe vehementiſſima ſunt, & cum totius perturbatione agunt, vti mineralia, Mercurius præcipitatus, ſublimatus, æs vſtum & ſimilia.

milia. Hæc enim omnia non ſelectiue trahendo, ſed naturam inimica & aduerſa qualitate exagitando, totumque corpus turbando, vacuationes moliuntur. Vnde Crato dicebat, antimonium turbando purgare.

Quæ aduerſa qualitate omnes & æquo humores adoriuntur & excutiunt vehementiſſimæ & periculoſa ſunt.

Ea itaque quæ violenta naturæ irritatione & impulſu ſuperflua excutiunt, vel vti Paracelſici & Chymici opinantur, antipathia quadam ſimul omnes totius ſuperfluitates quacunque corporis parte ſtabulantes adoriuntur, ita vt quæ in ventriculo inueniant, vomitu, quæ in venis, partim per aluum, partim per vrinas aliasque vias proximas quorſumcunque ferantur agitanturve, exturbent, cum vno tempore contrarios cieant motus, ſurſum & deorſum omnia impellant, ſummam naturæ vim inferre, magnoque virium detrimento, & vitæ in imbecillibus, periculo agere neceſſum eſt. Cruda enim cum coctis inuadunt, & violenter exturbant, absque omni methodo vniuerſaliter particulariterque, ſimul aggrediendo ea, quæ per aluum vrinas, ſudores, aliasq; vias excernenda erant, excutiunt, naturæ ductum aſpernata, quæ primo coquit, dein ſegregat, tandem expellit à generalibus ad ſpeciales vacuationes progrediendo.

Natura cum ordinate & ſalubriter rem gerit, primo coquit, dein ſegregat, tandem expellit & vniuerſalia particularibus præmittendo, perque vias & conuenientia loca educendo, à morbis grauiſſimis ſe ipſam liberat; ſic cum malignorum humorum copia & morbi violentia ſollicata & coacta turbate agere compellitur, non exſpectata concoctione ſine lege & ordine magno, cum virium diſpēdio ſurſum deorſumque, quod moleſtum eſt, excutit, velut in cholera aliisque ſymptomaticis excretionibus, vbi ſummum in procinctu periculum, videre eſt. Haut alia ratione res procedit, cum talia ſumuntur, quæ turbatione & violenta irritatione ſine diſcrimine omnes in toto ſuperfluitates ſimul hoſtiliter aggrediantur. Ita enim grandi cum iactura virium & frequenter haut ſine ingenti vitæ diſcrimine non ſaltem ſuperflua aut cocta, ſed & vtilia ipſosque naturæ theſauros inuadunt, & ſemper formidāda ſymptomata, veluti cordis anguſtias, lipothymiam, dolorum diritatem, conuulſiones, dyſenterias, peioraq; quam ipſe morbus, cuius propellendi gratia aſſumebantur, operantur mala, adeo vt magis à remedio & medico, quam ab ipſo morbo timendum ſit. Atque hoc pacto antimonialia mercurialia aliaque è mineris petita pharmaca vt plurimum operantur.

Vide ſodes, quam hæc remedia humanæ ſaluti infenſa & noxia ſint. His non determinatum humorem peccantem, ſed omnem promiſcue aſſerunt, excepto ſanguine inuadi; imo ipſum vna ſæpe excuti obſeruatum eſt. Neque ſolum cocta analogice inuadunt, ſed & cruda

da ſimul, cum tamen cocta tantum purgare oporteat. Nec per vias conuenientes ducunt, ſed per eas, quas proxime inueniunt, aut ad quas in præcipitium aut furias acta natura eos excutit. Nulla hic temporis morborum methodique medendi ratio habetur, artis præcepta euertuntur, reiiciuntur. Paracelſici non reſpiciunt concoctiones, cum febres crudas & ebullientes in terram antimonialibus exturbatas proiiciunt. Et fruſtra exſpectamus coctionem, cum hæc remedia crudos coctosque indiſcriminatim aggrediuntur. Eam vero præſtolamur, vt ſine totius ſubuerſione edomita & ſubacta materia ſalubris fiat euacuatio, ſuis autem vtentes Paracelſici non electiue juxta naturæ ordinem & legem, quod coctum & ſuperatum eſt, extrahunt, ſed irritando & exturbando furſum deorſumque omnia præcipitando violenter excutiunt, quicquid ſeu noxii ſiue innoxii inueniunt, ad extremos ægri ſpiritus, quos vna cum vita ſæpe elidunt. Id, qui per innatum naturæ robur ſuſtinere poteſt, aliquando violenter fato ſubtrahitur, plures vero toto vitæ decurſu languent, aliosve grauiores morbos aut extrema incurrunt.

Paracelſicorum purgandi modus peſſimus.

Quæ tractione & irritatione ſimul operantur, quo plus irritatricis qualitatis videlicet acrimoniæ, & eius quod naturæ moleſtum nauſeoſumque ſit continent, eo vehementiora ſunt, fortius agunt, maiorique cum violentia purgant, veluti diagridium, helleborus, colocynthis.

Ea vero quæ magis tractione quã irritatione vt Rhabarbarum, folia ſenæ, agaricus; aut ſola tractione vt mechoaca, apoios & omnis facultatis irritantis tam ex occulta quam manifeſta qualitate expers; aut vt manna, caſſia, cnicus, roſæ, violæ, myrobalani, agunt, benigne aut omniũ benigniſſime] & ſuauiter abſque naturæ commotione educant.

Pharmaca quæ magis tractione, quam irritatione euacuent eſſe omnium ſecuriſſima.

Ex his ſequitur quod ſola tractione euacuantia pharmaca nunquam violentam efficiant purgationem, & quod medicamenta vel per ſe talia, aut arte ſic comparata, vt domitis irritantibus qualitatibus ſola tractione expurgent, quam ſecuriſſime & ſine ſymptomatibus grauiorisq; mali metu operationem ſuam perficiãt: vnde etiam liquido apparet, quid in purgantibus corrigẽdum, & quo pacto eorum violentia rite cicuranda, (quod ſigillatim in cuiuſque pharmaci examine lib. 2. huius tractatus demonſtratur) & quod immodica violentaque purgatio ſeu hypercatharſis qua bona & vtilia cum ſuperuacuis ſimul eiiciuntur, non à virtute remedii tractrice, ſed ex alia eiuſdẽ vi & qualitate irritante & turbãte oriatur. Nullum quippe pharmacum, quod ſola tractione operetur hypercatarſin efficere natum eſt (debite adhibitum) ſed illa ſaltem, quæ ſola turbatione & irritatione, ac naturæ infeſta vi & indole eam ad humorum violentam eiectionem ſollicitant, aut quæ

Quomodo recte cicuranda purgantium violentia.

Vnde violentia purgationum & hypercatarſis.

quæ præter trahendi potentiam, inimicam & aduerſam quoq; poſſident facultatē turbandi & vellicandi, qualis in colocynthide & ſimilib. Quamobrem quę ſummam in diagridio cęteriſque acute purgantibus acrimoniam temperare valent, eadem quoque horum violentiam retundere, & eo ipſo hypercatharſin arcere & præcauere comparata ſunt.

Inde porro elucet non fuiſſe neceſſum Fernelio vt affingeret generalem quandam affectionem pharmacis, qua omnes promiſcue humores in hypercatharſi ducant & ſpecialem qua vnum vel duos ſubſtantiæ proprietate euacuent. Benigniora enim ſuperpurgationem nunquam mediocria immodica quātitate ſumpta, cum non amplius cognatos inueniant humores, fortia vero incorrecta acri & maligna qualitate eandem excitant, atque ſic nullum ſelectiue trahēdo purgans, per ſe quatenus tale hypercatharſin parit, aut generalem quandam vim habet eam concitandi, ſed ex accidenti quoad vel nimia quantitate vſurpatur, aut aliā ſimul vim naturæ aduerſam malignam & irritantem poſſidet, ſic operatur. Medico itaque accurate diſpiciendum, qua virtute in corpus noſtrum agere nata ſint pharmaca, an turbatiua & irritatrice, an ſola attractiua. Quod ſi faciamus, Eraſti & Scheckii errorem facile declinabimus, optimamq; inueniemus rationem comparandi catarctica, quæ ſine inſigni vehementia qualia oportet, ex præcepto Hippoc. & Galeni ſelectiue extrahant. Ait enim ſenex noſter ſi qualia oportet vacuentur, confert & facile ferunt: vbi nō ſymptomatum prouentus & vtentis intolerantia, ſed euphoria legitime adminiſtratorum & benignorum pharmacorum effectus, ſignum & conſequens eſſe debet.

Proinde illa quæ ſola trahendi vi operantur medicamenta, cum purgandi incidit neceſſitas, erunt aſſumenda: raro quæ vehementem irritandi potentiam tractiuæ facultati iunctam habent, rariſſime aut nunquam ea quæ ſola irritatione turbatiua totius, humores efferate excutiūt & explodunt. Medicus ante omnia tuto agere & cum ægro ſecurè tranſigere debet. Duplex hic incidit quæſtio: prima eſt, an dentur pharmaca quæ hoſtili & aduerſa qualitate naturam violenter incitando & irritando humorum euacuationem efficiant: cui breuiter repono, me quidem Paracelſi prædeſtinatam facultatem & innatam ſcientiam, qua hoſtem ſuum dignoſcat, perſequatur & expugnet, nō adſtruere, nec qualitatem aduerſam medicamento inhærentem, qua fugando & pellendo humores, euacuationem perficiant cum Iouberto aſſerere; id enim, ſi fieret iidem nō ad ventriculum & inteſtina, vt euacuētur perducerentur, ſed potius ex his in quibus primus exſeritur remedii impetus, ſeu ex prima regione in ſecundam, ex ſecunda in tertiam fugarentur & impellerentur: Quin etiam hoc

hoc pacto nulla ex capite & articulis fieret humorũ eductio, & omnis per purgans remedium aboleretur eorundem reuulſio. imo contra quam ſuperius demonſtratum eſt medicamenti non vi naturæ fieret expulſio. Nec tamē cum quibuſdam aſſerere, violenta mineralium remedia humores electiue trahere, aut cum aliis eadem violenter & turbatiue corpus expurgare, negare auſim. Conuenienter ad Hippocr. & Galeni regulam & naturæ legem ea ſelectiue purgare nequaquam adſtruo, vehementer tamen turbando & exagitando corpus à pertinaciſſimè impactis ad extremum vſque exhaurire, cum ipſa experientia affirmo.

Sed hinc altera naſcitur quæſtio, liceatne in morbis expugnatu difficillimis & naturis robuſtis aut iis, quę non leuiter mouentur, cæteris benignioribus quæ ſola tractione agunt, nil proficientibus, ad illa fortiora ſimul valde irritantia aut pure turbantia confugere. Illi vt ſatisfaciamus, arbitramur primo naturam indiuidui, dein morbum reſpiciendum eſſe. Inueniuntur qui per ſe difficulter mouentur aut propter partium internarum robur, ſenſum craſſiorem aut humores ad fluxum difficiles, viſcoſos & impactos. Sunt etiam qui benignioribus haut facile ad purgationem ſuperfluorum perducuntur, quod antea vehementer & violenter operantibus vti antimonialibus, Mercurialibus & elleborinis remediis parũ rectis vel correctis plus ſatis exagitati fuerint. Obſeruatione practicis conſtat, eos qui vehementi & maxima turbatione agentia ſumpſerunt, leuioribus haut facile poſtea moueri.

Eos itaque quod attinet, qui propter naturę robur, aut ſenſus interioris hebetudinem, non leuiter impelluntur, his non exhibenda continuo extreme vehementia, ſed Meſues cōſilium ſequendum, quo decernit, ſapientiæ gradum eſſe non tranſcendere ad medicinas fortes priuſquam debiles non contulerint.

Mediocria primum danda, quibus parum promouentibus ad ea, quę cũ trahendi poteſtate irritantem vim coniunctam habent, diuertere licet. Neque enim horum claſſem tranſcēdere vſquequaque tutum fuerit. Obſeruare interim & notare operæ pretium erit, quaſdam naturas vehemēter purgantibus nil moueri, & nihilominus ſuauiter leniterque operantibus; veluti manna, caſſia, aliiſque cum leni tractione ſelectiua lubricātem vim poſſidentibus ſufficienter purgari, quibus fortia præſcribere inutile & inconſultum foret: imo quoſdam ex ſola materię duritie inſolubiles, affatim hauſto oleo amygdalarũ dulcium liberales eſſe à ſummo diſcrimine, quibus fruſtra & reiterato fortiſſima erant non ſine periculo exhibita.

Qui propterea difficulter mouētur ꝙ grauiorib. ante exagitati leuiorum poſtea vim contemnunt, illi cum

tempore ad priſtinam redeunt naturā, ſi paulatim benigniorum vſui viciſſim adſueſiant. Quibus propter humorum craſſitiem & ineptitudinem ad fluendum, difficilis conciliatur excretio, horum corpora euroa ſunt facienda, meatus aperiendi, materia præparanda & naturæ obſequēs reddenda, iuxta Hippocat. aphor. corpora ſi quis purgare velit, fluxilia faciat oportet: quem luculenti ſententia interpretatur *Fernel lib. 3. meth. cap. 5. cum inquit: aptam vtilemque purgationem efficiunt medicamentum accommodatum ſatiſque validum vt humores trahat; natura robuſta quæ proritantem humorem expellat, & purgationem moderetur, humor tenuis & ad fluendum aptus, corporis viæ per quas fluxurus eſt liberæ & patentes; ſi quid horum deſit languida & inutilis erit purgatio. hactenus Fern.*

Morbos quod attinet curatu difficiles, experientia cottidiana nos docet ex illorum cenſu eſſe quoſdam quorum nec tractione ſola purgantibus, nec cum violenta ſimul irritatione & vellicatione operantib. materia extundi atque exſculpi poſſit, quales cumprimis ſunt elephantiaſis, lepra, ſcabies Gallicana, melancholici & ex atra bile pertinaciores quales cancri & carcinomata ſimileſque affectus. Vnde natum & promulgatum illud, (quod tamen Fernelius aliter experiri docet,) luem Veneream ſine Mercurii vſu ſtirpitus non curari.

Quando locus ſit remediis

Quamobrem in talium curatione vbi natura robuſta violentorum medicamentorum inſultum impune tolerare poteſt, ad vehementia è vegetabilium mineraliumue familia, arte cicurata & ſic comparata vt vniuerſam humorū maſſam di ſæcare, corporis totius habitū penetrare & expurgare valeant, tranſire, eaque methodice, non fatuitate Paracelſica vſurpare compellimur, iuxta illud venerandi ſenis, extremis morbis extrema remedia adminiſtranda.

violenter turbando purgantib.

Ait enim Iacchinus modernos medicos ideo non ſanare & expugnare graues morbos, quod medicamentis fortioribus vti reformident. Quæ tamen magno iudicio, accurata methodo, exquiſito ægri & morbi habito examine, ne conſcientiā labefactemus, artiſque vſum infamiæ & opprobrio vulgi proſtituamus, exhibenda. Nulli hic ad audaciam velim apertam feneſtram, ſed requirente neceſſitate re: momentoſius cribrata & ponderata, artificioſe in vſum accerſenda conſulo. Inueniuntur quidam purè chymici ſtolideq; Paracelſici ciniflones, qui ad omnium morborum curationem, tantum hæc violenta è mineralium familia petita & pręparata, quia nec aliorum cognitionem vllam habent, nec artem medicam rationalibus præceptis conſtantem didicerūt, atque in metallicarum rerum præparatione vniuerſam medici medendique rationem conſiſtere, infeliciter perſuaſi ſunt, vſurpant, ſed hi animas negotiantur, & experimenta per mortes agūt, quorum ſeueriore magiſtratus animaduerſione ſub prętextu medicinæ faciendæ, audacia iugu-

landi

landi & hactenus permiſſa impunitas occidendi merito vindicetur.

Concludimus itaque & conſulimus benigna & tractiua virtute potiſſimum purgantia rationali medico in vſum accerſenda, quod ea ſolummodo ſecure & artificioſe methodiceque adhibere liceat, iis poſtergatis & neglectis quæ irritatione & turbatione ſæuiunt, niſi ſolennis neceſſitas & deſignati caſus efflagitent.

Eorum qui ſola irritatione naturã purgationem fieri aſſerunt, opinio refutatur.

Sed Eraſtus & Scheckius nulla pharmaca familiarem & determinatum humorem vi ſpecifica è corpore trahere, ſed omnia illa irritando naturam vt ſuperflua excutiat, purgandi munus obire, multis argumentis nec quicquam demonſtrare conati ſunt.

Si enim ſtimulando & vellicando ad ſuperfluorum excretionem naturam irritent, atque ſic euacuare perhibeantur, nullum per ſe ſed omnia per accidens operationem ſuam perficient. Deinde ſi medicamenta ea vere ſint purgantia, quæ acri, aduerſa & acuta qualitate prædita naturam irritãdo purgent, ſequitur hęc quę eadem deſtituuntur planeque eius expertia ſunt, vt mechoaca, manna, caſſia, violæ, roſæ, quorum nonnulla vbi ſuperantur etiam in alimẽtum vertuntur, nulla ſpecifica purgandi vi inſignita eſſe & valere, quod tamen nec Eraſtus nec Scheckius aſſertum ibit. E contrario allium, piper, ſinapi, raphanus & alia manifeſta vel occulta qualitate irritare valentia aut naturæ ingrata, purgandi facultatem ſibi vindicabunt. Si enim quæ irritant, quatenus talia, vim purgandi obtinent, omnia irritantia vi catarctica pollere neceſſum eſt, quippe quod à quatenus ipſum, ad de omni, ſemper valida ſit conſequentia. Et quis vnquam, niſi ſenſibus, veritatis obſequium denegare, animũ induxerit, inficiari auſus fuerit, medicamẽta electiue purgantia certum quendam & peculiarem humorem educere, cum tamen neceſſum foret, ſi irritatione purgatio fieret, vt ſine diſcrimine omnes, qui præſto fuerint humores, eiiciantur. Irritata natura, ſiquidem hoc pacto purgationis cauſa ſit, expellit id quod maxime noxium & moleſtum eſt, cuiuſcunque demum generis extiterit.

Expultrix enim facultas non vni tantum humori noxio, ſed omnino omnibus ex æquo pellendis deſtinata eſt. Nec alicuius momenti eſt, quod clariſſimus Duncanus Liddelius reponat, purgantia irritare naturam ad certi & determinati humoris expulſionem, cum naturale agens ſui reſpectu ſemper vniformiter agat, nec actionem obiecto dato ſuſpendat, neque rationis capax ſit eiuſue ductum ſequatur, id quod adhuc in ſenſuatis, ſed irrationalibus animalibus, quæ non ſuo, ſed vniuerſi fine & intentione agunt, verum eſt. Sic irritata facultas non intelligit an ad huius vel illius humoris excretionẽ irritetur. Si bilis cum pituita ex æquo redundet, natura ſola irritatione non magis hanc, quam illam exturbaret,

rerum experientia teſtatur cholagogum pharmacum bilem, neglecta pituita extrahere. Ita videmus ictericum minime iuuari hydragogis, & hydropicum melanagogis, & Galenus gloriatur ſe ſolo cholagogo ictericos (ex vbertate bilis) liberaſſe & percuraſſe plurimos.

Si denique ſola irritatio ſufficeret, quare in morborum principio, quãdo humores turgent, & natura materiæ quantitate & qualitate ad excretionem irritata ſtimulatur, purgatione eradicatiua opus eſt? Cur in dyſenteria cæteriſque fluxionibus irritantis materiæ vi concitatis, vt plurimum, antequam debite cohiberi poſſunt, purgante pharmaco, vti neceſſitas & methodus præſcribit? Et, quid eſt, quod in ictero & articulorum habitusque corporis affectibus natura irritata non potius ad cutem, tanquam partem ignobiliorem, quo alioquin in his affectibus propendet, expellat ſuperuacua, quam ab eis reuocet, & per nobiles partes, corporisque tres regiones in aluum reducat, ſi ſola irritatione & non medicamenti tractione purgatio perficiatur: Et vt ſola irritatio à præternaturalis materiæ ſeu morbificæ cauſæ in corpore aduerſa acri & mordicante vel maligna vi concitata nunquam fluxiones ſalutares, ſed vel ſuperfluas & vitæ noxias, qualis eſt cholera, & dyſenteria concitat, ſic medicamentum quodcunque irritatione ſola purgationem operatur, mirifice corpus turbando ſuperfluas & vitæ viribusque infeſtas euacuationes molitur.

Si demum irritata natura ſola euacuationis cauſa eſt, cur cerebri expultrix potius per nares cæterosque proximiores, & ad hoc munus comparatos ductus non expellat, quã per longinquos & anfractuoſos tractus in ventrem remittat? Medicamento non attrahente ad ſeſe humores, naturæ ſola irritatione parum ad aluum ex cerebro renibus vterove deponeretur.

Nec eſt, quod quiſpiam regerat inueniri, qui ſolo odore purgentur, & pueros teneriorisq; conſtitutionis homines pharmacis vmbilico admotis, euacuari: Illud enim ob naturarum quarundam idioſyncraſiam euenit non alia ratione, quam is apud Scaligerum exercit.344. ſect.6. audito phormingis ſono vrinam cumprotinus reddere coactus eſt.

Pueri autem & tenerioris texturæ homines, quod vmbilico admotis ſeu epomphalibus ad purgandum moueantur, nullam importat neceſſitatem, vt ſtatuamus medicamentum vi irritante excretiones citare, cum calore natiuo ibi excitatum ad ſubiecta inteſtina & vicina viſcera virtutem ſuam propaget, & è toto humores ad ductus quam proximos, meatusque inteſtinorum patentes recta via attrahat, quo pertracti naturæ vi per aluum excernuntur.

Non autem ſic aſſerimus tractionem perfici, vt cum Peucero in libro de Diuinat. generibus, dicamus, id ſuam

Peuceri opinio de modo purgandi poſtponitur.

ſuam imprimere qualitatem ventriculo, qui tanquam manu ex vniuerſo corpore ad ſe pertrahat, & commoueat humores, quod ipſi naturale ſit attrahere cibum, & in chylum vertere. Oportet enim hic aduertere omnia illa, quæ trahit primum appetere, abſurda & inconuenientia non trahit, niſi horum in eo ſit excitatus appetitus. Humores praui ventriculi tunicis imbibiti prauis ſæpe vſque adeo qualitatibus eundem imbuunt, vt his ſimilia appetat, velut in grauidarum pica & malacia videre eſt. Extra controuerſiam eſt, ventriculum longa vitioſorum conſuetudine ſæpe vitioſa appetere, aut etiam male ab iiſdem affectum cõtraria deſiderare. Si pharmaci qualitate ita imbutus ſit ventriculus, vt attrahat, omnino eundem attrahendos humores appetere neceſſum erit; atqui cum nauſeoſa & aduerſa medicamenti qualitate fere ſemper ita afficiatur, vt id exſecretur & maximopere auerſetur, & quamprimum excutere intendat, eidem ſpecie ſimilia nec appetet, nec attrahet. Deinde actio illa tantum corrumpi, intendi, minui aut aboleri poteſt, quæ naturaliter à corporis partibus perficitur: atqui ventriculus ſaltem ab ore cibum, nihil à toto corpore, ſed vice verſa totum corpus à ventriculo trahit, & ſuctum in eodem tractione venarum ex indigentia totius excitat, vnde fames naturaliter oboritur.

Poſſet etiam illud Hippocratis, quo ſtatuit, idem medicamentum æſtate ſumptũ333 bilioſos, hyeme pituitoſos, autumno melancholicos potius educere humores, cuipiam ſcrupulum mouere, contra ſententiam hanc, quæ quodlibet pharmacum peculiarem & determinatum humorem attrahere dictitat. Id enim, ſi fieri aſſeras, omnes humores à quocunque pharmaco indifferenter adduci & educi quiſpiam concluderet. Verum Hippocrates eo ipſo primum demonſtrare voluit, certos & peculiares certis anni temporibus prædominari & exſuperare in corpore humores eorum conſtitutioni & temperamento reſpondentes. Pharmaca vero, quod attinet, ſemper vnum & determinatũ humorem primario reſpiciunt, propter diuerſæ autem ſubſtantiæ portiones ſub vnius formæ dominio compoſitas ſit, vt præter illum ſæpe alium vnum pluresve eodem modo aut ſecundario concernant. Vti in opio vis narcotica & hydrotica qualitasq; amara narcoſi plane contraria propter partium ſubſtantiæ diuerſitatem, & in Rhabarbaro vis purgans & adſtringẽs, quarum illa in craſſiore terreſtri, hæc in aërea, ignea, tenui reſidet, atq; in hac illa portio, quæ bilem vacuat, ita prædominatur, vt nihilominus adſit aliquid, quod tenuem pituitam vna ducat, ſic nulla cæterorum purgantium adeo ſinceris conſtant ſubſtantiis, quin præter vnum primario determinatum etiam alios educant humores.

Quomodo medicamẽtum plures quam vnũ educat humorem.

Proinde etſi eum, quem prima-

rio reſpicit humorem, & cui expurgando maxime dicatus eſt, ſemper ducat pharmacum, tamen, ſi ille, quem ſecundario vel minus reſpiciebat, copioſe redundet, facile fit, vt actio in hunc, cum ſpecificum non inueniat, dirigitur, quæ & irritante vi & calore remedii incitatur. Aduertendum etiam Hippocratem de ſui ſeculi remediis vehementioribus ante benignorum ſola tractione agentium inuentionem vſitatis loqui, quibus cum tractione in ſpeciali qualitate pharmaci fundata, coniuncta eſt irritatrix vis effera & maligna, qua totum maximopere exagitatur, & humores cuiuſcunque generis, & qui potiſſimum redundent, excutiantur.

An purgantia vniuoco tractu, an vero æquiuoco & virtuali agant.

Vltimo queritur, an purgantia tractu vniuoco, quo trahens tracto iunctum id attrahit, vel æquiuoco & virtuali in certa diſtantia trahente, & tracto diſiunctis, attrahant humores, ad quod recte reſpondetur, medicamenta alia in vapores ſpirituoſos ad humores educendos penetrantes vi caloris innati reſoluta, eos ſecum adducere, alia inſtar magnetis ferrum certo ſpacio attrahentis, virtute & ſpiritali efficacia allicere, vt in pilulis integre ſæpe reiectis, nullaque ex parte attritis vel digeſtis, in globulis, annulis, aliisque artificioſe purgantibus videre eſt, atque ſic vtrumque tractum exercere.

* *
*

CAP. IV.

In quo principio fundetur, & à quo dependeat purgandi virtus, an à forma vel ſubſtantiæ proprietate & ſimilitudine, vel occulta aliqua qualitate? An formæ immerſæ materiæ poſſint agere ſine miniſterio qualitatum? de actionib. formarum immanentib. & tranſeuntibus accidentia tam quo ad eſſentiam, quã virtutem dependere à forma huic primario operationem purgandi aſſignandam, quid ſit occulta qualitas & quomodo huius opera vtantur formæ & ſublimes operationes.

AVerrhoes ἑλκυστικὴν δύναμιν, ſeu facultatem tractiuam purganti pharmaco à tota ſubſtantia aut forma ſpecifica, Galen. à ſubſtantię proprietate, aut tota ſubſtãtia, aut à ſubſtãtiæ vel eſſentiæ ſimilitudine ineſſe aſſerit. Per ſpecificã formã aut totam ſubſtantiam ſubſtantiæue proprietatem, intelligunt quidam non ipſam formam, ſed quandam qualitatem ex certa & peculiari elementorum proportione ſiue miſtionis proprietate ortam, quam rationis ſcrutinio ad vnguem aſſequi non liceat, quæ cum inexplicabilis & indicibilis ſit, ſolaque experientia cognoſcatur merito occulta vocetur. Rationem cur ita ſtatuant, proferunt hanc, quod nulla forma ſubſtantialis agat ſine qualitatum miniſterio. Deinde aiunt Galenum per ſimilitudinem ſubſtantiæ non intelligere formalem, ſed eam,

In quo nã principio fundetur purgantiũ trahendi facultas.

quæ

quæ fundatur in qualitate quippe quod forma non conſtituat ſimilitudinem, ſed identitatem, aliud autem eſt ſimile & aliud idem eſſe, ita cnicus cnico idem, & pituita pituitæ eadem eſt, per formam videlicet, Rhabarbarum vero bili ſimile: Nihil agit in ſe ipſum, ſed in aliud: quæ vero eandem formam & naturam & eaſdem proprietates habent, eandem quoque trahendi facultatem poſſidebunt, & ſic neutrum tracti vices obtinebit. Proinde dicebat Gal. lib. 3. de ſimpl. fac. cap. 25. ſimilitudinem ineſſe ſubſtantiis non identitatem. Ferrum enim non trahit ferrum, neque caro carnem, ſed magnes ferrum, caro ſanguinem. differunt mea quidem ſententia idem & ſimile. Quippe pituitæ pituita eadẽ & cnicus cnico. hactenus Galen. dirigitur itaque vis tractrix non in id, quod eſt idem, ſed in id quod ſimile & familiare eſt, inter trahens ſiquidem & tractum actio eſt & paſſio. Verum cum ſimilitudo ſit relatio & entitatem debilem habeat, ac per ſe nullius energiæ, ſubſiſtere non potens niſi in aliqua baſi, neceſſario debebitur actio illi fundamento in quo iſta fundatur.

Similitudinem inter medicamentum trahens & humores tractos fundari in aliqua qualitate formali.

Atqui hoc forma per quam res non ſimiles, ſed eędem perhibentur, nequit eſſe, nec quantitas cum propter illam res non ſimiles vel diſſimiles, ſed æquales vel inæquales dicantur, & quantitatum nulla ſit efficacia: relinquitur itaque ſola qualitas, propter quam res ſimiles diſſimileſue dicuntur, in qua actionis, quam quærimus cauſam ſeu facultatem fundari concludunt.

Hęc ſententia in ſcholis vulgo recepta, & magnis multorum conatibus anxie defenſa eſt; ſed cum multa inuoluat, quæ rem penſiculatius ponderanti varias iniciant dubitationes, & obſcura & intricata plurima videlicet de formarum proprietate, ſimilitudine, actionibus, itemq; de occultis qualitatibus complectatur, non immerito, neque inepte, licet humanæ mentis aciem vel fugiant, vel percellant, eiuſque imbecillitati obuia non ſint, de quibuſdam, diſquiſitio vlterior inſtituenda.

Primo itaque excutiendum an vniuerſale perpetuumque ſit formas ſubſtantiales ſeu materiæ immerſas, ſiue ex eiuſdem potentia eductę; ſiue in eandem inductæ fuerint, nullam actionem perficere niſi per qualitates adeoque præciſe horum miniſterio indigere ad edendum operationes.

Deinde ſi ita ſeſe res habeat an neceſſum fuerit, accidentiis vel qualitatibus, quæ formæ inſtrumẽta ſunt, vim principaliter agentis adſcribere; & demum num ex elementorum varia miſtione certaque miſtionis indicibili menſura aut miſtorum remiſtione poſſint oriri & exſurgere qualitates, quæ ad actiones illas perficiendas ſint idonea inſtrumenta?

Propoſitas quod attinet quæſtiones ſciẽdum, illud principium quod rei eſſentiam maxime largitur, & a-

ctum

ctum non minus eſſentialem, quam exſiſtentialem conſtituit veram omnium facultatem, originem, fundamentum & cauſam eſſe: Vti enim materia patheticum, ita forma & actus exſiſtentiæ vltimatus, per quem res eſt id quod eſt, omnis virtutis & energiæ principium exſiſtit, ſibique pro cõſeruatione rei cuius forma eſt, generat accidentia, quæ quo ad generationem & conſeruationem, facultatemque & operandi poteſtatem ab illa dependent, eique in eſſe & actione ſunt ſubordinata. Dicebat enim Ariſtoteles lib. 7. metap. ſubſtantiam priorem ſuis accidentibus natura, cognitione & tempore. Et cum forma non ſit cauſa formalis accidentiũ, ſed effectrix, accidens quod ſequitur eſſentiam vel exſiſtentiam rei non poteſt præcedere formam. Inuictæ autem veritatis eſt, quod vti res ſe habet in eſſe, ita etiam in operari. Tale enim eſt agere, quale eſt eſſe. At accidens eſt ens entis, ergo agere accidentis eſt principaliter ſubſtantiæ; accidenti duntaxat competit inſtrumentalitas. habet autem à ſubſtantia vti generationem ſui & conſeruationem in ſubiecto, ita etiam omnem qua operatur virtutem.

An formæ ad actiones ſuas quaſlibet indigeant miniſterio qualitatum.

His poſitis reſpondemus ad primum quæſitum formas ſine accidẽtium opera & miniſterio operationes quaſdam perficere, quales ſunt generationes accidentiũ in ſubiecto abſque omnis accidentis prioris opera & interuentu. Si enim forma produceret accidentia per alia accidentia, quærẽdum num & hæc per priora ſeu priorum miniſterio ſint generata, quo modo in infinitum daretur progreſſio. Verum accidens in ſuo primo ſubiecto cuius eſt proprium, formam immediate ſuæ generationis cauſam agnoſcit. Sic forma ignis immediate ſummum in materia producit calorem. Anima rationalis proxima & immediata eſt riſibilitatis cauſa. Scaliger vult ſolius formæ vi lapidem magneticum conuerti ad ſeptentrionem. Forma Rhabarbari immediate in ſuo corpore producit vim purgandi bilem.

Actiones formarum immanentes & trãſeuntes.

Sed hic quidam diſtinguunt inter actiones formarum, q̃ fiunt per emanationem & quam ꝓxime à forma eduntur, dicunturque immanentes, propterea quod ſubiectum formæ non egrediantur; & tranſeuntes, de iis cõcedunt verum eſſe, quod à formis proxime edantur; has vero tranſeuntes, quas extra ſubiectum in alia extendunt, non perfici à forma ſine qualitatum ſeu accidẽtium miniſterio, proinde nullam formam ſubſtãtialem ſine horum opera extra ſuum ſubiectum agere cõcludunt. Quamobrem nunc diſpiciendum erit, num & hoc vniuerſalis & perpetuæ veritatis ſit, quod formæ ad omnes ſuas operationes externas miniſterio alicuius accidentis indigeant.

Notum & tritum eſt actiones quaſdam eſſe pure virtuales ab eſſentiis formiſque, quam proxime editas & profectas, quarum effectus contactu virtuali fiant; alias autem actiones

nes contactu rerum corporearum qualitatibus ſuis agentium edi iuxta illud:

Tangere enim & tangi niſi corpora, nulla poteſt res.

Actio formarum virtualis. Prioris generis actiones ab æquiuoce efficientibus ſeu κατ' ἐντελέχειαν operantibus producuntur. Talis eſt ſtellarum & corporum cœleſtium in hæc inferiora generationem & corruptionem rerum moderantium. ita ſol generat animalia, remota piſcis exiguæ magnitudinis, nauem vaſtiſſimę molis pleno curſu volantem remoratur & detinet, lapis Heraclius ferrum trahit. miniſterium aliquod corporearum qualitatum ad has operationes cō urrere, nemo vel profeſſus, vel mentis indagine rectè affectus eſt. Qualitatis elementaris vim nullam ab iiſdem exire documento ſit magnes, quem ſi ſub ſtannea argenteaue lamina aliquot digitorum craſſitiem ęquante cui acus ferrea ſit impoſita, verſes voluaſq; videbis ad illius ductum hanc obſequi, & circumuolui.

At cum hi, qui qualitatum ſiue apertarum ſiue occultarum opera fieri aſſerunt tractionē humoris à pharmaco, eamque ad modum tractionis magneticæ peragi diſſerant, cur pari virtute videlicet ſpirituali, qua hæc etiam illam perfici non concedunt?

Sed pergamus ad qualitatum conſiderationem, earumque vires & an his medicamentorum trahendi facultas commode aſſignari & competere poſſit, vel an de natura illarum ſit poſſe has operationes edere, contueamur.

Quid ſi largiamur (exercitationis gratia) qualitatum patronis eas miniſterio ſuo concurrere ad actionem formæ, tractionem potiſſimum perficientis, nūquid vt illi perperam faciunt, primariò hæc actio erit adſcribenda & imputanda qualitatibus? Principium ſane quod operatur eſt forma, principium quo eſt qualitas. vti itaque ipſa actio non inſtrumento, ſed principali efficientia aſſignanda, à quo videlicet tota dependentia tam ad generationem, quam directionem & virtutem inſtrumenti, quomodo vis purgandi qualitatibus accepta referri debet vel poteſt. Rhabarbarum, quod bilem trahat, id vel à forma, vel à materia aut qualitatibus, ſeu miſtionis tēperatura habebit. Si ab hac, tunc illud quod eſſentiam potiſſimum conſtituit & omnis operationis in quacunque re fundamentum & energeticum principium eſt, otioſum & quietum erit. *Actio purgandi non eſt adſcribenda qualitatibus ſed formæ primò.*

Et ſi nulla forma ſubſtantialis operetur niſi per qualitates, tamen nō ſequitur harum duntaxat opera, vti patroni qualitatum friuole & inconſiderate aſſerunt, fieri nobiles iſtas operationes, quandoquidem longe ſit ſupra earum virtutem & conditionē iſta agendi poteſtas. Sic calor, quando dirigitur à forma ignis, vrit, cum vero vti inſtrumentum, animæ inſeruit, talia patrat opera, quæ longe excedant ſuæ naturæ conditionem; viuificat n. generat, producit ſpiritus,

chymificat, chylificat, adeoque vitæ auctor & conſeruator eſt, vt eius extinctione mors definiatur. Nec enim accidens id per ſe perficit, quod ſua natura ſublimius eſt, & perfectio effectus non excedit perfectionem efficientis. Quamobrem vti vis inſtrumẽti dependet à directione cauſæ principalis, ita maxime illæ actiones, quæ inſtrumenti ſeu elementarium qualitatum potentiam ſuperant, proficiſcũtur à formarum principaliter agentium virtute, adeo vt ſi maxime verum foret, nullam formam ſubſtantialem agere, niſi per qualitates miniſtras, tamen ipſa cauſalitas efficientis principalis nequaquam his inſtrumenti ſaltem munere fungentibus adſcribi poſſit.

Verum, vt intima rei fila penitius ſcrutemur, ad qualitatum examen concedendum erit, quarum patroni, cum viderent manifeſtarum vires ad purgantium actiones producendum nil conferre poſſe, quæſiuerunt aſylum occultarum. Has mirabilis eſſe potentiæ, & id, quod aperte nequeãt, poſſe, contendunt. Quapropter quid ipſis pro occulta qualitate veniat percunctandum eſt.

Quid ſit occulta qualitas.

Quidam ex elementorum primorum inſcrutabili & indicibili, ſed tamen peculiari & definita menſura & proportione ad miſtionem concurrentium trahi, & inde reſultãte temperie eas oriri; alii ex miſtorum denuo ad mixturam confluentium noua, ignota & inexplicabili temperatione prognaſci ſtatuunt. Prior ſententia rationi haut ſatis conſona videtur. Etſi enim, qua menſura, quibusve portionibus elementa ad miſtionem (quæ Dei & naturæ opus eſt) alicuius rei conſtituendæ concurrant, ignoremus, neque ob id ex aſſe & ad vnguem reſultãs inde temperamentum cognoſcere queamus, & cum Auerrhoë recte ſtatuamus actiones naturales fieri à calore commenſurato, cuius alia ſit in ventriculo, alia in epate proportio & contemperatio, tamen non ſequitur, hanc temperiem conſtituere aut importare occultæ qualitatis rationem. Proportio enim qualitatum manifeſtarum ignorata, ex apertis non facit occultas, aut temperiem talem, quæ occultæ qualitatis nomen ſibi iure vendicet. Manifeſtæ illæ non induũt occultarum naturam, nec eſſentiam mutãt propter certum miſtionis modum: ſunt manentque elementares qualitates etiam ſub incognita craſeos menſura, & ſemper ſequitur miſtum naturam prædominantis elementi. Et ſi incognita miſtorum aut qualitatum in miſtis proportio inducit rationem occultæ qualitatis, vtique chylificatio, chymificatio, cæteræque actiones à calore commenſurato, cuius tamen menſura & proportio nobis non vſque adeo perſpecta fuerit, profectæ, vi occultæ qualitatis fieri dicentur.

Tandem peculiaris illa elementorumque in miſtis menſura non producet vim aliam, quam ab elementariis qualitatibus contemperatis re-

ſultare

ſultare queat. Et vti hæ per miſtionem non mutant naturam, ſed neq; eſſentiam exaltant, ita nec actionem, quæ eiuſdem virtutem & conditionem ſuperet, hoc pacto edere valent, vt vt calculum ponamus, vniuerſalis & infallibilis veritatis hęc eſt regula, quod nihil agat ſupra virtutem ſuæ ſpeciei. Proinde ſi elementorum qualitates ſupra ſuæ naturæ facultatem actiones mirandas producant, hæ, non ipſi earum temperiei, ſed ſublimiori principio, hanc pro inſtrumento vſurpanti, & ad operationes ſublimiores ſinguleri virtutum influxu inſtruenti & dirigenti imputandæ.

Cum itaque occultarum qualitatum eſſentia ex primarū certa temperie & conſtructione conflari nequeat, ſupereſt, vt inquiramus, an ex miſtorū varia remiſtione, in qua formis eorū haut abolitis, ſed refractis, & quaſi materię quandā naturam ſub potioris formæ dominio induentibus, peculiaris & imperueſtigabilis temperies & idioſyncraſia emergat. Neque enim eſt, quod hoc fieri poſſe negemus. Natura quippe ad rerū generationē primo recipit formas eſsētiæ, dein exſiſtentiæ, ſeu educit primo formas vniuerſales, iisque mediantibus particulares, donec ad indiuiduantem vel exiſtentialem perueniat; priores illæ ſunt propter poſtremas, neque illarum eſſentiæ propter vltimæ inductionem pereunt, vel abolentur, ſed vt nobiliori formæ nobilius eſſet ſubiectum ſuo rigore poſito, quaſi materię vicem quandam recipientes, eiuſdem ſeſe ſubmittunt poteſtati. In oſſe duricies, eſt propter terræ copiam, hæc enim in illo formam ſuam non depoſuit, ſed nobiliori ſubiugauit. Et raro ſubſtantia, quæ multarum & contrariarum virium particeps eſt, ſyncera reperitur, vti in Rhabarbaro videre eſt, cuius portio tenuior purgantis, & craſſior adſtringentis facultatis eſt; & in opio quid ex partibus calidis partim amaricat, & ex frigidis prædominantibus narcoticum eſt; & item in aloë, quæ & conſolidat, & venas reſerat, quæ omnia diuerſis ſubiugatarum formarum ſubſtantiis ſeſe vnius dominio ſubmittentibus conſtant.

Et, vt ſimplicium atque ex ſimplicibus per miſtionem genitorum corporum formæ ſub vltima exſiſtentiali non intercidunt, ita qualitates ab illis dependentes vna remanent. Propter elementum ignis ineſt calor, & propter aquam humiditas, vnde ſequitur iſtas qualitates, quæ ab vltima forma non erant productæ, hac pereunte in materia remanere poſſe. Sed, vt ad id, quod intendebamus, reuertamur, ex hac qualitatum à diuerſis formis ortarum contemperatione corporumque ſeruatis formis materiæ ſeu potentiæ quodammodo naturam induentibus, miſtione, vere oriri indicibilem quandam idioſyncraſiam, quæ recte occultæ qualitatis nomen quodammodo ſibi mereatur, non abſurde ſentire videor. Quis enim ex tot formarum & qualitatum

litatum compoſitarum coalitu natam temperiem formæ ſublimiori ſubdi am,pro occulta non agnoſcat, oportet ſane nobiliores formas, & tale ſubiectum, & tales qualitates pro inſtrumentis habere. Proinde,ſi quiſpiam ſimiles origine & eſſentia qualitates à forma mirabiliter directas,velit iſtas, quas occultis aſſignāt operationes perficere poſſe, non repugno. Interim videndum,an cauſæ virtuali poteſtate aut infl ētia agentes, talium miniſterio indigeant, & an propter craſſiorem, quā reſipiunt conditionem dignæ poſſint eſſe miniſtræ. Neque enim virtualiter agentia,vt ſtellæ,magnes,remora,qualitatum ex materia tarum rerum miſtura reſultantium opera opus habent, neque hæ ſunt eius ſubtilitatis,vt talium virtutum adæquatum vel commodum organum eſſe queant, quod in magnetica poteſtate è veſtigio,& quaſi in inſtanti denſiſſima metallorum corpora peruolante & penetrante peruidere eſt. Atque hoc ſolidioribus rationibus ex Philoſophiæ aditis penetralius erutis demonſtrari poſſet,ſi proprie huc ſpectaret.

Vera de occultis qualitatib. earumq; potentia & actionibus ſententia.

Quib. formæ vtantur qualitatibus ad ſublimes operationes edendum.

Itaque in hoc lubenter acquieſcimus purgantium remediorum formas ad perficiēdum tractionem determinati humoris,iſtarum qualitatum, quæ ex varie miſtorū idioſyncraſia & inſcrutabili temperie oriuntur, miniſterio adprime & rite vti.

Hæc doctrina licet veram & ab ipſa antiquitate huc deriuatam, à rei medicæ triumuiris continuato ſuffragio approbatam, nec tamen quod ſciam ſatis explicatā, aut pro re nata ad viuum reſecatam ſententiam complectatur, tamen aliis non videtur ſatis quadrare cum Hippocratis antiquiſſimi & ſummi dictatoris mēte, qui vti primo inuenit & aſſeruit, purgantia trahendo euacuare ita eodem modo hanc tractionem perfici dicebat, quo ſtirpes & partes nutriendæ alimentum ſuum alliciunt. Hæ enim trahunt præuio appetitu naturali,quod non faciunt purgantia,trahunt vt nutriantur, trahunt id quod ipſis adeo ſimile eſt, vt proxima potentia ſit tractum, quod actu eſt trahens,qua in cognatione & potentia multi Hippocraticam Galenicamque ſimilitudinē perſiſtere rati ſunt, hoc argumento perſuaſi, quod quemadmodum nutriens tractum vertitur in ſubſtantiam nutriti, ita quoque medicamētum,ſi actione ſua fruſtretur, in humorem trahendum mutetur, quodque in eo familiaritas & ſimilitudo pharmaci,qua humores ducit, conſiſtat. Verum etiamſi purgantia non trahant præuio appetitu naturali, nec familiaritate illa & ſimilitudine, quæ eſt inter nutriens & nutritū, ſic enim oporteret humorem attractum verti in ſubſtantiam purgantis, non contra, quod vulgo perſuaſum eſt,tamen vera eſt & indubitata Hippocratis ſententia,neq; ab hac quam tradidi, aliena. Voluit enim ille diuinus ſenex nō tam cauſam,quam modum trahendi, ſimili iſto à ſtirpibus ali-

alimentum allicientibus producto, nobis deſignare.

Ex hac alia deſuper emergit quæſtio, videlicet, cum ſubſtantiæ quædã ſtatuatur ſimilitudo inter pharmacũ & humorem determinatum, num vtrumque eiuſdem virtutis ſit particeps; ad quam negatiue reſpondemus.

Nulla alioquin ratio dari vel cauſa proferri queat, cur humor ſemper patientis & tracti, vicem ſuſtineat, pharmacum vero agentis & trahentis vim vſurpet. Contingeret enim aliquando purgans pharmacum trahi ab humore purgando, præſertim ſi copioſior foret: quod in maiori quanto maior ſit virtus. Si vtrumque eadem parique virtute præditum eſſet, & ſi hoc pacto ſimilia forent in ſe ſic agere non poſſent. Conueniunt igitur inter ſe ea ratione qua magnes & ferrum, ſuccinum & paleæ; vti enim hæc eiuſdem facultatis non ſunt, ita neq; pharmacum & humores: illud vi trahendi eſt inſtructum, hi reſpectum habent vt trahantur, non contra. ſpecificæ virtutes ſpecificam ſequuntur naturæ differentiam.

Opinionem Valleſii de cauſa tractionis purgantium, cum inepta paſſimque gentium flagellata, & è ſcholis Medicorum exploſa ſit, huc acceſſere, & denuo ad examinis martyrium deducere, erit otio, bonis horis & literis abuti.

CAP. V.

Cur vomitus ad vniuerſalem referatur purgationem; Vomitoriũ eſſe violentius præſidium aluiducis, naturam vireſq; magis quaſſare, conuenire tantum robuſtis: quæ naturæ & diſpoſitiones vomitum tolerent, & quibus noceat: Conuenire affectibus pertinacibus cum cætera nihil conferant: adhiberi vt præſidium vacuatorium, reuulſorium, & deriuatorium. Vt vacuatorium cõuenire in febrium acceſſionibus & affectibus ventriculi & hypochondriorũ, vt reuulſorium in affectibus à ventriculo natis, & vitio totius artis, qualis podagra, & in alui fluxu: vt deriuatorium in epatis, lienis & inteſtinorum malis.

PVrgatio vniuerſalis per ſeceſſum aut vomitum cacochymiam, ſeu humores qualitate peccantes educit. Vomitus autem eſt purgatio vniuerſalis quod è publicis corporis regionib. euocare & euacuare poſſit, quod vniuerſales corporis morbos ſæpe ſanet, quod omnis generis humores videl. bilioſos, pituitoſos, melancholicos, atros, æruginoſos, praſſiuos, liuidos, nigros, exturbet; quod è quauis corporis parte vacuando, reuellẽdo, deriuando extrahat ſuperflua. quemadmodum cætera pharmaca deorſum mouentia ad inteſtina materiam ducunt, ita vomitum cientia proprieta-

Quomodo vomitus ſit purgatio & euacuatio vniuerſalis.

re ſua ſurſum eandem &per ſuperiora concitant, quod videre eſt in his ſi vmbilico applicentur. Etſi enim vis eorum primum inteſtina tangat & feriat, eoque trahat, tamen ſurſum humores aguntur, &per ſuperiora potius excutiuntur.

Emmetica proprietate ſpecifica humores ſurſum agunt.

Perficitur autem illa purgatio maiore violentia, quam quæ per ſeceſſum agitur, quod vti ſuperius demonſtratum eſt, omnia pharmaca, quæ præter vim tractiuam etiam valde irritatem poſſident, vehementiore totius motu & diſturbio operentur. Neq; hæc vacuatio naturæ adeo conueniens eſt, vti illa, quæ deorſum expellit. Venter enim cum pro naturæ lege habet, trahit ſuperius per ſtomachum & deorſum excernit, præter naturam vero à re infeſtante lancinatus fundo reſupinato & conſtricto, ſuperiore orificio hiantiore & debiliore, motione ſurſum facta de propria ſede exſilit, vicinaſq; partes quibus annectitur magna vi diuellit, propinqua viſcera violenter quaſſat, nobiliora memb a quibus arcta conſenſione familiaris eſt, turbat, vt facta athroos rei moleſtantis excuſſione ſuperne euacuet. Moleſtior etiam naturę hic eſt motus, quod cuiuſcúq; generis humores naturali grauitate deorſum ad inteſtina potius ferantur, quam ad ſtomachum conſcendant, multoque plures & ampliores ductus à portæ venis ad inteſtina propagentur, licet via ad ventriculum videatur breuior, quodque venæ meſenterii excrementis è ſecunda regione reportandis ſeruientes, vniuerſim omnes diuaricentur ad inteſtina; nulla vero ad ventriculum vaſa deportandis ſuperuacuis data tendant, excepto brevi & venoſo: quod item ventriculus nobile organum, exquiſiti ſenſus, principalibus partib. arctiori conſenſu cognatum, humorum qualitate & quantitate excedentiū incurſum haut impune ferens, ciborum concoctioni, non autem excrementorum & ſuperuacuorum receptioni & expulſioni, veluti inteſtina potiſſimum inferiora, quæ in publicam totius cloacam ſunt fabricata, deſtinatum ſit. Propter ſummum orificii ſuperioris cum neruis eorumque principio & corde conſenſum, eiusque ſenſum exquiſitum, ex pharmaco violentiore, aut humore efferato, inſolentius, vt in hoc conatu fieri ſolet proiecto, conuulſiones lipothymiæ, palpitationes cordis, cardiogmi, cardialgiæ, aliaq; formidanda excitantur mala. Vide commen. Galen. in aphoriſ. 1. Hippocrat ſect. 5.

Vomitus eſt violentior motus quam deiectio.

Vnde Hippocrates ad vomitum fortia corpora requirit, & robuſtos per ſuperiora, debiliores per inferiora purgare iubet.

Vomitus requirit robuſta corpora.

Proinde accurato iudicio expendendum fuerit, quibus morbis vomitio emolumentum ferre, & quæ naturæ eandem perferre poſſint, Celſi regula ob oculos ponenda, quæ ſic habet: *Commoneo tamen, ne quis, qui valere & ſeneſcere volet, hoc medicamentum quotidianum habeat. Quamobrem*

videmus

videmus veterum conſuetudinem, qua humidiores ter, ſicciores bis menſe quolibet vomere ſolebant, antiquatam eſſe, quod Galeno auctore, continuis iis vacuationibus corpora plurimum læderentur, & in malam conſuetudinem perducerentur, humoresque praui ad ventriculum pellicerentur, qui ex hoc efficiatur cloaca præter naturæ ordinem eo accerſitis, qui per alias partes euacuari debebant ſuperfluitatibus: quodq; vomendi frequentia ſurditatem, viſus hebetudinem, dolorem capitis, dentium læſionem, venarum pulmonis thoraciſque ruptionem demum inducat.

Quibus non conueniat vomitus. Non ferunt itaque hos conatus vomitionum, qui debile caput & doloribus obnoxium, oculos imbecilles ſuffuſioni paratos, infirmum ventriculum & eiuſdem os exquiſiti ſenſus, venas pectoris ruptioni obnoxias habent: aſthmatici item, hæmoptoici, phthiſici, & ii quibus collum longum, ceruix gracilis, pectus preſſum & anguſtum, adeo vt ſcapulæ à tergo in morem alarum promineant, vnde πτερυγώδεις, id eſt, alati nominãtur. His accenſentur qui dolore & inflammatione præcordiorum tentantur, qui vlcerationes ventriculi patiuntur, qui cardialgiis, lipothymiis, anginæ, gutturis & faucium affectibus & inflammationibus obnoxii ſunt, & fæminæ, quæ ſenſilem habent vterum & hyſtericis ſuffocationib. leuiter corripiuntur, aliæque naturę ob acumen ſenſus vitioſæ aut malignæ materiæ contactũ iniquiſſime ferentes. Hippocrates euſarcos ſeu carnoſos & obeſos per ſuperiora purgare vetat, quod illis pectus anguſtum, quodque pituitoſis & craſſis humoribus, quibus debeatur per inferiora purgatio, potius ſcateant: deinde, qui partes ad inferiorem ventrem hypogaſtriumq; attinentes imbecilles & graciles habẽt, partes enim infra thoracem omnes robuſtas validaſque eſſe oportet, ſiquidem purgationibus tam ſuperne, quam inferius citatis fæliciter vacuari debeant.

Difficulter demum, vomentes & inaſſueti non niſi ſumma cogente neceſſitate, & cum aliud nõ ſuperſit auxilium, ad vomitum ſunt adigendi, idq; diligenti corporis & humorum præmiſſa præparatione. Verùm cum frequenter vſuueniat longos pertinaces, & induratos morbos hoc ſolo remedio, cæteris contemptis & fruſtra adhibitis expugnari, idq; tutius, quia robuſta natura pharmaci huius inſolentiam tolerat, vel ſpe ancipiti, quod potius periclitando aliquid agendum, quam permittendum vt ope etiam qualicunq; deſolatus æger prognoſtico, & fatis committatur, aliquando ad vſum huius adigimur. Quandoquidem Celſus teſtatur grauibus & diuturnis affectibus, cum pellendis præſentibus tum arcendis imminentibus neceſſario interdum adhiberi vomitum, quo nihil aduerſus diuturnam quartanam, elephantiaſin, pſoram inueteratam, dummodo corporis vires ſuſtineant, præſentius, quod ad horum curationem parum faciant, leuia & benigna remedia, *In morbis pertinacib. vbi cætera nil proſunt ſæpe iuuat vomitus.*

dia, vt aliquando etiam, ſed re exquiſite ponderata, & temporum corporumque habita ratione ad elleborata & ſtibiata confugiendum ſit.

Vomitionis vtilitas, & quæ naturæ eandem tolerent & rite inſtituant.

Vomitionis vtilitatem, & quibus tiſſimum conueniat affectibus omnium accuratiſſime Fernelius tradidit lib.3. met. c.3. his verbis: *Quæ facilis & moderata obtigerit vomitio, ſaluberrima eſt, & purgationum omnium præſtantiſſima. Noxios quippe humores ex ipſis fontib. ſynceros eiicit & vacuat, omnem quæ in ventriculi capacitate, eiuſue tunicis hæret illuuiem inprimis expurgat, è præcordiorũ membranis, è cauis iecoris & lienis, & ex pancrea omnis generis ſuperuacuos humores ſynceros elicit, quos plerumq; nec hiera, nec aliud vehementiſſimum vllum etiam frequens pharmacum in aluum exturbare poteſt. In ventriculum enim ex his locis viæ breues & expeditæ magis, quam in aluum directæ ſunt, per quas facilis eſt vomitio.*

Quanquam autem primum ab interioribus euellit, conſequutione tamen caput reliquumque corpus leuat.

Qui morbi vomitu releuentur.

Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, nauſeæ, cibi faſtidio, crebræ vomitioni, ventriculo, præcordiisue diſtentis, ictero, cachexiæ, febribus intermittentibus, hæmicraniæ, vertigini, incubo, epilepſiæ, ſuffuſioni, omnibusq; capitis affectibus, qui præcordiorum ſympathia contracti ſunt, & quos è præcordiis in reliquũ corpus effuſa impuritas protulit. In quocunque igitur affectu lanqueſcit appetitus, & nauſea, & vomendi deſiderium fatigat, ſi pharmaco non ſatis ſit, vomitione curandum. Nam, quæ purgatio non eluit, extirpat vomitio, & quæ illinc non facile labuntur in aluum, prompte in ventriculum remeant. Tanti vomitionis vis eſt æſtimanda.

Quando benigna & violenta vomitoria vſurpãda.

Cum vero vomitoriorum alia ſint leuia, & blanditer ventriculum concitantia, veluti quæ ſola abſterſione, vel leni irritatione, aut facultate retentrice laxiore facta eundem proritant; alia vehementiora, quæ magna vi & celeritate ad ventriculum, à venis & ambitu corporis humores ad ventriculum concitant, quibus laceſſitus, id, quod infeſtat per viciniorem viam celeriter & violenter excutiat, hæc non, niſi in caſibus deſperatis, cum cætera præſidia nihil opis conferre viſa ſunt, & ad morbos chronicos, curatu rebelles, vbi tamen roboris tantum ſupereſt, vt efficacia remedii omnino non euertantur vires, magna circumſpectione adhiberi debent, illa vero ſequentibus poſitis conditionib. ſemper in vſum tuto recipiuntur, videlicet cum natura corporis ad vomendum prona, vel innoxie adſueta; cum magna humoris, qui ſponte ſurſum mouetur, redũdantia ſuppetit, ita vt ad vomitum mouendum leuia iſta medicamenta ſufficiant, (alioquin nihil præter corporis turbationem excitarent, ſatiusque foret, & tutius aluũ duco vti) vel cum ſuccus educendus in

ven-

ventriculo continetur, aut ſucceſſione ad id, quod vacuatur, eo delabi facile poſſit, aut ſuo motu ad ventriculum vergat. Ex horum conſideratione tres vomendi rationes & modi oriuntur. Primus auxilium vacuatorium conſtituit, ſecundus reuulſorium, tertius deriuatorium. Vacuatorium eſt vniuerſale totius corporis, vel particulare, ea tantum educens, quæ in ventriculo natāt, fluunt, hærent, & generantur. Vniuerſalis totius per vomitum purgatio competere poteſt humoribus leuibus & tenuibus vel craſſis, & grauibus difficulteique mobilibus: Illis quidem tam ad præcautionem futuri, quam curationem præſentis, idque æſtiuo tempore, redundante bile, humore ſurſum ſponte ſua ſeſe efferente & vergente, natura prompta, vomitionis conatum facile tolerante aut etiam aſſueta: his ſaltem cum morbi iā præſentes infeſtant, ex eorum numero, qui per circuitus ſuas habent exacerbationes, vti quartanæ aliique eius cenſus à craſſis grauibusque humoribus orti, in quibus vtiliter tempore acceſſionis, per vomitum euacuatur vniuerſum corpus, quod tunc ipſa natura humores pigros & ad motum ſegniores ſurſum impellat. *Illum enim natura ſeruat ordinem, vt in acceſſionibus vomitum, in declinatione autem alui deiectionem moueat.* Nam quod in præſenti redundat, ei purgatione medeberis, ita tamen vt per loca, quo vergunt humores, vacuationem inſtituas: ſiquidem ducendi ſunt, quo tendant viis & locis vtiliter ferentibus. At ſi velis obſiſtere & cauere, ne incrementum in parte aliqua ſumant, per oppoſita reuellere conuenit. Conſiderata itaque humoris ſpecie & motu & corpo is temperamento habituque, Hippocrates æſtiuo tempore totum corpus, æſtate potius p ſuperiora, hyeme per inferiora purgandum duxit. Quia n̄ addidit limitationem per aduerbium potius, non abſolute & præciſe æſtiuo tempore per ſuperiorem, hyemali vero per inferiorem ventrem vacuare mandauit. Fieri enim poteſt, vt pituita æſtate redundet, aut pituitoſus purgatione indigeat, ſicuti hyeme bilis flaua, ex temperamento totius vitæ genere & victus ratione exſuperare poteſt. Vnde liquet, qua ratione ſequentes formarit canones Hippocrat. qui in libro aphoriſmorum extant. ſect. 4. aphoriſ. 6. inquit, graciles & ad vomendum faciles per ſuperiora purgato niſi adſit hyems: Magna enim ex parte graciles ſunt bilioſi. Diſtinguendum vero eſt inter gracilitatē naturalem & morboſam: de illa n. loquitur Hipp. cui plerumque temperies & cōgeries bilioſa ſociata eſt, ad quam ſi accedat vomendi facilitas, tempore æſtiuo cum primis, dein vere & autumno conuenit vacuatio per vomitum facta. Ex hoc Hippoc. ſubiungit, ægre vomentes & modice carnoſos, quos euſarcos appellant Græci, inferne purgato deuitans æſtatem. Sunt enim hi thorace plerumq; anguſtiore & collo breuiore,

Triplex vomendi differentia.

Vomitus vt vniuerſale totius purgans quando conueniat.

niore, maius habent omenti pondus & potius pituitoſis lentiſq; deorſum vergentib. humoribus ſcatent, quam tenuib, & leuioribus; & eadem ſect. aph. 9. melancholicos vehementius per inferiora purgabis, eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam. Humor enim melancholicus quod craſſus, fæculentus & contumax ſit vehementius requirit pharmacum. Et quia ſua natura grauis eſt deorſumque vergit per inferiora ſui eductionem indicat. Vti enim bilis cum natura ſurſum repat, vomitu euacuanda eſt, ita humor melancholicus, quia grauis & ſua natura deorſum tẽdit, per inferiora purgandus erit. Et aph. 18. euſdem ſectio. ſupra ſeptum tranſuerſum dolores quicunq; purgatione egent per ſuperiora, qui vero infra ſunt per inferiora vacuandũ eſſe, indicant. Quod tamen de humoribus ſurſum deorſumq; ad purgationem vergentibus, non de fixis intelligendum erit. Huc pertinet proxime præcedens vti & viceſimus eiuſdem ſectionis. Non febricitanti cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa & oris amaritudo purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificant. At ſi citra febrem tormina adſint & genuum grauitas, & lumborum dolor, infernam purgationem adhibendam indicant.

Ex his omnibus liquet Hippocratem ab humorum motu & inclinatione ſumpſiſſe indicationem educẽdi vel purgãdi per ſuperiora vel inferiora. Et quia bilis æſtate magis redundat, iſque tum aeris feruore, tum ſui inclinatione ſurſum fertur, tunc temporis per ſuperiora potius purgandum cenſuit, contrariam ponens hyeme vacuãdi rationem, ob humoris contrariæ temperaturæ prouentum, naturam & inclinationem. Vbi tamen animaduertendum pro conditione locorum, quibus Hippocrates medicinam fecit, has ſententias prolatas eſſe: ſiquidem in inſula Co, quæ calidiſſima erat, homines reperiebantur, maxime bilioſi & vomitionibus adſueti, quos per vomitoria pharmaca liberius & minore periculo vniuerſaliter & particulariter vacuare licebat. Illi, vti cottidie lauabãt, ita etiam vomebant. Longe vero alia harũ regionum, pituitoſiores & vomitionib. minus adſuetos complectentium ratio eſt, in quibus, niſi ſupra commemoratis requiſitis præſentibus, temere & non ſine periculo vomitoria vniuerſum corpus purgantia præſcribuntur. Neque enim perpetuæ obſeruãtiæ canonem Hippocr. hunc aphoriſmum eſſe voluit, quo æſtate potius per ſuperiora, hyeme per inferiora purgandum ſtatuit. Fieri enim poteſt, vt cętera, quę plus, quam anni tempeſtas ad indicandum valent, purgationem per vomitum plane vetent, vti temperamentum ægri, victus ratio, conſuetudo, materia peccans & morbi genus. Ait enim ipſe ſect. 3. aphor. 19. quilibet in quibuslibet tẽporibus morbi fieri poſſunt, nonnulli tamen in quibuſdam magis tum fiunt, tum irritantur. Si

itaque temperamento melancholico pituitoſove præditi, & difficulter vomentes in morbos ſuæ temperiei æſtiuo tempore prolabãtur, vel morbis comprehendantur, non ab humore leuiore vel ſurſum vergente natis, nequaquam propter tempeſtatis rationem ad vomitum cogendi erunt, in his regionibus frigidioribus, vbi naturæ magis pituiteſcant, minusque ad vomendum compoſitæ & adſuetæ ſint. Et vti perpetuum non eſt craſſiores humores per inferiora hyeme purgandos eſſe, ita etiam bilioſi & tenues in his regionibus, ſeu ſynceri, ſeu permiſti felicius, vt plurimũ per inferiora educuntur.

Hactenus, quomodo vomitu vti euacuatione generali totum corpus rite expurgetur, vidimus, conſequẽs eſt, diſpicere, qua ratione per eundem fiat euacuatio particularis ſeu reuulſio & deriuatio. Particularis per vomitum purgatio, ex ventriculo viciniſque partibus cuiuſcunque generis ſuperfluitates educit, & vt vniuerſalis per vomitum molienda vacuatio tantum bilioſis competit humoribus, idque æſtate potiſſimum, per ſeceſſum autem eductio pituitoſis, craſſis & fœculentis tempore magis hyemali debetur, ita hæc particularis euacuatio è ventriculo & vicinia ſurſum tum pituitam, tum bilem & quoſcunque ibi reſtagnantes humores educit, vnde Hippocr. ſex hybernis menſibus vomendum eſſe docet, quod eo tempore pituita plurimum generetur, quæ in ventriculo redundet, aut eo confluat. Conuenit itaque hæc vacuatio quibuſcunque affectibus ventriculi ex prauis humoribus ortis, & reliquis omnibus morbis, qui vel vitio ventriculi nati, vel ab eodem incrementum cœperunt, aut fouentur.

Vomitus vt vacuatio particularis quibus conueniat.

Propriis ventriculi morbis ab humorum vitio natis aut conſeruatis, vacuatio celerius & magis confertim facta conuenit, qui vero ab eodem, quo ad generationem vel conſeruationem dependent, his paulatina ratione, ſuccurrere hoc præſidio oportet.

Vomitus vt particulare vacuans propriè conuenit affectibus ventriculi.

Peculieres morbi ventriculi ſunt cruditas, ciborum corruptio, malus collabenſque appetitus, cardialgia, nauſea, vomitus, orti ab innatantibus & circumfluentibus vel adhærentibus & inuiſcatis humoribus, quorum hi præmiſſa inciſione & deterſione, illi ilico per vomitum eiici poterunt. Nec minus prodeſt euacuatio ſurſum confertim & celeriter facta epoto veneno & doloribus, qui citra diſtemperiem, flatum aut tumorem pręter naturam fiunt, & vitio ventriculi vomentibus. Vnde Hippoc. *Si quis vomenti aquam multam bibendam dare velit, eluentur ea, per quæ vomit, vna cum vomitu. Et ſic vomitus vomitu curatur.*

Qui à ventriculo dependent morbi certis temporibus eiuſdem vitio generantur, aut iam geniti ſunt: illi ad præſeruationem, hi ad curationem vomitionis remedium poſtulant, ſed plerumque paulatinum ſenſimque

Morbi à ventriculo dependentes curantur vomitione paulatina.

 ſubmi-

ſubminiſtratum. Eorum enim humorum, quorum cottidiana in ventriculo eſt procreatio, aut ad eundem tranſmiſſio, aut in quibus labores à cibis ſuperantur, & vitioſorum ſuccorum congeries paulatim colligitur, his etiam paulatim & per vices debetur purgatio. Dependent autem vel fouentur à ventriculi prauitate epilepſiæ vertigines, ſcotomiæ, cephalalgiæ, aurium tinnitus, cachexiæ, alui fluxus, febres plurimique ſupra ſeptum tranſuerſum & in thorace dolores. Celſus refert conferre vomitum omnibus, qui ante febres horrore vel tremore vexantur. Nam in principio acceſſionum interpolatarum febrium, præſentaneum ſolet eſſe auxilium, earum præſertim, quæ diutius prorogantur, in quibus omnibus aut ventriculus ſolet mali cauſam adaugere, aut ad ipſum ex partibus ſibi proximis in acceſſionum principiis peccantes humores delabi conſueuerunt. Si vero ſponte in acceſſionibus ſuperueniat vomitus, tum deficientem ſupplere, ſi natura non ſatisfaciat, indubitanter licet, quia eandem in vomitum paſſim vltro concitari videmus. Cum in acutis id natura tentat, nec perficere valet, leni vomitorio incitanda erit vis expultrix, nam initio neque vehemens vomitus, neque alia fortis & plenaria purgatio ante abſolutam coctionem tentanda, & Hippocratis dictum, ſi os amarum fuerit, vomere confert, & ventrem ſoluere, intelligendum non de plena purgatione, ſed de ea, quæ ſufficit extrahere, quod in ventriculo & partibus proximis continetur, cuius ratione os amareſcit. Ex quibus apparet, aliter agendum cum iis, qui in acceſſionibus aut febrium initiis vomitu infeſtantur, quam cum his, qui fluxu alui corripiuntur. His enim non debet opitulari Medicus, ſed permittere, dum vires ferunt, quia fit intempeſtiue: ſi vero fiat poſt concoctionem, non debet ſuppleri defectus priuſquam ceſſauerit, aut deferbuerit acceſſio.

Hactenus de vomitu, quatenus eſt remedium euacuans vniuerſale vel particulare, tempeſtiuum nunc eſt proponere quo pacto adhibeatur, vt fiat reuulſorium & deriuatorium.

Quomodo vomitio ſit reuulſorium remedium.

Cum reuulſio ſit humorum ad originem vel contrariũ retractio, cõuenit fluxionibus à ventriculo generatis & concitatis, vel à toto corpore in partes diſtantiſſimas ablegatis. Si enim ventriculus fluxionis cauſa eſt, recte eadem ad originem ſuam reuocatur, quia per eundem locum eam expurgare tutius eſt. Si totum corpus inueterata conſuetudine ad partes à ventriculo diſtantiores fluxionẽ tranſmittat, præſentiſſimum erit remedium, vomitu humorum impetum in contrarium vertere, quod tamen minime conuenire poteſt, ſi in partes vẽtriculo proximas fluxio feratur, cum violentis ventriculi motibus & ſuccuſſionibus eadem maior & vberior in eas concitetur. *Quamobrem egregie prodeſt in alui fluxib. ſiſtendis,*

dis, alui enim profluuio ſuperueniens vomitus bonum ait Hippo. vbi notandum, quod vomitus ventrem ſolutum comprimit, & compreſſum ſoluit. Iuxta eandem Hipp. lib. 2. de diæta. Auxiliatur præterea reuulſorie omnibus affectibus, qui fluxu fouêtur, veluti exulcerationibus renum, veſicæ, ani. Ab articulorum malis mirifice præſeruat cauendo, ne qui in articulos & partem affectam illabi ſolebat humor, paulatim ſuccreſcat. Is enim ſenſim per vomitum expurgatus deſinit eſſe mali fomentum, quo ſolo præſidio multi ab articulorum doloribus liberati ſunt. Confert etiam omnibus aliis grauibus affectibus iam inueteratis, ſi ex praua victus ratione oriantur.

Quibus affectibus vomitus vt deriuatorium remedium proſit.

Vt deriuatorium remedium conuenit vomitus humori in partibus ventriculo vicinis contento, aut in eaſdem aliunde influenti; is enim vomitione commode tãquam per proximam regionem eiicitur. Qua ratione prodeſt inueteratis iecoris, ſplenis, meſenterii & inteſtinorum gracilium affectibus, ac nonnunquam etiam thoracis malis. Quo fit vt maxime proſit hydropicis, præſertim aqua intercute laborantibus, regio morbo & hypochondriacis affectibus, nec non anheloſis, dummodo iſtis partibus affectio non proueniat ex tumore præter naturam, vlcere, flatu aut diſtemperie. *Celſi dictum hic recolendum, vbi amari ructus cum dolore & grauitate hypochondriorum ſunt, ad vomitum protenus confugiendum erit.* Nam & grauitatis ſenſus plurium crudorum, craſſorum & viſcidorũ humorum index eſt, quemadmodum morſus atque eroſio & ſitis & oris amaritudo, & ructuũ ſimilis ſapor tum bilis flauæ, tũ aduſtionis & putredinis teſtes ſunt. Hactenus Celſus: prodeſt inſuper iis quibus æſtuat pectus, & frequens eſt ſaliua vel nauſea, quibus præcordia dolent, quod his iuxta vẽtriculi regionem fluctuant humores, qui commode per vicina loca eiiciuntur.

CAP. VI.

Generales methodi medendi regulæ, omnem curandi rationem pene complectentes traduntur, eaque exempli loco ventriculo intẽperato & ſupra vel infra expurgando applicantur: vomitoriorum differentiæ eorumque mitiorum & vehementiorum, ſimpliciorumque & compoſitorum è vegetabilibus petitorum materia & formulæ proponuntur.

ORdinis ratio requirit, vt de vomitoriis pharmacis tractatio inſtituatur. Verum cum medicamenta vomitum concitantia, ventriculum primo tangant, eumque maxime infeſtent, vomitus autem vti particulare vacuans eſt, in affectibus ventriculi plurimis à vitioſi humoris collectione natis proſit operæ pretiũ fuerit, præmittere aliquot vniuerſales canones, ex ipſis Galenicæ methodi fontibus delibatos, iuxta quorum a-

muſſim omnes eius affectus tractandi & percurandi, quæ diſſertatio ad cæterarum corporis humani partium affectarum curationem multum lucis allucere poteſt.

Generales partium curandarum indicationes.

Generales indicationes ſumuntur à parte affecta, vel à cauſis, vel ab ipſo morbo. Ventriculus cuius functio toti neceſſaria cum ſit pars neruoſa, membranoſa, cæteris magis exſanguis & acuti ſenſus, de ſe indicium facit valide purgantia non adhibenda, quod natura partis illa non toleret, & humores non tam è ſtomacho euocentur, quam ex toto corpore eo attrahantur: proinde mitiora adhibenda, quæ poſt ſe adſtrictionem quandam relinquant, qualis vis in Rhabarbaro & myrobalanis, quibus, cum os ventriculi acutiori ſenſu prędi tum gaudeat & reficiatur odoratis, aromatica adiicienda. Vti enim fœtidis offenditur & perturbatur, ita odoratis roboratur. Hæc itaque & illa, quæ manifeſta qualitate robur vētriculi firmant & diſſolutionem caloris natiui prohibent, cæteris pharmacis quoquo modo mouentib. addenda. *Quæcunque enim partes aliis ſunt facultatum auctores, harum robur & virtutem ſeruare decet pro facultatis earum proportione.* Scite quamobrem Quintius Serenus.

Ventriculi validus firmat vigor omnia membra,
At cōtra illius franguntur cūcta dolore.

Indicationes à parte affecta.

Intemperies qualibet tollitur contrariis, omnis enim exceſſus per cōtrarium exceſſum corrigitur, Alterantis vero contrarii menſuram laborantis loci intemperies oſtendit. Quantum enim quodque à naturali ſtatu receſſit, ad tantam morbus peruenit magnitudinem, & eatenus redeat ad naturam vnumquodque neceſſe eſt, quatenus ab eadem receſſit. Semper itaque pro eo, quod exſuperat contrarium eouſq; inducendum, quoad particula ad ſymmetriam ſuam & habitum naturalem reducta ſit. Quæcunque vero calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ, & liberalius & diutius calefieri poſtulant, ſicuti etiā frigidiores, ſi ex calore laborant, calefieri. Pars vero, quę calidior naturā, ſi calido morbo laborat, exigua breuiſq; tēporis refrigeratione eget, ſicutq; frigidior eſt calefactione. Siquidem paruus in iiſdē eſt in id, q́ præter naturam, lapſus & rurſus in id, quod ſecundum naturam, reditus.

Quæ intemperies citius aut tardius curentur.

Calida & frigida intemperies cito curantur, quod maxime actiuis qualitatibus emendentur: ægrius vero ſicca & humida, quod magis materialibus harum curatio qualitatibus perficiatur. Tempus caloris & frigoris par, non tamen par ſecuritas. Tutius autem calefacere, quam refrigerare, calor enim naturæ familiarior eſt, cuius conſeruatione vita & extinctione mors definitur. Optimū vero cōſilium eſt, ſic calefacere ventriculū, ne calorē in qualitate intendas, ſed ſubſtantiam eius augeas, & naturale temperamentum tueatis.

In humido & ſicco corrigendo par ſecuritas, ſed impar tempus. Plus enim temporis ad ſiccitatem corrigendam requiritur, quippe quod ſenium

nium in ſanis, id ſicca intemperies ſit inæg is.

Omnibus, tam alterantibus, quam purgantibus remediis addenda roborantia ſeu adſtringentia, niſi adſit intemperies ſiccitatis. Quoniam nulla intemperies actiua diu ſolitaria abſque humore ſit, Adſtringentia ex deſiccantibus conſtare debent. Exſiccant autem diaphoretica ſeu diſſoluentia, vel στύφοντα, ſeu adſtringentia. Nunquam tamen ſtomacho exhibeantur roborantia, niſi ab humorum multitudine libero vel purgato. Etſi enim humiditates, quæ ſubſtantiæ eius inſederunt, exprimunt, coguntque tunicas, & τόνον roburque augent, nihilominus ſi adhuc adſint humores vel copioſiores vel craſſiores, hos denſant, agglutinant, arctiusque infigunt.

Frigida calidis & humidis in tẽperaturis conueniẽtia ſunt *roſæ corallia, balauſtia, myrtilli, coriãdrũ præparat. ſantala, ſemen acetoſæ, plantago*, & quæ eius ſunt cenſus. Calida pro frigidis & humidis intemperiebus ſunt *mentha, abſynthium, ſaluia, origanum, calamus aromaticus, Galangæ, Zinziber, nux muſcata, ma, cisgariophylli, piper, maſtyche*. Vti vero, ſi humor in ventriculo excrementitius purgãdi neceſſitatem attulerit, catarcticis fortioribus, quorum vis inteſtinorum ambitum, vel ad ſummum vaſa meſenterii excedat, non eſt vtendum, ita nunquam ſtomacho purgantia, ſi nuda ſolaque intemperie laboret, exhibenda, eademque ſi aliquid inſit humoris, ſemper parce & caute rariusque danda, ſi habitus naturæ ſit ſiccior, ſeu caliditas exſuperet, ſeu frigiditas. Facile enim ventriculi ariditas in vniuerſum corpus propagatur, quod officiariæ partis, cuius functio toti inſeruit, affectum celeriter ſentit.

Humores, quibus ventriculus male afficitur, ibidem congregantur per congeſtionem, vel affluxum. Hic eſt à toto corpore, idque cacochymico vel pletorico; aut à parte. Si hoc, conſiderandum primo, an aliud corporis membrum certo temporis circuitu vexari ſolitum nunc non vexetur. Aliis enim iſchias vel podagra moleſtiam creare, vel fluxio in oculos aures ve procumbere ſolita, ad ventriculum conuertitur, aliis catarrhi guttur naresq; vexare adſueti, nunc in ventriculum procumbunt.

Secundo, an conſueta aliqua fluxio, vt menſium in fœminis, hæmorrhoidum in viris, ſit ſuppreſſa; an profluens è naribus, ore, palato, vel per vomitum certa periodo ſanguis nunc ſit ſuppreſſus. Multis enim, quibus artuum aliquis mutilatus, aut qui vehemẽtem exercitationem depoſuerunt, neque à priore victus ratione deſtiterunt, id accidit. Sunt & quibus diarrhœæ & choleræ certis temporum interuallis omnem corporis redundantiam euacuant.

Tertio, qua victus ratione vſus ſit æger, an frequenti ſatietate & cruditate laborarit, idque in vita ocioſa præter conſuetudinem.

Si itaq; humor aliunde tranſmiſ-

ſus

ſus eſt, prouidendum primo mitten-ti, dein recipienti. Mittens eſt totum corpus, vel aliqua eius pars, quod primo curandum, dein proſpiciendum robori & temperiei recipientis, ne facile recipiat. Si à toto corpore fiat tranſmiſſio, & id plethoricum fuerit, vena ſecta rite euacuatur; ſi cacochymicum, purgatio inſtituenda, dein ad ventriculi ſeu recipientis curam deueniendum.

Mittens ſi ſit pars corporis, eaque ignobilior, ad hanc fluxionem reuelles, ſi maioris momẽti, primo remouebis affectum, qui eam excitat, & particulæ morbum curabis, habita interim diligenti ratione ventriculi: id autem perficies, quando naturales fluxiones reduces, & corporis partes in naturalem habitudinem viudices.

Pars recipiens, videlicet ventriculus, aduerſus fluxiones munitur duplicitér, primo omnium earum communi indicatione, nempe adſtringẽtibus, quę affluentes humores repercutiunt; ſecundò bonæ temperiei reſtitutione, aut naturalis habitus conſeruatione.

Humores in ventriculo per congeſtionẽ aut affluxionem collecti, natant fluctuantue in ampla eius cauitate & fundo, vel ad orificium ſuperius feruntur, ibidemq; hærent, vel tunicis imbibiti vtpote tenues, vel impacti & inuiſcati, ſuntque biliosi, pituitoſi, melãcholici vel ſanguinei, ſimplices & ſinceri vel mixti. Si accidat complicari affectus adeò vt & ventriculi tunicæ intemperie laborent, & humor craſſus ſit inuiſcatus & nihilominus in cauitate adhuc alii contineantur, curatio inchoanda ab eo, vnde maius ægro impendet periculum, & illi tanquam vrgentiori incumbendũ erit; vrget vero affectus vel ſua magnitudine, vel quod facultas totum corpus gubernans ſit læſa, vel pars quæpiã primaria affecta aut talis, quæ primarias facile in conſenſum trahere poteſt. Vnde Galen. lib. 12. *meth. cap.* 5. inquit, *ad ſyncopalem acceſſionem, quo minus derepente ingruat arcendam; ſingulare præſidium eſt temperamenti cuſtodia, ante omnia quidem trium principiorum, mox reliquarum partiũ, quæcunque in conſortium affectus, principia ex facili trahunt, cuiuſmodi eſt ventriculi os, quod propter exquiſitum ſenſum, (nullum ſiquidem membrum exquiſitius ſentit, aut principalib. partibus magis conſentit) & alia ſymptomata ſyncopen vel lipothimiam acerſere poteſt.* Quando itaque humor affluxerit, qui orificio adhærendo morſus & eroſionis ſenſum inferat, adeo vt ſudores & animi deliquium adducere videatur, primum iſti occurrendum, quod vires reſoluit, & violentius vrget, dein remouenda cauſa, & pars mittens curanda. Extra hanc neceſſitatem attendẽdum ad id, quod cauſæ rationẽ habet, illud enim pro comperto habemus, *nullum ad perfectionem ſanari affectum, manente, quæ eum genuit, cauſa.*

Poſt hæc obſeruandus erit ordo, quid cum quo, quid ante quid, vel quid poſt quid curari poſſit. Ordo inter-

interdum contraria poſtulat, vt in curatione inflammati vlceris, & ſæpe, quæ alteri nihil no ent, veluti ſi quis humorem è ſinu ventriculi educat, is alimentum ei, qui tunicis impactus eſt, adimit.

Humor, qui in vētriculo exſiſtens ſurſum fertur, vomitu eiiciendus erit; qui in capacitate natat, ſiquidem æger aut facile vomat aut vomere cõſuetus ſit, perinde per ſuperiora reiici poteſt, alioquin deorſum purgante ducendus & euocandus fuerit. Si vero ille ſit lentus, viſcidus, craſſus, impactus tam ante vomitionem, quã purgationem deorſum factam, diſſecandus, abſtergendus, attenuandus. Qui itaq; in capacitate fluctuat, vomitione vel lenientibus pharmacis eiicitur; qui tunicis adhæret vel imbibitus eſt, hiera ſimplici, vel pro neceſſitate, compoſita, qualis eradere & extergere quidquid pertinacius inſederit, & ſimul moderata adſtrictione laxatam ſtomachi ſubſtantiam roborare poteſt, educatur.

Vomitoriorum triplex differentia. Vomitoria pharmaca in triplici ſunt differentia; alia mitiora, quæ ſuperius os ventriculi laxant & ita diſponunt, vt ſi ſit, quod ventriculum contriſtet, potius ad partem laxatam magiſque diſſolutam fundo inferiore conſtricto aut reſupinato feratur. Imbecilliore enim parte ſuperiore vomitus, inferiore magis laxo alui excretio ſequitur. Laxant autem ſuperius os ventriculi, & ad vomitum diſponunt pinguia, oleoſa, tepida & valde humida in ſtomacho ſupernatantia. Alia quantitate grauando & qualitate irritando ea, quæ in ventriculo ſunt, facto diſturbio eiiciunt. Vltimæ claſſis ſunt vehementiſſima, quæ è longinquo ad ſtomachũ proprietate trahunt, aut acerrima totius perturbatione naturam laceſſentes ſurſum deorſumque primo noxia & niſi coerceantur naturæ familiaria, amica & neceſſaria violentiſſime excutiunt.

Ventriculo affecto ea ſaltem conueniunt, quæ modeſte grauantia leuiterque irritantia eundem, iam ſupernam vacuationem molientem, quod ex nauſea, oris amarore, cordis roſione, labri inferioris tremulatione, anxietate, anguſtia & ſcotomia, cognoſcitur, impellunt & adiuuant. Quæ nimia remollitione vomitum cient, ventriculo alioquin debili laxo & languido non conueniunt. Gal. *lib.7 meth.* plus *cremoris ptiſani* vel *mulſæ*, quam pro nutrimenti modo conueniat, exhibet, ſi humor non ſit viſcidus, vel *raphani decoctum* cum *oxymelite*, aut *oxymel, cui incoctus ſit raphanus.* Alii *aquam ſimplicem tepidam, aquam hordei cum pauxillo mellis & ſalis, ptiſanam cum melle, pinguia iura, oleum ſimplex cum aqua, butyrum, hydromel, oxymel ſimplex cum aqua tepida*, vel *decoctum ficuum* exhibent. Vulgo dantur *decocta radicis raphani*, & *eiuſdem ſuccus*, aut *radicis betonicæ, aſari pœoniæ, ciclamini, Eupatorii Auicennæ, florum geniſtæ, anethi, ebuli, agarici, erucæ, cepæ*; vti & *corticũ foliorumq́, ſambuci, ebuli, quercus: foliorum nicotianæ vera & gratiolæ.* *Materia vomitoriorum.*

F Pulue-

Materia puluerum vomitiuorum.

Pulueres vomitiui conficiuntur ex *radicibus peponis, azari* (quæ cocta vim vomitoriam amittens diureticam acquirit) *ſem. geniſtæ, naſturcii, vrticæ, Iulorum iuglandis* in furno ſiccatorum, *agarici*, (eſt enim leuis adhærensque & ſuperne vellicando irritat) *gutta gummi.*

Potiones in eandem rem parantur ex *ſucco Iridis noſtratis, ſambuci, ebuli, aqua nucum viridium deſtillata, oxymelle ſquillitico, ſyrupo de ſucco & conſerua foliorum nicotianæ, Electuario diaſaro Fernelii, Elleboriſmo Heurnij.*

Ex enumeratorum area ſeliguntur ſimplicia vel præparantur compoſita.

R. *Fibrarum radic. Eupatorij Auicennæ* ʒ v. *macerentur per noctem in vini Rhenani* ʒ v. & bibatur collatura, quæ bono & laudabili cum ſucceſſu operatur.

Semen vrticæ datur à ʒ ſ. ad ʒ j. ex *aqua mulſa, ſemen geniſtæ à* ʒ ſ. ad ʒ j.

Radix aſari ad ℈ iiij. ex *hydromelite vel ſero lactis*, ſic & *radix peponis.*

R. *radic. raphani* ʒ ij. *affuſa mulſa exprimatur ſuccus, qui offeratur tepide.* aut R. ʒ iij. *vel* ʒ ſ. *ſeminis eiuſdem, teratur affuſa mulſa, ſero lactis vel aqua hordei.*

Veteres ad violentiſſima progreſſi ſunt, veluti *nucem metellam*, *Helleborum album*, *balanum myrepſicam*, *bulbos vomitorios*, *antimonium*, *Eſulam*, *aſ. vſtum*, *lathyridem*, *ricini ſemen*, quæ niſi diligentiſſime correcta & magna cũ circumſpectione exhibita, partim ſtrangulatoria, venenata & lethalia ſunt.

Formulæ ſequentes ex *ſupra* recenſitis componuntur.

R. *Syrupi acetoſi ſimpl. oxymell. ſimpl. ana* ʒ ij. *aquæ tepidæ* ʒ iiij. *miſce.*

Vbi multum pituitæ in ventriculo reſtagnat.

R. *Herb. fœniculi, Hyſſopi, betonicæ, ana* M j. *radicum betonic.* ʒ iij. *ſem. anethi fœnic. aſari ana* ʒ ij. *fiat decoctio in* ℔ ij. *aquæ ad medias, collaturæ adde aceti vini acerrimi* ʒ iiij. *ſacch. albi* ʒ iiij. *coque iterum, & adde oxymell. ſquill.* ʒ iiij. *Remiſce*

R. *radicum raphani* ʒ vj. (nimia coctione vires perdit) *florum anethi* p. j. *coque, collaturæ exhibe* ʒ vj.

R. *agarici* ℈ j. *radic. raphani* ʒ j. *ſem. anethi* ʒ j ſ. *coque in* ʒ viij. *aquæ hordei, dein adde mellis ſquillitici*, ſi pituita adſit, vel *ſyrup. acetoſi ſimpl.* ʒ j.

R. *radic. raphani* ʒ j. *azari* ʒ j. *agarici* ℈ j. *fiat decoctio in oxymelite ad* ʒ vj.

R. *ſem. atriplic.* ʒ ſ. *coque in aqua raphani.*

R. *ſem. anethi* ʒ j. *radic. raphani* ʒ j. *ſeminis atriplicis* ʒ ſ. *decoque in aqua, cuius colaturæ ſume* ʒ iij. *quibus adde aquæ nucum viridium* ʒ j. ſ. *vel* ʒ ij.

R. *radic. raphani* ʒ j. *ſem. atriplic.* ʒ ſ. *radic. aſari* ʒ j. *coque in hydromelite, dentur* ʒ vj.

R. *pul. radic. aſari, flor. geniſtæ ſem. geniſtæ ana* ʒ ſ. *detur cum aqua hordei.*

R. *pul. ſem. geniſtæ, radic. aſari ana* ℈ ij. *miſce gutta gummi*, exhibetur à gr. vj. viij. ix. ad xv. cum *conſerua roſarum* affuſis aliquot guttis *ſyrupi cydoniorum.*

Syrupus de ſucco Nicotianæ ad ʒ ij. *vel* ʒ iij. cum *ſero lactis vel aqua hordei; conſerua eiuſdem ad* ʒ ſ.

Ele-

Electuarium diaſar. Fernel. daturâ ℥ iij. cum *mulſa vel ſero lactis & aqua hordei.*

Helleboriſmus Heurnij ad ℥ j. cum *aqua ſaccharata* vel *aqua aniſi.*

Vomitoriũ Hgurnii. R. *radic. Hellebor. albi* ℥. ſ. *infunde in vini maluatici* ℔ j. ſ. *ſtent in calore tepido vel inſolatu*, huius ſemicochlear affunditur pro acumine cōciliando leuioribus. Exhibetur etiam integrum cochleare cum *ſyrupi de ſucco borrag. violar.* vel *de pomis dulcibus* ℥ j. ſ.

Vomitoriũ Conradini. Sequens eſt Conradini R. *radic. bryon. cyclam. ana* ℥ iij: *Ellebor. alb.* ℥ j. *pulueriſatis adde aquam vitæ, quæ tertia deſtillatione abſtrahatur.* Hoc liquore intinge plumam, eamque in vino maluatico dilue, quod exhibe.

Cap. VII.

De vomitoriis chymiatrorum ex mineraliũ familia: de ſale vitrioli, trochiſcis & vitriolo vomitiuo, criſtallis viridib. vomitiuis ex vitriolo Martis, de antimonii correctione, extractione regulis, florib. albis, citrinis, rubeis, Gelatina & epate, tinctura. ſulphure & ſale, aquis benedictis vomitiuis Quercetani, Hartmanni, Rulandi; de Mercurio vitæ & Mercurio ſublimato dulci. An antimonium electiue trahēdo, num turbando purget, & an vis vomitiua ſalua aluiduca ei adimi queat.

Vomitoria Paracelſi. CHymici ex vitriolo, antimonio & Mercurio ſua potiſſimum extruunt vomitoria. Ex vitriolo fit ſal vomitiuum ſeu Gilla vel Grilla Paracelſi, & vitriolum vomitorium. *Vomitoriorum Chymicorum è mineralibus.*

Sal è capite mortuo ſeu colcothare vel vitriolo ad rubedinem calcinato educitur affuſo conuenienti liquore, eiusq; filtratione & exſiccatione, ex quo ſequētes formātur trochiſci. *Gilla Paracelſi ſeu ſal vomitiuum.*

R. *Alkali ſeu ſalis de colcothare* ℈ j. *calamēthi agaric. trochiſcati, liquoris vel extracti centaurei ana* ℈ ß. *olei myrrhæ guttulas aliquot; fiant trochiſci*, ex quibus dantur grana ſex vel ſeptem, hæc vomitum mouent, & vermes expellunt. *Trochiſci ad vomitum citandum & vermes pellendos.*

Gillæ Theophraſti deſcriptio extat apud Grollium pluresque rei Chymicæ ſcriptores, vti & vitrioli vomitiui, quod præparatur diſſolutione in aqua fœniculi vel ſimili, eiuſdemque donec in ſuperficie cuticulam contrahat euaporatione & coagulatione in loco frigido, quod vt præſtantius fiat, idem labor in re eadem ter quaterque repetendus erit. Chymicus quidam ſali affinis nomine, ſalem vitrioli, mannam vomitoriorũ ſeu benignum & vniuerſale vomitorium nuncupat (ſed qua fide, qua fronte, qua methodo, qua ratione, niſi empirica & impoſtoria) aitque, eo curari pleuritidem, ſquinantiam (ſunt verba auctoris) catarrhos in pulmones prolapſos. Verum in vera ex ſanguine ſanguineisque humoribus pleuritide & angina humorem ad partem inflammatione tentatam vomitoriis & turbatoriis prouocare ſurſumque ciere, & non reuel-

 lere.

lere, alioq; in diuerſum contrariumque iuxta præceptum Galeni *lib.* 13. *meth.* abducere & educere, extremæ dementiæ eſt. Miſeri vere ſunt ægri & libitiuæ victimæ, qui in tales medicinæ vultures incidunt, vti frequẽtem Salæ ſalis colcotharis vſum, ita ſcholiaſtes Beguini Glückradius eũdem rarũ apud Chymiatros eſſe affirmat, & in diaphoreticis ſolum commendat duorum triumve granorum pondere.

Vſus ſalis vitrioli maxime noxius.

Sala doſin eius ponit à ℈ j. ad ʒ ſ. vti vero ſal vitrioli à pleriſque empiricis potius, quam rationalibus Medicis immodice laudatur, ita candide fatetur Minderer. *lib. de calchãto, c. 8.* ſe deprehendiſſe vſum eius internum eſſe noxium, & ab eo omnino abſtinendum, quod pulmonibus peculiariter obſit. Valenter ſtringere & coarctare etiam Glückradius monet, atque *in omnibus vomitoriis exhibendis ſedulo cauendum, ne aſthmaticis & pectoralib. morbis correptis ea propinemus*, cum crudum vitriolum ſit venenum quatenus ſuffocando enecet, eique vix vlla præparatione, ſuffocatoria indoles eximatur. Qua fide igitur Sala ſal vitrioli commendet in affectib. pulmonum & catarrhis ad pectus athroos lapſantibus, rationem Deo & exercitatis atque extra eruditionis & experientiæ aleam collocatis Medicis reddat. Quantopere autem ventriculum lancinet Grilla Paracelſi, quas anxietates & ſtomachi roſiones cauſetur, non ſemel vidi, à cuius vſu Medici nimis creduli parum boni nominis reportabant.

Cryſtalli virides vomitorii ex vitriolo Martis.

Sunt, qui tali ratione Cryſtallos vomitorios ex vitriolo præparant. ℞. *limaturam chalybis, ſolue in ſpiritu vitrioli, dein affunde duplicato pondere phlegma vitrioli per triborium, poſt filtra & illud ad tertiam partem B.M. abſtrahe, quod reliquum eſt, in cella repone, vt coagmentetur in virides cryſtallos*, qui vomitum ſeceſſumque mouent.

Medicamenta uti ex antimonio præparentur.

Progredimur ad antimonialia. Primæ antimonii præparationes ſunt vitrum & Regulus, ex quibus potiora conficiuntur medicamenta. De iis, quæ ex vitro, hac vice nihil afferam. Ex regulo præparantur flores, ex floribus tincturæ; quamuis & ex his, & illo etiam tincturæ diuerſimode extrahantur, ſulphurque & alia.

Modi corrigendi antimonium.

Antimonii correctio fit per calcinationem, & vt plurimum illam, quæ diuturno reuerberii igne peragitur, vel ſpiritu Sulphuris per campanam facto, vel aceto proprio. Atque hi ſunt potiores antimonium corrigẽdi rationes. His enim & cum primis calcinatione ſic directa & continuata, vt ex albo fiat citrinus rubeuſque omnes arſenicales & mercuriales fumi, potiſſima nocendi & ſupra modum purgandi vi præditi exhalant, & comparatur fixatio, demumque virtus diaphoretica, aut ſaltem mitius purgandi, ſi adiecto nitro fiat, acquiritur.

Extractio antimonii.

Extractiones antimonii & ex his tincturę fiunt affuſis aceto deſtillato, lixiuiis variis, ſpiritu terebinthinæ, aut vini, quo potiſſimum extrahun-

ti ſeparantur, ſimulque corriguntur.

Regulus flores antimonii. Flores fiunt ex Regulo, hic eſt ſimplex, ſola calcinatione cum nitro factus; vel compoſitus, aliorum metallorum adiectione, veluti martis, præparatus, vnde regulus martis ſtellatus.

Flores antimon. Flores fiunt ex regulo magna parte, ſuntque albi, citrini vel rubei. Albi ſola ſublimatione abſq; vllo alio additamento, & commẽdantur, (ſed perperam) in colico cruciatu. Continẽt enim adhuc arſenicales & mercuriales ſpiritus naturam mirifice lãcinantes. *Flores albi.* Parantur etiam albi, ſi quidem florum nomen mereantur, ex antimonio ſoluto oleo ſalis deſtillatione per retortam parato. (craſſum autem exit oleum) ſolutum illud in vas vitrearii aqua plenũ effunditur; ſic flores inſtar albæ farinæ fundum petunt, quorum edulcatorum doſis eſt à granis quatuor ad octo. Præparãtur & alia ratione flores albi, nimirũ per calcinationem hoc pacto. *Accipe nitri & antimonij partes æquales, iniice per vices ſemicochlear in crucibulum candens igni circulari impoſitum, & deflagrabit nitrum fumuſque ſequetur; quo peracto, parem vti prius iniice portionem, idque facias, donec totam immiſeris materiam, quam dein per horam porro calcinabis, dum nullus amplius prodeat fumus. Hanc immitte in frigidam aquam, & habebis epar antimonii;* quod ſi cum æquali nitri pondere denuo miſceas, & vti prius per omnia procedendo calcines, deinde in aqua extinguas, inuenies puluerem albũ, quẽ ſingulariter chymici cõmendãt.

Flores citrini. Flores citrini præparantur calcinatione antimonii cum æquali pondere nitri ſpacio trium vel quatuor horarum, eluto ſale labor iſte ter reiteratur, vt fiant flores albiſſimi, qui ſi triduo reuerberentur, colorem citrinum acquirunt. Eorum vſum ℈j. pondere chymici in tertianis commendant, quod vomitum primo & deinde ſudores potenter mouent.

Flores rubei. Flores rubei dupliciter fiunt, vno fere, quo dictum, modo, videlic. per calcinationem, dando gradum ignis reuerberii, donec fiant inſtar rubini rubicundiſſimi; altero cum quatuor partes antimonii cum tribus tartari tenuiter tritis & miſtis igne circulari primo pedali latitudine, dein propius & tandem approximato fortiſſime calcinantur, & materia candens in aquam ſtillatitiam communẽ immittitur, & ſpacio dimidiæ horæ coquitur, factaque fæcum ſubſidentia in aliud vas purum aqua rubedine antimoniali tincta effunditur, in qua affuſo pauco aceto acrimonia ſalis ſeiungitur rubedine ad fundum deſcendẽte. Filtratione ſeparatur aqua ſalſa, quæ cũ pene abſtracta eſt, quod reliquum fuerit, lento igne euaporare permittitur, ne aduratur rubedo. Hoc etiam vocatur aliis Gelatina & Epar antimonii. *Gelatina rubra & epar antimonii.* Doſis gr. iij. Vomitus concitat, & morbi Gallici remedium eſt.

Sunt, qui ex ſale antimonii per calcinationem more communi educto ſubliment flores.

Tinctura antimonii.

Tantum de floribus. Tincturæ extrahuntur ex albis floribus ad ſaturatã rubedinem igne reuerberii calcinatis,affuſo aceto deſtillato,donec colorem vniuerſim extraxerit. Acetum abſtrahitur à tinctura in arena vel cineribus, eaque edulcatur aqua ſtillaticia, dein affuſo ſpiritu vini digeritur per dies quadraginta,& demum abſtrahitur lenta deſtillatione ſpiritus vini à tinctura ad olei formã, quæ omnem vitioſum ſanguinem ſine manifeſta vacuatione fertur corrigere,&ad lepram arcanum fereque omnium morborum panacæa.

Sulphur antimonii.

Alia tinctura ex ſulphure antimonii quod à florib. parum differre arbitror,educitur. Eſt vero triplex eiuſdem Sulphur, rubrum & inflammabile,quod venenatum eſt,vel embryonatum, cuius in tranſmutandis metallis eſt vſus, & tertium, quod præparatur,ſi ex regulo ſublimentur flores,donec nulli amplius eleuentur,adhibitoque tunc fortiore igne ſulphur eleuetur, quod duobus tribuſue digitis duntaxat ſupra regulũ aſcendit,&lateribus ſublimatori adhæret, ſapore floribus ſimile, colore parum differens. Huic Sulphuri affunditur ſpiritus terebinthinæ, qui tinctura impregnatus abſtrahitur;illi denuo additur ſpiritus vini, quo euaporato remanet præſtantiſſimus, vti ferunt, pulmonum balſamus, & cõtra aphrodiſiã luem inſigne pharmacum,cuius doſis à gr.vj.ad ℈ ſ.mouet autem vomitum,quia non omnino fixum eſt.

Sal antimonii.

Extractis floribus & ſulphurẽ reſidua in fundo maſſa calcinatur ad fixationem, vnde aceto deſtillato elicitur ſal, quod aqua cordiali edulcatum præſtantiſſimum fertur remedium ad epatis & lienis obſtructiones, eorum robur augens,& colicum cruciatum curans.

Vulcanus omnes antimonii impuritias exurit.

Ex prædictis compluria &potiora chymicorum antimonialia remedia præparantur. Vbi obſeruandum, quod illa, quæ diutius ignis examen ſuſtinuerunt, ampliuſque cum nitro calcinata ſunt, minus interiora vellicent, minorique violentia purgent. Quo enim magis igne domatur &figitur antimonium,eo minus violentiæ retinet. Alii curioſius rem gerere volentes, per ſpiritum ſulphuris &acetum proprium porro corrigunt.

Vomitoria ex antimonio.

Vomitoria per infuſionem ex regulis formantur; Antimonii & nitri pares portiones in mortario vel olla ampla vitreata ponuntur,& admoto carbone candenti accenduntur,mota interim ferreo bacillo materia inſtar pulueris tormentarii flagrante,finita deflagratione ſalis eluitur qualitas,antimonium in puluerem redigitur,cuius doſis gr.viij. vel viiij. vel R. *hui° ℥j.& infunde in aqua Carduibenedicti ℔ iij.& ℥ ß. aqua cinnamomi,per triduũ, dein tranſcoletur.* Hæc aqua Benedicta chymicis vocatur vomitum ſeceſſumque mouens, quod veriſimile,pleuritides perſanans aliaque infinita mira patrans,quod falſum.

Aqua Benedicta vomitiua chymicorum.

Aqua benedicta Hartmanni.

Hartmanni aqua benedicta præparatur pari fere modo; *antimonium*

eum ſalis communis & nitri æqualibus portionibus calcinatur, dum fumus nullus amplius prodeat. Huius ℥ j. *in* ℔ iiij. *vini generoſi, &* ℔ j. *aquæ ſerpilli maceratur, donec aureo tingatur colore*, cuius doſis eſt ab ℥ j ad ℥ ij. operatur per vomitum & ſeceſſum, ſi maluatico infundatur per inferiora duntaxat educere aſſerunt. Sed quomodo hæc aqua in anginæ & pleuritidis principio, ad quã impendio commendatur, non maximopere noceat?

Aqua benedicta Rulandi.

Quæ Rulandi nomine indigitatur aqua benedicta, fit, ſi florum rubeorum ex fuſione antimonii cum tartaro præparatorum (de quibus *ſupra*) gr. vj. vel plura in hydromelite vel aqua conueniẽti bulliant, cuius colaturæ doſis eſt ab ℥ ſ. ad ℥ iij.

Aiunt porro, aquam carduibenedicti fuſam ſuper antimonii vitrum, extrahere ſalem, vinum maluaticum ſolam vim purgandi per ſeceſſum educere, imo vitrum per ſex horas ſale communi tritum, eoque poſtmodo eloto facultatem vomitus ciendi deponere, & pari pacto crocum metallorum Mercurium vitæ, omniaque turpetha mineralia blandiorem & deorſum ſaltem mouendi virtutem acquirere.

Verum non iniuria quæritur, quomodo & qua vi ſurſum deorſumque purget antimonium, à Chymicis tantopere commendatum & pro panacæa paſſim extruſum obtruſumque.

Paracelſus inepte argutus eſt, dum aſſerit, antimonium ita purgare corpus humanum, quemadmodum auro omnes impuritates adimit & emundat. Bella ſane ab auro per antimonium in igne purificando ad corpus humanum, à baculo ſcilicet ad angulum concludens ratio. Si ex principiis & materia metallorum mineralibusq; conſtaret corpus humanum, & igne non tam conſumeretur, quam ab impuritiis vindicaretur, ad rem aliquid diceret Paracelſus. Verum licetne mihi pariter, ſed *inepte & Paracelſice* conſequentiolam ducere. In cõfeſſo eſt, nitrum expurgare antimonium, quemadmodum itaque id perficit in ſtibio, ita in humano corpore etiam operabitur. Quinimo ſi nitrum purgat antimonium (cuius opera aurum & corpus humanum emundatur) multo exquiſitius corpus humanum defœcabit, quia *propter quod vnumquodque tale eſt*, &c, ſed hæc non ſatis ſerio.

Antimonium num ſpecifice trahendo. an turbando purget.

Dicendum itaque, antimonium euacuare vel turbando & inimicis qualitatibus corpus laceſſendo, vel vi ſpecifica humorem ſelectiue trahendo: ſed virtute attractiua, haut operari in propatulo eſt, quia ipſi nulla talis cum bile, pituita vel melancholia intercedat ſubſtantiæ ſimilitudo aut familiaritas, qualem animaduertere licet inter deſignatos humores & benigna è vegetabilium familia petita pharmaca; quæ actione ſua fruſtrata in humorem extrahendum verti vulgo aſſerunt. Magnes trahit ferrum, quia eiuſdem ſcobe conſeruatur, virtus & proprietas tractionis, & ipſe in vel prope fer-

reas naſcitur mineras, vnde cognationem non exiguam reſultare merito auguramur.

Tractricem autem vim in ſtibio nemo hactenus obſeruare potuit, vel affirmare auſus, aut demonſtrare conatus eſt, proinde illud turbando & malignis qualitatibus naturam exagitando operationem ſuam perficere, certum eſt. Interim haut inepte quæritur, an vis vomitiua & nauſeatiua ſubſtantiæ antimoniali prorſus adimi poſſit, remanente leni per inferiora humores exigendi facultate. Affirmatiuam multi tuentur, hoc vtentes ratiocinio. Si vehementia & violentia concitandi vomitus receſſusque adeo poteſt cicurari & obtundi in antimonio, vt fiat diaphoreticum, hydroticum, imo internarum partium corroborans, quid obſtet, quo minus ſic elaborari poſſit, vt de ſummo remittens aliquantum rigore, in medio extremorum ſic ſubſiſtat, vt nec vomitus cieat, nec magnopere roboret, ſed per inferiora duntaxat vrgeat & purget. Verum hæc ratio militaret, ſi per encheireſin chymicam & opera Vulcani ſpecificam vim extrahendi, prauos humores acquireret. In antimonio tantum violentia turbandi & laceſcendi naturam vi ignis mitigatur, non omnino tollitur vis mouendi, quæ remanet, cum ab irritatione prorſus pendeat, neceſſum eſt, vomitiua & nauſeoſa poteſtate non exui, quamdiu corpus ad excretioné incitare poteſt.

An virtus nauſeatiua & vomitiua adimi poſſit antimonio.

In iis, quæ ex mercurio præparantur recenſendis, breuior ero, ne quæ per omnia huius fori non ſunt, huc tranſplantare velle videar. ad lib. huius tractatus quartum, beneuolum lectorem relego.

Summum, quod ex eo commendant, eſt mercurius vitæ. Panacæa non eſt panacæa, ſi cum illo conferatur. Præparatio talis eſt.

Mercurius vitæ.

℞. *Antimonii puriſſimi*, (alii regulum ſumunt) *mercurii in meteoron redacti cryſtallizati ana q. v. redige in puluerem & per retortam deſtilla in oleum, quod tertio quartoque in arena rectificatum niuis candorem adipiſcitur, cui poſtea in magno vaſe aquam ſuperfunde communem, ſic puluis ad fundum præcipitabitur ſubtiliſſimus, qui crebra lotione ab acrimonia vindicatus in vitreo vaſculo reſeruatur ad vſus.* Datur ab vno ad iiij. vel v. gr. cum vino, iuſculoue carnis, adiecto pauxillo ſacchari roſati. Hic eſt ille puluis, qui tanta miracula patrare poteſt. Nec parui momenti eſt quod ſequitur.

Mercurius ſublimatus dulcis.

℞. *Mercurium ex ſale torrefacto & vitriolo ad rubedinem calcinato bis terue ſublimatum, coque in aqua, donec dimidium liquoris conſumptum ſit, repone in cellam ſubterraneam, vt coeat in criſtallos. Hos exime, in puluerem minue, denuo ſublimato, & habebis mercurium dulcem. Si porro huius ſublimati & mercurii æquales partes miſcueris ſublimaueriſq; atq; de nouo ter quaterque repetiueris, pharmacum obtinebis quantiuis pretii, & incomparabilis, vti iactant, vtilitatis.*

Quanta autem cum circumſpectione & prudentia in vſum ſint vocanda,

canda, quæ ex mineralibus chymice præparata ſunt, experimur in audacibus, ciniflonibus ſectæ Paracelſicę, qui nihil præter vulcanios agones crepant & rationalis methodi veræque Medicinæ ignari, ſolam artem in præparationibus remediorum monſtroſis nominib. inſignitorum conſiſtere rati, multos incauta exhibitione libitinę conſecrant.

Hactenus de pharmacis vomitoriis, quib. ea, quæ vel in orificio ventriculi hęrent, aut ad id ſponte feruntur, vel in fundo natantia, his, qui alioquin facile vomunt, per ſuperiora educuntur. Quibus autem humor nec firmiter tunicis adhærens & inuiſcatus, nec per ſe valde craſſus in ventriculo fluctuat, & commodius, vti in difficulter vomentibus per inferiora educitur, his danda lenientia pharmaca, quorum vis vltra primas vias & venas non extendatur, de quibus vti & cæteris purgantibus ventriculo accommodatis, vbi primum de digerentibus & præparantibus actum fuerit, fuſius tractabitur.

CAP. VIII.

De præparatione ad purgandum Chymici ſua digeſtiua catholica ex ſolo tartaro inepte parant. De acido tartari, tartaro vitriolato, mixtura tartari vitriolati. Rationales præparant corpus & humores: horum præparatio eſt ad concoctionem vel purgationem. Concoctionem ſolus ſanguis & ſanguineæ partes putreſcentes admittunt; cæteri humores ſola qualitatum alteratione præparantur ad purgationem. Hinc vera malignarum febrium curatio elucet.

DIgerentia & præparantia Galenici ſeu rationales Medici, ſua ſingulis humoribus & membris, quibus humor præparandus continetur, appropriata aſſignant. Paracelſici & Chymici, vel qui malunt audire Hermetici, omnia omnium humorum præparantia, digerentia, ſimulq; quarumcunq; partium anguſtias & obſtructiones ſoluentia, referunt ſe re ad cremorem cryſtallosve tartari, tartarum vitriolatum, & mixturam tartari vitriolati. Id vero, quo iure, quave iniuria, qua methodo & ratione, alibi diſpiciemus, neque nunc ea omnia cribrandi occaſio eſt. Cremoris vel ſalis eſſentialis aut cryſtallorum tartari ʒ ſ. vel ℈ ij. in iuſculo appropriato ad incidendum & attenuandum humorem infartusque reſerandos exhibentur; ad laxandum vero exhibetur ʒ ſed fruſtra, niſi tria vel quatuor grana diagridii adieceris. Præparationem vide apud Quercetanum & Peguinum.

Chymicorũ digeſtiua ex tartaro fiunt.

Diuerſi diuerſimode præparant eſſentiam tartari.

℞. lixiuii ex cinere iſatidis q.ſ. affunde tartaro in puluerem redacto, & ab impuritiis probe eloto, nouumque toties reaffunde lixiuium, donec affuſum non amplius tingatur.

Tartaro ſic defæcato ſuperingere aquam pluuiam deſtillatam & coque, dum cremor ſuper-

Acidum tartari eſſentiale.

ſupernatet, lateribuſque vaſis adhæreat, quod colligēs habebis acidum tartari ſeu eſſentiam, cuius ℈ij. exhibētur ad præparandum, dragma verò vna cum eſſentia corticum arantiorum vel florum Benzoini ad leuiter laxandum.

Alii tartarum depuratum immittunt in vas vitreum vino Rhenano repletum, quod calido loco reponunt, vt eructet florem tartari quem ſuper cineribus in ſal cryſtallinum cogunt.

Vſus tartari vitriolati. Tartari vitriolati deſcriptio dilucide exſtat apud Crollium & Beguinum, cuius ℥j. ſoluitur in ℔ iij. vini cum decocto paſſularum, & hauſtus aliquot ordine diebus aſſumitur, vel à ℈j. ad ℈ij. ex ℥iiij. vel v. iuris Galli exhibetur, addita vna olei cinnamomi guttula.

Mixtura tartari vitriolata. Mixtura tartari vitriolata ex tribus componitur rebus, naturali, vitali & animali ſpiritui reſpondentibus, videlicet ex ſpiritus theriacalis camphorati quinque, ſpiritus tartari optime rectificati tribus, & ſpiritus vitrioli correcti vna parte, inuicem remiſtis.

Præparatio ſpiritus theriacalis camphorati.

♃. *ſpiritus vini à phlegmate prorſus vindicati & rectificati ℥ x. theriac. Androm. veter. ℥ v. myrrhæ rub. ℥ ij. ß. croci ℥ ß. Immittantur in cucurbitam rectam, cui apponatur alembicus, in quo ℥ ij. camphuræ ſint collocatæ, fiat deſtillatio in B. M.*

Spiritus tartari & vitrioli præparatio iam vulgo innotuit, exſtatq; apud Crollium, Beguinum, Minderer um Bornettum, Libauium, aliosque.

An ex tartaro generalia digeſtiua fiant. Num vero ex his maturina, vti vocāt, & digeſtiua omniū humorū præparari poſſint, indicēt rationis ductū ſequētes, & in praxi ſolidius exercitati. Ex tartaro præparata maxime conueniunt humoribus melancholicis, terreſtribus, craſſioribusq; incidendis, attenuandis, & obſtructionibus pertinacibus expediendis. Sed quid ſi humor melancholicus ſit ponticus acris, tenuis, acidus, inſtarque aceti penetrātioris; & ignis ſeminaria, qui peruerſiſſimorum in hypochondriacis ſymptomatum auctor eſt, contineat, nunquid hunc rite recteque temperabunt, & feruorem inhibebunt. Tantum vero abeſt, vt hoc præſtent, quod etiam omnia hypochondriacorum mala reddant acerbiora, qualis effectus præſertim à mineralibus, quæ per ignem abominabiles contraxerunt qualitates, proficiſcitur. Non ſemel melancholicorū ex hypochōdriis accidentia mirifice exaſperata fuiſſe vſu ſpiritus tartari, quomodocunq; rectificati & chalybeatarū eſſentiarū obſeruaui. Quantum n. proficiunt ad craſſitiem incidendam & obſtructiones expediendas, tantum viciſſim inimica ſua qualitate, qua melancholiæ feruidos & aduſtos ſuccos irritant, igniculantque, nocent. Ex quo cautiores didicerunt ſaltem guttulas iſtorum empyreuma redolentium, cum aliis ſyrupis cordialibus, gallorumque decoctis exhibere.

Galenici ſingulis humoribus recta

De præparatione humorum iuxta rationales & Galenicos.

ratione & methodo peculiares adhibent præparationes. Hoc ſenſu dicebat Hipp. coctiones fieri à contrario, videlicet ſi cicuratis, quibus naturæ aduerſantur, qualitatibus ſub eiuſdem dominium & obedientiam reuocentur, adeoq; expulſioni idonei reddantur.

Duplex præparatio, vna, humorum alia corporis.

Duplex autem eſt præparatio, vna corporis, altera humorum, & vtraq; à natura, vel ab arte perficitur. Illa beneficio caloris natiui humores ad benigniorem ſubſtantiam conuertit, inutiles domat, feroces compeſcit, acres mitigat, craſſos attenuat, duros emollit, lentos detergit, vt viis ductibuſque non amplius obhæreſcant, aſperitas internorum leniatur, obſtructa aperiantur. Cum vero non ſemper ſola natura valeat humorum vitia edomare, velut in Chronicis affectib. fere nunq̃, in acutis non ſatis certo neque tuto, ipſi ſoli negotium haut cõmittendum; idcirco illam iuuamus leni vacuatione in principio, & propter hanc poſtea plenius inſtituendam, humorum corporiſque debita præparatione.

Humor ad purgationem diſponitur concoctione vel præparatione.

Humorum alii deſiderant veram cõcoctionem, quæ fit dominio caloris natiui in materiam beneficam ſanguini propinquiorem, quo vtiles quantum fieri poteſt, à corruptione defenduntur, & qui maiorem, quam quod ad naturæ integritatem redire poſſint, corruptionem ſubierunt, in materiam puri finitimam, quod ſoli ſanguini ſanguineiſq; ſuccis contingere poteſt, vertũtur, dein ſegregantur, & ad expulſionem diſponuntur. Talem ſubſtantiæ correctionem cæteri humores, videlicet bilis, pituita & melancholia non recipiunt, ſed duntaxat eam qualitatum ferocium & naturæ inimicarũ temperationem, vt eidem obedientiores, nec tantopere infeſtent & commodius eiiciantur.

Solus ſanguis & ſanguinei humores putreſcentes admittunt concoctionem, cæteris competit tantum præparatio.

Alia itaque conſideranda cruditas iuxta ſubſtãtiam, alia quo ad qualitates. Illa eſt putredo, quæ in ſubſtantia & qualitatib. diſſimiles & naturæ contrarios facit humores, & hos proprie crudos non oportet mouere, niſi turgeant. His peculiariter coctio conuenit, quæ putredinem ceſſare facit manente ſubſtantia, hoc eſt illam, quæ nondum erat corrupta, humorum ſubſtantiam ſaluat, quæ vero in fieri erat vt prorſus corrumperetur, euincit & in excrementum, venarum reſpondens puri abſceſſuum conuertit, quod poſtea ad excretionẽ diſponitur, & ſecernitur. Perficitur itaque concoctio, dum putreſcunt, vel in putreſcẽdo ſunt humores, quo in opere ſi ſuccumbat natura, ſequitur omnimoda putredo, occaſus & mors. Vnde vel turgentibus, vel coctis hiſce humoribus ſaltem purgatio debetur.

Cruditas humorum alia eſt quo ad ſubſtantiam, alia quo ad qualitates.

Iuxta qualitatem cruditas eſt humorum in ventriculo, venis & viſceribus, imbecillitate vel errore caloris natiui, aut materiæ vitio in bilem, pituitam ſeroſaſue ſuperfluitates cõuerſorum, qui ſupra debitam quantitatem excreuerunt, aut craſſitie, tenuitate, acrimonia vel viſciditate diſ-

temperantiores euaſerunt. Horum veram illam cõcoctionem exſpectare, erroneum eſt, quod nulla caloris natiui opera in vtilem vel alimentitium humorem conuerti, aut in puri finitimum quid tranſire poſſint. Proinde cicuratis domitiſque aduerſis naturæ qualitatibus & corpore viiſq; præparatis cõtinuo expurgari debẽt.

Hic ſpeculatio incidit Medico non indigna, & cũprimis medicinam facienti vtilis atque neceſſaria. In humoribus benignis vtpote ſanguine eiuſq; partibus, ſi corruptela ſubſtantiæ, ſeu putredo incidat, perſpicuum eſt ex ſuperioribus, naturam fideliter iuuandam eſſe, vt concoctione putredinem euincat, quod quomodo fieri conueniat, *paulo infra* dicetur. In horum igitur humorum corruptione & labe conſentaneum eſt, exſpectandam eſſe concoctionem, quod hi ſoli per eam corrigi, & in his vtilia ab inutilibus ſecerni poſſint, in cæteris non item, quia in materiam puri finitimam (qualis mutationis bilis, pituita, ſeroſique humores ſunt incapaces) mutari & conuerti nequeunt.

Veræ enim concoctionis ſignum eſt ſedimentum in vrinis reſpondens abſceſſuum puri, in cuius finitimam conditionem bilis, pituita & melancholia excrementitia, quatenus non ſunt in ſanguine, vt partes, nunquam mutari, ſed ſolus ſanguis conuerti poteſt.

An concoctio ſit exſpectanda

Non ſine ratione itaque quæritur, ſi bilis atra, flaua, vitellina, æruginoſa, humoreſque pituitoſi, ſinceri vel mixti in venis aut circa eaſdem, & meſenterium, pancreas, præcordia primaſque vias, putreſcant, febreſq; committant, aliquaue concoctio ſit exſpectanda à natura, & arte iuuanda.

in febribus ab humoribus excrementitiis putreſcentibus ortis.

Obſeruamus enim ex horum humorum copioſe corruptorum putredine generari febres peſſimas, ſæpe malignas & epidemicas, prout anni temporumue conſtitutio aut annonæ corruptio materiam ſuppeditant, quæ tamen idæam periodoſque tertianarum, quartanarum & cottidianarum pro humoris corrupti ſpecie repræſentant, quales hac tempeſtate graſſantur plurimæ, plurimoſq; trucidant. Vbi notandum, quod humores iſti recremẽtitii, quo longius à natura partium veri ſanguinis abeunt, eo ſi corrumpantur, febres efficiant grauiores, periculoſiores magiſque malignas. Neque enim eſt, quod quiſpiam negatum ire velit, iſtos humores putreſcere, aut putreſcentes iſtiuſmodi febres producere, cum id vel praxi initiatis conſtet, & claſſicorum Medicorum experientia obſeruationibuſq; abunde demonſtratum ſit, nec rationi repugnet. Citius enim humores minꝰ vtiles, & ab alimenticiorum ſubſtantia magis alieni, naturæque, quæ vtilium ſtudioſior & fidelior eſt conſeruatrix, non adeo commendatorum defenſione fulti, immo in vitium & labem per ſe proni atq; inclinantes, corrumpuntur & putreſcunt. Proinde non inepte concluditur, nullam horum concoctio-

ctionem exſpectãdam eſſe, quod putreſcentis nulla caloris natiui opera ad ſtatum vtilem redire, vel in puri finitimum quippiam conuerti, aut corruptio magnopere corrigi poſſit, & initio ſtatim humorum corporiſque præparatione facta, purgationem moliendam, priuſquam grauiori cõtracta putredine virulentiores fiant, & vires vitamque celeriter euertant. Et ſi obiiciatur, *cocta purganda, neque in principio exhibenda purgantia, niſi materia turgeat, ſciendum*, hos humores propter qualitatis malignitatem vt plurimum turgere, cumque à natura ad illam benignitatem, quæ vtilibus humorib. conciliari poteſt, conuerti nequeant, initio ſtatim qualicunque præuia præparatione, educendos, idque vacuantib. non è mitiſſimorum cenſu, vt maligna colluuies quam primum educatur, nec vlteriore mora ex putredine inualeſcẽte magis viroſa, venenata, & vitæ damnoſa euadat, naturamq; continuo proſternat. Præſtat enim hanc comprotenus expurgare analogo, & non infimæ facultatis medicamento, niſi ipſa humorum ineptitudo, qualis in quartanis, vel corporis indiſpoſitio, aut virium debilitas epicraſin requirat, quæ ſæpe hic locũ inuenit, quod cum prauorum humorum multitudine earundem infirmitas vt plurimum coniuncta ſit. Vti Athletarum & ſanguineorum plenitudini & euexiæ virium robur, ita cacochymiæ, earundem & cumprimis naturalium debilitas adeſt; & camarina prauorũ

Epicraſis.

commota & turbata, noxii vapores in cor, cerebrum, & ventriculi os feruntur, accidentium formidabilium auctores. Quamuis autem praui humores non recipiant illam mutationem, qua ad naturę vtilem reuertantur ſubſtãtiam, vel in puri finitimum quid vertantur, tamen eorum qualitates infenſæ & infeſtæ, aliquo pacto edomari, putredinis virus ne principaliores partes nimis violenter adoriatur, retundi, & coerceri, malignitas alexipharmacis frænari, & natura aduerſus illos roborari, quodammodo poteſt, donec coerciti eiiciantur. Vbi tam aperte qualitates, veluti acrimonia, æſtus, lentor, craſſities; quam occultæ indicibilesq; malignitates, partim à natura humoris, partim à corruptione reſultantes, & eiuſdem in partes nobiliores motus violentia attendenda & componenda. Qualitatibus quantum fieri poteſt, domitis, & humorib. pro correctionis analogia & naturæ tolerantia eductis, viribuſque refectis, reliquiæ hydroticis alexipharmacis propulſandæ. Sed hæc incidenter, eo vero redeundum, vnde digreſſio facta.

Febrium malignarũ curatio paucis traditur.

Præparatio humorum duplex eſt, ad concoctionem vel ad purgationẽ. Illa ſubiguntur & coquuntur humores in ſubſtantia corruptionem ſubeuntes, hac illi, qui qualitate duntaxat peccant. Ad coctionem præparatio perficitur tripliciter, materia attenuata, eiuſdemq; imminuta quantitate, & temperatis qualitatibus, quibus naturę coquenti reluctantur.

Præparatio humorum alia eſt ad concoctionem, alia ad purgationem.

Quæ natura coquit, primo fundit, tenuatque, dein incraſſat, & in coquentis ſubſtantiam conuertit, quod apparet in lienteriis & dyſenteriis e-paticis, vbi in operis principio turbata, & per imbecillitatẽ deſinens, chylum tenuem & aquoſum ſanguinem producit. Omnia enim perfecta coctione craſſeſcunt.

Quo pacto fiat præparatio humorum ad concoctionem.

Quantitas imminuitur phlebotomia, vt calor natiuus euentetur, & putredo inualeſcere prohibeatur, copiaque detracta & acciſa quod reliquum ſit, facilius ſubigat, quem in finem lenes initio quoque præmittuntur purgationes.

Qualitates coctioni reluctantes pro ſuæ particularis indolis diuerſitate & temperie corriguntur cõtrariis calidis, frigidis, humidis, extenuantibus, incraſſantibus, &c. Vnde Hippocraticum illud, *coctionem fieri per contraria.*

Singulariter hic notandum, coctionem fieri caloris natiui & ſpirituum opera, lædi vero per intemperiem, & ſpirituoſæ ſubſtantiæ diſſolutionem. Proinde, quæ humores præparant ad concoctionem ea calorem innatum iuuare, intemperiem corrigere, commoda aeratione & medicamentis alimentisque ſubito reficientibus ſpirituoſam ſubſtantiam reſtaurare debent. Caloris natiui ſymmetria reſpiratione debita, & tranſpiratione per arterias & illis, quæ intemperies internarum partiũ, humorum & ſpirituum alterant, cõſeruatur. Et vt in tumoribus partium calor augetur & iuuatur emplaſticis & obturantibus, perſpiratum halituoſi prohibentibus, quo materiam putreſcentem in pus laudabile conuertat, ita ſi putredo in venoſo ſit genere, niſi per reſpirationem & tranſpirationem calor euentetur & temperetur, putredines, corruptiones cruditateſque oboriri maiores, caloremque ſuffocari, neceſſe eſt.

Cap. IX.

De diſpoſitione humorum ad purgationem. Bilis feruida præparatur frigidis & humidis, perniciis motus auſteris & acerbis craſſa acidis, viſcoſa abſtergentibus, putrida acidis, acerbis & auſteris. De malignæ bilis, videlicet porraceæ, æruginoſæ & atræ præparatione. Acetum & acidum quantopere differant.

De præparatione humorum, quorum molimur & exſpectamus concoctionem, eaque præmiſſa ſeparatorum & edomitorum inutilium expulſionem, vidimus, ſupereſt de hac agamus, quæ adhibetur humoribus, qui nulla caloris natiui opera & coctione ad naturæ vtilitatem conuerti, nec in puri finitimum quid mutari, nullamque aliam benignitatem recipere poſſunt, quam vt fiant obedientiores, & quo ad qualitates aduerſas magis temperati, vt ſine vehementi moleſtia & diſturbio commodius expurgentur.

Hanc doctrinam à bilis præparatione ordiemur.

Iiſdem

Iiſdem vero medicamentis bilis alimentaria putreſcens fere præparatur ad concoctionem, quibus excrementitia ad expulſionem. Quę bilem præparant, illa acrimoniam eiuſdem & calorem aduſtionemque temperant, vel ferocientis & effræni motu inſultantis impetum cohibent, tenuem incraſſant, vel craſſam incidunt, attenuant, detergunt, infarctu liberant, aut putreſcentem corrigunt.

Bilis quo pacto præparanda ad exitum.

Acrimoniam, calorem & aduſtionem temperant refrigerantia & humectantia, qualia ſunt *lactuca, ſolatrum, lenticula portulaca, viola, nymphæa, papauer, borrago, ſemperuiuum, roſa, endiuia, ſemina quatuor frigida maiora, hordeum, cucurbita, anguria, malua, iuſcula pulli alterata cum lactuca, acetoſa ſcariola, ptiſana hordei, pruna, tamarindi, ſemen pſyllii, emulſio ſem. quatuor frigid maior. decoctum hordei, ſyrup. violarum, borraginis, bugloſſi, pomorum dulcium, granatorum, iuiubinus de nymphæa compoſitus, de ſemperuiuo ſimplex & cōpoſitus, iuleb violarum, roſarum, Rob & ſyrupus ſambucinus.* Ex his pluria tenuem bilem incraſſant, vt *Syrupus iuiubinus, nymphææ, papaueris, de roſis ſiccis, myrtinus, de cydoniis decoctum ſem. pſyllii, maluæ, gummi arab. Tragacanthi.*

Bilem præparantium remediorū ſylua.

Verum non eſt opus magnopere incraſſare bilem, ſi in calore & acrimonia ſit temperatus, niſi inordinato feratur motu. Calidis naturis iuxta Hippocratem, ocium, quies & aquæ potio conueniunt.

Ferocientis bilis impetum cohibent, auſtera & acerba quæ vomitus bilioſos & dyſentericorum, cholericorumque effrænes fluxus cohibent ſtringuntque, æſtum, ardores, febrium putredinem, ſitimque coercent, & ſua adſtrictione, interim iecur, ventriculumque roborant. Talis vis eſt in *omphacio, ſucco oxalidis, mali punici, acetoſa, ceraſio, plantagine, polygono, malis auſteris acerbis, roſis, oxiachanta, pentaphyllo, diamoro, myua cydoniorum ſimplici, meſpilis, moris, fragis, piris, burſa paſtoris, cornis; ſorbis, ſyrupus de plantagine, de ſucco rubi idæi, berberorum, ribium, malorum punicorum de agreſta, rob de cornis, cynosbyto, prunorum ſylueſtrium.*

Ferocientis bilis motū compeſcūt, auſtera.

Vti auſtera & acerba craſſiore ſubſtantia donata, præterquam quod fluxus ſiſtunt, & bilioſorum effrænes motus cohibent, etiam viſcera roborant; ſic acida, quia ſubſtantiæ ſunt tenuioris & penetrantioris, craſſitiem humorum magis attenuant, incidunt, obſtructiones altius expediunt, ſed minus roborant, minusque bilioſorum & acrium fluxus, præſertim vbi humorum acrimonia, interiora adeo ac ſi aphthis ſauciata forent, vellicata & eroſa ſint, ſiſtunt; ſitim tamen æſtumque ſuauiore gratia temperant. Adſtringentia enim ſeu auſtera & acerba ſunt frigida, terrena & craſſæ ſubſtantiæ; acida quidē ſunt frigida, ſeu tenuiū partiū. Acerbus ſapor ſoluitur in auſterum, accidente humiditate aquea craſſiore. Si vero adfluat humiditas tenuiū partium ſubtilis vel aerea, aut

Craſſam bilem attenuant acida.

Differentia auſterorum, acerborum & acidorum.

ſi illa vlteriore caloris operatione talis euadat, aciditas generatur.

Virtus acidorum. Propter ſubſtantiæ itaque tenuitatem acida, licet refrigerent, nihilominus incidũt & attenuant, vt idcirco ſint accommodata ad bilẽ craſſam tam refrigerandam, quam incidendam & attenuandam, viasque & ductus expurgandos. Talis vis eſt in *acetoſitate citri, malis limoniis, aurantiis, punicis & acetoſis, berberis, ribibus, alleluia.*

Hic obſeruandum, cum facilis ſit auſterorum in acida conuerſio, & omnes pene fructus primo auſteri, dein vlteriore coctione acidi fiant, raro puram aciditatem ſine auſteritate aliqua inueniri, vnde miſtio & temperatio facultatum æſtimanda. Quanto fuerint acidiora, tanto plus aperient, & propter ſubtilem penetrationem frigidam vim vlterius inſinuãdo magis refrigerabunt; quanto vero auſteriora, eo fortius adſtringent, fluxusque & effrænes linioſorum motus cohibebunt, *omnia acerba, auſtera & acida putredini maxime reſiſtunt.*

Acetum non tantum ea ſubſtantiæ ſubtilitate qua facile penetrat, & frigiditate præditũ eſt, ſed etiam acrimoniam quandam habet, & mordacitatem, qua ferit & vellicat viſcera. Vti enim ob proprium vini calorem exſolutũ friget, ita adſcititio ex corruptione alieni calidum & acre eſt, quæ cauſa eſt, quod acida, de quibus ſupra, magis competunt, & faciant ad attenuationem bilis craſſæ, acetum vero ad pituitoſorum inciſionẽ.

Quæ bilem viſcoſam detergant. Cum bilis non tantum craſſitie ſua obſtruat, ſed & viſciditate ſæpe adhæreat, detergentia requiruntur, quæ non vehementer calfaciant. Detergendi facultas cum caliditate ineſt *abſynthio, centaurio, ariſtolochiæ*; cũ frigiditate in *cichoreo & omni intibi genere.* Hæc, quia amara & nihilominus frigida ſiccaque ordine ſecundo ſint & adſtringentia, vim detergendi viſcoſam bilem, viſcera, maximeque iecur ab infarctu liberandi, refrigerandi & corroborandi bilioſamq; colluuiem emouendi habent. Hæc autem compoſitæ quodammodo ſunt ſubſtantiæ. Hæret enim vis detergendi magis in ſuperficiali parte, vt apparet ex eo, quod coctione facile eluatur, remanente adſtrictione. Huc ex ſimplicibus pertinent omnia *intybi* genera & *cichoracea, cicerbita, hyeracium, chõdrilla, ſonchus, gramẽ, plantago, oxalis, epatica flore albo, oxylapathum, ſcariola, lichen, alkekengi, verbena, agrimonia, ſyrupus acetoſus cum melle roſato, ſyrupus de calamintha cum iulepo violato.* Sine ſenſibili adſtrictione digerunt *adianthum* omne, *ſem. quatuor frigida maiora & minora, aſparagus, radices quinque in aceto macerata, fumaria, lupulusque ex ſero lactis, eryngium, cremor tartari, tartarus vitriolatus, flores ſambuci.*

Syrupi attenuantes & detergentes ſunt de *limonibus, acetoſitate citri, de cichoreo ſimplex & compoſitus, de endiuia vterque, roſarum de lupulo, fumaria, de ſucco acetoſæ, acetoſus ſimplex, compoſitus & diarhodon, Bizantinus, de quinque radicibus*

dicibus de eupatorio, de abſynthio, oxiſaccharum ſimplex & compoſitum.

Bilis vitellina quomodo præparetur. Cum vero bilis aduritur, vt craſſitiem vitelli acquirat, vitellina generatur bilis, cuius præparatio perficitur illis remediis, quæ craſſam attenuare & incidere dicta ſunt, ſi miſceantur frigida, humida, caloremque temperantia.

Bilis excrementitiæ malignæ generatio. Bilis praſſina ſeu porracea & æruginoſa ærugini ſimilis, & Iſatodes ſeu glaſtea etiam in ventriculo eiuſque incendio & mali ſucci eſculentis, vtpote allio, cæpis, porro, naſturcio, ſinapi ſimilibuſq; generatur. Ex porracea durante ventris incendio producitur æruginoſa, & demum vlteriore vſtione glaſtea bilis. Sed & in epate & venis in morbis ardentiſſimis vitellinam exurentibus exitioſa hæc bilis genera generari poſſunt, ex quibus demum maxime vſtis illa bilis atra, quæ omnium deterrima eſt, atque in terram proiecta fermentat, ſemperque extremam infert perniciem, oritur.

Morbi & febres ex atra & porracea bile plurimum lethales. Vbi notandum, omnem porraceam & æruginoſam, imo quamcunque bilem viridem raro febrem excitare, quæ ad ſalutem terminetur, atram vero ex his genitam præſentiſſimum eſſe venenum, nunquam impune & abſque exitio viſam. Alii prædictas bilis ſpecies adeo etiam pernicioſas ſtatuunt, vt priuſquam in corpore putredinis initium capiant, febriſq; producatur, interimant. Ipſa tamen experientia teſtatur, tertianas ſpurias iam aliquot annis epidemice & pernicialiter graſſantes aeris vitio & mala peruerſaque victus ratione corruptis humoribus, ex huius bilis putredine natas, vti & quartanas exitiales ex maligna humoris atrabilarii corruptione, quibus hypochondriaca & ſcorbutica accidentia affatim adhæſerunt.

Viridis autem bilis ex commixtione flauæ cum humore melancholico vel atrabilario, diſtinguenda eſt à ſuperioribus, nec enim adeo, vti *ſupra* recenſitæ bilis ſpecies pernicioſos, quamuis propter melācholiam longiores producit morbos. Quæ autem ad peruerſæ bilis generum cicurationem & digeſtionem requiruntur, ex ſuperioribus obſcura eſſe nequeunt. Habent enim ex aduſtione calorem, craſſitiem & ſiccitatem, & ſua natura vel putredinali corruptione malignitatem, qua cordi & ſpiritibus inſidiantur, quamobrem frigida humidaque attenuantibus, & alexipharmacis miſta requirunt, qualia *ex ſucco violarum, roſarum, borraginis, nymphea, citri, acetoſæ florum tunica, rubi idæi, granatorum cum liquore ex teneris & adhuc hirtis ceruorum cornibus, lapide Bezoar, eſſentia croci, confectione alkermes, ſpeciebus de hyacyntho comparantur.* Specialis vero antidotus & digeſtiuum æruginoſæ & cæterarum peſſimarum bilis ſpecierum eſt in

Cryſtallo præparato.

* *
*

CAP. X.

Quæ conſideranda in pituitæ præparatione: quomodo vti ſanguinis crudior pars, vel vt excrementitia tractanda: ſyluar. mediorum, quib. frigida, humida, lenta, craſſa, ſalſa, acris, tenuis, fluenſque gubernatur, & ad naturæ obſequium peraucitur.

IN pituitæ præparatione tria cumprimis conſideranda, *primo*, an crudior ſanguinis pars in venis, num vero pituita excrementitia in cerebro, ventriculo & inteſtinis quarum peculiare partium eſt excrementum ibidem vel alibi hærens præparanda: & an illa ſit craſſa, viſcida, lenta; vel ſalſa, acris, putrida, aliaue mala qualitate infecta, aut an tenuis & diluta, & num influxu ad partes nobiles vel ignobiles.

Pituitæ differentia & conſtitutio conſideranda.

In omni pituitæ præparatione cauendum, ne initio vehementer calida & fundentia exhibeamus, quibus materia fuſa & liquata maiori mole turgeſcat, aut abſumptis tenuioribus initio partibus, quod ſupereſt craſſarum, relinquatur incurabile, quapropter calidis in principio feruorem & ſiccitatem ſqualoremque temperantia admiſcenda.

Pituita in venis quatenus crudior ſanguinis & ex.

Quæ in venis præparant pituitam, prout eſt crudior ſanguinis pars, ea debent eſſe mitia, mellita, galli veteris iuſculis incocta, ventriculi, epatis & venarum vim coctricem roborare, calorem reficere, infarctus tollere, pituitoſos ichores moderate per vrinas exigere & hoc vnice agere, vt in vtilem alimentariumq; , niſi iam putruerit, ſuccũ redire queat, quæ mutatio excrementitiæ pituitæ accidere nequit.

cedens pars eſt vt præparanda.

Vti calidis naturis Hippocrates vtile prædicabat ocium, ſomnos, & aquæ potum; ita iiſdem mel aduerſiſſimum, & frigidis pituitoſiſque conuenientiſſimum eſt.

De cruditate pituitoſa venarũ, quatenus illa ſanguini accidit, Gal. *lib.* 4. *de ſanit. tuend.* inquit: *Sanguis eſt in medio bilioſorum & pituitoſorum humorum: illi namque ex ſanguine fiunt nimium percocto, hi ex nondum perfecto. Vbi paulatim vel citra ſanguinem reſtitum, vel vltra progreſſum eſt, mittendus eſt ſanguis, vbi plus, conſideratius agendum: vbi plurimum, in his nullo modo mittendus ſanguis. Duabus vero rebus oportet eſſe intentum, crudorum videlicet ſemicoctorum humorum, qui ſanguinis perfectionem non attigerunt; concoctioni & mordacium acriumque, qui vltra ſanguinis præparationem progreſſi ſunt, humorum eductioni. Confert autem quicquid citra vitioſi ſucci generationem humorem craſſum diſſecat & ſoluit, vt oxymel, apomeli, mulſa, zinziber, &c. conueniunt ocium, abſtinentia, ſomnus. Non conueniunt valde ſanguinem calfacientia, aut vrinam cientia, quod ſanguis, qui coquendus, non ſic erat vexandus. Cruditates vero circa primas venas nec ſanguinis miſſionẽ, nec purgationem, nec excercitationem motumue*

Gal. de pituita & crudorum humorum medicatione.

tumue vllum ferunt. Venæ ſectio enim v-tili ſubtracto ſanguine, inutilem trahit in corpus: Purgatio tormina & roſiones inducit, quod crudi craßique ſucci nec ipſi facile educantur, aliiſque ſint impedimento. Hi ideoque in quiete ſeruandi, tenuiter citandi, quod tenuem victum facile ferant, dandaque medicamenta & alimenta, quæ attenuare, diſſecare & conficere ſuccorum craßitudinem poßint, idque citra manifeſtum calorem. Confert oxymel, diaſpoliticon, diatrion pipereon, zinziber aceto maceratum, capparis. Hactenus Galenus.

Communiter pituitam præparant, quæ ſine adſtrictione attenuant, incidunt & detergunt, quod in vniuerſo corpore facit *oxymel. Decocto Galli veteris nitroſiori*, vti & *oxymeliti* commode infunduntur, quæ pituitam præparant, qualia ſunt *radices quinque aperientes, liquiritiæ, Elenii, Ireos, rubiæ maioris, pœoniæ, angelicæ, acori, valerianæ, bryoniæ, ebuli, cyclaminis, chelidoniæ, ſquillæ, eryngii, ononidis, raphani, ariſtolochiæ vtriuſq., calami aromatici, galangæ, Cyperi, Pimpinellæ, dictamni albi, Peucedani, dauci, Gariophyllatæ, pyrethri, ſpicæ.* Herbæ *betonicæ, hyſſopi, praſÿ ſeu marrubii, ſtæchados, origani, calamenti, pulegii, ſatureiæ* ſeu *thymbræ, thymi, chamædrios, chamæpytios, ſaluiæ, maioranæ, meliſſæ, lauendulæ, ocymi, veronicæ, nepetæ, matricariæ, tanaceti, aſſclepiadis, carduibenedicti, centaurei, roſmarini, baſilicenis, ſcordii, rutæ, ſerpilli, abrotani, Cherefolii, abſinthii, ſabinæ, hormini, ſcœnanthi.*

Sylua remediorum præparantium pituitam.

Radices.

Herbæ.

Semina.

Semina *Aniſi, Fœniculi, Carui, Cymini, ſecuridacæ*, quæ maiora quatuor calida, & *dauci, ammeos, apii, amomi*, q̃ quatuor calida minora dicta ſunt, *naſturcii* item & *raphani, ſileris montani, nigellæ Romanæ, milii, paſtinacæ vtriuſque, agni caſti, rutæ, ocymi, fraxini, hyperici*; *baccæ* item *lauri, Iuniperi, nuclei pinei, ficus, ciceres, horumque decoctum, lupini.*

Flores *lauendulæ, calendulæ, primulæ veris, anthos, ſtæchad. Arabica, maioranæ, hyſſopi, betonicæ, matricariæ, camomillæ Romanæ, cheiri, anethi, geniſtæ, meliſſæ, iunci odorati.* *Flores.*

Ex compoſitis conueniunt *mel roſatum, violatum, Mercurialatum, hydromel, oxymel ſimplex & compoſitum, ſquilliticum, decoctum Guaiaci cum oxymelite.* *Compoſita.*

Syrupus de liquiritiæ, capillis Veneris, betonica, ſtæchade, mentha, calamintha, artemiſia, abſynthio, de corticibus citri, hyſſopo, de duabus & quinque radicibus.

Si pituita ſit acris, ſalſa, putrida, & adhuc craſſa viſcidaque, conueniunt *Syrupus de cichoreo compoſitus, capillorum Veneris, de endiuia compoſitus, Bizantinus, de lupulis, de mentha, de duabus & quinque radicibus, acetoſus ſimplex & compoſitus*, & *diarrhodon, oxymel ſimplex & compoſitum, mel roſatum, violatum*, & quæ ex acidis fiunt, aut aceto miſta ſunt. *Pituita ſalſa craſſa vt præparetur.*

Dum vero magis aduſta fuerit terreſtriorque & ſalſior euaſerit, aut melancholeſcat, adiici poterunt *ſyrupi de pomis dulcibus, de bugloſſa, borragine, violis, lupulis, fumaria*, & alia cum quadam humiditate attenuantia. *Pituita melancholeſcens, quæ poſtulet.*

Pituita calida tenuiſque & fluens vti gubernetur.

Pituita calida, tenuis & curſim fluens incraſſantibus & fluxum inhibentibus præparatur, conueniuntque ſyrupi refrigerantes, incraſſantes & ſiccantes, qualis *iuiubinus, de papauere, nymphæa, de roſis ſiccis, myrtinus, de cotoneis, diacodium.*

Pituita tenuis & frigida, vt præparetur.

Si pituita ſit tenuis, frigida & in fluxu, vſurpāda erunt, quæ adſtringunt & ſiccant, nec calore nimio vel attenuatione, deterſione vel irritatione eam præcipitant, quo faciunt *ſyrupus de mentha mixtus myrtino, & de roſis ſiccis, decoctum nucis muſcatæ torrefactæ, maſtichis, ſandaracha, benedictæ Gariophyllatæ, ligni Rhodii, chynæ, cornu cerui præparati, nucum cupreſſi.*

CAP. XI.

Humore melancholico corrupto nullum alium in corpore peiorem eſſe, quique grauiores & pertinaciores morbos producat. Quibus remediis frigidus & ſiccus, ater & aduſtus, acidus, acerbus, ponticus aluminoſi cupreique ſaporis, tractetur & præparetur. An acetum conueniat, & acres igneique tartarorum & mineralium metallicorumq́ ſpiritus & liquores.

Humor in corpore humano nullus est melancholico corrupto & delinquente peior.

NVllus in humano corpore generatur humor, qui Medico & ægroto plus negotii faceſſit, quā melancholicus, & à quo contumaciores & diuturniores, naturæ magis reſiſtētes remediorumq; validorum facultati minus cedentes oriantur affectus. Terreſtri enim ſuā ſiccitate & ſubſtantiæ craſſitie medicamentorum optimorum vim contemnit, & ſi alias per aduſtionem vel putredinem adſciſcat qualitates, plane euadit malignus, & formidabilia cauſatur accidentia, idque peculiare habet, quod potius blandiendo, quā violentorum pharmacorum acriori vſu tractari poſtulet. Propterea Areteus dicebat, *non cedere morbos ab humore melancholico oriundos, niſi cedentibus Medicis*; & Plato *in Timæo*, morbos ex humore melancholico certos habere terminos, ad quos antequam perueniant, ſi medicamentis vehementioribus irritentur, acerbiores fieri, vti videre eſt in quartanis, quæ ſi initio acrioribus medicamentis exagitantur, adeo efferantur, vt in duplices triplicesque diffundantur, & demum lethales euadant.

Sub humore melancholico comprehenditur primo *fex ſanguinis* ſeu craſſior limoſior magiſque terreſtris pars, quæ frigida & ſicca, eaque vel alimentaria in venis, vel excrementitia, & ad lienē ſegregata aut alibi perperam diffuſa: dein *atra bilis* ex aduſtione fæcis ſanguineæ aut bilis cuiuſcunq; generis aut craſſioris & ſalſæ pituitæ nata. Atra & aduſta bilis, medicamenta requirit actuali & potentiali humiditate prædita, quę placide eius cineream terreſtreitatem deliniāt, & craſſitiem ſine conſpicuo calore aut frigiditate manifeſta, attenuent,

Quomodo comparata debeant eſſe medicamẽta, quæ humorem melancholicũ præparent.

nuent, incidunt. Cum vero ater ille humor, quo magis incandeſcit ferociorque euadit, eo cordi & ſpiritibus vitalibus plus inſidietur, odorata & ſpeciali quadam gratia cor reficiẽtia & conſolantia cæteris admiſcenda.

Materia præparantium.

Ad temperandam terreſtrem ſiccitatem & ſqualorem cõueniunt *borrago, bugloſſum, violæ, nymphæa, ſuccus pomorum odoratorum fragrãtium, Porſdorfianorum, aranciorum dulcium, granatorum, florum tunicæ, rubi idæi maturrimi, aqua nãmphæ ſeu florum aranciorum*; quibus ad incidẽdam craſſitiem miſcentur acida, qualia *ſuperius* ad bilis craſſioris præparationem ſunt præſcripta, quæ ſunt tenuis ſubſtantiæ, qua incidunt, extenuant, penetrantque, & adiunctam frigiditatem penitius inſinuant. Vbi acida ab aceto diſtinguenda. Tantum enim abeſt, quod acetum in atrabilarii ſucci præparatione conueniat, vt eum etiam fermentet, ferocire & ebullire faciat. Nam veluti partim frigidum, ita ſimul calidum, acreque eſt, & vim fermentandi obtinet, quale ignis ſeminarium in atrabilario ſucco etiam reperitur. Conuenit itaque potius humori melancholico, qui fex ſanguinis eſt, & frigidus ſiccusque exiſtit, dummodo diluatur, aut commiſceatur humectantibus. Mirari hic ſubit, quod ſpiritu tartari ſincero & impermiſto tantum empyreuma redolente cum multorum ægrorum, vti ipſemet vidi, nauſea & malo ſucceſſu Paracelſici vtantur in melancholicis & atrabilariis affectibus quinimo alia acerrima ex metallis remedia in hũc vſum non ſine calamitate trahant.

Acida non vero acetũ humori melancholico conuenit.

Acerrimæ & ſpiritus tartareos minerales metallicoſque non conuenire in præparatione atrabilarii humoris.

Probe aduertendum, humorem quendam tenuem, partim acidum, partim acerbi aluminoſi cupreique ſaporis ſæpe in melancholicis & hypochondriacis vi caloris putrefacientis vel æſtuantis reperiri, vbi & acidis, & aceto nequaquam vtendum, eaque adhibenda, quæ acorem delinire, acrimoniam cæteraſque prauas qualitates retundere poſſint, qualis virtus non in ferreis aut tartareis remediis, quibus exaſperantur & inſolescunt, ſed in temperatis & calori natiuo proportione reſpondentibus, vti *floribus tunicæ hortenſis, borragine, bugloſſa, violis, ceraſiis dulcibus, baccis rubi Idæi, ſucco aranciorum dulcium, granatorum, melle roſato, ſyrupo cinamomi, meliſſophylli & corticum citri*, reperitur. Hæc præſente acore & terreſtri aduſtaque ſiccitate vtiliter adminiſtrantur.

Hic etiam, (recte, an inepte, viderint illi) commẽdant Paracelſici *tartarum vitriolatum, ſpiritum tartari, eſſentiam chalybis*, quorum tamen vſus non vltra guttularum aliquot ſyrupis ſucciſue miſtarum aſſumptionem iniri debet. His eadem intentione adiiciunt, nec minoris efficaciæ prædicant *elixir vitæ Theophraſti*.

Hactenus de remediis humorem atrabilarium, fæculentum, aduſtum qualicunque corruptione infectum & infeſtum reſpicientibus tranſegimus, ſupereſt, vt quo pacto humor

melancholicus frigidus & ſiccus, ſiue in venis, ſiue alibi, cum peccarit, ſit temperandus & ad naturæ obedientiam reducendus

Humor melancholicus frigidus & ſiccus vt tractandus ſit.

Huc omnia ſpectant, quæ calidæ & humidæ ſunt facultatis, quæque odorum fragrãtia & cordi amica qualitate atque anathimiaſi ſuauiore ſpiritus vitales reficiunt, quib. propter ſucci terreſtris craſſitiem & ſiccitaté ea, quæ ſine euidenti calore aut æſtu incidendi & abſtergendi facultate ſunt prædita, adiiciẽda, quorum ſimplicium copia ſi non ſit ad manus, ex plurium mixtione tale temperaméntum medicamento conciliandum erit, quale huic intẽtioni reſpondere poſſit. Quæ enim huic humori præparando dicata ſunt alia in actiuis temperata & humida, vel calida & humida vt *borrago, bugloſſum, viola, flos tunicæ,* alia calida & moderate ſicca, vt *fumaria, cuſcuta,* alia moderate calida vel temperata, & mediocriter ſicca tenuiumque partium, vt *capillus veneris, adianthum, lichen.*

Humorem melancholicum frigidum & ſiccum præparantia. Radices.

Horum vero præparantium hæc potiſſima eſt ſylua: Radices *polypodii Quercini, filicis maris, bugloſſi, acetoſæ, graminis, ſcorzoneræ, pæoniæ, Cichorei, eringii, liquiritiæ, altheæ, Elenii, oxylapathi, aſparagi, apii, acori veri ſeu galangæ maioris, ruſci, aſari, raphani, bryoniæ, rubiæ, ſatyrionis, ſcrophulariæ, ſquillæ, vincetoxici, anchuſæ, Cyclamini, ari, Rhapontici, carlinæ ſeu chamæleontis, ariſtolochiæ rotundæ veræ, Gentianæ, Iridis, Zarzapariglia, viſcus Quercinus, ſantala, lignum Rhodium, lignum hederæ.*

Herba.

Herba *fumariæ, ceterach veri, adianthi vtriuſque, capilli veneris, cuſcutæ è lupulo vel erica lectæ, ſcabioſæ, fragariæ, ſtæchades Arab. marrubii, Thymi, Epithymi Cretici, lupuli ſalictarij, linguæ ceruinæ, abſinthii, naſturcii, ſcordii, rutæ, centaurii minor. cochleariæ, betonicæ, clynopodii, ari, vermicularis, baſiliconis, mercurialis, chamædrios, Chamæpytios, parietariæ, tanaceti, meliſſæ, verbenæ, meliſſophylli, nũmulariæ cicerbitæ, ſcariolæ, rutæ murariæ, abrotani, agerati, ſquinanthi, veronicæ, hyperici, Nicotianæ veræ, arnicæ, lamii ſeu vrticæ maculoſæ, Gallis della milza dictæ, folia ſalicis.*

Cortices.

Corticés *fraxini, tamariſci, capparum, frangulæ median. Sambuci, Querci arb. citri. Balneum aquæ dulcis.*

Semen *naſturcii aquatici & hortenſis, anethi, hyperici, nigellæ atriplicis, fraxini, calẽdulæ, pſyllii, rubiæ, agni caſti, ſinapi periclimeni, vrticæ, melonum, acetoſæ, lactucæ, maluæ, endiuiæ, citri, baſiliconis, portulacæ, cannabis, erycæ, myricæ, ſemen agrimoniæ.* Rudio dicitur mirabile in hac cauſa.

Baccæ *hederæ, alkekengi, fructus tamariſci, Rubi Idæi, iuiubæ, ſebeſten, paſſulæ, piſtacia, pruna Damaſcena, ceraſa nigra ſylueſtria, rapæ, poma dulcia odorata, granata, aurantia, citrea, lupini, ciceres.*

Flores.

Flores *borraginis, bugloſſi, violarum, tunicæ hortenſis, calendulæ, ſambuci, capparum roſarum, geniſtæ, ſtæchados, Tamariſci, anagallidis rubeæ, anethi, camomillæ, nymphea.*

Cremor

Cremor, eſſentia & ſpiritus tartari, tartarus vitriolatus, eſſentia croci Beguini, acetum paſſulatum, oxymel ſimplex, acoratum, ſquilliticum, elleboratum Iuliani, eſſentia chalybis, aqua, vinum & oxymel chalybeatum, oxyſaccharum ſimplex & compoſitum, aqua cotis, aqua Nicotianæ, aqua limacum, ſerum lactis caprilli, extractum ſplenis bouis, decoctum galli veteris, raparum, ligni hederæ, decoctum vrticæ maculoſæ, cum balſamo ſulphuris in hypochondriacis plurimo ſero circumfluentibus multum profuiſſe obſeruatum eſt. Huc referuntur *liquor cryſtalli, lapis Bezoar, confectio alkermes.*

Ex compoſitis accerſuntur *ſyrupi de ſucco borraginis, bugloſſi, violarum, pomorum dulcium, nymphææ, granatorum, de meliſſa Fernelij, Diaſereos Andernaci, de lupulo, Bizātinus, de fumaria & polypodio ſimplex & compoſitus, florum tunicæ Palmarij, de ſucco Rubi Idæi, ſyrup. Matthioli contra melancholiam lib. 3. epiſt. ſyrupus Rudij, cap. de melancholia: acetoſus, de portulaca Meſuæ, diarrhodon Meſuæ, adianthinus Fernel. de meliſſophyllo, de cinamomo, de quinque radicibus, de cichoreo cum Rhabarbaro, de epithymo Meſuæ; ſyrupus aperitiuus Mindereri.*

Quæ ad craſſos terreſtresque melancholiæ ſuccos præparantur, ea *aquæ vinive chalybeatis aut oxymeliti*; quæ vero ad aduſtos & incineratos humores, *decocto galli veteris, vel pomorum dulcium, aut ſero lactis, vel ſucco borraginis, bugloſſi, violarum, pomorum redolentium* infunduntur vel incoquuntur.

Si ex aduſto phlegmate natus ſit humor atrabilarius, ea, quæ reſoluendo incraſſant, & quæ exſiccant, omnino fugienda. Vtiliter vero *oxymel ſimplex* miſcetur cum *ſyrupis de epithymo, acetoſo, de fumaria, endiuia, melle roſato, aqua borraginis, bugloſſi, endiuiæ, &c.*

Singulariter in melancholiæ affectibus commendant mixturam ex *ſyrupo, rubi Idæi, violarum, borraginis, bugloſſi, pomorum, aqua centaurei, extracto croci, ſpiritu theriacali camphorato, tartaro vitriolato, ſpiritu vitrioli,* debite remiſtis.

CAP. XII.

An medicamenta ex chalybe præparata proſint affectibus ab humore melancholico generatis: quis ſit eorum vſus ad hypochondriacam affectionem, cachexiam potiſſimum fœminarum, & omnis generis fluxiones: quod remedia ex eodem præparentur, cum vel ſine calcinatione: ſine hac fieri pulueres diuerſos & vina chalybeata ad cachexiam, & extracta, tincturas, ſyrupos & electuaria.

VErum enimuero cum in humore melancholico diſſecando, attenuando, & præparando medicamentis ex ferro, ſeu potius & rectius ex chalybe paratis vtantur, eaque eximiæ virtutis eſſe, & præ cæteris prodeſſe affirmant, non otioſum erit, quæ-

An remedia ex chalybe proſint morbis ab humore melancholico.

quærere, num ferrata remedia rite & bona ratione, & cum ægri ſalute, *quæ ſumma lex debet eſſe Medicis*, in vſum vocari poſſint. Et licet chalybem ferrumve alii in actiuis temperatum ſtatuant, tamen ſicciſſimæ eſſe naturæ, extra omnem dubitationis aleam eſt: Quin imo cum ex ſulphure adurẽte, & craſſiore Mercurio, tanquam principiis acerrimis, ſubſtantiam eius coaluiſſe anatomia chymica demonſtret, dubium nullum eſt, quin feruentiore calore præditum, & ad melancholici humoris cruditatem, qua naturæ moleſtus eſt, quæque in ſiccitate & craſſitie eiuſdem, aut in atri ſucci ardenti calore & moleſtiſſimo æſtu conſiſtit, cicurandam, non tantum ineptum, ſed & maxime noxium ſit, quod eundem magis exſiccet, cogat, induret, igniculando amplius efferueſcere, incandeſcere & efferari faciat.

Accedit & alia difficultas, quod ferrea medicamenta nũc aluum turbare, obſtructiones epatis, lienis, vteri, venarum (nonnulli, ſed abſurde, pulmonum in aſthmate) aperire, craſſitiem humorum attennare, incidere; nunc vero dyſentericis, cæliacis, ſtomachicis adſtrictione ſua prodeſſe paſſim dictitent.

Neque de nihilo eſt, quod ea, quæ materiæ & ſubſtantiæ craſſioris ſunt, maius & abolitu difficilius empyreuma per reuerberationes, calcinationes, variaſque vſtiones ex actuali vel potentiali igne contrahant, quo & attrabilariis & melancholicis humoribus nocentiora euadunt.

Quomodo medicamẽta ex chalybe hypochondriacis, cachecticis & dyſentericis conducant.

Hac propoſita difficultate ſciendum, quod è ferro & chalybe optimorum auctorum experientia, & ratione præſtantiſſima componantur medicamenta, & quaſi alexipharmaca hypochondriacæ affectionis, & cachexiæ fæminarum, & obſtructionum, multarumque ægrimoniarum; diuerſitatem vero operationum & facultatũ in his remediis tum à præparatione, tum à debito eorundem vſu dependere. Quippe, quod ipſe martis crocus actuali igne præparatus & puluerulenta exhibitus forma ad cohibendas fluxiones fortiſſime proſit, olea autem & tincturæ ex eodem productæ potenter penetrent, obſtructiones reſerent, nec minus adſtrictionem quandam imprimant. Vbi tamen accurate notandum, propter ſummum empyreuma & ſalia igne actuata maximeque fixa, in hypochondriacis venarum cum phlogoſi obſtructionibus, minus, quam cachecticis virginum affectib. conuenire, quod in his per obſtructionem frigiditas, oppreſſo ſcilicet calore, in illis æſtuatio ſumma eodem accenſo dominetur. Adhibetur tamen in iis aliquando exigua quantitas nõ incommode cum commodo vehiculo acumen ſufficienter corrigente.

Remedia ex chalybe parantur vel opera Vulcani ſtrenua, vel ſine illo.

Conficiuntur & adornantur medicamẽta ex cha'ybe, alia per actualem vel potentialem calcinationem, alia abſque eadem & ſine Vulcani miniſterio.

niſterio. Quæ ſine operoſa ignitione parantur, ea vel aluum turbant, purgant, vel obſtructiones aperiunt, aut vtrumque præſtant. Cuius rei rationem aſſignat Mercatus, aſſerendo, ferrum & chalybem conſtare ex duplici mercurio & ſulphure, quorũ illa propriam conſtituant ſubſtantiam puriorem, hæc vero alimentum eius nondum plene in ſubſtantiam conuerſum, adeoq; craſſius, crudius pernicioſiuſque ſulphur & mercurium exſiſtere.

Ex his veram, maturam, percoctam propriamque ferri vel chalybis ſubſtantiam obtinere vim abſtergendi, aperiendi, obſtructoſque meatus reſerandi, immo propter ſulphuris mercuriique copiam, nõ leuem purgandi virtutem, idque non peculiari attractrice potentia, ſed colliquando, fundendo, attenuando, id, quod viſcidum craſſumque eſt; partem vero illam alimentariam, videlicet ſulphur & mercurium crudiorem nondum in ferri chalybiſue ſubſtantiam ſatis percocta & cõuerſa, facultatem turbandi aluum vehementius & naturæ pernicioſam obtinere. Id aquæ chalybeatæ præparatione demonſtrat Mercatus; ſi enim illa, in qua primo extinguitur chalybs ignitus exhibeatur, mirifice aluum turbat, propter crudi Mercurii & Sulphuris vim viroſam celerius citiuſque in liquorem ſeparatam.

De diuerſis chalybis operationib. pro materia & præparationis diuerſitate ſententia L. Mercati.

Proinde iubet primam aquam velut noxiam naturæ, & vomitum ceſſumque viroſa qualitate mouentem reiicere, & hanc in vſum recipere, in qua idem ferrum ante multoties ignitum, ſæpius reſtinguatur, hoc pacto crebrioribus in aqua extinctionibus, conciliari virtutem modice, neque indebite, quod ſuperfluũ eſt, extergendi & educendi, obſtructa reſerandi, & nihilominus vim mirificam corroborandi partes interiores, quid exſiccando ſimul villos denſet, & calorem vniat, remanere contendit. Vnde in dyſenteriis & diarrhæis biliosis, calidiſq; fluxionib. eximius huius ſit vſus, cum ſuperflua quidem & nihil præter hæc expurget, & dein inteſtina languida viſceraque roboret, & mirifice confirmet. Demum cõcludunt, eundem chalybem ſæpe ſæpius extinctũ minorem tandem purgandi, & maiorem adſtringendi facultatem in aquam ſuæ extinctionis inducere, quamobrẽ dyſentericis cum *ſyrupo granatorum, cydoniorum, berberorum de agreſta & myrtino, exhibeatur.* Quod aperte liquet in crocis, qui ſublato per calcinationem ſulphure & mercurio impuriore minuſq; ſubſtantiali, quib. purgationis diſturbium excitatur, validiſſimam adſtringendi vim obtinent.

Sed cũ nos raro chalybe ab officina conflatoria recente vtamur, & is, quem in vſum vocamus vetuſt⁹ plerumque & multos ignes expertus ſit, atq; in eo nihilominus obſeruemus vim turbãdi aluum, ſimulque deobſtruendi & adſtringendi, neceſſum

eſt eam in diuerſis in ferro ſubſtantiis permanentibus vel aliis atque aliis præparationib. adſcribere. Ad quod reſpondent, metallica vires aliquas habere in promptu & in ſpiritib. ſucciſque circa manifeſta, coagulata forma hærentibus, ſeu partes quaſdam leuiuſcule concretas, & in proxima potentia; aliquas vero in receſſu & potentia remotiore, illas volaticas & vi ignis facile exſpirare & ſeparari, has nō item; illas in aquam chalybeatam primo deponi, vnde nauſeoſa, viroſa, turbatiua & ſurſum deorſumque purgatiua fiat. Verum hæc ratio priori omnino aſſimilis eſt. Siue enim crudum mercurium & ſulphur, ſiue ſpiritus in ſuperficialibus chalybis partibus primo ſoluta, pro cauſa allegemus, hoc manet, ſæpius candefactum ignitumque ferrum has perdidiſſe turbandi & violentius purgādi partes. Quare prodeunt nonnulli, qui ſtatuunt à præparatione aquæ chalybeatæ hāc diuerſitatem dependere, quod in quibus non fortiter ignitum, ſed modice calfactum & leuiter candens exſtinguitur ferrum, viroſam potius qualitatem, qua naturam turbent, quam medicamentoſam, qua exſpectatam opem cōferāt, acquirant, qualis etiam conciliatur obſoniis, quæ in ferreis æneiſue vaſis coquendo comparantur, aut iuſto diutius in his aſſeruātur, præſertim ſi aceti mixtura ſint adornata (vnde Crato è magnatum culinis eiuſmodi vaſa remouere & figulinas ex luto ollas ſubſtituere conſuluit.) Si vero intimius candefactū fuerit propter actuatum in eo halinitrum & calchantum vires medicamentarias, & rite purgantes ſegregari, ſpirituſque in aquam deponi & ingredi nitroſos atramentoſoſque, quorum ſit penetrare, detergere, attenuare, aperire, naturam ad excernendum ſtimulare, conſumere, exſiccare, demumq; roborare, atque ideo fælicius, quia ſpirituoſa & non corporea ſubſtantia transferatur in liquorem, qui ſi ſit vinum, ratio & res euadit manifeſtior. Hos autem ſpiritus medicatos validis ignibus præcipue in ferri limaturis diſſipari, vltro fatentur, quamobrē integris ferri chalybiſue fruſtulis ad præparationem aquę chalybeatæ vtendum cenſent.

Aliorum ſententia de diuerſa chalybis operatione.

Ex his omnibus vltro citroque agitatis & expenſis ſatis liquet, ferri vim noxiam & turbatiuam igne domari, neque igne duntaxat extingui, ſed alia atque alia præparatione etiam cohiberi & minui. Vnde Mercatus duplicem potiſſimum ſtatuit præparationem. Prima eſt, qua aduſtione & ignitione ſæpe reiterata ferri chalybiſue pars ſuperflua tollitur, remanente vtiliore, ſynceriore magiſque correcta, quod perficitur exſtinctione crebriore in oleo amygd. dulc. aut vino. Sunt, qui acetum recipiant. Secunda peragitur cum citra vim ignis extenuata, liquata & abſciſſa recrementitia parte vniuerſa limaturæ ſubſtantia aqua vitæ vel aceto comminuatur.

Præparationes Ferri ex Mercato. 1. 2.

minuatur: Acetum enim totum illud, quod noxium eſt, ocyſſime proterit, & conſumit. Neque ſolum acetum, ſed infuſio coctioque limaturæ in vino, hydromelyte, aliiſque corrigentibus liquoribus id præſtat, quibus appropriata, partibus, quas curare intendimus, addi poſſunt. Neque etiam nulla vis præparandi & corrigendi in tritura conſiſtit, vti in comminutione limaturæ affuſis liquoribus ſuper porphyritide & aqua cotis videre eſt, in quibus nulla amplius malignitas obhæreſcit.

Obſeruandum etiam chalybis igniti exſtinctionem in vino minorem turbandi vim imprimere, quam in aqua, quod illud facultate quodammodo corrigente ſit præditum; dein ſtrigmentis ſeu particulis ignitis rectius, quam limatura candente aquam vinumve chalybeatũ confici.

Supereſt nunc, vt diſpiciamus, quomodo medicamenta ex ferro aut chalybe ſine vel cum calcinatione præparentur.

Medicamenta, quæ ex chalybe ſine operoſa calcinatione præparantur.

Sine calcinatione fiunt aquæ chalybeatæ, aqua cotis, ſyrupi, puluéres, decocta, tincturæ & eſſentiæ; atque hæc vt plurimum ad viſcerum venarumque infartus, hypochondriacam paſſionem, cachexias, aliaque interraneorum vitia.

Ratio & modus conficiendi vina & aquas chalybeátas, vt deobſtruãt, vel adſtringant, ex ſuperioribus ſatis liquet.

Si humores ſint craſſi, chalybs præparatur aceto, ſi æger ſit debilis & frigido ventriculo, vino; ſi calidioris temperamenti, aqua roſacea.

Qui ad ignem præparatur chalybs, cum aluum denſet, miſcetur plerumque purgantibus, quantumuis viſcera vehemẽter aperiat, & ſcirrhos diſcutiat. Rectius vero ſub vſum eius prolixiorem alternis lubricantia aut eccoprotica dantur.

Potio.

Eximie præparat humorem melancholicum id, quod ſequitur, vtile inprimis hypochondriacis & quartanarii. ℞. *tartari candidiſſimi* ℥ ß. *coque ex aquæ chalybeatæ aut vini per chalybis vſum medicati* ℔ ij. *donec ſoluatur: colaturæ adde ſpiritus vitrioli rectificati* ℥ j. *oxymellis ſquillitici* ℔ ß. *ſyrupi violati* ℥ iiij.

℞. *limaturæ chalybis* q. v. *affunde aquam ſimplicem ſale abſynthij imbutam, ſtet aliquamdiu in loco tepido, dein exſiccetur, teratur, denuo ſimiliter imbibatur, idque repete, donec in puluerem tenuem ſubflauum redactus ſit.* Huius pulueris

Vinum chalybeatum ad cachexiam.

℞. ℥ iiij. *radic. Eryngij, Enulæ campanæ ana* ℥ j ß. *ſantali citrini* ℥ j. *corall. rubeor. præparator. raſuræ eboris ana* ℥ ß. ʒ j. *Gariophyll. macis, cinamomi, zinziberis ana* ʒ iij. *ceterach. florum geniſtæ, anthos, epithymi ana* p. ij. *vini albi generoſi tantum, vt quatuor vel quinque latum digitos ſupereminat, macerentur octiduo, vel in balneo Mariæ digerantur, colentur & ſaccharo edulcentur,* vt fiat vinum cachecticum.

Optimus ex chalybe puluis ad cachexiã.

℞. *limaturæ chalybis pari modo præparatæ, ſpecierum dialaccæ ana* ʒ vj. *ſacchari, cui ſpiritu vitrioli ſit conciliatus a-*

Electuarium.

cor. ℥ v. *miſce, fiat puluis cachectic*[9], quem augere poteris *fœcula bryoniæ*, aut adiecta *conſerua florum calendulæ* in electuarii formam conuertere.

Alii limaturam aceto macerant, donec teri poſſit, eamque poſtea eluũt, & ſuper porphyritide in puluerem terunt. Solenander eandem primo aqua, deinde vino, tandem aceto lauat, & cum eodem in medios carbones collocat, donec exhalet acetum, & chalybs igniatur, qui ſuper marmore in alcohol teri debet.

Vinum ad cachexiã.

R. *laminas chalybis igne candentes & liquefactioni proximas, mergantur in magdaleones ſulphuris, vt liqueſcant, excipiantur aceto vel vino. Puluis collectus in tigillo ſiccetur, & ſuper porphyritide in pollinem leuigetur. Huius* R. ℥ iiij. *radic. eringii, rubiæ tinct. ana* ℥ vj. *Cort. median. fraxini, rad. filicis ana.* ℥ ß. *ſem. fœniculi, baccarum Iuniperi, granorum alchermes ana* ℥ iij. *fol. ſicc. chamædr. ceterach, florum geniſtæ ana* p. j. *Garyophyll. macis ana* ℥ ij. *Cinamo. interior.* ℥ ij ß. *vini albi generoſi* ℔ x. *ſtent ad lentum ignẽ per dies viginti.* Valet ad hypochondriacum affectum, cachexiam & hydropem.

Tinctura chalybis.

Non inconcinne Chalybis in ſulphure ſoluti pulueri affunditur acetum deſtillatum vel radicatum, & reiterata affuſione eſſentia extrahitur, quæ deſtillatione ſeparatur, & ſpiritu vini denuo ſoluitur, quo abſtracto affunditur ſuccus pomorum dulcacidorum aut granatorum, cum quo ſuper cineres lento igne in mellaginẽ coquitur. Hæc vera eſt chalybis eſſentia, cuius vſus in hypochondriacis, melancholicis, & cachecticis eſt præſtantiſſimus.

Extractum chalybis.

R. *limaturæ chalybis* ℔ ſ. *affunde vini optimi* ℥ xviij. *pone ad ignẽ lenẽ, & moderate interdum agita vas, tandem ebulliat, donec emergat ſpuma craſſa & pinguis, quam collige: id nouo affuſo vino ter quaterque repete. Collectam cum vino ſpumam coque ad conſiſtentiam mellaginis, ex qua cum melle & ſpeciebus conuenientibus veluti diacurcumæ, diarrhodon & ſimilibus elelectuaria comparant.* Alii mellaginem eam ad conſiſtentiam pulueris exſiccant, & ſic aliis miſtam vſurpant, vel affuſo aceto radicato tincturam extrahunt, & hoc per deſtillationem ſeparato, aqua edulcant, nouoque ſpiritu vini denuo ad rectificandum extrahunt, & extractum vltimo ſeparant.

Nonnulli limaturam chalybis aceto lotam, & vndiquaque purgatam panno imponunt, & pulueris *Garyophyllorũ* ℥ ß. inſpargunt, perq; diem & noctem ſic aſſeruant, vitreo dein vaſe excepta in loco calido, affuſo vino deponunt ad dies nouem vel decẽ donec chalybs fere vniuerſim colliqueſcat, cuius doſis ℥ ij.

Chalybeatum maluaticum.

Vel, R. *limaturæ chalybis, aceti vini ana* ℔ j. *coque in ſartagine lento igne ſemper agitando ſpatula ad conſumptionem aceti, dein tere & adde pulueris Garyophyllorum* ℥ j. *vel paulo plus, & in vitrea cucurbita affunde vini maluatici* ℔ iiij. *pone in calore Solis vel fornacis quatuordecim dies fortiter agitando*; id *ad menſes* inordinatos

dinatos & lienis affectus comprimis vtile remedium fuerit. Doſis ℥ jß.

Sunt, qui aquam cotis, quo acuuntur enſes, recipiunt, & chalybem in ea multoties exſtinguunt. Hæc lienem conſumit; argumento ſunt fabrorum canes illam cottidie potantes abſque liene inuenti.

Varia ſyruporum de chalybe apud Mercatum exſtant genera, è quibus hic in vſu frequentior eſt.

Syrupus de chalybe.

R. *ſcoriæ chalybis aqua roſarum præparatæ* ℥ vj. *paſſularum purgatarum* ℥iiij. *macerentur triduo in* ℔ iiij. *aquæ lupulorum, & cichorei, in quibus decies & vltra exſtinctus ſit chalybs, elapſis tribus diebus coque ad tertiæ partis conſumptionem; facta colatura, adde radicis rubiæ & rumicis ana* ℥ ij. *cichorei, fœniculi ana* ℥ jß. *agrimoniæ, capillorum Veneris ana* M ij. *folior. ſenæ* ℥ jß. *Rhabarbar.* ℥ iij. (quæ, ne ab vſu chalybeatorum comprimatur aluus, adduntur) *facta ebullitione & compreſſione adde ſyrupi de duabus radicibus, de cichoreo ana* ℥ ij. *ſacchari* ℔ ij. *fiat ſyrupus.*

Puluis chalybis ſimpliciter præparatus adiuncto lumbricorum polline viſcerum obſtructiones feliciter ſoluit.

Cap. XIII.

De medicamentis, quæ ex chalybe fiunt per calcinationem ignis actualis & potentialis. De varijs croci Martis generibus, oleis, liquoribus, pulueribus, & vitriolo Martis.

Medicamenta igne potentiali confecta magis deobſtruere, actuali parata magis adſtringere.

HActenus de medicamentis chalybeatis, quæ ſine calcinatione præparantur. Hic in primis accurate tenendum, illa, quæ ex crudo chalybe, dum ſubtiliatur duntarat, vel cum aceto, vino ſuccisue herbarum, aut ſalibus appropriatis, præparantur, contra obſtructiones vtiliora eſſe; cætera vero, quę laborioſa calcinatione & reuerberatione fiunt, veluti croci, aſtrictorio vſui magis ſeruire, quamuis ex vſto & quoque modo calcinato chalybe nonnulli vlterius progrediendo eſſentias, tincturas & olea educant, mirifice viſcerum reſerationi & confirmationi conducentia, de quibus paulo poſt.

Medicamenta per calcinationem fiunt ex chalybe, igne potentiali vel actuali.

Calcinatio martis perficitur per mercurium dupliciter, videlic. quando cum eo amalgamatur, vel illi fumanti laminæ chalybis imponuntur.

Calcinatio martis.

Alio modo calcinatur chalybs, cũ laminæ eiuſdem ſtratificantur, cementantur & reuerberantur cum ſale vel ſulphure, vel cum granulatus in aqua forti ſoluitur & præcipitatur.

De crocis martis.

De crocis vero martis quomodo præparentur, quas pro diuerſa præparatione facultates obtineant differentes, & quæ ex illis medicamenta porro eliciantur, potiſſimum erit agendum.

Croci fiũt ſolutione, aut corroſione aquarũ ſpirituumue fortium, vel per actualem calcinationem & reuerberationem. Securius vtimur illis, qui ſola calcinatione abſque ſulphure & ſale ex ferro præparantur, dum adſtringendi incidat indicatio.

Quæ ſolutione & corroſione fortium menſtruorum exſtruuntur, vehementer deobſtruunt ſimulque adſtringendo roborant.

1. *Crocus martis ſimplicior.* Simplici proceſſu talis, qui tamen valde vtilis eſt, paratur crocus. Laminas chalybis tenuiſſimas candentes exſtingue in aceto toties, donec id erubeſcat, cuius cum habueris quantitatem ſufficientem, deſtilla ad remanentiam coaguli rubri in fundo relicti, quod in puluerem ſicca, quē ſi arctè adſtringere voles, per diem in igne reuerberii colloces.

2. *Crocus & oleum martis.* Vel limaturæ martis ℥ j. digeras per noctem in aquæ fortis ℥ viij. deſtilla per alembicū & reſultabit croci ℥ j. Si ex hoc croco oleum conficere propoſitum ſit, affunde ſpiritum vini vulgarem, applicatoque alembico cæco, liquor rubeſcet, quem à fæcib. decantatum deſtilla in B. ad oleoſitatem. Huius guttas octo vel decem mane veſperiq; exhibitas curare hydropem, roborare viſcera, hæmorrhagiam qualemcunque ilico ſiſtere, & ſi vlceribus vulneribuſque antiquis cottidie ter illinatur, radicitus ſanare, aſſerunt.

3. *Crocus ex corroſione ferri.* Corroſione fit crocus martis, ſi aqua fortis ex vitriolo calcinato & ſale communi cum tribus argillæ partib. deſtillata, infuſa cochleari ferreo, lento calore euaporet, ad conſumptionem humiditatis. Hoc pacto efflореſcit crocus fuſcus ex ferri ſuperficie, qui abraſus & collectus, verum epatis reſtauratiuũ, & hydropis prædicatur remedium. An ex ſolo vitrioli vel ſulphuris ſpiritu affuſo ſimiliter eliciatur, necdum tentaui, alios tamen id fruſtra conatos fuiſſe, intellexi.

Oleũ martis ad epatis lieniſq; obſtructiones. Croci martis eſſentia Crolliana admodum videtur probanda. ℞. *ſcoriam ferri cæruleam, tritæ affunde acetum deſtillatum acerrimum per dies quatuordecim, quod rubedine tingitur; abſtrahe in B. & materiā rubeam aqua pluuiali edulcora, quam in arena, modice calcinatam in crucibulo, ſupra marmor ſolue in oleum,* cuius vſus in omni fluxione, & epatis lieniſque obſtructione & debilitate.

De crocis qui per calcinationem in igne actuali conficiuntur. De crocis, qui igne potentiali ſeu per liquorum fortiũ ſolutionem aut corroſionem fiunt, quique deobſtruendi potētia ſimul præditi ſunt, pauxillum vidimus, ſupereſt, vt euoluamus illos, qui ignis actualis calcinatione & reuerberatione præparantur. Vbi obſeruandum eſt, vocabulum *croci* adeo late ab auctoribus ſumi, vt fere pro quouis puluere rubicundo quacunq; calcinatione ex ferro vel chalybe præparato, ſumatur, proprie tamen nomen croci mereri eos, qui reuerberii igne eleuantur, flores puri & ſubtiliſſimi, qui maxima præ cæteris adſtringendi vi pollent,

lent, & in diarrhæis, dyſenteriis, aliiſque fluxionibus peculiariter vſurpantur, atq; externe in vlcerum vulnerumque exſiccatione proſunt. Optimus vero crocus ad internos eſt vſus, qui abſque ſalibus corroſiuis conficitur ex ſola limatura (aliquoties tamen vrina pueri prius aſperſa vel aceto immerſa) per ſe igne reuerberii florificata & eleuata ita, vt corpus graue fiat arte volatile. Præparatio extat apud Beguinum. Ex ferreis enim lamellis ſale cementatis in reuerberio fit ferrum vſtum, eiuſq; potius calx, quam crocus.

Animaduertere hic erit operæ pretium, limaturam martis cum æquali ſulphuris triti parte per quatuor vel quinque horas calcinatam, & interim ſpatula ferrea, vt ſulphur omnino deflagret, agitatam, vim etiã valde aperitiuam obtinere, eamque maiorem, quo minori temporis ſpatio (videlicet ſi per dimidium duntaxat horæ) cum duplo ſulphuris calcinetur.

Alii limaturam martis cum floribus ſulphuris ad rubedinem calcinatam igne reuerberii in tenuiſſimum purpureumq; puluerem deducunt, quem aceto extrahunt, eoque ſeparato affuſione & deſtillatione aquę fontanæ edulcorant, & dein ſpiritu vini digeſtum ſiccant.

Vel acetum quatriduo affundunt limaturæ, quam ſiccatam calcinant in vaſe clauſo per integros quatuor dies, vt exempta materia in exquiſitum pollinem læuigari poſſit.

Aut limaturam igne reuerberii biduo vel amplius aduſtam, & tritam effundunt in aquam fortiter agitandam; quod ſupernatat, tanquam verum florem colligunt: id, quod fundum petit, eximunt, eoque ſimiliter denuo procedunt.

Quomodo ex crocis per actualis ignis calcinationem factis educatur oleũ & liquor.

Cum vero Chymiæ magiſtri olea & liquores ex ipſo Martis croco, cui omnis fluendi potentia ablata videtur, educant, quæſtio ſuboritur, qua ratione, & quomodo id ſit poſſibile. Ad quam reſpondent, ſpiritus volaticos ignibus vrgentioribus demum omnes exſpirare, verum fixos, & in penetrali parte latentes, etiam in croco adhuc hærere, eumq; ad priſtinam naturam reduci poſſe. Experimur tamen, illum crocum, ex quo fortiore ignis vi liquor euocari, aut, qui in humiditatem reſolui debeat, neceſſario immergendum & macerandum aliquamdiu aceto deſtillato, vrina, ſpiritu ſalis, aquis aluminoſis, imo menſtruis, in quibus ſolutum ſit ſal armoniacum, qui clauis eſt metallorum, vt in oleum reſoluatur, quod fideliter poſtea edulcorare oportet. Huius vſus eſt ad alui profluuia, ſi guttulæ aliquot cum oleo nucis muſchatæ exhibeantur.

Tinctura Martis.

Sunt, qui ferrum acribus menſtruis, veluti aceto deſtillato, aut ſpiritu ſalis penetrantiore, & ignis violentia fractum domitumque ſpiritu vini ſæpius affuſo abſtractoque reſoluant, tincturamque eo ipſo auocent,

cent, quæ vlteriore porro deſtillatione in oleiformem contrahitur liquorem.

Non inepte quidem aceto deſtillato vel ſpiritu ſalis abſque interpoſita cum ſalibus reuerberatione, ſæpius & reiterato affuſis, ita attenuãt, vt per ſe eo liqueſcere poſſit. Exempli gratia. ℞. *limaturæ chalybis* q. v. *affunde acetum deſtillatum, digeratur in balneo Mariæ; peracta digeſtione, deſtilletur ad ſiccitatem puluercam, qui affuſo alio aceto digeritur, & deſtillatur denuo, quouſque in imo ſit oleoſitas*, quæ crebra repetitione huius laboris demum comparatur.

Huius vſus eſt in epatis, lienis venarumque obſtructione, atonia, hydrope & fluxionibus.

Liquor Martis. Paratur etiã liquor Martis ex croco ſępius reuerberato & lęuigato, poſitoque in acetabulo albuminis, vt liqueſcat. Vel, crocus cum aqua forti aut aceto deſtillato confectus, & adiecto ſale armeniaco ſepties aut nouies ſublimatus, abſtracto ſale ſoluitur in cella, & aqua dulci eluitur.

Interim notandum, quod illa, quæ per ſales acriores & aquas fortes ex ferro præparantur medicamenta, caute ad vſum internum vocari debeant, cum aptiora ſint ad externa mala, & potiſſimum ad res metallicas tractandas, comparata.

Oleum croci Martis. In cucurbita clauſa ſuper aquas fortes laminam ſuſpendunt, & in arena viginti quatuor horis ponunt, vt crocus è ferro vel chalybe extrahatur, qui aqua calida ſoluitur, filtratur, coagulatur, & per deliquium in oleum conuertitur.

Oleum aliud. Vel chalybis ſcoriæ affunduntur aceti ℥ iiij. aquæ fortis ℥ ij. digeruntur calore mediocri quatuordecim diebus, vt extrahatur rubedo, quod nouo affuſo menſtruo repetitur: ſeparato liquore, relinquitur in fundo puluis rubeus, cui ablutione aquæ aufertur acredo; edulcoratus ponitur in cella, vt per deliquium ſoluatur in oleum.

Tinctura Martis. Alio modo præparatur, ſi Martis limaturam cum ſulphure calcines, donec rubeſcat, deinde per integrum diem reuerberes, aceto tincturam extrahas, eoque ſeparato, puluerem abluas, & per ſpiritum vini denuo extrahas.

Rubeus etiam puluis ex limatura per acetum extractus cum æquali portione ſalis ammoniaci ſublimatur toties, donec colorem rubini acquirat, dein aqua feruenti ſal eluitur, & affundẽdo frigidum ſubſidet in fundo puluis, qui eſt balſamus Martis, reiterata aquæ affuſione edulcandus.

Alii limaturam chalybis in ſpiritu vitrioli ſoluunt, cryſtallos ex ſoluto coagulant, harum vnam partem cum tribus olei ſalis mixtam ſuper calore leni viciſſim ſiccant, poſtea in arena calcinant, donec coloretur: calx hæc in puluerem teritur mortario calido, affuſa aqua ſal eluitur, ſpirituque vini & ſp. ſalis ſeu temperato extractũ ᴜσ eſſentia educitur, ſegregato liquore, extra-

extractum coloris crocei ſoluitur loco humido in oleum.

Puluis rubicundus ex vitriolo martis ad dyſenteriã. Vel vitriolum martis, cuius eadem, quæ cryſtallorũ præparatio & eſſentia, calcinatur in puluerem rubicundum, cuius doſis ℈ ſ. in aqua plantaginis aut vino contra dyſenteriam commendatur. Iſte puluis porro ſoluitur in oleum magnarum virium ad hydropem, icterum, lienoſos, & dyſenteriam.

Sunt, qui chalybis limaturam cõterant in aceto, addita ſalis gemmæ ℥ j. Et deſuper aceti ad ſupereminentiam duorum digitorum affuſione macerant, & exempta limatura aliquoties ſic procedunt, tandemque in oleum per retortam deſtillant, cuius doſis guttulæ ſex cum ſtomachicis, rite exhibeantur.

His fuſius explicatis apparet diuerſas facultates è diuerſis reſultare præparationibus. Quamuis enim ferrea & metallica qualitas naturæ noſtræ minus ſit accommodata & proprietate inimica, & ſiccitas interiorque acrimonia hypochondriorum phlogoſi, & melancholico atque atrabilario, & aduſtis humoribus maxime aduerſa ſit, tamen ſi ſic corrigi, & in doſi tam exigua cum vehiculis conuenientibus exhiberi poſſint chalybeata remedia, vt de obſtructione & contumacis humoris attenuatione plus emolumenti, quam ſiccitate & feruore damni inferre queant, aliquando à methodicis & prudentib. medicis haut inepte aut friuole in vſum accerſuntur.

De recto vſu chalybeatorum medicamẽtorum.

Cap. XIV.

An in præparatione humorum ad purgationem, tenues ſeroſi & bilioſi ſint incraſſandi: negatiua defenditur, & rationes Auicenniſtarũ euertuntur. An præparatio humorũ craſſorum, ſiccorum acriumue etiam fieri poſſit præſidiis externis, balneo, fomentis, vnguentis & exquiſita victus ratione.

PRiuſquam doctrinam de præparantibus medicamentis claudamus, vna vel altera quæſtio eo adprime pertinens erit expedienda. Prima eſt, an humores tenues, quales ſunt ſeroſi & bilioſi, ante purgationẽ ſint incraſſandi. Princeps tam populorum, quam Medicorum Arabiæ, eiuſq; ſequaces cum hypotheſin hanc conſtituerint, craſſa eſſe attenuanda & tenuia incraſſanda, affirmatiue concludunt, ſequentibus inducti argumentis. *Primo cocta, non cruda eſſe purganda*; omnia vero coctione craſſeſcere. *Secundo* bilem acrem temperari frigidis, quib. neceſſario incraſſetur. *Tertio* Tenues pulmonum humores ſpiritu impellente non leuari ſurſum vt rite expectorentur, niſi incraſſentur: Et craſſos tenaceſque difficulter per tuſſim reiici, niſi attenuentur & detergantur. *Quarto* tenu-

In humorum præparatione an tenues ſeroſi & bilioſi incraſſandi.

ium humorum à capite delabentium curſum incraſſatione impediri. *Quinto.* Tandem in bilioſis morbis naturam non initio quo adhuc tenuis & cruda eſt bilis, ſed in fine vigoris, vel principio declinationis, quando coctione facta eſt craſſior, expellere, quem ordinem Medicus imitari teneatur.

Nos, qui contrarium ſentimus, veroque conformius eſſe non dubitamus, ad primum reſpondemus argumentum, *coctionis* vocabulum adeo late interdum ſumi vt & præparationem & coctionem proprie dictam includat. Hæc autem excrementitiæ bili neutiquam competit, quæ ſola qualitatum alteratione, ſi iis naturæ maxime infenſis laboret, beneficio caloris natiui aut medicamentorum præparantium auxilio procurata, contenta eſt, vt expellatur. Proprie dicta coctio vt in ſequentibus demonſtrabitur, bili excrementicię non competit, quapropter illa nō eſt exſpectanda, neq; præparatio ei, quatenus humor tenuis, acrimoniæ & caloris nocentis expers, debetur, quia idcirco humores præparantur, vt ad exeundum ſint paratiores. Talis vero eſt bilis tenuis. Satis autem incongrue loquuntur, cum dicunt, bilem coctione incraſſatam melius expurgari, quod humores coctione non acquirant craſſitiem, ſed illam ſubſtantiæ mediocritatem, cuius beneficio, ſi vię apertæ & liberæ fuerint, facilius eiiciantur. Deinde cum Hipp. dicit, ad purgationem requiri, vt corpora ſint euroa, ſeu fluida, hoc eſt, interprete Galeno, vt meatus & viæ ſint expeditæ & patentes, & humores, qui fuerant craſſiores, & ad fluendum incomparati, tenuiores, nequaquam ſequitur, tenues eſſe incraſſandos. Quamobrem ſi craſſi humores ſunt ſubtiliandi, quo euacuentur, tenues non erunt incraſſandi, vt euacuationi repugnent, minusque trahenti pharmaco obſequantur. Exemplum humoris expectorandi alienius eſt, quam vt huc pertrahi & applicari poſſit. Ibi enim expulſio fit ſpiritus impulſu, ad quam, vt perficiatur, ſubſtantiæ requiritur mediocritas, ne videlicet craſſitie & viſcoſitate adhæreſcente minus cedat, aut tenuitate ſua humor eleuatus relabatur. Purgatio autem perficitur tractione medicamenti, & expulſione naturali per meatus anguſtos, quæ eo felicius peragitur, quo tenuior & mobilior exſiſtit humor. Argumentum à materia catarrhali tenui ex capite deſtillante incraſſanda valde craſſa huc allegatur Minerua. Humores enim à capite torrentius delabentes incraſſantur, vt minus fluant, curſusque & illapſus in pulmones inhibeatur intercipiaturque, qui vero medicamēto per aluum expurgandi fuerint, requirunt attenuationem & ſubtilitatem, vt facilius effluant & educantur. Vltimo Auicenniſtarum argumento, ſatisfactum eſt reſponſione ad primum data.

Reſponſio.

Bilis

Bilis itaque tenuis, ſi non alia naturæ aduerſa qualitate ſit prædita, commode educi poteſt, nulla alia præparatione præuia. Et cedo, quid de ſeroſo humore abundante, qui nulla coctione & præparatione craſſeſcat, ſtatuent? Illumne, quia incraſſari nequit, in corpore relinquent, aut temere fruſtraque incraſſare allaborabunt?

Secunda quæſtio eſt, cum præparatio in viarum, per quas pharmaci vis penetrare, & humores attracti recurſuri erunt, recluſione humorumq; craſſorum attenuatione, glutinoſorum inciſione & deterſione, ſiccorum durorumque humectatione & remolitione, acrium atque erodentium contemperatione, quæ omnia internis plurimum perficiuntur remediis, conſiſtat, an etiam dentur externa, quibus eadem præſtentur præſidia.

Galenus *lib.3. de loco affect. cap.7.* ſe balneis frequentioribus victuq; humido & boni ſucci, nulloq; alio adhibito præſidio, morbos ab humore melancholico, vbi nondum propter temporis diuturnitatem, vacuationi multum reſtiterit, percuraſſe, memoriæ prodidit. In eandem inquit ſententiam Fernel. *lib.3 meth. meden. cap.13.* cum omne corpus vitioſo, eoque craſſo & glutinoſo perfunditur humore, eum nonnulli ante purgationem, balneo perinde atque fomento præparare iubent, quo tamen minime protritentur ſudores, ſed duntaxat emolliatur & colliqueſcat euacuandus humor. Idem ad externa præparantia refert fotum & vnguentum, quibus tandem ſubiungit victus rationem, qui nec ad externa præparantia, nec interna remedia directe pertineat, medicamenti tamen vicem commode explere queat. Huc referri poteſt *aphoriſ.13. ſect. 4. qui ad veratri ſumptionem non facile ſurſum purgantur, horum corpora ante potionem humectanda ſunt vberiore cibo & quiete;* & *lib.5. Epid. ſect.6.* addit aquæ potabilis balneum. De fotu inquit Fernelius, quod ſuo tepore ac vapore per ſpongiam, blande calfaciat partem quamuis, natiuumque eius calorem erigat & ſuſcitet, humores, qui eidem inſident, & impacti conſopitique ſunt, excitet, emolliat, attenuet, colliquet, fluxileſque reddat; vt facile ſequantur, quocunque trahat medicamentum. Hoc præparationis genus diuturnis morbis dicit eſſe accommodatiſſimum, quod tamē in acuti morbi, velut pleuritidis initio Hippocr. vſurpauit, nec calorem, nec fluxionem nouam veritus. Fotui proximam vim dicitur habere vnguentum, at infirmiorem, quod non admodum alte ſubire valeat; & acutis quidem morbis ex eorum genere, quod attenuando & detergendo refrigeret, nec impenſe calfaciat; diuturnis vero valentiora, videlicet fotum & balneum, vtriſque autem aptam conuenientemque victus rationem prodeſſe, & hunc præparandi quo-

que facultate pollere, ſi attenuans detergensque imperetur, & maxime tenuis parceque exhibeatur, aſſerit. Detracta enim de cõſueto cibo portione natiuus calor crudos humores concoquit & abſumit; frigidos vero craſſos & glutinoſos viſceribus aut venis impactos, partim abſumit, partim adeo extenuat, vt etiam ſponte nonnunquam procidant.

A tenui victu itaque medicamentum per omne corpus integris viribus facilius penetrat, & ſinceros minimeque permiſtos humores detrahit. Quo pacto itaque craſſos, lentos, & melancholicos pituitoſosque humores Medicorum optimates, balneo, fotu, litu & attenuante tenuiq; victus ratione, præparare doceant, vidimus, ex quibus elucidatio propoſitæ quæſtionis facile liquet.

Cap. XV.

Humores qualitate peccantes indicant purgationem. Hanc determinant natura vtentis, & humor purgandus. Ad conſiderationem naturæ pertinet intueri temperamentum, ætatem, ſexum, idioſyncraſiam, conſuetudinem, habitum corporis & viſcerum conſtitutionem, vires in acutis & chronicis præſentes & futuras. Quid ſit, & quando conueniat purgatio per epicraſin.

PErſpecta præparantium remediorum ſylua, ordinis ratio requirit, vt ad purgantia deueniamus, vbi examinanda pharmaca, & quid ſit, quod eorum vſum indicet, & indicationem determinet.

Purgationem indicat cacochymia; eſt enim humorum qualitate peccantium euacuatio. Vnde ſequitur, ſana corpora & ſuperfluitatum expertia nõ ferre vſum purgantium, quod ſanas carnes colliquent, & diſturbia inferant; tempeſtiue autem ea adhiberi, cum leuiorib. remediis curatio perfici nequeat, & natura ad cauſam morbificam diſcutiendam vel expellendam non ſufficiat.

Quamobrem corpora cacochymica, ſi actu morbo laborãt, vt ægra; aut in futuram ægritudinem inclinantia, vt neutra, purgationem indicant neceſſariam. Decretum itaque & ratum eſt, prauos humores, & quæ ad vtilitatem naturæ redire nequeant, indicare purgationem ex præcepto Galeni *lib.* 14. *Meth. medic. Omne, quod toto genere præter naturam eſt, & tota ſubſtantia à naturali habitu receſſit, id ſe auferẽdum vel remouendum, ſi fieri poteſt dictitat*, Et *cap. vlt. Quæcunque à naturæ moderatione aliena ſunt, ea tollere conuenit; quæcunque ſub hac ſe tenent, cæterum quodammodo corrupta ſunt, ea reſtituere, quatenus licet, oportebit*. Etiamſi vero cacochymia per ſe ſemper purgationem, ſuique remotionem, ſiquidem aliter ad naturæ benignitatem redire nequeat, indicet, tamen vbi propter

graues

grauès cauſas non ſemper indicata molienda purgatio, aut ſi ea admittenda, quo pacto definienda & perficienda fuerit, ex certis legibus cum conſtare debeat, neceſſum eſt, quæ generalem purgandi indicationem determinent, videlicet coindicantia vel contra indicantia, & ea, quæ modum legemque præſcribant, adiiciamus & reputemus.

Duo ſunt, quæ generalem indicationem purgandi determinant. Natura, & humor purgandus.

Duo autem ſunt ſumma capita, quæ generalem purgandi indicationem certis legibus determinant, videlicet vires ſeu natura corporis, quę virium cauſa eſt & humoris purgandi conditio.

Vires & natura ſemper ſui conſeruationem præſcribunt, quamobrem ſummopere his afflictis purgatio nō conuenit. Reſpectu & conſideratione virium expendenda cumprimis temperamentum & habitus corporis, ætas, ſexus, idioſyncraſia, conſuetudo, morbi & ſymptomata vrgentia, & aer ambiens, pro quorum conſtitutione, plenaria minoratiua, reiterata, parua vel magna, fortis vel remiſſa aut iuxta epicraſin adminiſtranda conueniet purgatio.

Temperamentum.

Temperamentum & conſtitutio media purgationib. eſt maxime conueniens; corpora vero ſicca, frigida macilenta, laxa, rara, mollia aut nimium obeſa ægrius eaſdem ferunt, contra robuſta & laboribus adſueta; vnde Aetius *lib. 1. ſerm. 3. cap. 23.* præcipit, *vtendum purgationibus in his, quibus vires validæ, voluntas prompta, qui ſtomachum robuſtum habent, multamque inutilem in eo materiam colligunt; at pingues & graciles ad purgationem inepti ſunt; Inſuper qui multo ſanguine abundant, quique aſſiduo animo linquuntur & ægre reuocantur, & qui ex leuiſſima occaſione cito vomunt: pueri item & ſenes & mulieres, quib. menſtrua valde fluunt, & qui valde purum corpus habent, qui certam ſeruāt victus rationem, quibus aluus natura adſtricta, vel qui dyſenteria & cæliaca paſſione facile corripiuntur, omnes hi ad purgationem ineptiores vel inepti ſunt.* Hippoc. *lib. de Helleb. vſu* inquit, *valide purgantia non conueniunt decoloratis, ſiticuloſis, flatuoſis, ſiccum tuſſientibus, raucedine laborantibus, hæmorrhagiæ obnoxiis, & qui præcordia diſtenta habent, prauaque vtuntur victus ratione.* Huc pertinet conſiderare an magna crudorum humorum copia adſit cū obſtructione & tenſione hypochondriorum, an horum vehemens calor; vnde Galen. *qui infirmantur ex crudis cibariis, iiſque multis craſſis & viſcidis, diſtentaque & inflata habent hypochondria, quæ ſint immoderate feruida, calida, aut in ipſis viſceribus ſit inflammatio, ij omnes ad purgationem ſunt inepti.* Nec minus ab ægro quærēdum, difficulter moueatur pharmaco purgante, nec ne, dein an duram natura habeat aluum, vel lubricam & fluidā. Illis enim fortiora, his mitiora & benigniora exhibēda. Quamobrem cum corporis temperies tam ſit varia, vt vix duos liceat eadem regula metiri, ſi ita ferat morbi ægriq; conditio, vt pharmaci vſus requiratur, cuiuſcunq; corporis na-

tura prius tentanda lenioribus & explorandа. *Tutius enim purgationem partiri, quam ægrum in præcipitum ducere.* Obiter hic etiam notandum picrochilos,& qui ſenſile os ventriculi habent, diagridiata iniquiſſime ferre, contra vero, qui robuſtiore ſtomacho,nec adeo acrib. referti humorib.

Natura proprietas & idioſyncraſia. Temperamento adſcribuntur naturæ proprietas ſeu idioſyncraſia & conſuetudo. Nam ob peculiarem ſubſtantiæ proprietatem nonnulli valida purgantia facile ſuſtinent, alii lenibus multum offenduntur,alii ſolo odore aut vmbilici illitu ſufficienter purgantur, alii aliis magis delectantur.

Conſuetudo. Conſuetudo purgandi valide purgantia minus infeſta reddit, ideo eos validioribus purgare non oportet, qui purgantibus adſueti non ſunt, niſi natura robuſti fuerint.

Ætas. Ætas ad purgandum optima eſt media,maxime vero inepta ſenilis & infantilis.Quamobrem pueris & ſenibus purgantia exhibere non conuenit, niſi vires conſtent,& magna neceſſitas,magnuſq; ex cacochymia morbus exigat: abſtinendum v. ſemperà validioribus. Purgantia enim vehementiora ſenum debilia corpora ob boni ſanguinis&ſpirituum defectum proſternunt,&puerorum rara corpora diſſoluunt & colliquant. Hi etiam habent inſitam à natura per poros vacuationem, qua non leuem prauorum ſuccorum copiam diſcutiunt, & ſæpe ſine vlla manifeſta vacuatione, per ſomnos, in acutis bonas criſes moliuntur, quæ cauſa eſt, quod ſenibus validiora,quam pueris, conuenire poſſint, quod autem nutrici, vt lac vim purgandi conſequatur, pharmacum exhibetur, pro vacuando puero,id raro ſuccedit, neq; etiam valide purgantia nutrici ſanæ, aut ſenæ,Rhabarbarique diluto fortiora exhibenda ſunt. Pueris manna, & mel roſatum, dilutum Rhabarbari aut ſyrupus diaſereos ſimiliaque ſufficiunt.

Sexus. Sexum quod attinet,virilis ad purgandum aptior eſt, validioraque ſuſtinet pharmaca; aliquando tamen ſecus accidit. Non conueniunt purgantia tempore menſtruationis, aut eo fluxu laborantibus; neque virginibus & viduis caſtis ob ſeminis retentionem & vteri ſuffocationem valide purgantia danda,quod vterus acrioribus facile irritetur. Inter fæminas grauidæ difficulter ferũt purgationes, & id maxime primis vltimiſque menſibus; vnde Hippoc. ait: *quadrimeſtres vſque ad ſeptimum menſem purgabis,ſed has parcius ne fætus ligamenta violenter rumpantur*; ſunt enim primis menſibus tenera & ruptioni magis obnoxia,vltimis autem pondus ipſius fætus exſiſtit grauius. Exhibemus proinde purgantia prægnantibus,in morbis acutis, turgente humore, & vrgente periculo, vt maius malum euitemus,matremq;& ſi fieri poteſt, liberata matre fætui ſalutem vindicemus.

Morbi

Morbi. Morbi ipſi, & ſymptomata vrgentia, vires magnopere debilitantia, vti vehemens dolor, vigiliæ, morſus circa ventriculi orificium, purgationes prohibent aut modificant.

Vires. Virium itaque conſideratio præcipua eſt, quod purgandi modum & vim purgantis remedii non raro præſcribat. Si enim hæ ſatis validæ non fuerint, tametſi magna adſit cacochymię redundantia, nunquam confertim, ſed ſenſim & partito euacuandum, maxime ſi non ſaltem in ventriculo aut primis venis, ſed per totũ corpus diffuſa ſit, vt in cachexia. Et cum praui ſucci affluentia ſemper intemperiem comitem habeat & hæc potiſſima ſit debilitatis cauſa (obiecti enim aut facultatis læſæ vitio generantur ſuperuacua & praua) ſit, vt qui praua vtuntur victus ratione, multiſq; ſcatent vitioſis humoribus, neceſſario debiles habeant vires, & facile exſoluantur, cum propter id, tum quod ſentina prauorum humorum, à pharmaco mota & agitata praui putreſq; vapores in cor, cerebrum & os ventriculi diſpergantur, quodque in his ita conſtitutis calor natiuus ſit languidus parumq; boni ſanguinis & ſpiritus pauci. Adde, quod praui & acres ſucci trãſeundo & peragrando partes ſenſiles dolorẽ mordicando exſoluentem inducant, Hippoc. *ſ.2.aph.36.*

Ægri rebus ſic ſe habentibus potiſſimum conuenit euacuatio per epicraſin. Vbi multitudo materiæ eſt, copioſa requiritur vacuatio, ſed quia vires illam non tolerant, partienda & virtus interim reficienda. Eſt enim per epicraſin purgandi ratio, qua id, quod vitioſum eſt, paulatim euacuatur, & quod ſalubre pro eo in vicem reſtituitur, & conuenit debilibus, conualeſcentibus, recidiuam paſſis, & vbi animi deliquia veremur, hyſtericis, difficulter ſpirantibus, aſthmaticis, ſuffocationis affectibus obnoxiis. *Qualis ſit per epicraſin purgandi ratio.*

Vires conſiderantur in acutis vel chronicis morbis, neq; tantum præſens earundem conſtitutio expendenda, ſed & futura, ſi morbus longus, qualisque ea permanſura ſit. In acuto morbo videndum, quo tenore ad ſtatum peruenire eumque ſuperare natura poſſit. Vnde aliquando partito ſanguis educitur, & pro coctæ ſubactæve materiæ analogia minoratiua datur euacuatio. Hic ſingulariter illud Hippocratis attendendum *lib.1.aphoriſ.3. extremæ vacuationes & repletiones periculoſæ.* *Vires quomodo in acutis vel chronicis morbis purgandi rationem definiant.*

In acutis, vbi magna prauorum humorum peruerſe corruptorum multitudo eſt, quæ citra primariarũ partium intemperiem & magnam virium debilitatem vix exſiſtit, & in chronicis diuturnitate temporis materiæque morbificæ pertinacia neceſſario virtutis oritur infirmitas.

Præſente humorũ prauorum conſpicua multitudine vires debiles purgationem paruam, quæ ſæpe reiteretur, & interim ſui reſtaurationem & cor-

corroborationem æque neceſſariam requirunt. Si mediocris earundem conſtantia amplior, ſed & partita conuenit euacuatio.

In morbis chronicis à craſſis lentiſque humoribus, qui à partium praua diſpoſitione generantur & fouentur, quos ob id neceſſario comitatur euidens debilitas, concoctio non ſimul ſemelque, ſed inæqualiter & per partes perficitur, quamobrē pro ſubacta & digeſta portione materiæ, adæquata partito molienda purgatio, vt onere natura leuetur, & quod reſiduum eſt, diffletur, via ſubactioni melior ſternatur, coctique humores vlterius incraſſari prohibeātur, quod ſecus in acutis, cum virium robore fieri oportet, vbi calidi, acres, vniformes humores vniformem vnamque coctionem, atque ita vnicam expulſionem critice vel arte factam requirunt, quæ cauſa eſt, quod in morbis melancholicis & ſpleneticis exacto principio ſæpe ſit purgandum, teſte Hippocrate *lib.* 1. *de morb. modico*, quod multum educit, non leniente, ſed electiuo ſatis vacuante; cum in acutis raro purgandum, idque diligenti adhibito iudicio faciendum, iuxta *aphoriſ.* 24. *ſect.* 1. ſic in pituitoſis & quotidianis febribus, vbi inæqualiter coquuntur humores, ſæpe & partito educendum. Craſſorum itaque humorum inæqualis eſt maſſa, cuius partes inæqualiter coquuntur, & ad analogiam humoris cocti partito euacuantur.

Huc etiam ſpectat accurate expendere flatulentorum affectuum naturam. Si enim flatus vitio materiæ generantur, recte exhibētur purgantia, ſi facultatis debilitate, diſcutientibus & roborantibus vtendum. Vnde dolores capitis à flatibus, immodica Venere ſuperfluis vacuationibus, aut animi paſſionibus, nō tentandi purgatione. Similiter ſi paſſiones hypochōdriacæ flatulentę, quod facultas debilior reddatur, & flat⁹ augeantur, vbi alioquin leuib. pharmacis humores minus cedunt, & vehementiorib. efferantur, maligniores q; fiunt. Proinde exſanguibus, ſpirituoſis, ſiccum tuſſientibus, lienoſis, flatuoſis, præcordia & latera diſtenta habentibus, ſanguinis eruptiones patientibus, ictericis, ventre debilibus, aurium ſonitu infeſtatis, imbecilles vrinæ meatus obtinentibus, obſcure videntibus, caute & diſcrete danda purgantia. Difficulter etiā purgantur laborantes teneſmo, vlcere & inflāmatione inteſtini recti aut hæmorrhoidibus, vel menſtruo. In ictericis ex obſtructione potius abſtergens & deobſtruens, quam cholagogum, & in nephriticis commodius datur leniens, lubricans, viasque dilatans, quam vehementer vacuans & calculum exagitans. In peſtilentialibus febribus nimium mouere humores malignos periculo non caret, & raro bene ſuccedit.

CAP.

Cap. XVI.

Alterum, quod purgationem generaliter indicatam determinat, eſt humor purgandus. Is coctus, præparatus, vel omnino crudus educitur. Coctionem ſolus ſanguis recipit, ideoque in ijs morbis ante ſtatum nunquam plenarie ſeu eradicatiue purgandum. Cæteri humores ſola præparatione contenti, nulla exſpectata vera concoctione, quam nunquam recipere queant, quocunque tempore, dum vires ferunt, educuntur. Crudi humores quandocunque turgent, ſiue ſanguinei, ſiue excrementii, recte purgantur plenarie.

HActenus quomodo vires generalem purgãdi intentionem determinant, videlicet eam aut inhibeant, aut admittant, & admiſſam definiant; ſupereſt, vt conſideretur humoris purgandi ſpecialis conditio. In genere enim omnis cacochymia, q̃ quorumcũq; prauorum humorum eſt redundantia, euacuationem ſuiq; remotionem indicat, in ſpecie vero quiuis humor, ſiue bilis, ſiue pituita, melancholia vel ſerum, peculiare ſibique determinatum, & ſubſtantiæ certa proprietate conueniens indicat pharmacum.

Quæ in humore quatenus Conſiderantur itaque in humore, primum eius ſpecies, & an ſimplex vel compoſitus; deinde eius ſubſtantia & qualitas, regio & ſitus, & regionis pars, in qua hæret, & tandem motus. *purgationē determinat, conſideranda.*

Humoris autem ſpeciei ſiue vnus, ſiue duo pluresue, ſemper aptanda ſpecies purgãtis pharmaci, & humor redundans ſiue ſimplex, ſiue compoſitus appropriato medicamento expurgandus, bilioſus cholagogis, pituitoſus phlegmagogis, &c.

Duplex in humore cruditas. Ratione ſubſtantiæ & qualitatum humor dicitur crudus: vel quo ad ſubſtantiam & qualitatem ſimul, vel quo ad ſolas qualitates. Cruditas vero illa, qua & iuxta ſubſtantiam & qualitates humor dicitur crudus, eſt ipſius ſubſtantiæ corruptio, videlicet eiuſdem in venis potiſſimum putrefactio, qua ſibi diſſimilis quo ad ſubſtantiam & qualitates reducitur ad eum fere modum, qui in tumoribus præter naturam. Quo ad ſolas qualitates cruditas, quæ hic ratione neceſſariæ præparationis conſideratur, eſt in primis vel ſecundis, vti frigiditate, caliditate, craſſitie, viſciditate, tenuitate, acrimonia, &c. de quibus *ſupra*.

Cruditas ſubſtantiæ & qualitatum vel recipit mutationem ad vtilem naturæque benigniorem ſtatum, vel non. Eam recipiunt humores ſanguinei in venis, videlicet ipſe ſanguis eiuſque partes; non recipiunt cæteri humores, videlicet bilis, pituita, melancholia, quatenus tãtum à ſanguinis natura receſſerunt, vt alimentitię

benignitatis nihil amplius obtinentes, ad recrementitiam conditionem abierint. Sanguis itaque & eius partes putreſcentes per concoctionem & dominium caloris natiui, quod putredinem ceſſare facit, manente ſubſtãtia ad vtiliorem quendam ſtatum reduci poſſunt, vt videlicet pars eius, quæ non plane ſibi diſſimilis ſit facta, ſaluetur conſeruatione humidi in ſicco, reliquum vero, quod integre ſeruari nequit, in humorem puri plegmonarum reſpondentem conuertatur. *Tale venarum eſt excrementum in vrinis ſubſidens, & abſceſſuum puri reſpondens. Fit enim* pus, Galeno teſte, *ex ſanguine in ſemiuitioſam mutationem degenerante.* Nam, quæ mala omnino eſt ſanguinis mutatio, ea cum graueolenti putredine perficitur, contra, quæ bona abſolute & benigna exſiſtit, ea eſt partium corporis nutricatio. Harum autem in medio poſita eſt ſanguinis in pus mutatio, vtpote, quæ nec à naturali tantum, nec ſolo præter naturali perficiatur calore. Vbi obiter notandum alios poſt Galenum non male docere, pus bonum, videlicet leue album & æquale, fieri à ſolo calore natiuo in materiã talem operante, & puris bonitatem ex eo dependere, ſi calor natiuus perfecte dominetur putreſcenti ſanguini, tantumq; ineſſe eidem prauitatis, quantum alieni caloris concurrat. Quod enim ex ſanguine corrupto in parte corporis ſincerum pus, & in venis puri quidpiam reſpondens faciat calor natiuus, id eius robori & bonitati adſcribendum. Quare, vt recte intelligatur Galen. ſciendum, pus fieri à ſolo calore naturali agente in materiam caloris præternaturalis participem: *omne enim, quod putreſcit ſeſe ipſo fit calidius*: deinde pus non ſemper generari ex materia, quæ continetur extra vaſa in tumoribus & vlceribus, ſed & ex ſanguine in venis corrupto, vti Gal. *lib.* 1. *de diff. feb. cap.* 6. & Hippo. *lib.* 1. *de morb. mulier.* docet ſanguinem menſtruũ vltra duos treſue mẽſes in venis ſtabulantẽ febre ſupueniente fieri ſuppurabilem & ſuppuratum concipere. Recte vero diſcernenda pus, ſanies & ichor. Illud fit ex ſolo ſanguine, aut carne (quod hæc ex ſanguine proxime nata & pars ſanguinea ſit) contuſa; vnde pus definitur *ſanguinis corrupti in ſubſtantiam albam, leuem & æqualem beneficio operaque caloris natiui & ſpirituum facta mutatio.* Quantas itaque ſanguis ſanguineęue partes mutationes ad laudabilem vel mediocrem puris generationem vel corruptionem in tumorib. perpetiuntur aut ſubeunt, tantæ totidemq; eiſdem in venis per febres potiſſimũ accidere poſſunt, idq; naturæ ſeu ſpirituũ & caloris dominio, vel oppreſſione, vel ratione benignæ mal gnæve putredinis, aliuſue corruptionis.

Quomodo verum & bonum pus generetur.

Puris definitio.

Cum itaq; ſolus ſanguis illam admittit, quam Hipp. ad purgationem exſpectare iubet, concoctionem, ſequitur, aphoriſmum hunc, quo cocta purgare præcipit, non cruda, intelligendum

Concoctio ad purgationem in ſolis ſanguineis humoribus exſpectanda eſt.

gendum tantum de horum affectuum curatione, qui ex ſanguine ſanguiniſue partibus putreſcentibus oriantur, non vero de iis, qui cęterorũ humorũ vitio nati ſunt, quod nulla naturę vel artis ope ad benigniorem vtilemque corpori ſtatum perduci, nec in pus legitimum, aut ei finitimũ quippiam in venis aut extra eaſdem conuerti poſſint.

Sanguinis in venis duplex cruditas.

Sanguinis autem in venis duplex eſt conſideranda cruditas; alia, cum humor nondum perfectam ſanguinis formam indeptus, ſed citra eundem reſtitum eſt, qualis crudior & pituitoſior eſſe ſolet; aut cum vltra ſanguinis naturam progreſſum, humorque aduſtus & bilioſus factus, atque ita non in medio, quæ ſanguinis boni conſtitutio, bilioſorum & pituitoſorum ſubſtitum eſt: alia eſt ſanguinis ſanguineorumq; humorum putredo in venis, de qua *ſuperius* actum.

Quo pacto humor in venis ſimpliciter crudus vel putreſcens præparari debeat ad concoctionem retro abũde vidimus, vbi pariter ſignificatum eſt, humores præter ſanguinem ſanguineaſq; partes ſolam qualitatum cicurationem & contemperationem, nullam ſubſtantiæ ex concoctione, opera caloris natiui, mutationẽ in melius recipere, vt illis qualitatum naturæ aduerſarum temperatio ad expulſionem, quam celerrime procurata (ſunt enim naturæ maxime infeſti & pernicioſi) ſufficiat. Quid itaque cruditas humorum, qua purgandi occaſionem reſpiciunt, indicet, ex his abunde liquet. *Si enim ea ſit ex putredine ſanguinis ſanguinearumque partium, exſpectanda erit concoctio, niſi materia turgeat. Turgens itaque materia in initio vel cocta in declinatione morbi purganda. Si turget, eodem die purgandum, tardare enim in talibus malum*, quod vires diſſoluantur, & humores huc illucve impetu fluctuantes in partem princpem facile deferantur. Debet autem Medicus tunc potiſſimum expellere ſuperuacua, cum naturam habet expulſioni adminiculantem, quod fit, cum materiam coxit & ſecreuit, vel cum nulla exſpectata coctione irritata à qualitate vel quantitate materiæ ſtatim turget ad expellendũm. Nam neque tunc intendit concoctionem, ſed expulſionem: & ſi inuita ad concoctionem cogatur, quãdo ad euacuationem prompta eſt, turbatur & exſoluitur. Citra concoctionem, vt plurimum, & proprie humores bilioſi acres & maligni naturã inordinate mouent, & turgeſcẽtiam inducunt, deinde poſſunt etiam eandẽ efficere craſſi, frigidi, copioſi, multi, de quib. *paulo poſt.* Vt verum ſit in acutis turgere non tantum humores, qui ſunt partes ſanguinis, ſed & cęteros qualeſcunque; qui tales excitare affectus comparati ſunt. Et vt tenues, acres & calidi turgent in acutis, ſic multitudo craſſorum in chronicis, qui vtrobique euacuationem poſtulant.

Quare turgentibus humoribus purgandũ.

An humore non turgente, neq; etiam plene cocto ante ſtatum aliquando purgare liceat.

Si vero nulla ſit ex humoribus turgeſcentia, conſulto quæritur, an tunc in initio & augmento vſque ad ſtatum purgare liceat? Verum eſt, naturam ab opere concoctionis non eſſe intempeſtiua purgatione auocandam, nec eius ordinem turbandum, quod concoctio, quæ quiete perficitur, materiam initio ſubigat, dein ſeparet, tandemque excernat. Interim tamen accurate tenẽdum, quod vti humori, dum putreſcit, conuenit venæ ſectio, idque in principio, quo euentato calore & materia ipſa, quæ ſanguini miſta, corruptionem ſubiit, ex parte vacuata, natura felicius concoctionem perficere poſſit, ita propter eaſdem cauſas pharmacum purgans initio exhiberi conſultum ſit, quale eſt minoratiuum vulgo nuncupatum, quo mole ſuperflua, iuxta primas venas, viasque, & vlterius in ſecunda regione ſtabulante natura exoneretur, & cum ſemper ſit in actu ſecundo, id, quod ſubactum, & ad euacuationem ſatis præparatum, pro analogia partis & materiæ edomitæ leniter educatur, quod quidem in initio recte, neq; in augmento inutiliter fieri poteſt, cum, quia releuata tẽpeſtiue hac farcina, ꝙ ſupflui reliquũ eſt, facilius euincat, tũ, quod cum Medicus ſemper accurate dignoſcere nequeat, an tales ſanguini mixti ſint humores, qui vere maturari, & in benigniorẽ ſtatum conuerti poſſint; hi, qualeſcunque vacuentur, vt cæteris melius dominetur. Videmus etiam in tumoribus externis non vno eodemque tempore omne pus ſimul gigni, ſed per partes, quæ non inconuenienter partito educũtur. Obſeruandum tñ in affectibus peracutis, & q ex acri ſeruenteq; materia conſtent (dummodo abſit turgeſcentia) quæ vniuerſa ſimul ſemelque coqui poſtulat, cum primis, quia celeriter illi ſua percurrũt tempora vniuerſalia, & velociſſime ad criſin feruntur, & hæc venis incluſa ad criticam ſeruetur expulſionem, præmiſſis initio vniuerſalibus, videlicet competente phlebotomia & minoratiua purgatione naturam non amplius magnopere turbandam, ſed ad concoctionem fideliter iuuandam, eiusque motus diebus imparibus & criticis maxime obſeruandos.

In morbis tam acutis, quã chronicis minoratiuum vtiliter dari.

Quo itaq; morbus acutior celeriuſque vniuerſalia tempora percurrit, eo magis promouenda concoctio & exſpectanda critica euacuatio, ſi generalia in principio rite præmiſſa fuerint. *Quocunque vero morbi tempore vel turgeſcentia, vel multitudo opprimens naturã, vel concoctio elucet, purgare licet etiã humores ſanguineos, cæteros autẽ quocunque morbi tempore, dummodo vires ferant præparatos, quandocunque vires ferant.*

Quid ſit minoratiua purgatio, & quando conueniat.

Eſt autem minoratiua purgatio, qua materia minor redditur initio morbi, conueniens humoribus in ſecunda corporis regione exſiſtentibus, quorum tanta eſt quantitas (ſiue putreſcant, ſiue non) vt timor ſit, ne

natura

natur ſuccumbat [?], & ante integram concoctionem deficiat. Perficitur vero in principio commode, quia *inchoantibus morbis, ſi quid mouendum videtur, moue.* Proinde ſub initium acutorum cõuenit plena purgatio, ſi materia turgeat, quod ex eiuſdem motu & laſſitudine euidenti apparet; vel minoratiua, ſi abſque orgaſmo ſeu turgeſcentia magnũ morbum committat. Vtiliter ita humor ſtatim antequam in partem influxit, vel impactus, & coctio nondum magnopere inchoata eſt, educitur. Sed & accidit interdum in augmento turgere humorem, cum natura ſemicoctum propter malitiam conetur expellere, quod tamen nimia multitudine preſſa nequeat, vel apparere in augmento ſigna concoctionis, vbi turgente vel cocta vel nimia multitudine grauante materia vtiliter minoratiuum exhibetur: quippe quod morb. tunc ratione multitudinis opprimentis vel turgeſcentiæ vicẽ principii, & ratione concoctionis vicem ſtatus gerat. Ex his liquet *aphoriſmum 22. ſect. 1.* intelligi de humoribus ſanguineis, qui veram concoctionem & ſubſtantiæ emendationem recipiũt, quique initio cum turgent vel in fine morbus, quando cocti ſunt eradicatiue expurgantur. Seruantur autem hi ad concoctionem, niſi turgeant, quod per illam, quando initium corruptionis patiuntur ad naturæ vtilem ſtatum reduci, aut ſi eo defecerint, vt priſtinam conditionem recuperare nequeant, nihilominus in puriſſimum quippiam mutari, & dein commode ad expellendum ſegregari poſſint, quod reliquis humoribus non contingit, qui nullo naturæ caloriſque beneficio ſiue putreſcant, ſiue nõ, ad ſubſtantiæ vtilis bonitatem conuertũtur, nec puris aliquam benignitatem recipiunt, & tota ſubſtãtia ac qualitate inutiles, adeoque ab vtilibus ſeparati, non tam concoctionem veram, quam expulſionem expectant, & merẽtur; quam cum natura non intendat, nec Medicus procurare, ſed præparatione adhibita expulſionem moliri tenetur. Hi autem præter ſanguinem humores generãt morbos acutos, vel chronicos, & cũ nullam ſubſtantiæ emendationem recipiant, ſi turgent initio ſtatim; ſi non turgent, præuia ſaltem præparatione, ſiue putres, ſiue imputres, quocunque morbi tempore, dummodo vires ferant, recte educuntur.

Humores ſanguinei nunquam niſi vel turgeant, vel copia naturam opprimant, vel cocti ſint ante ſtatum purgandi.

Humores præter ſanguinem nulla expectata concoctione dum vel turgent, vel præparati ſunt, quocunque tempore in quouis morbo expelluntur.

Quandoquidem vero cum prauorum humorum corruptione & multitudine plerumq; ſit iuncta virium debilitas, per epicraſin euacuatio ſæpius conuenit.

Humorum cicuratio & qualiſcunque præparatio alia eſt à natura, alia ab arte. Illa non ſemper exſpectanda propter humoris copiam, motum & turgeſcentiam, quod multus, tenuis, acris feruiduſque humor ad qualemcunque præparationem vix cõcedat inducias, & continuo expelli poſtulet. Vbi tamen notandum, humores

venenatos, acres vel acutos non adeò vehementibus pharmacis, ſed minoratiuis, aut leniētib. aggrediēdos, ne grauius irritati & commoti moleſtiſſimas & vberrimas pfuſiones fluxuſque excitent. Craſſi terreſtreſque humores, quales in quartanis & tertianis nothis aliiſq; diuturnis febribus exſiſtunt, naturæ & artis fidelem, quā tamen inæqualiter & iuxta partes magis diſpoſitas recipiunt, ſubactionem requirunt, neque initio valide purgantibus, aut iis, quæ ſimul & ſemel omnem euacuāt colluuiem, tentandi & irritandi, vti *ſupra* monitum eſt. Interim etiam aduertēdum, *non tantum turgere humores calidos, acres, ſubtiles, bilioſos, malignos in acutis, ſed & craſſos, frigidos in chronicis*, dum multitudine nimia periculum ſuffocationis minantur naturamque ad excretionem ſollicitant: quæ ſeſe exonerare cupiens variaſq; mutationes tentans, quod nimium grauata & impotens ſit, Medici auxilium flagitat. Ille naturæ ductum ſequi, & inuitam ad concoctionem non debet cogere, ſed ad expulſionem iuuare. Tunc enim hæc cruda non ſunt purganda, quam diu naturæ legibus res geritur; hæc autem ſtimulata materiæ qualitate & quantitate, ſępe iſtum ordinem tranſilit, & ſeſe à ſuperuacuis liberare ſatagens, humores impellit, qui motus arte & auxilio Medici iuuandus & tempeſtiue promouendus eſt.

Quomodo in chronicis purgandum.

In chronicis porro qualicunque apparente materiæ concoctione (late ſic nuncupata) ſeu ſubactione facta, minoratiuo & adæquato portioni ſubiugatæ pharmaco vtendum, quia quicquid factum ſit excrementum, quo diutius fuerit detentum; eo magis lædit, & frequenter accidit deliteſcere in longis morbis ſubactæ materiæ ſigna, quod facultatis onere preſſæ indicium eſt, & graue minatur accidens, niſi præcaueas. Vnde Trallianus inquit, laborandum eſſe, vt humores ad concoctionem perueniant, neque in vetuſtatem tranſire ſinendi, ſed purgandi, quod diutius in corpore detenti ex præſidiis calfacientibus & extenuanbus magis incraſſentur. Etiamſi itaque Galenus morbos ex craſſis humoribus oriundos, quales ſplenici & melancholici, leniter tractare ſuadeat, tamen elapſo primo affectus impetu & tranſacto principio Hippocrates ea exhibere iubet, quæ in exigua quantitate magnam efficaciam & purgandi vim poſſideant, idque paulatim & ſæpius. Multam n. quantitatē natura non fert, & lenioribus humor non cedit; de quo etiam *ſuperius*. Verum, ſi quartana vel morbi melancholici alios ex aduſtione humorum ſequantur affectus, continuo pro virium tolerantia ſufficienter purgare licet. Vltimo videndū, an hi humores cauſæ antecedentis, vel continentis vice fungantur. Si illud, quocunque tempore, præuia præparatione recte educuntur. Stultum enim foret exſpectare, donec in con-

ditionem

ditionem cauſæ continentis morbum amplificaturæ abeant.

Cap. XVII.

Quomodo humorum motus determinet purgationem. Is eſt ad extra, vel intra: ab interioribus ad exteriora irruente humore ſiue malignus, ſiue benignus ſit, nunquam purgandum, dum adhuc eſt in motu. In variolis & morbillis nunquam, in eryſipelate tarde & omnino expulſo, in petechijs, cautiſſime, in ſcabie finito naturæ motu; malignæ ad exteriora, videlicet axillas, inguina pone aures materiæ motus, vti & imperfecte criticus iuuandus. In arthritide materia fluente & dolore ſæuiente, nil mouendum vehementer. Si materia intro fluat, aliquando omnino non purgandum, vt in catarrho ſuffocatiuo; aliquando ſtatim, vt in apoplexia, & angina; aliquando tarde, vt paralyſi. Motus humorum in acutis iuxta dies eſt obſeruandus.

QVo pacto omnis generis humores ratione cruditatis & concoctionis purgationem plenam vel minoratiuam, eiusque exhibendi tempus modumque determinent, examinauimus, reſtat, vt quid motus & ſitus humorum definiant & indicent, diſpiciamus.

Cum de humorum turgeſcentia egimus, oſtendimusque orgaſmum non tantum benignorum & excremētitiorum in acutis, quatenus ſunt tenues & ſubtiles, ſed & craſſorum multitudine coaceruatorum in chronicis, motum quadamtenus expendimus, eo videlicet reſpectu, quo propter acrimoniam & tenuitatem, craſſitiem & viſciditatem, mobiles, immobilesve, adeoque ad purgandum magis minusve diſpoſiti exſiſtant; hic vero ratione motus alia incidit conſideratio nempe quatenus ab intra ad extra, & à nobilioribus partibus ad ignobiliores & contra ferantur. *Quæ in humorũ motu conſideranda.* Ab interiori ad extra tripliciter feruntur humores, ad cutem & articulos, ad habitũ corporis, aut ſaltē à parte nobiliori ad ignobiliorē. Qui ad cutem feruntur, ſunt materiæ malignæ vel benignioris. Vtrobique natura irritata etiam ante concoctionem à membris nobilioribus depellit ad ignobiliora, donec ad maxime ignobilem partē deueniat, quæ eſt cutis. Materia maligna eſt in maculis febrium malignarum, in variolis & morbillis, benignior in ſcabie, eryſipelate, puſtulis, & ſimilibus eruptionibus.

Hic obſeruandum, in nulla cutis defœdatione incipiente, aut ipſo eruptionis impetu ſiue maligna, ſiue benigna ſit materia, vtendum eſſe medicamento purgante. *Humorum motus, quomodo determinet purgationem, vel inhibeat.* Nam oportet permittere naturæ finire incœptum motum, imo ille potius iuuandus cucurbitis

curbitis, frictionibus, aliiſque ex profundo euocantibus, donec naturæ conatus ceſſet, quo tempore, ſi malum vrget, vel purgandum, vel vena ſecanda, ſi vires tolerent, neque ſanguis ſufficienter ſit miſſus, vt eadem releuetur.

In variolis & morbillis nunquã electiue purgandum, in eryſipelate tardiſſime.

In variolis & morbillis, neque initio, neque poſt completum eruptionis tempus, neque vſquam purgandum, quia humores, qui febrem concitarunt, degenerant in variolas & morbillos, quapropter febris ceſſet, licet ex ſuppuratione alia ſubſequatur, non æque tamen vehemens. In Eryſipelate tardiſſime, & non niſi cum plenarie eruperit, purgandum. Eſt enim in his omnibus materia valde mobilis. Si maculæ eruperint febrium malignarum, & poſt earundem expulſum, nihilominus febris valde intendatur, ex remanente poſt eruptionis impetum pernicioſi humoris copia, aliquando, ſed tamen admodũ caute magnaq; cum p̃ meditatione purgationem quãdam admittunt, continuatis nihilominus ad extima frictionib. cucurbitis, &c. Hic tamen accurate diſtinguendum, vtrum maius periculum à venenatæ luis malignitate, an vero ab humorum corruptorum copia impendeat: ſi hoc, omiſſis euidenter vacuantibus, omni conatu alexipharmacis, & quæ ad peripheriam pellant, & expellant viroſam infectionem, incumbendum. Corpus enim purgante pharmaco laceſſere, & commota

In malignis ſtigmaticis febribus, quomodo purgandum.

humorum colluuie malignitatem exagitare, & in principaliores partes magis diſpergere, (*nullum ſiquidem medicamentum purgans proprietate per aluum extrahit malignitatem venenoſam*) imprudentis omnino conſilii eſt.

In ſcabie & materia benigniore ad cutem irruẽte, quomodo & quando pugandum.

In ſcaboſis efflorеſcentiis, licet materia nec maligna, neque febrilis, tamen in principio eruptionis, aut eius motu & impetu haut purgandum. Oportet enim naturam finire cæptũ motum: poſtea quouis tempore purgandum, quia quod remanet, vti indies magis magiſque augetur, ita & vacuari deſiderat, cum nec tota ſimul ſit materia. In his omnibus ad cutem eruptionibus, ſi purges, ex retroceſſu humoris ad intima, oritur lethalis turgeſcentia, reuocato humore prauo ad viſcera, quem natura foras trudebat: tunc enim nec ad aluum protrahitur neceſſario, & turbata natura, permittit illũ fluere in partem quamuis nobilem. Vnde Hipp. *Eriſipelas retrocedere malum*. Quocunque autem tempore fiat eryſipelatis, macularum puſtularumue retroceſſus, alii purgandum ſuadent; quod tamen in variolis & morbillis, & vbi materia eſt venenata, locum habere non poteſt.

In omni motu humorum ad extra periculoſum eſt purgare.

Si materia moueatur ad habitum corporis, vtpote ad cutem, inguina, axillas vel pone aures, eaque maligna fuerit, veluti in peſte, nullatenus purgantis pharmaci vi retrahenda, ſed magis omni conatu foras & ad emũctoria vel loca à natura deſtinata prouocanda

In criticis expulſionibus non conuenit purgatio.

uocādā. Similiter etiā ſi benigna fuerit, vt in criſib. imperfectis (perfectæ n. ſiunt per euacuationē omnis materiæ morbificæ extra corpus) vel aliis à natura ab interiorib. ad exteriora materiæ expulſionibus, vnde in habitu corporis tumores & abſceſſus, motus ille ſtudioſe iuuandus, quodque illi deeſt, ſupplendum, nihilque in ipſo expulſionis actu in contrariū moliendū. Facta expulſione ſi imperfecte natura mouerit, nec omne penitus materiā nocētem extruſerit, quod intus ſupereſt, commode expurgante pharmaco euacuari poteſt. *Quæ enim vergere materia videtur, ducere oportet, viis ac locis ferentibus.* Et, *quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè, nec medicamentis, nec aliis irritamentis tentare, ſed ſinere oportet.*

In motu humorum ad articulos non cōuenit purgatio vehementior.

In motu humorum & fluxione ad articulos & in ipſa dolorum vehementia, etſi ſanguis commode mittitur, nuſquam tamen purgatio tuta, præſertim, quæ calidior, nam & hac humor exagitatur, meatus viæq; aperiuntur, fluxiones & dolores concitantur. Lenioribus autem & minuentibus, quæ paulatim materiam præcidant, vti fas eſt, corroboratione interim facta & materia alio translata. Quod etiam corpore valde pleno faciendum. Vbi notandum, initio adminiſtranda pharmaca, quæ humorem nocentem magis reſpiciunt, in fine vero, quæ vna peculiariter partem affectam cōcernant. Ex quo liquet in articulari affectu non ſtatim in principio artheticis vtendum pilulis.

Atque hæc de humoribus ad exteriora commotis, ſupereſt, vt de iiſdem, cum feruntur ad interiores partes, in quas cum vitæ periculo decumbunt, veluti in angina & pleuritide agamus.

Quomodo humoribus intro & ad nobiles partes motis purgatio adminiſtranda.

Hic ſub initium continuo purgantibus aliiſq; inſtrumentis humorem influentem reuellere & auertere debemus, quod & in luxatis, vulneratis ſimilibuſque caſibus faciendum, ne humor è toto confertim ad partem confluat. Hippo. 4. *acut.* ait, purgandum eſſe vel in morbi principio, priuſquam humores confirmentur in aliqua parte, aut poſtquam ad maturitatem perducti ſunt. Quod enim in parte confirmatum eſt, ante maturationem educi nequit. Sed tamen caute adminiſtranda in frontiſpicio purgantia, ne dum reuellere à parte affecta tentemus, exagitatorio pharmaco eruptionem maiorem & decubitum ad partem affectam cauſemur. Proinde reuulſio, quæ perficitur venæ ſectione, cucurbitulis, ſimilibuſque mediis, ſecurius & fructuoſius adhibetur, cum leni purgante ex *Rhabarbaro myrobalanis* aliiſque, ſic comparato, ne exagitet, ſed ſimulac motum, ebullitionē & curſum materiæ temperet. Eadem ferme ratio eſt in ſuffocāte catarrho, vbi clyſteria quidem acria, nullæ vero purgationes in ipſo paroxyſmo conueniunt. *Obſeruatione enim conſtat, omnes periiſſe, quot-*

In catarrho ſuffocatiuo & paralyſis initio an & quomodo conueniat purgatio.

M quot

quot eod. ſæuiente pharmacum ſumpſerint. Pari ratione in paralyſis initio clyſteria ſaltem adhibenda, niſi quis ex hemiplexia paraplegiam, aut apoplexiam concitare velit. In apoplexia vero, vbi ad cerebrum cõfertim ruit materia, forti purgatione confeſtim & acriter purgante ad reuellendum & euacuandum celeriter eſt opus.

In apoplexia ſtatim fortiter purgandũ.

Quomodo motus humorum in acutis ratione dierũ parium vel imparium obſeruandus & quid indicet.

Ad motum humoris pertinet conſiderare tempus, quo maxime cum impetu fertur morbus, in acutis præcipue & continuis febribus. Hippo. *lib. 4. de morb. cauere iubet à diebus imparibus, ſiue criticis, quibus maxime turbantur & mouentur humores.* Et ſubdit, *in febribus continuis, qui paribus ſiue non criticis dieb. pharmaco purgante vſi ſunt, nunquam nimium purgatos eſſe, eos vero, qui diebus imparibus id vſurparunt, profuſiſſime euacuatos & complures periiſſe.* Eadem eſt ratio temporis paroxyſmi in febribus intermittentibus, excepta quartana expertinacib. & ægre mobilibus humoribus orta, in qua, ſi vires ægri conſtent, non inutiliter ipſo paroxyſmi die, quo humores turbãtur & commouentur, purgatio inſtituitur.

Notandũ.

Cap. XVIII.

Quomodo humorum ſitus purgandi modum determinet. Regio corporis, in quo ſitus eſt, robur medicamenti determinat. Pars vero regionis, niſi per breues & patentes vias cum aluo communicet, reiteratas iubet adhibere purgationes, nec magnas ſenſus exquiſitus, & dignitas partis violentas non ferunt purgationes. Pars nulla vacuanda, priuſquam totum vniuerſaliter purgatum ſit: & habitualiter affecta ſæpe leniterque exhaurienda. Anacephaleoſis eorum, quæ de purgatione vniuerſim dicta ſunt.

Quomodo ſitus humorum purgationem determinet.

PEruentum eſt ad ſitum humorum, vt quæ ex hoc oriantur indicationes, recenſeantur. Humor purgandus ſitus eſt in vna, vel duabus, vel omnibus corporis regionibus; vel in vna aut aliquot vnius pluriumve regionum partibus. Corpus humanum in tres, vulgo, regiones diſtinguitur.

Corpus humanum in tres regiones diſtinguitur.

Prima incipit à gula, inteſtina omnia complectitur, & ad medias iecoris partes extenditur, neotericis 1.
ſentina corporis dicta, quod præter fæces omnis generis excrementicios humores recipit & gignit, vnde ex iis abundantibus & corruptis cacochymia, vt plurimum ſcaturit. *Se-* 2.
cunda regio à medio iecoris ad tenues ſingularum partium venas pertingit, in qua, etſi peculiaris ſit plethoræ ſedes, nihilominus varia quoque ſubinde naſcitur & ſtabulatur cacochymia, eaque blioſa, pituitoſa, ſeroſa, cum vel ſine putredine aut multifaria corruptione. *Tertia* regio 3.
propagines venarum totumq; corporis habitum comprehendit, atque

ea potiſſimum vitia ſuſcipit; quæ à maioribus venis deriuantur. Primæ regioni eccoprotica & è ſelectiue purgantib. mitiora adſignantur; ſecundæ minoratiua, & vbi pertinaces adſunt humores, eorumq; multitudo, efficacior & quodammodo eradicatiua. Tertiæ regioni competunt vehementia, quod leniorum & minoratiuorum vis eo pertingere nequeat, qua de re *paulo poſt* vberius.

Situs autem materiæ quatenus in partibus ſtabulatur, eſt vel in vna, vel pluribus vnius vel diuerſarum regionum, eæq; ſunt vel principales & nobiliores, aut officiariæ, vel minus principales, & vel acuti ſenſus, vel hebetioris, & leuiter affectæ, aut habituali quadam imbecillitate laborant. In purgatione partium id ſtrenue obſeruandum, ne ab aliqua earum peculiarem moliamur eductionem, priuſquam totum corpus æqualiter ſit vacuatum. Deinde tutius à partibus euocantur humores repetitis per epicraſin vacuationibus, quã iis, quæ confertim fiunt, quib. magis ad affectam partem à toto corpore præcipitantur, qua de cauſa etiam in partium, veluti lateris, colli, faucium, inflammationibus partita ſanguinis euacuatio ex ipſo loco affecto ſine periculo exquiſitius educit.

Nulla pars corporis ſpecialiter purganda quin euacuato prius toto.

Partes tutius per epicraſin vacuantur.

Situm partium, quod attinet, ventri propiores, & quæ per amplas vias cum eodem cõmunicant, tuto ſemper purgari poſſunt. Quæ vero diſſitæ ſunt, aut profundius locatæ, vel per exiles anguſtaſue venas cum eodem communicant, nec ſubitam, nec plenam ferunt purgationem, ſed reiteratas & mediocres, quæ cauſam morbificam ex ipſis locis affectis educant, cum magna & vniuerſim ſemel facta purgatio, potius angores, & totius diſturbium, cum animi deliquio committat, quam ex ipſa parte, notatu dignum quippiam educat. Vnde in capitis, pulmonis, thoracis vteri & articulorum morbis, & pertinacibus inueteratiſque obſtructionibus, & melancholicis aliiſque grauioribus affectibus, purgatio repetita, & per epicraſin facta conuenit. Et commode hac ratione perficitur, ſi aliquot ordine diebus detur mediocre pharmacum, naturam non vehementer laceſcens & id, quod inhæret, vel infartum eſt, pedetentim, ſine violentia educens.

Materia in diuerſis partibus ſita, diuerſas nonnunquam requirit purgationes & purgandi modos. Alia enim in ventriculo contenta vomitu commode euacuatur; alia ex inteſtinis per clyſteria; alia in venis potione commodius, atq; alia è capite, pilulis felicius educitur & prout tenuis, turgida, fluxioni idonea vel cocta continuo & plenius, vel prout partim cruda, & partim cocta, vel craſſa, viſcida, quieta ꝓ ratione præparationis partito euacuatur, qua de re *fr*. lati.

Pars, in qua hæret materia, eſt vel è principalioribus, cuius maior dignitas & functio toti communis, vel ſibi

Pars dignior non ſuſtinet vehementes purgationes.

ſibi ſoli ſeruit, quarũm illa confertim factas purgationes non ſuſtinet, hæc autem ęquius tolerat, perinde vt pars hebetioris ſenſus acria, vegetioris autem retuſiora poſtulat medicamina & vacuantia minori doſi.

Particula affectus in hexi vel ſcheſi quid indicet.

Sed & in conſiderationem trahenda conſtitutio particulæ, in qua ſita eſt materia, an videlicet ea ſic affecta ſit, vt continua generatione aggreget humores ſuperfluos. Tunc enim crebro & per interualla purgandum, ne coaceruetur materia, & pars mediocriter vacuata ad temperiem roburque, quantum fieri poteſt, conuenientib. remediis perducatur. Quamobrem in diuturnis capitis affectib⁹, aliiſque, in quibus cottidiana generatione aggregantur humores, ſummopere expetit per epicraſin facta vacuatio.

Anacephalæoſis eorum, quæ purgationem prorſus definiunt & determinant.

Hactenus veram purgandi rationem elicuimus è duobus ſcopis generalibus, videlicet humore purgando & aſſumentis natura, viribusque. Vti enim cacochymia purgationem generice indicat, ſpecialiter vero quilibet humor ſuæ naturæ proprietate conueniens & deſtinatum pharmacum, ita etiam humoris ſubſtantia, qualitas, quantitas, motus, ſitusque; ſi viriũ accedat penſiculatio, omnem purgandi modum determinant & circumſcribunt. Ex quibus omnibus deductum, purgantia alia eccoprotica, alia minoratiua, & alia eradicatiua & plenaria eſſe.

Quando conueniat eradicatiua purgatio.

Plenariam & eradicatiuam purgationem indicant in acutis ſub initium orgaſmus, aut coctio humorum, poſt ſtatum circa declinationem. In cæteris vero diuturnioribus materiæ mobilitas, turgeſcentia, tenuitas, ſitus vicinior, æqualis in vniuerſo conſtitutio & præparatio, ne videlicet vna pars idonea, altera vero imparata, nondum cicurata aut ferox malæque ſit indolis. Eam etiam purgationem requirunt humores maligna qualitate affecti, qui niſi neglecto cruditatis incõmodo, ſtatim expurgentur ſtirpitus, ſubito grauius malum aut internecionem importare ſolent.

Quando conueniat minoratiua purgatio.

Minoratiuam in acutis indicat materia ad coctionem præparanda. Illa enim adminiſtrata, quod reſtat felicius ſubigitur & concoquitur. Niſi vero materia ſit humoris ſanguinei. aut ad vnicam æqualem concoctionem & criticam expulſionem aſſeruetur, quocunque morbi tempore pro analogia præparationis & ſubactionis cõuenire poteſt. In chronicis recte vſurpatur, vbi materię inæqualis eſt ſubactio, præcipue cum humores craſſi, viſcidi, lenti, non vno tempore in quacunque ſui parte recipiunt commodam ad purgãdum diſpoſitionẽ, vel cum in initio pars materiæ alia cruda, alia cocta exiſtit, aut crudorum multitudo turgeſcentiam vel oppreſſionem naturæ infert: aut cum materia quamuis mobilis, tamen nimis feruida, acris & maligna ſit; aut cum eiuſdem pars alia tenuis,

alia

aliæ craſſa, vel alia in motu & turgida, alia quieta. Cum in diuerſis partibus ſita cum magna corruptorum multitudo virium debilitati iuncta; & compendio, vbicunque neceſſaria per epicraſin facienda vacuatio, ibi conuenit minoratiua purgatio.

Eccoprotica duplicia ſunt.

Eccoprotica duplicia ſunt, & vel ſola manifeſta qualitate agunt, & obuia humectando, abluendo, lubricando, extergendo ſaltem educunt, vti *decoctum maluæ, althææ, ficuum*, item *olea, ſerum lactis, aqua hordei, mel.* Aut lubricando, extergendo ſimulq; electiue, ſed blanditer trahendo, paulum vltra primas vias purgant, velut *caſsia, manna, aloe, mel roſarum & violarum ſolutiuum, ſyrupus de ſucco roſarum ſolutiuus; puluis tartari albi eiuſque cremor.*

Quomodo eccoprotica ſenibus & pueris plenarias purgationes præſtent.

Quemadmodum eccoprotica & purgātia mitiora primæ tantū dicata ſunt regioni, & ob id quolibet fere cuiuſcunq; morbi tempore tuto exhiberi poſſunt: & neque vltra eandem vires ſuas extendunt in mediocris virtutis & ætatis hominibus, ita ſenibus & pueris, aliiſque, quibus virium tenuitas, ſufficienter ex ſecunda etiam regione purgant, iiſque pro adæquato, ſi neceſſitas flagitat, pharmaco vſuuenire & conducere poſſunt.

Quomodo corporis cōſtitutio & vires minoratiuam & plenariam purgationem deſignent, & quomodo iuxta has plenaria fiat minoratiua & contra.

Minoratiua vti ſecundæ aſſignata ſunt regioni, ita mediocris virtutis hominibus tuto præſcribūntur, quibus, ſi paulo debilior virtus, ex tertia & vltima regione conſequutione quadam ducūt, vel electiue trahunt. Vti lenitiua primæ regioni, pueris & ſenibus atque infirmioribus, ita vehementiora tertiæ regioni atque robuſtis conueniunt. Et veluti debilibus minoratiua ex tertia etiam regione ducunt, ita vehementiora tertiæ regioni adſignata in robuſtis, qui per ſe difficulter mouentur, & vbi humor craſſus, viſcidusque exſiſtit, haut magnopere vltra ſecundam regionem operantur.

Ex his omnibus liquet, vires corporis, & quæ ad earum conſiderationem adducta ſunt, humoremque peccantem, non tantum purgans pharmacum, purgandi modum, tempus & viam, ſed etiam, ex quo ordine, num leniorum, mediocrium aut eradicatiuorum, conueniens purgantis ſpecies ſit recipienda, indicare, & item, an extrinſecus mouentibus vtendum, videlicet epomphalibus, vel odoramentis certas naturas impellentibus, vel clyſteres, glandes, & ſuppoſitoria applicanda, aut an per os ſumpta ſeceſſum vomitumque mouentia conueniant.

CAP. XIX.

Quomodo in primæ, ſecundæ, & tertiæ regionis cacochymia, vel in ſecundæ & tertiæ cacochymia, aut plenitudine pura vel impura conueniant venæ ſectio & purgatio; & ſi vtriuſque vſus requiratur vltra

præcedere debeat: de ſpeciali item partium cacochymia vel ſuperfluitate eximenda.

Perluſtratis ordine canonibus, qui purgandi rationẽ definiunt, proximum eſt, vt proponamus doctrinã, qua diſquiritur purgatio, an venæ ſectio præcedere debeat, ſi vtriuſq; ſimul incidat neceſſitas. Hic ad humoris ſitum, qua nam in regione, prima an ſecũda hæreat, reſpiciendum. Cum praui humores ſeu cacochymia in prima ſtabuletur regione, ſimulq; ſanguis ſit mittendus, adeo vt vtriuſque remedii requiratur vſus, illa prius leniente & abſtergente pharmaco vacuanda, ne venæ ſectione recrementa in ſecundam attrahantur regionem, quod in febribus præſertim peſſimum eſt.

Quot & quibus modis purgatio venæ ſectionem, & hæc purgationem præcedat.

Si vero maior ſanguinis mittendi vrgeat neceſſitas, vt in iis, qui anginam, phrenitidem, ſtrangulatum patiuntur, qui percuſſi ſunt, vel ab alto deciderunt, continuo propter affectuum vehementiam vena tundenda.

Quando vtriuſq; magna exoritur neceſſitas & affectus ex primæ regionis cacochymia ſit natus primo purgandum, dein ſanguis mittendus, ne ſuperabundans eiuſdem mali deinceps fiat materia.

Humoribus in ſecunda regione abundantibus, plethora erit pura vel impura. Illa eſt ad vaſa, vel ad vires; vtraq; ſola ſanguinis miſſione comminuenda eſt, donec ad mediocritatem deuentum ſit. Impura plethora ex plenitudine & cacochymia mixta, vtrumque vacuationis genus deſiderat, vbi attendendum, an plenitudo cacochymia, nũ vero hæc plenitudine maior, aut vtriuſq; pares ſint copiæ, & num febris abſit, vel adſit.

Si par fuerit plenitudinis & cacochymiæ copia, ita, vt plenitudo ſit bilioſa vel melancholica, primo ſecanda vena. In plenitudine quippe bilioſa venæ reſignatione corpus refrigeratur, metus turbationis & obſtructionis augendæ tollitur, & copia ſanguinis diminuta fœlicior purgatio ſuccedit. Melancholica plenitudo parcius id auxilii genus tolerat, idcoque ſanguis detrahendus, ſed minori copia. Non enim eouſque calida exſiſtit, vt refrigerationem deſideret. Galenus tamen in morbis melancholicis venæ ſectionem præcipit, iubetq; ſanguinem effluentem inſpicere, qui ſi ater & craſſus ſit, multum educere conſulit. In pituitoſa plenitudine omnium minimum ſanguinis detrahendum eſt, quod frigore polleat & ſemper virib. iungatur debilibus, vnde ex venę ſectione cruditas maior. Non igitur adminiſtranda ibi phlebotomia, niſi venæ ſupra modum confertæ graue periculum minentur, eaque tum parce, tum partito, pro virium & diuturnitatis morbi ratione adhibenda.

In pura plethora & plenitudine biliosa & melancholica à venæ ſectione ordimur.

Impura itaque plenitudo quo ſimplici

plici plethoræ propinquior, eo plus ſanguinis mittendum, parcius vero & reſtrictius, quo fuerit impurior.

Eo vſque ſanguis detrahendus, dum plenitudinis pericula vitentur, reliqua impuritati, dein purgatio accommodanda.

In omni itaque impura plenitudine (habita, vti ſupra monitum eſt, ratione pituitoſæ) à ſecta vena auſpicanda eſt vacuatio, quia copia imminuta vis purgantis rectius venas abſque magna humorum turbatione & exagitatione, permeare poteſt.

Si cacochymia plenitudine maior. Si vero cacochymia ſit plenitudine maior, vel ſimplex cacochymia ſine plenitudine fuerit in venis, conſiderandum, an cum corruptione humorum & putredine, atque ita conſequenter cum febre: vel, an cacochymia ſimplex abſque putredine ſine viſcerum magna imbecillitate, & num ex prima regione & viſcerum mala diſpoſitione ortum habeat.

Cacochymiam plenitudine maiorem, vel ſimplicem cacochymiam ſecta vena quidem imminuere licet, qua humores æqualiter prodeunt, & vna eademque, quę antea fuit, humorum proportio remanet, & ſaltem oneris aliquid deponitur, verum potior & conuenientior, & magis adpropriata euacuatio, purgante medicamento perficitur. Sæpe autem cum præceps morbus eſt, cuius materia in venis concluſa vel cruda eſt, vel expeditam non habet viam, per quam facile medicamento purgante detrahatur, eius portionem venæ ſectio promptius, quam purgatio demit, qua frequenter ſæuitia affectus miteſcit, & reliquum natura facilius concoquit. Nullam vero ſinceram cacochymiam venæ ſectio educere poteſt, quamobrem poſtea neceſſario etiam purgatio conuenit.

Quo autem magis inualeſcit cacochymia, eo parcius detrahendus erit ſanguis, vel idcirco etiam, quod vires illam comitētur debiliores; benigniores vero ſæpeq; repetitæ purgationes idoneæ vacuationis vicem ſufficienter complent.

Quomodo in cacochymia admittatur venæ ſectio. Deinde permittitur phlebotomia in cacochymia venarum, cum adeo excreuit, vt vaſa ſupra modum diſtendens pericula minetur, quę ex immoderata plethora impendere ſolent. Sed & vtilis etiam in eadem eſt venæ ſectio, cum vicem reuellentis & impetum ſiſtentis obit, tunc videlicet, quando ex ruptis, exeſis, apertisque vaſis ea proſilit, vel in partem quampiam abſcedit, aut metus eſt, ne vehementius concitata, & quaſi furore corpus exercens in principem quempiam locum deferatur.

Si vero ex impuritate primæ ſit prognata cacochymia in ſecunda regione reſtagnans, aut ex imbecillitate viſcerum ſcirrhove eadem orta, nequaquam venæ ſectio prius adminiſtranda, raroq; in illis caſibus conducit. Quamobrem in his, qui ex iecoris & ventriculi mala diſpoſitione oriuntur morbis, quique eſculentorum & poculentorum vitio proueniunt,

niunt, quod prima regio prius magisque impuritate ſordeſcit, & ex illa vitium in venas & habitũ corporis irrepit, hæc primum expurganda. Hac ratione in cachexia, leucophlegmatia, hydrope, ictero, atque etiã in aliis pleriſq; affectibus, quorum impuritas è iecoris vel lienis vitio toti corpori impertitur, ſola purgatione vacuandum. Etſi enim ſecta vena hic impurus prodit ſanguis, tamen mox impurior alius ex fonte affluit.

In cacochymia primæ & ſecundæ regionis hæmorrhois interna recluſo, quæ eſt ramus venæ portæ, prodeſt.

Quocirca non è riuulis, ſed ex ipſo fonte exhaurienda mali ſcaturigo; verum, etiamſi venæ ſectio in brachio & extremis non conueniat ſordeſcente regione prima, tamen quia venæ portæ maxima pars eo pertinet huius in ano recluſio, morbis melancholicis & bilioſis infeſtantibus, maximopere prodeſt, cum aliqui, licet non per omnia vere, febrium intermittentium & hypochondriacę melancholiæ in hac; continuarum vero & melancholię ex conſenſu totius in caua conſtituant ſedem.

Atq; hactenus de venarum cacochymia, quæ necdum putredine infecta vel corrupta ſic eſt, vt febrim produxerit, quomodo videlicet illi vtilis ſit venæ ſectio, aut purgatio, & quo pacto & ordine alterutra adminiſtranda, reſtat, vt de illa, quæ putredine inquinata febrem continuam, vel intermittentem producit, videamus. Galen. *lib. 11. meth. medend. cap.* 14. inquit, *ſaluberrimum eſt in febribus venam incidere, non continuis modo, ſed omnibus, quas putreſcens humor concitat, vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibent. Leuata namque, quæ corpus noſtrum regit, natura, exonerataque eo, quo velut ſarcina premitur, haut ægre, quod reliquum eſt, vincit.* Itaque proprii muneris haut oblita & coquet, quod concoqui habile eſt, & excernet, quod excerni poſſit. Vt tamen id debite fiat *ſuperius* allegatum in memoriam reuocandum erit, num videlicet cacochymiæ cauſa & origo pendeat à viſcerum vitio & primæ regionis impuritate; & inſpicienda Gal. *lib. 2. de differ. febr. c. vlt.* ſententia, qua adſtruit, quod omnes, quæ per circuitꝰ redeũt, ægritudines ex membrorũ diſpoſitionibus ortum habeant, vnde quartanis cauſam & fomentum à liene, cotidianis à ventriculo, tertianis à iecore ſuppeditari dictitant; Ex quibus liquido apparet, febribus, ſiue in apyrexiam, per certos circuitus deſinentibus, ſiue cum remiſſione & exacerbatione continuis, quod à viſcerum diſpoſitione & impuritate depẽdeat & foueantur, primo purgationem primarum viarum, primæque regionis (niſi aliud quid vrgentius incidat, quod venæ ſectionem celerius ſuadeat) competere, hac tamen obſeruata regula, quod maior neceſſitas phlebotomiæ ſit in febribus cum remiſſione continuis, vbi vacuata regione prima, confeſtim ſanguis mittendus, ſecus, quam in pure intermittentibus, quibus vtilior purgatio, quæque etiam ſine venæ ſectione ſæpe

pe

pe percurantur, conſideratis tamen, & rite omnibus percribratis indicationibus.

In febribus autem pure continuis ex putredine humorum in vaſis maioribus ortis, maxima venæ ſectionis eſt neceſſitas, præſertim cum æſtus & laſſitudo magna, anxietas cæteraque ſymptomata ægrũ vehementer lancinant, vbi, ſi neque nauſea, vel vomitio, neque primarum venarum cruditas adſit (alioquin clyſma vel lenitiuum præmittitur) confeſtim phlebotomia adminiſtranda eſt. Dempta enim plenitudine, calor euentatur, humoris ebullitio & corporis exagitatio ceſſat, quæ ad putredinem inclinabant, vindicantur, putria & inquinata facilius euincuntur, obſtructa citius reſerantur, quæq; ſubacta & maturata ſunt, per conuenientem regionem debito morbi tempore, occaſione apparente educuntur, ita vt ſemper ab illo, quod morbi cauſa eſt, aut ſine quo aliud, nec curare, nec aggredi audemus, auſpicandum ſit. Neque enim febris curari poteſt, niſi euentatio caloris & perſpiratio, & prauarum fuliginum per totum fiat exhalatio. Hæc procurari nequit, niſi expedita obſtructione: obſtructio non aufertur, quin prius humorum multitudo eximatur: ſed iſta venarum abundantia celerius non minuitur, quam venæ ſectione, quæ, vti dictũ, continuo habitũ corporis refrigerat, calorem euentat, copiam minuit, putredinem reſtinguit & vincit, cæteriſque pharmacis deobſtruentibus, maturantibus & purgantibus viam munit.

Quo ordine primæ & ſecundæ regionis ſuperflua venæ ſectione & purgatione methodice eximantur, vidimus, ſupereſt, vt perſpiciamus, quo pacto magna illa præſidia ad tertiæ regionis abundãtiam imminuendam, & demum eam, quæ peculiares inuaſit partes, educendam exhauriẽdamque vſurpentur. Vt tertia regio ſuperfluitatibus laborans, phlebotomia & purgatione rite adhibitis, commode liberetur, contemplanda humoris ſpecies, & habenda duarum interiorum regionum ratio. Si enim illa tertiæ abundantia ex plethora impura ortum duxerit, prouiſione facta in prima, recte adminiſtratur continuo phlebotomia. Maiores enim venæ inanitæ trahunt è minoribus, & hę ex habitu corporis: quod reliquum eſt impuritatum in venis & habitu corporis poſtmodo commode pharmaco purgante educitur, cuius ſubterfugientes & eludentes vim reliquiæ per ductus peculiares, & cutis ſpiracula emouendæ.

Cum vero humor magis cacochymicus, & plerumque prima ſecundaque regio, & ex his viſcera ad habitum corporis cutemque, tanquam partem ignobiliorem ſua relegent & exonerent ſuperuacua, neceſſario primum purgante pharmaco iſtæ duæ regiones ſimul, & dein, ſi opus fuerit,

rit, ſecunda proprie venæ ſectione deplenda. Nihil enim ad tertiæ regionis euacuationem molliendum, ſiue ſuæ ſibi ſuperfluitatis ipſamet fuerit cauſa, ſiue, quod, vt plurimum contingit, ab interioribus eam acceperit, quin primæ & ſecundæ regioni accurate proſpectũ fuerit. Quo peracto datur purgans, quod quantum fieri poteſt, ex habitu corporis generaliter educit, vt dein, quod reliquũ ſit, ſudoriferis aut aliis per ipſas partes peculiariter vacuantibus exhauriatur.

An tuto fiat humorum ad interiora reuocatio ab extremis.

Sed hic exoritur quæſtio, *An tuto fiat humorum ad interiora reuocatio ab extremis*, quo ab ignobilioribus & externis ad interiores paratur recurſus & retractio; &c, *An etiam humor aliquis ex tertia regione & habitu corporis per aluum reduci & euehi poßit*. vbi tenendum, quod, prima & ſecunda regione debite vacuata, & humore non amplius in motu aut fluente cum impetu ad articulos & habitum corporis vel cutem, aut eodem nondum impacto, ſed vel in extremitatibus venarum hærente, aut extra eaſdem adhuc fluxili, ſecure & recte purgans pharmacum vſurpetur. Neque eſt, quod hic obiiciatur Galeni ſententia ex *lib. 4. de ſanit. tuenda*, qua adſtruit, primæ regionis impuritates non eſſe ad ſecundam vel tertiam ducendas, & harum imprimiſque tertiæ non reuocandas ad primam, cum hic de tali reductione agatur, quæ ſimul educat & plane euacuet, pro comperto enim habemus, ea, quæ in habitu corporis conſedere, ſenſibiliter & inſenſibiliter diſcutientibus & euacuantibus fælicius rectiuſq; nunquam educi, quam ſi prima & ſecunda regio debite exonerata, & dein ea, quæ ex tertia reduci poterant pharmaco purgante ſint euocata. Neque hic dubitandum, ex tertia regione quippiam per aluum educi poſſe, cum iuxta Hippo. oraculum *corpus totum confluxile & tranſpirabile*, & frequenter obſeruemus, puſtulas cutaneas & habitus corporei mala veluti leucophlegmatiam, naturæ prouidentia remiſſa per aluum materia, ſanari & diſparere. Nam veluti primæ & ſecundæ regionis ſuperflua ſæpius in habitum, & ad cutem extruduntur, ita etiam ad interiora, in aluum aliquando celeriter conuertuntur, eademq; naturæ vi euacuantur, quemadmodum in muſculorum, abdominis & aliarum partium externarum abſceſſibus pus per aluum euacuari obſeruauimus. Interim animaduertendum, cum tutius à centro ad peripheriam moueantur humores, præſertim ſi partes quædam internæ fuerint male diſpoſitæ, vt in eas humorum agitatorum decubitus ſit extimeſcendus, vel materia ſit malignitatis particeps, aut peſtifera quapiam labe infecta, conſultius eſſe, vt qualicunque primæ & ſecundæ regionis facta, dummodo malum largiatur inducias, prouiſione, omni conatu ad habitum corporis impellamus.

Caco-

Cacochymia, quæ omnes ſimul regiones occupat, vel æquabiliter eas inſedit, vel inæquabiliter. Si per omnes ſimul diffuſa omniumque humorum putredo corpus ex æquo inuaſit, non magni referre arbitrantur Medicinæ proceres, à venæ ſectione vel purgatione vacuatio inchoetur, quanquam tutius fuerit primæ regionis purgationem præmitti. Cum vero inæqualiter cacochymia eſt diffuſa, ea in primis exhaurienda regio, quæ vel vehementius premitur, aut aliis mali initium dedit.

Humorum in parte quapiam ſuperfluitas eſt ſanguinea, vel cacochymica, aut ex his miſta, & vel in fluxu adhuc vel inhæret, vel impacta eſt. Si adhuc in fluxu & ſanguinea ſit, ad q̃cunque corporis partem decurrat actutum, & quo pars præſtantior, eo celerius venæ ſectio tanquam reuulſorium ſimulque euacuatorium remedium adhibenda. Nec enim purgatio tunc, præterquam eccoproticum aliquod (ſi tantiſper cunctari liceat) venæ ſectioni præmittenda, nec poſt illam exhibenda, cum materiæ influentis nihil retrahat educatue, nec à tẽtata fluxione parte eius, quod influxit quidquam euacuet, ſed ad fluendum magis irritet. *Omnium autem internarum & primariarum vel cordi vicinarum partium inflammationi, initio cõuenit venæ ſectio debite adminiſtrata.*

Si ſit humor à ſanguine diuerſus & adhuc in fluxu citatiori, nequaquam conuenit purgatio. Nam ſiue ad articulos confluat, purgatione agitatus athrõs fluet, ſine à cerebro ad pulmones decumbat, abundantius cum ſuffocationis periculo irruet; de cęteris, dum in curſu ſunt, humoribus idem iudicium. Quando vero per venas adfluit materia etiamſi à ſanguine diuerſa, veluti cum in fauces pulmoneſue copioſe ſeroſa irrumpit pituita, periculum non leue interminans, tuto adhibetur venæ ſectio, tanquam præſidium reuulſorium; quam ſẽtẽtiam Crato *in conſiliis* etiam amplectitur. Ceſſante fluxionum motu, materia, ſi qua generalis purgationis, quæ etiam eo directa fuit, vim effugerit, ea in venis extremis, aut partiũ cauitatib. leuiter hæret aut impacta eſt. Quæ in venis reſtitat, ſi ſanguinea ſit, niſi euacuatione generali, qua etiam reuulſio perficitur ſit reducta, ſectione ſpecialis venæ per viciniam deriuatur; ſi non ſit ſanguinea, peculiari euacuatione extrahitur. Nam quod vniuerſalis purgationis vires eluſit & effugit, etiamſi extra venas in partem influxerit, dummodo adhuc mobile nec impactum fuerit deriuantibus educitur, per ductus naturales vel vias manifeſtas medicamẽto comparatas. Quæ in cerebro hærent, errhinis, apophlegmatiſmis, fonticulis, veſicatoriis; quæ in vtero, peſſis; quæ in pectore, eclegmatibus & linctu; quæ in epatis gibba diureticis euehuntur. Si materia fuerit impacta aut pars naturalibus deſtituta ductibus, eaque interna, vel exter-

 na &

na & in corporis habitu, quæ ſenſibiliter & inſenſibiliter per ipſam partem euacuent (prouiſione vti iam ante aliquoties monitum eſt, totius facta: non enim debet pars ante quam totum euacuari) & diſcutiunt adhibenda. Quæ diſcutientium & diſſoluentium vires contemnunt vel ſuperant, metaſincritis, ſcarificationib. rupteriis aliiſque exhauriuntur.

Cap. XX.

Solidis rationibus demonſtratur, nullum humorem corruptum recipere veram concoctionem, præter ſanguinem, & illam in morbis ab huius putredine & vitio natis duntaxat exſpectãdam, in cæteris, quia inemendabilis ſit putredo, humores initio non exſpectata concoctione, quæ nulla futura eſt, ſola præuia præparatione ſtatim purgandos; quid ſit vera concoctio, quomodo perficiatur, & quæ eius conditiones.

CVM multis noua videri poſſit ſentẽtia, & à veneranda antiquitate, in qua tñ vere fundatur, abhorrẽtior, quã de cruditate & coctione & legitima purgandi methodo, protulimus, rem paulo momentoſius excutiemus & contrarium adſtruentes eorumq; opiniones tantum veri ſpecie pictuatas eruderabimus.

Potiſſima cruditas, quæ in humoribus morbificis conſideratur, eſt omnium Medicorum iudicio ipſamet eorum putredo. Hæc eſt in ſanguine eiuſque partibus, vel in reliquis excrementitiis humoribus. Quæ in ſanguine eſt putredo, huic proprie debetur cõcoctio; hac enim ille duntaxat corrigitur, ex quo definitur, quod putredinem ceſſare faciat, manente ſubſtantia.

Dupliciter autem reſtinguit vel inhibet putredinem, videlicet cum ſanguinem non nimis corruptum ad propriam naturam reducit, adeoq; eum ad naturę vtilitatem viciſſim conuertit (cuius rei exemplum demonſtrat Galen. *lib.2.aph.com.*17. in vino corrumpi incipiente, & dein amplius corrupto) aut eum, qui eo defecit, vt ad priſtinam bonitatem naturæque vtilitatem conuerti nequeat, in pus laudabile vel ei finitimum quippiam commutet. Quemadmodum enim in inflammationibus ſanguineis fieri videmus, ita pariter in venis peragi neceſſe eſt, emẽdatur & ſaluatur humor ſanguineus, cùm eſt in via corruptionis aut putredinis, non cum iam computruit. Cæteri vero humores præter ſanguinem excrementitii, quando coctione, quæ caloris natiui dominio perficitur, ad nullam conditionem, qua naturæ ſint vtiles, multo minus alimentales fiant, poſſint reduci, & quantumcunque reducantur, nihilominus tamen plus acquirere nequeant, quam vt ad priſtinum ſuum ſtatum, quo ipſo per ſe excremen-

Duobus modis corruptio ſanguinis inhibetur.

crementitii & qualitate ac quãtitate præter naturales & expurgandi erãt, reuertantur; quid eſt, quod non ante eorum corruptionem & vehementiorem putredinem initio ſtatim euacuemus, priuſquam deterrimam illam ex putore labem acquirentes venenati, exitioſique fiant, & indicibiles perditionis ſuæ qualitates, qua vitæ inſidiantur, induant? *Omnis enim humor in corpore humano, quo magis putréſcit, eo vicinior veneno & naturæ inſenſior euadit*, in primis ille, qui alioquin non naturalis, ſed ſubſtantia excrementitius erat, quique nulla naturæ vi ita poterit ſubigi, vt in puri ſimile quid conuertatur, ſed putreſcens & putrefactus in inemendabiles nulla caloris natiui artiſq; beneficio eluendas noxas faceſſat. Vti enim bilis putreſcens in eryſipelate externo, (*eryſipelatis enim ſuppuratio peſſima*) malum grauiſſimum, & atra bilis putreſcens cancrum, pituita corrupta depaſcentia taliaque infert mala, quæ totius ſubſtãtiæ labem procreat, quomodo iſti humores, ſi in venis putreſcant, neque ante, quam vehementius inualeſcat putredo, educantur, exitiales aut vix ac ne vix eluctabiles efficiant morbos. Vti enim ſolus ſanguis & ſanguinei humores putreſcentes partim ad naturalẽ ſtatũ redintegrantur, partim in puri finitimam naturam reducuntnr, & in abſceſſibus ex ſanguine purum generatur pus, ita putredo cæterorum humorum, nec in externis interniſue partibus, nec in venis vllo naturæ artiſue beneficio pene corrigitur. Quocirca naturam ducem hic ſequi oportet, quæ tales humores in principio etſi crudos, continuo à ſe reiicit, vti in peſtium carbunculis, exanthematibus tumoribuſque, variolis & morbillis, & perniciosarum febrium diarrhæis initio excitatis, videre eſt, in quibus cum nulla coctione eos ſe domiturã ſperet, continuo, antequam putredinis virulentia grauius apprehendantur, qua exitioſiores fierẽt, pu ide eos expellit. Quod niſi Medicus imitetur, certiſſimam ægro perniciem afferet, ſiquidem rei periculũ & vrgens neceſſitas plus valet ad indicandum purgationem, quam cruditas humorum ad prohibendum.

Statuimus itaq;, verã qualis humorib. corruptis accidere poteſt concoctionem ſoli ſanguini ſanguineisque humoribus competere, in eoque, niſi humores turgeant, eam duntaxat exſpectandam, antequam purgatio adminiſtretur, quia illum natura hoc pacto corrigit, & quod emendari nequit, in puri finitimum quid conuertit, idque ſeparat ad expulſionem, in cæteris autem humoribns ſufficere ipſam prauarum qualitatum cicurationem arte caloriſque natiui beneficio procuratam, viarumque, per quas ferantur, reſerationem. Siquidẽ omnis humor excrementicius, velut bilis aut pituita excremẽtitia, iam ante putredinem à ſanguineis humoribus ſegregata, & ad expulſum erat

 deſti-

deſtinata, neque ob id opus habet, vt concoctionem, qua nequaquam corrigitur, quamque nullam vere admittit, exſpectemus. Antequam enim actu fieret morbi cauſa, indicabat ſui remotionem, quocirca cum iam corruptione morbum procreare incipit, continuo eiectionem ſui poſtulat, niſi longiore detentione eum inemendabiles & naturæ inſuperabiles exitioſasque noxas incurrere velimus. Si enim crudioris humoris expurgatione futurum morbum præcauemus, cur non initio, cum morbũ cauſari incipit, antequam longiori mora pernicioſius euadat pari emolumento prudenter foras exturbetur.

Vt autem in præmiſſa doctrina nihil reſtet obſcuritatis, coctionem in genere vel in ſpecie conſiderabimus. In genere definitur à Philoſopho, quod ſit *actio quædam natiui caloris in qualitates, quæ patiuntur.* In ſpecie reſpicit generationẽ mixti, vel modum ſubſtantiæ in mixto generato, & hac ratione definitur ab Ariſtotele *l. b. 4. meteor.* quod ſit *perfectio à calore natiuo ex oppoſitis patibilib. propria, ſcilicet vnicuique materia.* Perficitur autem, cum calor dominatur in materia, & humidum indefinitum ſicco debite permiſcet, totumq; cũ toto, vnit melioris ſubſtantiæ gratia. Fit itaque concoctio, vt noua ſubſtantialis forma acquiratur, vel nouus ſubſtantię modus accidentiumque perfectio. In corporibus vero animatis reſpicit

Quid ſit concoctio, iuxta Ariſtotelem, & quomodo perficiatur.

cruditatem ſubſtantiæ vel qualitatum. Illa ratione eſt *media diſpoſitio inter apepſiam & naturalem mixti corruptionem*, quæ putrefactio dicitur; apepſiæ opponitur velut actus, & ceu perfectio potentiæ & imperfectioni, à qua in actum perfectionis mixtum deducitur, per definitionem humidi cum ſicco opera caloris natiui: putrefactioni vero, quod hæc abſolutam elementorum in miſtis iam concoctis ſyncriſin diſſoluat. In animantibus itaque concoctio duplex eſt; vna, qua reſpicit alibilis ſucci generationem, & in ſubſtantiam corporis conuerſionem, & definitur à Galeno, *eius, quod concoquitur, in coquentis ſubſtantiam mutatio, vel alteratio in propriam eius, quod nutritur, qualitatem*, vel *alimenti in ſubſtantiam animanti familiarem mutatio*; atque hæc propriè eſt pepſis: alia, quæ reſpicit ſucci alibilis iam generati, quando ſubſtantialiter corrumpi incipit, mutationem, ex quo definitur, quod putredinem ceſſare faciat, manente ſubſtantia. Cum itaque ſanguis eſt in via ad corruptionem & ſemiputridus, formamque adeo iam ſuam perdidit, vt ad illam reditus non detur, natura partium calore integre ſuperante, cum nequeat in nutrimẽtum corporis conuertere, mutat in pus, vel ei finitimum quippiam, quod eo laudabilius, quo calor concoquens magis dominatur; & deterius fœtidius magisque putridum, quo is debilior, minusque materiam ſubigit & ſuperat. Quod vero

Quod putredo.

Quomodo Galeno definiatur concoctio.

Pepſis.

Differentia puris & putredinũ ſanguinis. Vero in abſceſſibus putredinum differentiæ reperiantur, tot in febribus putridis humorum conſiderari poſſunt. *Putredo enim in vaſis proportione reſpondet putredini in abſceſſibus, & pus ei, quod ſubſidit in vrinis.* Proinde ſuperante calore natiuo & vi concoctrice venarum putreſcens humor peruenit ad illam mutationem ſubſtantialem, vt fiat quippiam puri laudabili reſpondẽs, concoctum in vrinis ſubſidens, ſin vis concoquens ſit debilis & humor putreſcens, adeo vitioſus & à calore externo affectus, vt nequeat ad meliorem ſtatum virtute naturali reduci, colluuies praua & varia pro materiæ corruptæ ratione oritur, qualis fere in putridis ſordidisque vlceribus viſitur.

Sanguis etiam antequam externo calore ad putreſcendum compulſus eſt, vel ea fuit bonitate præditus, vt computreſcens in pus laudabile conuerti poſſit, vel tali prauitate affectus, vt in pus fœtidum, liuidum, tenue, ſanioſumve mutetur. Proinde, vt in abſceſſibus ſolus ſanguis in pus vertitur, aut verti poteſt, dum calor natiuus dominatur, cæteri vero excrementitii humores in tumoribus præter naturam nequaquam, ita etiam horum neutiquam, ſiue ante, ſiue poſt putredinem coctio exſpectanda. Nec enim in meliorem ſubſtantiam beneficio caloris, vti ſanguis putreſcens abire poſſunt. Quo enim magis putreſcunt, eo naturæ pernicioſiores euadunt, vt vel initio putredinis, vel ante eam contractam confeſtim recte euacuentur, cum eorum corruptio nec arte, nec natura edomari poſſit, minusque curetur, quo amplius inualeſcit. Supereſt igitur conſiderare, an per concoctionem meliore aliquo ſubſtantiæ modo donari poſſint, vbi videndum, an putruerint, necne. Si putredinalem corruptionem contraxerint, vti in externis abſceſſibus, ſic quoque intus nullam emendationem, melioremque ſubſtantiæ modum vix recipiunt, quocirca præparatione præuia continuo educendi. Si non computruerint domitis arte & natura qualitatibus continuo eiici refert, ne putreſcentes grauiora inuehant mala.

Proinde demonſtratum eſt, veram concoctionem competere humoribus ſanguineis, eámque, quæ in ſtatu & peragitur, & in declinatione perfecta eſt, exſpectandam eſſe ad purgationem. Cæteri humores nullum naturę dominium ad ſubſtantiæ mutationem, ſiue nullam cõcoctionem, recipiunt, ſed magis magiſque putreſcentes infenſioreſque redditi ad declinationem non permittunt ægrum deuenire, niſi fere miraculoſa naturæ vi aut diuinitus liberetur.

Cæterum me non fugit, Galenum & Hippocratem adeo late ſæpius extendere vocabulum concoctionis, vt quorumcunque humorum ſiue naturalium & alimentariorũ, ſiue præternaturalium & excrementitiorum quacun- *Quomodo concoctionis vocabulum late excipiatur.*

Tres veræ concoctionis conditiones.

quacunque mala diſpoſitione affecti ſunt, alterationem quandam eo ſignificent. Tamen cum vera concoctio, quam natura molitur, tria requirat, videlicet vt id, quod coquitur, vel in vtilitatem naturæ aut alimoniam cedere poſſit, vel vt alterantis qualitatem (*aſsimilat enim ſibi omne alterans alteratum qualitate vel ſubſtantia*) impreſſam recipiat, vel vt fiat noua humidi cum ſicco definitio & remiſtio vi caloris natiui ad generationẽ nouæ & melioris ſubſtantiæ, ſolus vero ſanguis has conditiones, ſi corrumpatur, ſubire natus ſit, veram ipſi dũtaxat concoctionem accidere, ratum eſt. Nec enim vllus humor *excrementitius aut præternaturalis*, ſic à natura ſubigi poterit, vt euidentem ſolidarum partium ſubſtãtiæ ſimilem qualitatem coctione ſibi impreſſam repræſentet. Bilis cuiuſcunque generis, ſiue in tumore aliquo; ſiue vaſis vtcunque diutine ibi detineatur & elaboretur, neutiquam albicantem, quam à ſolidarum partium virtute & actione referre debebat, ſpeciem vnquam contrahere poteſt. Sic in pleuritide bilioſa flauum non purulentũ prodit ſputum, & ſi puris quippiam remiſtum fuerit, id fieri neceſſum eſt, quod ſanguinis portio ad morbi generationem confluxit, aut ex bilioſo ſanguine ortum traxerit. Idem de cæteris putreſcentibus excrementitiis humoribus iudicium. Nec eſt, quod de pituita excrementitia putreſcente quiſpiam obiiciat, eam coctione in puri finitimum quippiam mutari, quod iſtam ſpeciem non ex ſolidarum partium alteratione impreſſam, habeat, ſed iam ante albicantem & puri ſimilem quandam ſubſiſtentiam habuerit. Bilis ſane flaua & atra quacunque ratione mutentur, dummodo in melius eorum mutatio cedat, nunquam alium, quam quem natura primo obtinent, colorem acquirere poſſunt à partib. ſolidis. Neque etiam vllam nouam coctionis opera mutationem ſubeunt humores excrementitii, qua humidum ſicco ita definiatur, vt noua fiat ſubſtantia, quale pus ex ſanguine generatũ exſiſtit. Tota enim ſanguinis ſubſtantia putreſcens vertitur in aliam prorſus naturæ obedientiſſimam & ſolidarũ partium virtutem ſua qualitate exprimentem, quod aliis nequaquam accidere poteſt. Proinde immotum hoc manet, humores excremẽtitios, dum ſunt adhuc in ſtatu benigniore, nec magnopere putruerint, meliorẽ quandam quo ad qualitates, non vero ſubſtantiã, recipere mutationem, ſeu alterationem, natura vel arte cõparatam. Et hæc alteratio, ſi vocabulum *concoctionis*, quam latiſſime vſurpare velimus, eo ipſo denotari poteſt, cum Galen. & Hip. vrinas coctas, ſputum pulmonis coctum, bilem coctam ſæpe nominent. Etſi enim *omne excrementum refert naturam & idæam eius partis, cuius eſt excrementum*, tamen reuera coctum dici nequit, niſi qualitatem ſolidarum partium vel eius, à

quo

quo excernitur, tranſmutatum exprimat; Tunc autem ſufficienter cicuratum eſt, cum qualitates eius malæ ſunt retuſæ, vt nec liuidum, fœtidum, nigrum, ſpumeum, feruidum, aliaque immoderatione excedens prodeat. *In pleuritide bilioſæ ſputum flaueſcens, quam primum apparere bonum eſt.* Sic obſeruatum, lienis mala nigris vrinis & deiectionibus ſalubriter ſoluta, & febres ardentes deiectionibus bilioſis critice finitas. Recipiunt itaque excrementicii humores non veram concoctionem, ſed aliquando tale naturę dominium cicuratione & temperatione malarum qualitatum, vt commode & ſalubriter eiici poſſint.

Ab huius rei cognitione & intellectu recta purgationes decernendi methodus, dependet, quam, niſi quis arte & vſu obſeruet, turpiter impingat, neceſſe eſt. Si enim quiſpiam per aphoriſmum, quo cocta duntaxat purganda eſſe, præcipitur, quorumcumq; humorum coctionem intelligat & moliatur, ſi videlicet eorum etiam, qui eam neutiquam recipiant, citiusque, quam hanc admittant, hominem interimant, quinimo, niſi in principio, antequam maiorem ex temporis protelatione malignitatem capeſſant, & vires ægri adhuc conſtent, expurgẽtur, certe is ægrum peſſundabit, & in fati vltimi neceſſitatem pertrahet.

Cap. XXI.

Aduerſus Saluſtium Saluianum de cruditate agitur, quæ eius differentia & natura, qui humores ſint dicendi crudi: putredinem in humoribus ſummam eſſe cruditatem: & quam late à Medicis accipiatur cruditas.

Ab hac ſententia venerandæ antiquitatis ſapientiæ & decretis conformi alienus eſt Saluſtius Saluianus *lib. 2. de coct.* Nouam ille de cruditate cõminiſcitur opinionem; eamque definit potentiam propinquam ad actualem putredinem, quæ ortũ ducit à caliditate non naturali introducta in ſanguinem vi obſtructionis.

Cruditas itaque illi conſiſtit in caliditate præternaturali ſanguinis, aut maſſę ſanguineę, quæ ob id fit in proxima potentia ad putreſcendum, & revera ilico, niſi natura & Medicus præueniant, putreſcat. Hanc febris antecedentem dictitat cauſam, humorem vero actu putridum coniunctam eſſe, qui in continuis putreſcat in venis, in intermittentibus extra eaſdem, adeo, vt cauſa antecedens febrium tam continuarum, videlicet humores ſupercalfacti, & in potentia putridi ſint ſemper in venis, putrefacti vero vel in venis, cum febres ſunt continuę; vel extra eaſdem, cum fuerint intermittentes. Febrẽ & calorem pręternaturalẽ in humore putrido accenſum durare aſſerit, do-

nec putrida mâteria plane ſit cōſum- pta inſtar flammæ vigentis, dum ſuppetit ligni vel rei combuſtibilis pabulum.

Ipſum vero humorē putridū nō eſſe proprie crudum, quia id, quod putridum eſt, non poſſit concoqui, aut vlla ratione ad benignitatem naturalem reduci; quod enim concoqui nequeat, crudum dici non debere. Differre præterea venarum putredinem ab hac, quæ eſt in abſceſſibus, quod illa ſit omnino putrida, quamobrem & cruda dici nequeat, hæc vero ſit ſemiputris, ſemimala, recteq; cruda vocetur, quod concoctione in ſubſtantiam quandam mediam inter naturalem & omnino præternaturalem, videlicet pus, perduci poſſit.

Quæ opinio videtur pene tot ſcatere erroribus, quod comprehēditur verbis. Primo enim nullum humorem præter ſanguinem ſupercalfactum recte crudum dici, aut cruditate affici ſtatuit, deinde ex ſola ſupercalfactione iſtam oriri cruditatem; omnem ſupercalfactionem & hinc dependētem putredinem ex obſtructione oriri, febres omnes ex humoribus ſanguinis perfecte putridis naſci. Humorem putridum male dici crudum, quod concoqui nequeat, putredinem venarum maiorem eſſe illa, quæ ſit in tumoribus inflammatoriis, & hanc iſtius ratione ſemimalam.

Ad primi paradoxi euerſionem dicimus, humores alios eſſe alimentarios & benignos, alios excrementitios, alios toto genere præter naturā, & in illis omnibus peculiarem dari cruditatem, quoad qualitatem vel ſubſtantiam. Humores excrementitii quia totius ſuæ naturæ indole reſiſtente non potuerunt in benigniorem aut vtiliorem ſubſtantiam coctione verti, tantum retinuerūt cruditatis, quantum eluſerunt vim caloris, omnia in optimum alimentum mutare conantis, quantumque à boni alimenta liſque ſucci conditione aberrarunt, & differunt. Tota autem ſua ſubſtantia differunt, quocirca illis peculiaria ſunt fabricata receptacula, quibus colliguntur, dum per legitimos ductus naturæ opera elidantur; id enim, quod ſuā ſubſtātia alienum eſt, & in naturę vtilitatem cedere nequit, ſe ipſum aufferendum dictitat. Hi autem humores etſi tota ſubſtantia crudi ſint, tamen ſuos etiam habēt vſus veluti bilis in promouenda fæcum aluinarum excretione, & humor melancholicus in cienda fame, ſerum in deductione ſanguinis in corpus; deinde neceſſario generantur in corpore, quia nullus adeo nobis ſimilis eſt cibus, vt in ſanguineum prorſus humorem, & porro in noſtrā ſubſtantiam plane ſic cōuerti queat, quin in hac mutatione remaneant, nōnulla vim caloris concoquētis nō admittentia, quæ merito ob id cruda dicuntur, & excrementorum conditionem ſubeunt. Non enim crudum eſt duntaxat, quod coctionem rece- ptrurum

De natura cruditatis, & qui humores proprie crudi ſint.

pturum eſt, ſed & id maxime, quod eius opera nō mutatur in benignum & vtiliorem naturæ ſuccum,& in inutilem tranſiuit. Iſti humores, cum qualitates alienas inſuper contrahunt, veluti bilis cum fiat acris, pituita tenuis, craſſa, ſalſa, magis adhuc crudeſcunt, & demum peſſimam extremamq; induunt cruditatem, cum putreſcunt.

Atque vt illi humores excrementitii ex alimentis calore natiuo bene habente & proportionato generantur, & aliquem etiam habent vſum, quapropter natura iis receptacula & vias, per quas debite euacuantur, fabricauit, ita hi, qui præternaturales dicuntur, veluti bilis praſſina, æruginoſa, humor atrabilarius, caloris intemperati, & materiæ vitio prauaque indole generati, nec vſum habent vllum, nec receptacula peculiaria nacti, ſed ſemper mali ſunt, nullaque caloris aut artis opera emendari poſſunt, & ob id, cum primo & per ſe, tum vero, cum putreſcunt, omniũ peſſima & inſuperabili cruditate præditi ſunt. Quomodo vero ſanguis dicatur crudus, videlicet, quod imperfecte coctus nimiumque pituitoſus, vel vltra legitimam coctionis menſuram exuſtus bilioſusque ſit, & demum, cum putreſcat, *ſupra* vidimus. Verum enim vero etſi Ariſtoteli ſpecialiter illa ſaltē dicatur cruditas, quę ex hoc oritur, quod calor imbecillis humidum ad mixtionem debitam ſatis digerere, eiusque ſpumeas, flatulentas & turgidas partes abſumere, & quod reliquum, cum ſicco legitime vnire & determinare nequeat, adeoque ipſi per apepſiam ex calore improportionato ſeu imbecilli & deficiente in qualitates paſſiuas definiatur, tamen Medici cruditatis ſignificationem latius extendunt, atque id, quod coctionis imbecillitate vel errore aut materię vitio in vtilem aut cum primis nutrimentalem humorem verti non potuerit, crudum vocant. Ita omnia coctionis errata ſiue facultatis, ſiue obiecti vitio euenerint, atque tam cachexiam, quæ potius bradipepſię & apepſiæ, quam cacochymiam, quæ dyſpepſiæ fœtura eſt, ad crudorum genera referunt. Vti enim coctio, quatenus ſemen proprolificum producit, generationi inſeruit, & quatenus nutrimentum in animali conficit, & in eius ſubſtantiam aſſimilando conuertit, vt generatum conſeruet, ita in humores generationi aut conſeruationi aptos omnia permutare contendit, vt quod eius in hac re vim & intentionem effugit, merito crudum dicendum ſit.

Ex his concluditur, duplicem eſſe cruditatem, naturalem & præternaturalem. Naturalis cruditas eſt in humoribus, qui ex cibis etiam bonis calore natiuo naturaliter agente neceſſario proueniunt, quod nullum alimentum nobis adeo ſimile, vt vniuerſim, vel in humores alimentarios & ſanguinem, vel in ſubſtantiam no- *Cruditas duplex.*

ſtram integre conuerti queat. *Nihil enim in diuerſam naturam ſimul totum migrare poteſt, & omne alterans aſsimilat ſibi alteratum qualitate vel ſubſtantia.* Ventriculus naturali ſua facultate quæ eiuſdem peculiari temperie & idioſyncraſia certa caloris menſura determinata definitur, ex cibo gignit chylum ſibi qualitate ſimilem & albicantem, ex qua coctione reſultant fæces aluinæ craſſiores: Epar peculiari ſpecificoque temperaturæ tono & commenſurato calore ſanguineum humorem ſuæ ſubſtātiæ ſimilē generat, ex qua coctione bilis cęteraq; excremēta naturalia prodeunt. Et vt *nihil ſubito & non, niſi debitis intercedentib. mutationib. in aliud conuerti poteſt*, ita duę hę concoctiones ſunt propter tertiam & vltimam, quæ in qualibet corporis parte perficitur, nihilque perfecte nutrire, & in corporis ſubſtantiam tranſire poteſt, quod tres iſtas coctiones non pertranſierit, & in qualibet, quod alienum ſit & inutile depoſuerit. Tertia vero hæc coctio, qua nutrimentum in ſubſtantiam nutriti conuertitur, à nutritione, qua continuus noſtræ ſubſtantiæ effluxus & perditio reſtauratur, nihil differt, & per eandem ſubſtantiæ noſtræ regeneratio ſemper in actu ſecundo eſt. Humores, qui vnius ex his tribus concoctionib. operam eluſerint (vitium enim priorum non corrigitur in ſequenti) ita, vt in nulla harum officina aut loco qualitatis vel ſubſtantiæ mutantis contraxerint ſimilitudinē aut proprietatem, reuerà crudi dicendi ſunt. Mitior fere & magis naturalis eſt eorum cruditas, qui non per errorem concoctricis geniti, ſed ex materiæ neceſſitate reſultant: ſed tamen, quod harum trium vim eluſerint, nunquam cum natura in gratiā, vt nutrimētales fiant, redire poſſunt. Sic bilis quoad alterantis qualitatem aut ſubſtātiam, nullam referens ſimilitudinem, ſed huius opera ex materia diſpoſita & inclinante in id, quod eſt, non vero in chylum vel ſanguinē, quod *natura* intendebat, quæ *ſemper præſumit, quod vtiliſsimum eſt, procreatur*, conuerſa, indolis ſuæ vitio omnem coctionis & perductionis in ſtatum meliorem vim elapſa, merito reſpectu trium iſtarum coctionum cruda nuncupatur, quamuis hæc cruditas, cum ex neceſſitate obiecti in optima etiam concoctione generentur iſti humores, pro naturali habenda eſt.

Diſtinguendi proinde humores crudi, qui materiæ neceſſitate, aut eius vitio, aut errore facultatis concoctricis calore diminuto vel intenſo per dyſpepſiam vel bradipepſiam generantur. Illorum cruditas quodammodo naturalis eſt, horum vero, qui errore facultatis aut obiecti improportionati vitio vel labe generantur, grauior exſiſtit, vnde cachexia, cacochymia, & humores præternaturales naturæ maxime infeſti & pernitioſi, quales atra, æruginoſa, porracea bilis, & quæ ex horū cenſu ſunt. Maxima vero & extrema cruditas eſt

Concoctio generationis complementum dicitur.

in humorum putredine. Vti enim concoctio fit propter generationem, vel generati perfectionem & conſeruationem (vnde generationis complementum dicitur) cum natiuus calor humidũ cum ſicco vnit, & quod in illo aqueum, ſpumoſum, flatulentum & inutile, conſumit & digerit, optimeq; elaboratum cum ſicco definit determinatq; & diſſidentiũ cõcordiam & ſymphyſin efficit, adeoq; ſubſtantiam nouam generat, quod perfecta intẽdit coctio, vel certe meliorem ſubſtantiæ modum inducit, quod imperfectioris eſt concoctionis, & quod generauit conſeruat; ita cum ille calor innatus generans & conſeruans mixtum per externum & præternaturalem euocatur, humidũ non amplius ſuo moderatore conſeruatum & συμφύσεων vnitate & vinculo deſtitutum, diffluit, & à ſicco ſeparatur, ſyncriſis horum per naturalẽ calorem hactenus defenſa ſoluitur, ipſa putredo & corruptio rei exoritur, quæ ſumma & extrema cruditas eſt. Concoctioni itaque vti cruditas contraria eſt, ita quod illa procreauit, eiuſque magiſter natiuus calor definiuit, & cõſeruauit, huius vi corrumpitur, ſoluitur & perit, adeo, vt nulla maior poſſit excogitari vel ſtatui cruditas, quam in putredine. Coctione, qua humidum ſuperfluum conſumitur, & quod ad generandam rem vtile, cum ſicco exacte permiſcetur definiturque, omnia craſſeſcunt, naturalem ſubſtantiæ modum, odores, ſapores, cæteræq; naturales proprietates conſequuntur; putredine vero humidum à ſicco ſeparatur & ſyncriſis ex corruptione innati caloris ſoluitur, omniaq; fiunt humidiora, ſubſtantiæ colliqueſcunt prauæ indicibileſque qualitates & fætores putredinis indiuidui comites oboriuntur; Atque hanc affectionem in humorib. Medicinæ magiſtri ſummam cruditatem nominarunt, quamuis vulgo philoſophi eam tãtum ad imperfectam concoctionem referant.

Ex his ſatis liquet, quam barde & barbare Saluſtius Saluianus omnem cruditatem in ſupercalfacto ſanguine poſuerit, cum nec eius qualiſcunque ſupercalfactio inducat protinus cruditatem, ſed vel imperfecta elaboratio, vel exuſtio, aut putredo. Sed nec folius ſanguinis accidens eſt cruditas, neq; vt ille putat, Medicis pro crudo reuera venit, quod quidem nondum coctum, ita tamen comparatum, vt coctionem admittat (ſic enim & chylus ratione chymi crudus eſt) cum ij maxime in humoribus crudi dicantur, qui potiſſimum coctioni aduerſantur, minimeque eius dominium & operationem recipiũt. Cruditas enim Medicis adeo late patet, vt tam id complectatur, quod coctione naturali in naturalem ſtatum perduci poſſit, quam, quod ipſi maxime repugnat, eiuſque & caloris natiui deſtructionem ſequatur.

CAP. XXII.

Definitio putredinis, eiuſque differentiæ: febres generantur, cum putreſcunt humores, non cum putruerint: perfecta putredo in humano corpore abſque partis corruptione, aut vita ſuperſtite non datur: In febribus humores ſecundum partem, non vero integre putreſcunt. De differentiis putredinis humorum in venis & in abſceſſibus.

SEd progrediamur ad cæteras Salviani typhomanias. Ille putridos humores, quamuis febrium coniunctas cauſas, concoqui poſſe negat, ideoque curandi indicationem ex cauſa antecedente ſeu ſanguine ſupercalfacto deſumit. Ait vero, non recipere coctionis benignitatem, quod p[er]fecte putruerint, ſecus, q[uam] in abſceſſib. fiat, in quib. eos coctione eme[n]dari, ſubſtantiæ commoderationem recipere, & in ſemimalum ſtatum reduci poſſe, aſſeuerat. Heic putredinem, qualis humoribus tam naturalibus, quam præternaturalibus, ſiue in venis, ſiue extra eaſdem accidat, vt diſpiciamus, neceſſum eſt. Eſt *Definitio putredinis.* autem putredo *caloris innati ſeu ſymphyti mixtum conſeruantis corruptio ab externo & præternaturali, quo humidũ à ſicco ſuo determinato ſoluitur, ipſumq; perit, & in perfectam, & eam, quæ iuxta partem nuncupatur, diuiditur.* Illa mixtum adeo corrumpitur, & perit, vt ἐξίτηλον prorſus & euanidum fiat, tandemq; nihil præter fimum & terram relinquat.

Hæc, quæ κατὰ μέρος dicitur, viciſſim *Differentia putredinis.* duplex eſt; alia, quando externus calor nõ ita dominatur mixto, vt id integre diſſoluat, nec omne prorſus humidum, ſed partem tantum euocet; cuius plures porro ſunt gradus, prout magis minuſve ille dominatur, alia, qua mixtum quidem totum ſoluitur, & perit, ſed cuius corruptio cũ noua generatione coniuncta ſit, qualis in febribus contingit, in quibus ſanguis putreſcit, ita vt pars tenuior in bilem flauam, craſſior in atram, aut puri ſimitimum quippiam vertatur, qualisve in apoſtematum & vlcerum putredine accidit.

Conſiderandum proinde, an humores corporis humani in vaſis præcipue perfecte vel ſecundum partem putreſcant; Et num febres gignant, cum putreſcant, vel cum putruerint, reſpondeatque putredo venarum putredini abſceſſuum.

Saluianus ſtatuit, humorem putridum generare, fouere, cauſamque continentem eſſe febris putridæ: Humores perfecte putreſcere in vaſis, nullamque recipere concoctionem, quod ſecus fiat in acceſſibus, vbi κατὰ μέρος corrumpantur, & coctione emendationem recipiant.

Febres generantur, cum putreſcunt humores, non cum iam putruerunt. Verum Galenus docet, febrem putridam fieri ab humore putreſcente, nõ vero ab illo, qui iam computruit. Et putredinis rationem (videlicet; quæ

quæ κατὰ μέρος) vti & morbos ex ea generatos in fieri collocat, non in facto, eſſe. Quocirca putredinem definit *mutationem totius ſubſtantiæ putreſcentis corporis ad corruptionem à calore externo ſeu alieno.* Quapropter cum in putredine, fermentatione & ebullitione corruptiua ex calore alieno innatus educitur, febris generatur, iuxta illud Hippocr. *ſect.2.aphoriſ.47. febres & dolores magis accidunt, dum generatur pus, quā eodem iam cōfecto.* Quādo n. putreſcit humor, ſeſe ipſo calidior redditur calore præternaturali, & cū cōputruit euocato naturali & ſymphyto calore, exſpirā eq; externo, ſicciorem & frigidiorē relinquit maſſam.

Definitio putredinis Galeni.

Tempeſtiuum nunc eſt, vt expendamus, an humores in febribus perfecte & omnimodo putreſcant.

Definitio humorum.

Humores ſunt *corpora mixta inanimata in vſum corporis animati ex chylo in epate potiſſimum caloris natiui inſtrumento genita.* Proinde, ſi ſimpliciter conſiderentur, vt myſta totali perfecteq; putredini obnoxii videri poterunt; verum, quia non tantum earum ſyncriſis calore ſymphyto ſeu connato, vnicuique mixto, quatenus homogeneis partibus conſtat proprio, conſeruatur, ſed etiam à calore animati, proprio animæ inſtrumento, qui emphytos dictus, corpori diſſimilium partium principium vegetationis tribuit, cuius participatione vita, & extinctione mors definitur, reguntur, defenduntur, & ad meliorem ſemper ſtatum diriguntur, *raro vel nunquam in corpore humano, quamdiu iſte animalis calor vitam largiens ſupereſſe poteſt, integre putreſcunt.* Perfectam enim putredinem fœtidiſſimis, venenatis, malignis, principium vitale infeſtantem exhalationibus natura nec modico tempore tolerare poteſt. Experimur enim in gangræna externarum partium, niſi id, quod putridum corruptumque fuerit, continuo remoueatur, malignam affectionem ilico per arterias cordi communicari & extremum vitæ diſcrimen afferre; quid fiet, ſi perfecta in vaſis cordi vicinis continuisve excitetur corruptio & putredo?

Perfecta putredo in corpore humano ſine partis corruptione aut mortis neceſſitate dari nequit.

Deinde interiores & principes partes maiori virtute & robore donauit natura, quapropter ea, quæ in venis cordi & primariis partibus vicinis exſiſtunt, magis defendit, propterque viciniam fontis vitæ & caloris natiui ſtrenuius defendere poteſt, quam quæ in exterioribus hærent. Id apparet in ſynocho non putrida, qua ſanguis in vaſis maioribus cordi vicinis excandeſcens, & ebulliens abſque putredine febrim excitat, cum extra venas in partem infuſus aut impactus, ſtatim neceſſario putreſcat. Vaſa ſiquidem cordi vicina & continua, copioſiore & interrupta caloris viuifici irradiatione amplius gaudent, quam partes externæ & remotiores, quibus illa hanc virtutem per exiles extremoſque & graciliores ramos è corde deferunt. Adde, quod *locus ſit locati conſeruatio*, vnde in venis

humores

humores proprii optime conſeruantur. Mirum itaq; videri poteſt, quod Saluianus putet, humores grauiori, imo perfecta putredine per febres in venis, minore autẽ & ſemimala, qualem pus obtinet, in abſceſſibus, corripi, horumq; coctione putredinem euinci, illarum nequaquam. Verum enimuero humores in venis etiam ſuppurari, teſtis eſt Hippoc. *lib.1. de morb. mulieb.* vbi inquit, ſanguinem menſtruum, qui in venis mulierum per duos aut tres menſes ſtabulatur ſuperueniente febri, fieri ſuppurabilem, & ſuppuratum concipere, lucu-lentiſſime omnium explicat Galen. *lib.1. de diff. febr. cap.5. Putredo in vaſis reſpondet putredini in abſceßibus, & pus ei, quod ſubſidet in vrinis*; ex quo ſequitur, pares totidemque fere putredinum in febribus eſſe differentias, quot in abſceſſibus reperiantur. Quocunque igitur loco putreſcit humor, ſubſtantiam mutat, & in materiam eo magis corruptã, naturæ humanæ infenſam aduerſamque abit, quo à calore natiuo minus ſuperatur, aut quo potius ſuperat externus & peregrinus. In abſceſſibus ſi vincat calor externus, humores malignam incurrunt corruptionem oriturque gangræna, ſi calor natiuus paulo magis exſplendeſcat, tenuiorem vel craſſiorẽ fauo melli, ſæuo, ſaniei, alteriue putrilagini ſimilẽ induũt faciẽ, ꝑ conditione materiæ, quatenus ſicco & humido definitur. Verum natura & calore partium integre ſuperante pus optimum gignitur, videlicet album, læue, æquale & mediocris conſiſtentiæ, qualis putredo partem concoctionis obtinet. Eadem non plane ſuperante pus quandoque efficitur liuidum, fætidum, tenue, ſanioſum, quod exiguum concoctionis repræſentat veſtigium.

Non abſimili ratione ſuperante calore natiuo & vi concoctrice vaſorum, putreſcens humor in febribus ad illam peruenit mutationẽ, vt fiat quippiam puri laudabili proportione nõ tantum reſpondens, ſed & melius, quod in vrinis concoctum poſtea ſubſidit. Si vero vis concoquens fuerit debilis, aut humor putreſcens adeo vitioſus, vt nequeat ad meliorẽ ſtatum à virtute reduci, prouenit ſuperfluitas praua & varia, pro materiæ ratione, quæ certam conſiſtentiam, colorem & odorem non habet, ac proinde cruda magiſq; putrida manet. Plerumque virtus adeo debilis nõ eſt, vt nequeat aliquam in humore mutationem facere, vnde ſemiputridum quippiam oritur, nonnihil coctionis exprimens, quod tamen multis modis variatur, prout magis minuſue à virtute & calore partium ſuperatur. Præterea vti vlcera nonnulla ſunt maligna & venenata, ita quoq; humores in vaſis venenatam qualitatem acquirere, & fædam, ſiue ſordidam putredinem naturæ inimicam contrahere poſſunt, quæ quia magis occulta, quam manifeſta qualitate agit, & cor potiſſimum impetit,

in

in vrinis peculiares ſuæ putredinis notas non ſemper exprimit. Tandem accidit per febres ardentes & malignas, quædam combuſtio & aſſatio humorum in venis, & arteriis, calore in igneum alienumq; conuerſo, quæ paſſio ad putredinem vulgo reducitur, nec pro vera combuſtione cenſeri poteſt. Ex quib. omnib. dilucułat, in vaſis nō fieri neceſſario grauiorem, q̃ in abſceſſib. ſemperq; perfectā putredinem, vti vult Saluianus: & grauiorem putredinem, qualem quidem natura in externis tolerat, & adiuta ſæpe ſuperat, in vaſis vita ſuperſtite nequaquam, nedum perfectam ſuſtinere poſſe. Et ſic ex Saluiani ſententia ſtatuentis, in omni febre humores perfecte, non autem ſecundum partem putreſcere, quælibet febris, præcipue continua, cuius materia vaſis incluſa ſit, lethalis foret.

Quæ hactenus de humorum morbificorum cruditate prolata ſunt, ſi ad purgandi rationem applicentur, facile intelligemus illos, qui nullam coctionem recipere aut meliorem ſubſtãtiæ modum acquirere poſſunt (*perficitur enim omnis concoctio vt vel noua ſubſtantia generetur, vel melior ſubſtantiæ modus producatur*) & quo diutius detinentur, maligniores fiant, quales ſunt præter ſanguinem omnes intra vel extra vaſa corruptione morbum cauſantes, quam citiſſime ſola præuia qualitatum qualicunque cicuratione & corporis præparatione expurgandos eſſe. Nec enim nouam vi caloris concoquentis humidi cum ſicco determinationem patiuntur, & quo diutius detinentur, maligniores, nocentiores vitæque magis infenſi & infeſti redduntur.

CAP. XXIII.

Saluiani argumenta, quibus oſtendere conatur, minoratiuas purgationes in initiis & augmẽtis morborum nunquam conuenire, vniuerſim euertuntur, ſolideque oſtenditur, in pluribus affectib. vtiliter, & in his qui à materia inſuperabili multitudine, aut ab eadem indomita & maligna qualitate affecta geniti, & coctionis incapaces ſunt, neceſſario adhiberi.

VEtus eſt ſententia, *dato vno abſurdo, ſequi innumera.* Poſtquam antea defendere & perſuadere conatus eſt Saluianus, omnem cruditatem in ſola ſanguinis ſupercalfactione ſubſiſtere, eandemque febrium cauſam antecedentem, humorem vero putrefactum continentem, hunc porro nullam Medico dare indicationem temere pronuntiaſſet, cum tamen morbi & cauſę continentis eadem ſit indicatio; pergit male collocatis & fundatis hypotheſib. aſſeuerare, nunquam ante finem ſtatus aut declinationem purgandum eſſe, & grauiter peccare modernos practicos, qui minoratiuis in principio vel augmento morbo-

An minoratiua purgatio in principio vel augmẽto morborũ conuenire poſſit.

morborum vtantur. Prima eius ratio eſt talis. *Euacuatio tunc vere bona eſt, cum iſte humor peccans, qui morbum facit, educitur: ſed talis ante ſtatus finẽ vel declinationẽ vniuerſalẽ educi nequit. Ergo, &c.*

Reſpondemus Saluiano ad minorem propoſitionem, quod ipſemet diſtinguat inter antecedentem & cõtinentem proximam cauſam, aſſeuerando, de hac verum eſſe, quod non niſi cocta, euicta ſeparataque educi queat, de illa minime. Stultum enim eſt exſpectare, donec antecedens degeneret in continentem, ſimulq; demum putreſcat & morbum grauiorem faciat. Proinde antecedentem recte tollimus mitiore & minoratiua purgatione in initio, ne continenti pabulum ſuggerat, & tãdem prorſus in eam degeneret, adeoque morbum vel longiſſimum, vel oppreſſis viribus incurabilem faciat.

Sed, vt hæc cauſa accuratius decidatur, & argumentorum à Saluiano productorum ſolutiones dilucidius commonſtrentur, ſequentia ſunt expendenda:

Primo, an humor peccans & morbos febresque committens, ſemper ſit in venis concluſus; & bono ſanguini humoribusque alimentalibus miſtus. Et ſi ita ſit, an eius concoctio ſemper exſpectanda, & morbi ſtatus declinatioque præſtolanda ad purgationem. Deinde, num humores peccantes cuiuſcunque generis qualitate, quantitate, vel ſubſtantia ita ſint comparati, vt concoctionem ſubactionemque & victoriam naturæ recipiant aut exſpectent. Harum quæſtionum operæ precium eſt in medium proferre enodationem.

Humor febrem committens, ſi ſit ſanguis aut eiuſdem pars alimentoſa, ſi in venis concluſus, initiumque putredinis conceperit, & à natura (quam tamen phlebotomia humoris putreſcentis parte detracta, deoneramus & ſubleuamus, vt reliquum facilius ſubigat, quod illa iuxta Gal. ſit humoris putreſcentis remedium, vti purgatio concocti ſubacti vel ſemiputrefacti & ad excretionẽ deſtinati) nihilominus ſic regi, gubernari & ſubigi poſſit, vt caloris natiui opera ſaluetur pars alimentoſa, & ad priſtinum ſtatum reducatur, quodque ad illum reuocari nequeat, iſtam ſaltem conſequatur bonitatem, vt impuri finitimum quippiam exacte elaboretur; cuius laboris vltimus in ſtatu morbi perficitur actus; quomodo edomita & ab vtilib. ſequeſtrata, ſpõte aut leui pharmaco educi queat, ſi, inquã, materia hac ratione ſubactionis & coctionis capax ad vnicã criticã expulſionem, quam natura ſua ſibi recepta & vſitata lege, niſi impediatur & par ſit, molitur, reſeruetur, eidem negotium committendum, nec quicquam tentandum, nec purgatione intempeſtiua in ſuo proceſſu ordinario turbandam, nec à concoctione ad immaturorum expulſum reuocandam cenſemus. Atque huc facit *aphoriſ.* Hippocrat. 22. *ſect.* 1. qui

de-

de humore tali, & ſic conſtituto, prorſus eſt intelligendus. Quid ſi humor peccans vaſis inter alas & inguina poſitis non includatur, & fomentum fomitemq; extra eas à partib. habeat mittentibus; ait enim Galen. *lib. 2. de different. febr. omnes, quæ per circuitus redeunt ægritudines à viſcerum diſpoſitionibus ortum habere*; ſi velut ab iis primigeniam trahant cauſam, ita & foueantur, adeo vt tertiana epatis, quartana lienis, cottidiana ventriculi nutricatu ſuſtentetur, quomodo ad vnicam excretionem eamque criticam ſeruentur humores, qui nec vnica continuataque concoctione vniuerſim euincantur & edomentur.

Quocirca cauſæ antecedentes à viſceribus ad venas ituræ, vt fiant continentes, commode educuntur viſcerumq; praua diſpoſitio eas producens corrigitur, & cum natura non vnica vice omnia, ſed per partes excernat, vt in circuitibus apparet, quid in eadem via inſiſtat Medicus? & heic ad expurgationem antecedentium cauſarum artis & naturæ apparatus concurrens, in cicurandis euacuationi reluctantibus qualitatibus ſufficere poſſunt, iuxta illud Hippocrat. *corpora, ſi quis purgare velit, fluida faciat, oportet*, quod fit, meatus ab infarctu expediendo, & craſſis humoribus attenuatis, cæteriſque lege artis temperatis. Quid porro faciemus, ſi in venis vel extra eaſdem tanta humorum ſuppetat multitudo, vt natura concoctione nõ aggrediatur, vel eandem exorſa, in principio vel augmento priuſquam ad ſtatum peruenire queat, ſuccumbere cogatur. An ibi concoctio exſpectanda, vbi natura nullam tentare audeat, vel perficere poſſit: Quærendum itaque, num præter naturam parte materiæ, quantumuis crudioris initio detracta releuare & iuuare, vt reliquum ſubigat, an vero permittere, vt fruſtra exſpectata concoctione ſub onere inſuperabili pereat? Qua lege, cum humorum domina euadere poteſt concoctionem humorum ante euacuationem, eadem horũ cum iiſdem obruta gemit, & periclitatur, præproperam natura intendit expurgationem & expulſum, quem, ſi ipſamet ſui oblita, vel impotens non molitur, arte fieri par erat. Ita rem geri, ipſimet apud ægros obſeruamus, & à præſtantiſſimis artis noſtræ proceribus, & inprimis apud Aëtium obſeruatum legimus, qui in morborũ principio naturæ ſponte humores exeuntes, minime cohibendos eſſe, dictitat, quod hac portione deonerata id, quod reliquum ſit, facilius euincit. Ex quo patet, cur, qui fluxionum curandarum methodum præſcribunt, tales humores, licet crudos, & in principio morbi fluentes, minime cohibendos eſſe cenſeant, ſed ita moderandum fluxum, vt ſine euidenti virium diſpendio commode eorum magna pars elabi poſſit, ſtatuuntque terminum cohibitionis virium ægri poſtulationem aut debilitatem

Quomodo ratione multitudinis humorum inſuperabilis, qua natura grauatur, in initio vel augmento recte & neceſſario purgemus.

tatem. *Ea enim, quæ in vtilitatem corporis eiiciuntur, nequaquam intus cohibendæ, ſed fluere ſinendæ*, ex Aëtii doctiſſima ſententia. Neque enim, quæ initio contingunt fluxiones aut excretiones continuo puræ ſunt ſymptomaticæ, atque idcirco cohibendæ. Frequenter enim mixtam habent rationem, quippe, quo ad à natura ſuperfluum exonerante fiunt, in naturalibus cenſendæ, quatenus autem initio extruduntur, ſymptomatici cuiuſpiam rationem habere poſſunt, ſi itaque multitudine grauata natura vtiliter in principio partem humorum euacuat, vt quod reſtat ſuperare, atque ipſametad ſalutem eluctari poſſit, quidni recte idem faciat eius miniſter & imitator Medicus? Maior demum eſt neceſſitas ſub initium ægritudinum purgandi, cum natura à multitudine humorum ſic premitur, vt orgaſmum, & ex alia in aliam partem propulſionem concitare, adeoque hoc ſigno dato Medici auxilium cõtinuo poſtulare nequeat. *Quando enim turget natura humoribus tantum ſuperat roboris, vt eos impellere poßit*, ſicubi recte eiicere detur, quãobrem Medicus in auxilium venire tenetur, cum vero tanta mole premitur, vt eos nequaquam incitare poſſit, eam celeriter proſtratum iri, niſi ſtatim releuetur, in confeſſo eſt.

Atque hactenus, quomodo ratione multitudinis humorum ſæpe in initio vel augmento neceſſario purgatio inſtituenda ſit, excuſſimus: nũc videndum, qui humores eam, quam Hippo. requirit concoctionem ante purgationem, recipere poſſint. Stultum enim foret, eam exſpectare in iis, quibus contingere nequeat. Hanc autem ſolam ſanguis eiusque partes alimentales in venis putreſcẽtes admittere nati ſunt; cæteri ab eo diuerſi nullo naturæ caloriſue beneficio hũc perduci poſsũt, vt alimenti benignitatem capeſſant aut in puri finitimũ quippiam vertantur, quam conditionem natura requirit, ſi vere ſubigere, concoctione emendare & ad expurgandum digne comparare debeat, quod *ſupra* ſatis ſuperq; demonſtratum eſt. Sanguinem vero eiuſque partes, quod attinet, etiamſi ſolus hanc dictam recipiat concoctionem, tamen ita conſtitutus adeoq; deprauatus eſſe poteſt, vt in vtilem humorem verti, aut in id, quod naturæ victoriam referat, ſubigi nequeat. Frequenter autem putredo in ſanguine ita corrigitur, vt caloris natiui opera, quædam pars ad priſtinam vindicetur integritatem, & alia item, quæ id gratiæ recipere nequeat, in puri conſimile quid mutetur, fiatque naturæ dominio ad legitimam expulſionem obediens; aliquando tantum præualet putredo & corruptio, vt nulla vi ad ſynceritatem reduci, ſuperariq; poſſit, ſed in olidam, fætentem ſanioſamq; colluuiem faceſſat, vnde febres morbique lethales, niſi initio celeriter occurſum & prouiſum fuerit.

Humoribus, qui primus bona concoctionis & ſubactionis ſunt incapaces, in initio & augmento minoratiua vel maior purgatio conuenit.

Humo-

Humores præter ſanguinem excrementitii ſiue in venis, ſiue extra eaſdem tota ſubſtantia & qualitatib. ſunt crudi. Harum tamen quidam dum ad legitima eunt receptacula, commodeque ſuo tempore per ordinarias recedunt vias, licet in alimoniam ſubſtantificam verti nunquam poſſint, tamen naturam male non afficiunt, niſi quantitate excedant, aut improba qualitate vel putredine inficiantur.

Tales vero ſunt bilis flaua folliculo, & humor melancholicus lieni deputata, & cerebri ventriculi inteſtinorumque pituita & ſerum. Cæteræ vero humorum ſpecies veluti bilis porracea, praſſina, æruginoſa, Iſatodes atra, pituita vitrea, ſimilesque ex corruptione per dyſpepſiam geniti ſiue putridi, ſiue imputres, non tantum ſimpliciter ſunt crudi, ſed naturam ſemper male afficiunt. Ex his quicunque putreſcens febrem inducit, vti nimis crebro ipſi Medici cum formidine intuentur, & ægri magnis anguſtiis experiuntur, nulla naturæ vi ad benigniorem ſtatum reduci poteſt, & quo ante putredinem longius à naturali ſtatu receſſit, eo virulentior & infenſior eſt illa corruptionis ratio, quæ tantum abeſt, vt coctione corrigatur vel emẽdetur, vt quo diutius detineatur humor naturam vireſq; magis proſternat, eneruet, ſoluat, ſpiritus inficiat, ipſeq; acrius inſoleſcat & ferocietur. Quemadmodum videmus in externis tumoribus humorem atrabilarium in ſcirrho per ſuppurantia ita efferari, vt cancri virulentiam inducat, & qui cancrum generauit, partem, cui inſidet ita corrumpere, vt ſine eiuſdem ablatione nullum aliud detur remedium: & bilem acriorem in eryſipelate exulcerato nunquam beneficæ ſuppurationis gratiam recipere; ab atra bile autem dyſenterias eſſe lethales, ſic ſane in venis iſti humores computreſcentes nullo caloris natiui molimine, aut virtute, eo perduci poſſunt, vt vel in puri finitimum quippiam, quod in vrinis ſedimentum poſtea conſtituens puri ſalutarium vlcerum reſpondeat, vertantur; longius enim detenti inſolentiores ſunt, & quo magis putreſcunt, eo ad malignitatis & veneni naturam proximius accedunt. Quæ etiam cauſa eſt, quod natura in affectibus ab iſtis humoribus ortis tempora vniuerſalia ex actione caloris natiui in cauſas morbificas orientia, nullatenus certa definire queat. vel enim coctionem non aggreditur, vel continuo ad expulſum prauitatis ſtimulatur, ſemperque in ordine & lege, quam alioquin ſeruare ſolet, turbatur, præcipitatur. Quis heic, dummodo hilum prudentiæ poſſideat, coctionem, quæ nunquam adfutura ſit, & pro qua certiſſima mors impendeat, exſpectet? Quis non, dummodo recte agere induxerit, experiatur, vt initio magnam prauorum partem pro virium tolerantia expurget, antequam inemendabilis

& venenata putredo inualeſcat? Hic itaque, ſi vſpiam regula locum habet, *Initio, ſi quid mouendum videtur moue.* Neque n. vlla cruditas tm̃ valet ad prohibendum, quantum exſpectatio concoctionis, & cunctatio ad purgandum, inferat detrimenti. Hic in principio cruda, quoquo modo vires ferant, dummodo aliquid perferant, purganda, & anceps periculum potius ſubeundum, quam permittendum, vt ſine ope & auxilio, quod ſub initium ſubminiſtrari poterat, exſpectata coctione nunquam ſucceſſura, æger in fata concedat.

Ex his omnibus apparet, *aphor.* 22. *ſect.* 1. intelligendum de iis morbis, in quibus natura ſua lege & ordine abſque perturbatione & præcipitatione agere poteſt, & quorum tales exſiſtunt cauſæ, quæ eiuſdem actionem & ſubactionem, & coctionem recte nuncupatam recipere ſuſtineãt, quæque vniuerſim in venis incluſæ ad vnicam criticam expulſionem poſt ſtatum referuentur, quas cũ coctas ſecretas & exeretioni deſtinatas, niſi natura expellat, tempeſtiue tunc Medicus aggrediatur.

Quibus ſic excuſſis, qui nerui aut vires ſint argumentorũ Saluianorũ, facile liquet, cumque horum primo ſatisfecerimus, ad ſecundi, quod eiuſdem farinæ eſt, ventilationem deuoluimur. Eſt autem tale: *Tunc optima erit euacuatio, cum naturam habuerimus adiuuantem; ſed hoc non contingit, niſi in vltima parte ſtatus: Ergo tunc ſolum erit purgandum.* Minorem probat eo, quod in principio & augmento humor bonus & malus ſint miſti, eoſque tunc natura coquere intendat, in quo opere, ſi turbetur exhibito pharmaco tantum abeſſe, quod natura talem iuuet purgationem, vt etiam eandem prohibeat: tractu vero temporis, ſi videat, ꝙ humor bonus ſit coctus, & malus coqui nequeat, illũ tanquam noxium & excrementum ſeparari à bono & expelli: Quamobrem, ſi tunc exhibeatur remedium, habere nos adminiculantem naturam.

Secundi argumenti à Saluiano adducti ſolutio.

In propoſitione argumenti Saluiani, non negamus, optimam tunc fieri purgationem, cum naturam adiuuantem habemus. Atqui illa nõ ſemper exſpectat concoctionem materiæ, ſed ſi nimio onere preſſa, eam aggredi nequeat, initio magis expulsũ & liberationem expetit & iuuat, q̃ impoſſibilia ſubactionis tentet. Sed & verborum, quibus vtitur Saluianus, improprietas & contrarietas notanda venit. Perſuadere conatur, in declinatione idcirco vacuandum eſſe, quod cocto & ſecreto humore naturam iuuantem habeamus, dicitque, humorem bonum malo miſtum eſſe, illum coqui, hunc ſubigi nõ poſſe, ideoque ad expellendum ſecerni. Atqui, Saluiane, ſi malus ille humor coqui nequeat, expurgandus non erit, quia, vti vis, *cocta purgare oportet, non cruda.* Falſum vero dicis, cum ideo humorem malum ſecerni aſſeris, quod coqui

coqui non poſſit, cum maxime ideo ſecernatur, quia natura illum coxit & ſubegit. antequã enim concoxit, rite ſecernere non ſolet, ſi ſua lege rem gerit. Valde etiam improprie humorem bonum coqui dicis; iſte enim coctione non indigebat, quia bonus, neque morbificæ cauſæ materia erat.

Si vero ita velis, quod humor iſte ſit bonus, qui coctione ad vtilitatem redire poſſit, malus, qui non; nihilominus ille, qui tibi malus nuncupatur, coctionem & ſubactionem & benigniorem ſtatum ſubire tenetur, dummodo rite & ſine moleſtia per pharmacum educi debeat. Quid ſi largiamur, ſyllogiſmum tuum concludere, iuxta 22 *aph. ſect.* 1. eo ſenſu, quo *ſuperius* interpretandum eſſe cõmonſtrauimus, videlicet vt intelligitur de morbis, quorum materia vniuerſim venis incluſa ad vnicam poſt ſtatum euacuationem reſeruetur, tamen multas tibi etiam inſolubiles inſtantias cottidiana practicantium rationalis & recepta obiiciet conſuetudo. Primo: ipſe ais, naturam nos non habere ad perficiendam euacuationem adiuuantem, niſi materia ſit cocta. Atqui cum illa nunquam ſit otioſa & ſemper in actu ſecundo, tam in principio, quam in augmento, erit aliqua pars cocta, quæ analogico minoratiuo ſine omni diſpendio benigne detrahi poſſit, quo tantum abeſt, quod natura turbetur, vt etiam eo ipſo releuata, reliquum fælicius coquat, & ſtatum ſuperet. Atqui ſi cocta recte purgamus, ſi tunc naturam vacuationi adminiculantem habemus ex tuopte, Saluiane, ratiocinio, in principio vel augmento vtiliter, dummodo cum prudentia fiat, purgamus. Deinde in principio ſi multus adſit humor, naturam premens; non tantum vtiliter, ſed & neceſſario purgamus, quia ni ita faciamus, verendum, ne in opere ſubactionis ſuccumbat & ſuperetur. Proinde recte eam in principio ab imminente periculo vindicamus, quo coctionem, quam necdum magnopere aggreſſa eſt, haud turbamus, & totam curationis telam porro ſecurius pertexìmus, quam ſi eidem, de qua incertum, num auxilio hoc deſtituta eluctari poſſit, nec ne, omnia fortunæ committamus.

Demum quid ſi *ſupra* allegatas rationes reducamus, quibus compulſi neceſſario in initio purgamus, cum morbi cauſa ex materia præter ſanguineos humores praua, indomita, maligna, cuius non tam intendat natura prolixam & ordinariam coctionem, quam celerem cõtinuo expulſionem, quod in plurimis fieri affectibus videmus, cum multitudine & prauitate humorũ laceſſita, magnam molitur ſub principio vacuationem vt cæteris melius dominetur? *Nihil* enim *paruum criticum eſt*, & ſi quid notatu dignum in frontiſpicio reiiciatur, nec pure, nec vere ſymptomaticum protinus exſiſtit. Cæterum ſi

iiſdem

iiſdem præſeruamur, quibus curamur, & præſeruatio ſit cauſæ propemodum factura morbum vacuatio, cur non æque tuto eandem in initio morbi vacuamus, quam paulo ante eius inſultum crudam recte educimus?

Tertii argumenti diſcuſſio.

Sequitur tertia Saluiani argumentatio: *Humores, dum coquuntur, non ſunt mouẽdi, quod agitatio impediat cõcoctionẽ:* cui reſpondetur; ſi humor ſit quietus nec irritet magnopere, & concoctionem recipere, ipſeque æger cum viribus ad ſtatum perſiſtere poſſit, & ad vnicam excretionem criticam materia coquatur & ſeruetur, procedere argumentum, (fatemur enim, *coctiones in quiete, purgationes motu potius perfici:*) alioquin in principio ex materia per purgationem commota, ſed valde imminuta, plus commodi accedet naturæ ad ſuperandum, quam ex retentione eiuſdem in quiete, cum propter multitudinem aut peruerſam qualitatem indomita ſit.

Quarti argumenti Saluiani repulſio.

Quarto opponit, *naturam non vacuare vtiliter, nec bonas moliri criſes, niſi poſt ſtatum, omneſque ante hunc vacuationes eſſe ſymptomaticas,* proinde Medicum nihil quin eo ſuperato, recte tẽtare vacuando; ad id reponimus, naturam initio morbi ſæpe vtiliter, & ſi ſe ab interitu liberare velit, neceſſario quandoq; iſtas moliri vacuationes, quæ tamen pro pure ſymptomaticis accipi non debent, præſertim cum ſint materiæ morbificæ, nec vires nimium labefactent.

Quid vero inſtat, aſſerendo, humores crudos eſſe ſtabiles & firmos, in principio maxime; id vniuerſale non eſt, cum in acutis raro ſint tales, & cruditas tam in tenuitate, mobilitate & acrimonia, quam craſſitie, viſcoſitate & ſtabilitate humorum conſiſtat. Neque magni momenti obiectio eſt, qua aſſerit, ab inflammata & diſtenta parte purgantis vi nihil detrahi, ſed potius maiores affluxus in eandem concitari, quia humori impacto & influxo partibus non deberi vniuerſalem euacuationem per aluum, ſed ſpecialem per ipſam, cui inſidet, partem, nimis notum eſt. Interea tamen animaduertat ille, Galenum in principio inflammationum ad reuellendum incurſum in partem affectam venæ ſectioni frequenter iungere purgationem, idq; non tam ratione cauſæ continentis & influxæ, quam antecedentis & influentis. Inepte quoque ex Galeno *lib. 4. de ſanit. tuend.* adducit ſententiam de cruditatibus primarum venarum, in quibus non ſit purgandum, cum hæ magis indicent præparationem corporis, vt fluidum fiat ad felicem purgationis ſucceſſum, quam vt eandem remoretur, aut in venis contentorum coctionem exſpectare. Nec iſta præparatio, qua corpora fiant fluida, humoreſque attenuentur, meatus, viæque, per quas effluere debent, reſerentur, pro concoctione, niſi late abuti vocabulo inſedit, venire poteſt. Quæ denique ex Galeno, Hippocrate & Auicenna allegat, vt demonſtret, in

Cat[illegible]tiones Saluiani vniuerſim diſpelluntur.

magnis

magnis & ardentibus febribus ante ſtatum non eſſe purgandū, ea de materia venis incluſa, naturæ operā obedienter ſuſcipiente & vniuerſim ad criticam expulſionem reſeruanda loquuntur, & intelligenda erunt. Sed ne nihil intentatum relinquat, aliud porro euibrat; *natura non purgat, niſi ſecreuerit, nec ſecernit, priuſquam concoxerit; atqui hoc in declinatione morborum facit, propterea nec in augmento, nec in principio à Medico adminiſtrabitur purgatio.* Reſpondetur, naturam, dum ordinarie & ſua lege agit, nec alia neceſſitate compellatur vel irritetur, ſic procedere; verum, cum ſæpe vſu ueniat, naturam poſt ſtatum materiam coctam & ſecretam non expellere, adeoque medicinæ opera hic requiratur, ita contingit aliquando, eandem in principio, cuius concoctionem propter multitudinem vel malignitatem nō erat aggreſſura, vel perficere non poſſet, non emouere, vt idcirco, ſi æger liberari debeat, pharmaci auxilium neceſſario requiratur.

Quinti argumenti ſolutio.

Cæterum, ipſe Saluianus, ſui ipſius & ſententiæ Hippocraticæ non eſt memor, dum cocta purganda eſſe aſſerit, & cruditatem in ſanguinis ſupercalfactione ponit: cruditati enim opponitur coctio, & crudis ad coctionem perductis debetur purgatio, ſanguini vero ſupercalfacto tantum conuenit alteratio & euentatio, nullaque alia vel coctio, vel eam inſequens purgatio; quid itaque de re perperam intellecta, nec ex ſententia venerandæ antiquitatis prolata verba & ocium terit Saluianus?

Cap. XXIV.

Doctrina de minoratiuis purgationibus initio & augmento morborum aliquando vtiliter & neceſſario vſurpandis, auctoritate Hippocratis & Galeni munitur & roboratur, aliorumque, qui eandem impugnant, rationes eliduntur.

VT adductam & firmis munitam rationibus ſententiam de purgationibus minoratiuis & initio, cum videlicet totius morbificæ materiæ concoctio haut exſpectanda; & tamen ſpes ſit acciſa, naturam, quod reliquum fuerit, ſuperaturam, ac priuſquam robur corporis diſſoluatur, febrilis calor vltra modum accendatur, materiæ putredo & malignitas nimiopere inualeſcat, humores exſuperantes in nobilem quampiam partem procumbant, & ſub eorum onere æſtu & malignitate vires fatiſcant, commode adminiſtrādis, Hippocratica & Galenica venerandæq; antiquitatis auctoritate & decretis fulciamus & circumuallemus, tempeſtiuum eſt.

Hippocrates purgationem eradicatiuam in acutorū initio, ſi materia turgeat; vel in fine, dum vniuerſim cocta ſit, neque ſponte naturæ euacuetur,

cuetur, ſaltem conuenire *ſect.1.aphoriſ.22.* docet. Minoratiuam in acutis ſub principium recte exhiberi, *ſect.4. aphoriſ.29. & 30.* perhibet, cum inquit; *incipientibus morbis, ſi quid mouendum videtur, moue, vigentibus enim quieſcere melius eſt. Nam morborum initio & fine remiſsiora ſunt omnia.* Neque eſt, quod quiſpiam exiſtimet, Hippocr. hoc aphoriſmo idem inculcare & velle, quod 22. & 29. *ſect.1.* dixerat, cum his præcipiatur turgeſcentium euacuatio, quod metus ſit, ne in nobilem aliquam partem decumbant, & deploratum affectum concitent, & propter motum omnino concoqui nequeant, quando in quiete coctio perficiatur. Proinde cũ ab iſtis ſummum ſit periculum metuendum, & nulla exſpectanda concoctio, radicatiuam ſeu plenariam iis deſignauit purgationem in prima ſectione, ſequentibus vero ex ſecunda ſectione allegatis regulis monet, initio acutorum materiæ aliquid detrahendum eſſe, vt ea accisa & minore facta, quid reliquum fuerit, natura facilius concoquere poſſit, vti id Galenus *in comment.* vberius explicat, idque in principio faciendum, quod omnia, tunc adhuc ſint remiſſiora, vireſque minus exhauſtæ, & natura in concoctione nondum magnopere occupata.

Hippocratis Aphoriſmorum de purgatione verior intellectus cruitur.

Conuenit autem minoratiua purgatio in principio, cum propter cauſas *ſuperius*, vbi de eadem ex profeſſo egimus, aſſignatas, tum etiam quando ægri ſanguinis multitudine laborantes venæ ſectionem abhorreant, aut propter ætatem aliaſue cauſas nõ admittant, vel cum materia qualitate peccans tanta redundet copia, vt febres in immenſum exardeſcere, vireſque obrui & diſſolui neceſſum ſit, aut fiat in partem aliquã interiorem humorum decubitus, vel maligna qualitate infecti periculoſos procreent morbos, vel ſummus intolerabiliſque ab iiſdem cauſetur dolor.

Qui multitudine ſanguinis laborantes venę ſectionem reformidant, vel non admittunt, hos *lib. 4. & 5. de ſan.tuen.* Galen. vberius & exquiſitius purgare iubet. Vti enim ſanguis præter illum, qui proprie ſic dicitur, humorem tribus inſuper conſtat partibus, videlicet melancholica, bilioſa & pituitoſa, quarum hæ pharmaci attractione ſelectiua educuntur, ita eius quantitatem purgantium operatione partibus hiſce acciſis & extractis minui conſentaneum eſt. Si vero humores non tantum qualitate vulgari, ſed & praua malignaque infecti morbos procreent, cum ocyſſime illi ſpirituum ſubſtantiam ſoluendo ſolidarumque temperiem & naturam corrumpendo ſummam virium deiectionem afferant, cõtinuo & quam primum fieri poteſt, foras eiiciendi erunt, propterea Galen. *lib. 9. meth.* omne quod corruptum & à natura alienum ſit, adeo vt ſuæ naturæ gratiã recuperare nequeat, celerrime educere ſuadet. Et *lib. 1. de febr. differ.* in peſtilenti

ſtilenti aëris ſtatu corpora, quæ redundant ſuperfluitatibus, ſanat purgationibus, nulla exſpectata aut præcedente coctione. Et *lib.5.meth.* aſſerit, ex peſtilentia quoſdam facile per curatos, quod præexſiccatum totúq; corpus repurgatum fuerit, cum nonnulli ex his vomuerint, & omnibus venter profluxerit. Quamobrem veteres docent, non verendum eſſe in horum morborum initiis cum lethales & pernicioſi ſint, purgantium vſum, quod tamen moderni & recentiores in febribus malignis à maligna putredine ortum habentibus locum duntaxat habere, imo plurimum prodeſſe, ſi ſtatim ipſis inſilientibus adminiſtretur, aſſerunt: non autem in vera peſte, cuius ratio non tam à peruerſa interiorum humorum corruptione, quam occulta venenataq; labe initio ſpiritus & tenuiſſimas humorum portiones inſidente & confeſtim ſolida penetrante & peſſundâte ſita ſit, quapropter primo, & potiſſimum alexipharmaca exigat.

In peſte & malignis febribus num & quomodo purgatio conueniat.

Humores in partem quampiam irruentes Gal. *lib.13. meth.* purgante medicamento reuocãdos, reuellendos & euacuandos eſſe, dictitat. Eſt autem reuulſio remedium in principiis morborum conueniens, tunc videlicet, cum adhuc influit, nec dum influxit, vel in partem quampiam impactus ſit humor. Ideo Hipp. *lib.2.de vict. ratio.in acut. tex.*11. decretum reliquit, in pleuritide, cum ſub ſepto tranſuerſo dolor infeſtauerit, ventrẽ vel nigro veratro vel peplio molliendum, aut purgantia exhibenda, quod dolorem leniant. Et Galenus *ſect.*1. *commentar.*23. in maximis doloribus purgationes adprime commendat, quod practici in ventriculi inteſtinorumq; cruciatibus, niſi ſubſit inflammatio, vtiliſſimum eſſe, cottidie experiuntur.

Quid ſit reuulſio & purgatio reuulſoria, & quomodo conueniat.

In pleuritide quando purgandum.

Sed neq; hic deſunt, quib. hanc ſententiã oppugnant, rationes contrariũ ſtatuentib. inter has *prima* eſt, quod Galen. *ſ.*1 *com.*24. aſſerat, omnia purgantia eſſe calida, vnde periculum ſit, ne febrium calor & ſqualor intendatur: *ſecunda*, quod ſi quis velit purgare corpora, requiratur, vt ſint fluida, & ſub initium acutorum, vbi primo & ſecundo die occaſio purgandi elabatur, non ſuppetere tempus ad præparationem corporis & humorum. *tertia*, non danda purgantia iis, qui cruditatibus abundant, ex multis lentis craſſiſque eduliis, quibus item hypochondria flatibus diſtenta, aut vrina ſupra modum calida, aut aliqua ſubiectorum viſcerum ſuſpecta ſit inflammatio: *quarta* criſin exſpectandam antequam purgemus.

Argumenta reliqua contra vſum minoratiuarum purgationum, diſcutiuntur.

Primam, quod attinet rationem, reſpondemus, Galenum de ſui ſeculi pharmacis vehementer acrib. & calidis locutum eſſe, luce vero clarius conſtare, ea, quibus hodie pro minoratiuis vtimur, ſine omni æſtu & ignitulatione blanditer abſq; vehementi humorum & corporis agitatione, operationem ſuam perficere, ſecus,

Reſponſio ad primũ.

quam veterum illa ignea & fortiſſima. Vti enim hæc in morbis acutis humores turgentes ſtrenue & radicitus expurgare debebant, ſed quietos accendunt, inflammant, exagitãt, febrem prorigant, vires fatigant præcipitantque, ita benigniora noſtriæui medicamenta, mobiles facile educunt, quieſcentium partem ſine vlla exagitatione & igniculatione initio vtiliter efferunt, priuſquam vires fatiſcant, aut febres morbiue inualeſcant. Neque eſt, quod reponunt, id commode initio fieri non poſſe, quia in tantulo tẽporis ſpacio debita corporis humorumque præparatio perfici nequeat, cum principium vniuerſale morbi, quo videlicet nullam magnopere coctionem materiæ naturaaggreſſa ſit, non ſemper vno vel altero die includatur, & interim nihilominus primæ viæ mollientib. clyſterib. euacuari meatus incidentibus, extenuantibus, acidis & penetrantibus recludi, humores craſſi incidi, acres temperari, eaque omnia tam remediis, quam alimentis ad rem pertinentibus patrari poſſint.

Tertia ratio non tantum prohibet minoratiuorum initio humoribus quieſcentibus, ſed etiam plenariorũ iiſdem turgeſcentibus vſum & tam in acutis, quam chronicis quocunque tempore velut ex Galen. *com.* 24. *ſect.* 1. patet.

Ad quartam rationem *ſupra* multoties reſponſum eſt, fruſtra criſin exſpectari, vbi propter multitudinem humorum nec coctionem, nec expulſum natura moliri queat, niſi initio purgatione tempeſtiue ſubleuetur.

Verum alia inſuper ad manus ſunt aduerſariis, quibus velitentur, tela. Sic enim inſtant. *Febres ſunt diuturnæ vel acutæ, illæ coctione vel abſceſſu, hæ vero critice & potiſſimum excretionibus*, vti *narium hæmorrhagia, ſudoribus, vomitionibus aluique fluxibus, finiuntur, quamobrem nõ tantum initio, ſed quocunq; tempore perperam ad curationem illarum purgantia præſcribimus.* Sciant autem illi, nos neutiquam in febrium chronicarum principiis alicuius momenti vacuationes præſcribere; ad acutarũ vero curationem vbi humorũ multitudo, aut peruerſa qualitas, vel aliud quid purgationem celeriorem flagitet, vtiliter iniungere, non obſtante eo, quod natura per aluum aut alias vias poſtea reliquum ſit eliſura, cum initio ſic adiuta & leuata, criticam euacuationem per quamcunq; etiam partem intendat, *deinde* facilius expediat.

Porro ex Gal. *lib.* 4. *de ſan. tuen. cap.* 5. inſtant. *Si ſanguis bonus in corpore ſit exiguus, plurimi autem humores crudi, nec ſanguinem mittendum, nec purgans pharmacum exhibendum eſſe?* ad quod reſpondemus nos iuxta Galen. præceptum *lib.* 12. *meth. cap.* 3. in crudorum humorũ copia, præcipue ſi oris ventriculi adſit offenſio & ſanguinis boni exiguum, cum neceſſario magna comitetur virium infirmitas, nec ve-

næ ſectionem, neque purgationem ſuadere, tenues autem & biliofos iuxta Galen. *libro quos purgare conueniat*, ſi exundent, prauiſque qualitatibus renitentes edomari nequeant, dum cętera reſpondeant, celeriter euacuare. Atqui vlterius obiiciunt: *ſi non tantum in morbis, quorum materia turget, verum, & in his qui ex multitudine vel mala qualitate aut loco aliquo primario & interiore laborant, vtendum ſit circa initia pharmacis purgantibus, Hippocrates non ſcripſiſſet iisdem raro in principio vtendum; quod tales affectus creberrime incidant*; Quibus reponimus, nos quam rariſſime in initiis morborum talia purgātia, quæ Hippocratis tempore erant vſitata, qualia ſunt valde acria calida, febrem magis igniculantia; ſed adhibere mitia, æſtum febrilem temperantia, & humorum feruorem cicurantia, veluti *tamarindos, caſſiam, mannam, myrobalanos, infuſum Rhabarbari ex ſero lactis* & ſimilia.

Tandem ex Hipp. *lib. 4. de vict. rat.* in contrarium afferunt illud: *Quibus in principio vrinæ craſſæ, nebuloſæque exſiſtunt, hos annuentibus cæteris purgare conuenit: Quod ſi vero tenues fuerint, tales non purgabis.* Reſpondetur, Hippocratem præcipere vrinis initio tenuibus, *niſi aliud quidpiam vrgeat, atque concoctio in futurum exſpectetur*, purgatione ſuperſedendum eſſe. Verum oportet nos ſubintelligere, ſi multitudo aut praua qualitas, vel locus dignior infeſtatus vrgeat, purgationemque exigat, omnino hanc admittendam, quod ex noxiorum euacuatione maior vtilitas, quam ex crudorum commotione detrimentum exoriatur. Sed & illa ratio, qua noſtram ſententiam infringere conantur, eandem munit & confirmat. Quando in initio, prodeuntibus vrinis craſſis & nebuloſis purgare præcipit venerandus ſenex, nequaquam perpetuum & vniuerſale erit, tunc ſolummodo purgandum, cum materia turget.

Iubet autem primis diebus tales vrinas profundentes purgare, quod coctionis indicia prodant, tenuibus vero iiſdem, tanquam morbo admodum crudo adhuc exſiſtente, nihil mouere, ſed coctionem exſpectare, corpora quieti permittere, æqualiter tegere, vngere. Tales vero morbi frequenter ſunt ex craſſis, frigidis & lentis humoribus, quales pituita, & nigra bilis, in quibus plerumq; ſubactionem præſtolari conſultum, ſecus, quam in tenuibus, aqueis, bilioſis.

CAP. XXV.

Fallopij de concoctione & cruditatibus, de putredinis curatione & minoratiuas purgationes eludendi ratione, methodum medendi euertens, & venerandæ antiquitati obſtrepens, opinio refellitur, & quibus illæ morbis conueniant, compendio deſignatur.

FAllopius, vt demonſtret, nuſquam initio morborum conue-

nire purgationes minoratiuas (turgentibus eradicatiuas concedit) inani conatu admodum deſudat, proque fundamento, cui ſuæ aſſertionis rationes ſuperſtruit, examen doctrinæ de cruditate & coctione inſtitutum collocat. Quatuor autem coctionum totidemque cruditatum recenſet genera. *Primum* complectitur coctionem & cruditates ventriculi, epatis, & ſingularum partium, ventriculi vitiari, ait, coctionem, ſi chylus crudus vel pituita generetur; in epate oriri cruditates, quando chymus ſanguiſque imperfectus aquoſus & crudus producatur, tertiam ſingularum partium labefactari, cum ſecundæ humiditates rite non vertantur in ſubſtantiam nutriti. *Secundum* coctionis genus in generatione naturalium excrementorum ponit, videlicet, bilis & melancholici humoris; quos bene coctos eſſe & naturaliter habere docet, dum legitimam formam & conſiſtentiam nacti fuerint; crudos vero, ſi nimia craſſitie aut tenuitate laborent. *Tertium* facit humorum putreſcere incipientium vel ſemiputridorum concoctionem, quorum cruditas ſemiplena vel incipiens putredo. *Quartum* humorum perfecte putridorum, qua formam ſuam penitus amiſerunt. *Vltimo* addit crudum id omne dici, quod alteratione aliqua indigeat; concoctum vero, quod paſſim ſit aliquid à calore natiuo, ſed quia nimis communis ſit hæc appellatio, eam ſe negligere profitetur. Hæc coctionum & cruditatum genera reſpicienda eſſe docet, ei, qui rite purgationem inſtituere velit. Primi generis cruditates adaucto calore natiuo corrigi, & pituitam, acidam, dulcem vitreamque ſola ſalſa excepta in chylum; hunc vero imperfectum in meliorem, & hæc omnia in bonum ſanguinem conuerti, illum vero imperfectum vlteriore coctione perfici poſſe. Idem de cruditatibus in tertia concoctione reſultantibus iudicium. Hanc crudorum reparationem vocat coctionem in nouatiuo. Secundi generis cruditates cõſiſtere, vel in nimia excrementorum naturalium quantitate, aut in eorum craſſitie, vel tenuitate, illam indicare vacuationem, hanc beneficio caloris coquentis ſufficienter corrigi. Tertii generis cruditatem in inchoata vel ſemiplena putredine collocat, qua affecti humores ſemiputridi & ſemimali dicantur, illam virtute concoctrice euinci & emendari, adeo, vt, inſtar cæterarum cruditatum, euacuatione nõ indigeant, quod exemplo vini aceſcere & corrumpi incipientis, ſed correctionem admittentis probat; vt enim huius acor & putredo inchoata iniecto alumine vel ſale reſtingui, & illud ad ſubſtantiæ mediocritatem reduci, ita & ſemiputridos humores ad priſtinam integritatem vindicari opera caloris natiui abſque euacuatione poſſe contendit. Atque his tribus generib. cruditatum nullam de-

Coctionis & cruditatis genera ex Fallopio.

beri

beri aut conuenire purgationem,ſed naturæ committenda eſſe, quæ ea coctione ſufficienter emendare, & reducere queat, perſuadere ſatagit. Supereſt quarta cruditas, qua humores perfecte putreſcant, & naturam formamque propriam amittant, & ſpecie ſibi diſſimiles redduntur; Hos concoctione ad conditionem quidem benigniorem, qua naturæ ſint tolerabiliores, magis obſequentes & minus noxii, non vero ad priſtinam omnino integritatem reduci poſſe, ſtatuit, & hanc caloris operam,concoctionem in nocitiuo nominat,quę ſit alteratio illius, quod ſua natura malignum & noxam inferat. Hoc pacto ait, Galenum definire concoctionem alteratione, quæ ceſſare faciat putredinem manente ſubſtantia, hac ipſa ſanguinem putridum in venis vel extra eaſdem conuerti in pus album, craſſum non fœtens; melancholiam in pus vel ſaniem nigram, bilem flauam, in ſaniem vel pus flauum. His ita poſitis concludit,humores tribus prioribus cruditatibus affectos nequaquam exigere purgationem, ſed iuxta Galenum *libro de conſtitutione artis*, *capite* 19. indicare immutationem & alterationem, cum omne id, quod imperfectum & poſſit perfici, indicet, vt perficiatur, non autem vt euacuetur: Humores vero ſub quarta cruditate plane corruptos, cum concoctione ad naturæ vtilitatem, ſiue priſtinam ſuam integratem redire nequeant,& concocti atque in pus verſi, nihilominus toto genere ſint, maneantq; præternaturales, vere indicare ſui euacuationem. Quod enim ita corruptum eſt, vt ad naturæ bonitatem redintegrari nequeat, id ſe auferendum eſſe dictitat. Vnde ſequitur,quod humoribus perfecte putridis & corruptis, tantum debetur purgatio, at non in principio: neque tamen haut propter illam rationem, quam ex Galeno omnia Medicorum ſecula hactenus deduxerunt, videlicet,quia nondum ſubacti, concocti & ſecreti ſint, cum medicamentum purgans æque ſecretum, quam aliis miſtum humorem appropriatum inſtar magnetis ex aceruo pulueris metallorum ſolũ ferrum trahentis ſeligat & ducat,ſed quod per putredinem perdiderint formam,totamque ſubſtantię ſimilitudinem, cuius merito à pharmaco reſpiciebantur & attrahebãtur,quapropter initio nullo modo commode educi poſſint, ſed in fine morborum dũtaxat, quod coctione aliquas amiſſæ ſubſtantiæ qualitates recuperent,quibus receptis maiorem viciſſim conſequantur cum medicamento ſimilitudinem & ſpecialem familiaritatem, faciliuſq; & ſine minore agone naturæq; quaſſatione expurgari & trahẽti obſequi poſſint. Hanc verã exclamat eſſe cauſam quamobrem cruda in principio morborum non ſint purganda, nempe quod ex putredine ſimilitudinem ſubſtantiæ, qua reſpiciebant pharmaca, omiſerint,

rint, quam concocta ſub morbi finem aliquo pacto recipiant, nonnullas eiuſdem perditæ qualitates recuperando.

Hæc Fallopii opinio friuole ſpeculantis philoſophema venerandæ antiquitatis callem deſerit, priſcæ medicinæ fundamenta & veræ methodi regulas euertit, & in principia artis turpiter impingit. Neutiquam enim ea coctionum, quæ recenſet, vitia, beneficio caloris natiui adeo corrigi poſſunt, vt iis affecti humores in vllam naturæ vtilitatem cedant, quod ordine in quouis ab illo allegato coctionis & cruditatis genere demonſtrabimus.

An & quomodo in prima & ſecunda concoctione reſultantes cruditates poſſint emẽdari, & an potius ſui ad vtilem naturæ ſtatum reductionem, quam purgationem indicent.

Cruditates ventriculi nulla vlteriori coctione, aut caloris natiui virtute adeo viciſſim corriguntur, vt in beneficum chylum denuo vertantur, quapropter Aëtius & tota Medicorum ſchola optimum eorum cenſet remedium, ſi præpropere in aluum deſcendant & eiiciantur. Longius enim detentæ nec à calore, quamuis adaucto, ſuperantur, ſed vel nidoroſos acidosve ructus, clydones, inflationes, cardialgias, ſputationes, nauſeam, vomituſque concitant, imo aſſiduitate & continuatione hypochondriacæ paſſionis fundamenta iaciunt. *Nec enim primæ concoctionis vitia corriguntur in ſecunda.* Et quis vnquam vel ſomniare auſus fuit, in ventriculo per bradypepſiam aut dyſpepſiam generatam pituitam aut bilem denuo recoqui, emendari, & in bonum chylum iterum conuerti? quod ſemel factum eſt excrementum, nulla ope naturæ vnquam redibit ad alimenti naturam. Alia res eſt, ſanguis pituitoſus, aliud pituita excrementitia, de qua *ſupra*; vide Galenum *lib.* 8. *meth. cap.* 10. In ſecunda concoctione reſultantes cruditates mutilate neque recte recenſet. Etiamſi enim bilis genera naturaliter habent, tamen, quia ad excrementorum ſeceſſerunt conditionem caloriſque natiui, omnia in vtilem ſuccum conuertere intendentis, vim eluſerunt & ſubterfugerunt, crudis humoribus accenſentur, quæ tamen purgationem ſui non indicẽt, quamdiu ea ſint mediocritate, vt receptaculis à natura deſtinatis recipi & aſſeruari, & debito tempore emitti poſſint. Neq; enim ſolummodo tunc, cum quãtitate excedunt, ſui euacuationem indicant, vti Fallopius cenſet; ſed etiam cum qualitate peccant; cum nec illa qualitas ſolius naturæ beneficio vniuerſim corrigi poſſit, &, ſi opera medicinæ & caloris emendetur, non ideo corrigantur, vt aſſeruentur humores, ſed vt eiiciantur, quia omne, quod corrigitur, vt ſeruetur, id in naturæ vtilitatem cedere debeat, quod ſi fieri nequeat, ea emẽdatio eſt ſaltẽ ad expurgationem commodam præparatio, quin imo recte & iuxta artis pſcriptũ bilis qualitate peccãs pharmaco educitur, quod purgatio vere conueniat, & conuenire definiatur humoribus qualitate peccantib.

Deinde

Deinde humores excrementitii quã-primum qualitate peccant, cum quantitatis naturalis menſuram excedere incipiũt. Mutile vero & mancè recenſet Fallopius errores & cruditates ſecundæ concoctionis, quas *ſuperius* ex Galeno veritatis noſtræ aſſertore, & magiſtro optumo deduximus. Sanguis enim crudus ideo eſt, quod ad debitam perfectionem non peruenerit, vti pituitoſus, aut quod illã exceſſerit, & ſemiuſtus ſit, qualis eſt bilioſus; ille vlteriore concoctione (quia pars ſanguinis alimentalis non pituita excrementitia eſt) in ſanguinem perfectum elaborari poteſt, hic vero purgationem ſpecificam deſiderat, quod *ſuperius* vberius traditum eſt. Æque abſurdus eſt, cum illa, quæ committuntur errata in tertiã ſingularũ partium concoctione & aſſimilatione ſeu conuerſione nutrimenti in ſubſtantiam nutriti, ſolo beneficio naturæ & caloris natiui, vel alteratione corrigi poſſe aſſerat, ſic enim & leucophlegmatia & anaſarca & cætera in habitu corporis vitia abſque purgationis opera expugnari poſſe, veriſimile foret, quod tamen falſiſſimum, neque eſt, vt in hoc demonſtrando tempus protrahatur & teratur.

De tertio cruditatum, quas Fallopius recenſet, genere, videlicet, de humoribus putreſcentibus vel putreſcere incipientibus, partim verum dicit, partim falſum: Verum dicit, quando eos, inchoante putredine corrigi & emendari poſſe aſſerit: falſum, cum id abſque omni euacuatione ſolius naturæ vi fieri decernit, & eo ipſo non tam pro, quam contra ſe exemplum vini corruptionem incoloratam perpetiẽtis allegat. Galenus *comment.*17. *ſect.*2. inquit, *quod acceſſentibus vinis vſuuenit, eiuſmodi quiddam in ſanguinis alteratione fieri ſolet*; id vero tale exſiſtit, vbi vina plane acuerunt, non iam ad vini naturam redire poſſunt; verum ſi tam leui momento ad id vergant, vt aceſcere quidem, ſed nondum acetum eſſe videantur, ex iis complura priſtinam recepiſſe naturam, ſæpius viſa ſunt. *Sic in ſanguine ſe res habet. Nam ſi ipſius magna facta eſt corruptio, non iam ad ſui naturam redire poteſt, parum vero à ſeipſo, ſi degenerauerit, vacuato ſuperuacaneo, qui reſtat, ſuam recuperare poteſt naturam.* *An putredo ſine vacuatione inhibeatur.* Et hãc de cauſa inquit Galenus *lib.*11. *meth. cap.*15. *ſaluberrimum eſt in febribus venam incidere, non continuis modo, ſed & aliis omnibus, quos putreſcens humor concitat, vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibent. Leuata namque, quæ corpus noſtrum regit, natura, exonerataque eo, quo velut ſarcina premitur, haut ægre, quod reliquum eſt, vincet. Itaque proprij muneris haut oblita & coquet, quod concoqui habile eſt, & excernet, quod poteſt excerni.* Et eodem *lib. cap.*8. inquit: *Tanquam in iis corporibus, quæ non viuunt ac putreſcunt, primum quantum eorum iam computruit, ſeparant, dein ei, quod reliquum eſt, in frigidum aerem ſublato, perſpirationem refrigerantem moliuntur; ita vtique & putre-*

dinem quæ in vinis eſt, ſanabimus, id ſcilicet, quod iam corruptum eſt, omni ratione vacuantes, quod reliquũ eſt, moderatis motibus & refrigerante perſpiratu ad exactam ſymmetriam reducentes : ac vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum & ſudores moliemur. Ex quibus Galeni ſententiis clare dilucilat, nec inchoantem putredinem, nec eam, qua humores propriam iam perdiderunt formam, inq; aliam tranſiuere colluuiem, & κατὰ μέρος corrupti ſunt, abſque euacuatione corrigi aut ſedari poſſe. Propterea Studioſis Medicinæ & Praxeos Canditatis hæc fanatica Fallopii fallentis & falſum introducentis opinio, qua verę curationis methodus euertitur, Medicus in errorem, æger autem in exitium perducitur, ſummo ſtudio fugienda. Talia autem, quæ in humanæ ſalutis detrimentum vergunt, ſcribere, aut medicinæ initiatis perſuadere, eſt cãdori, qualis ineſſe viro bono debet, labem aſpergere, & conſcientiæ vulnus infligere. Vbi enim de redimenda vita hominis agitur, melius eſt, veritati cedere, quam nouis & pernicioſis productis opinionibus ingenii laudem venari, & acrimoniam mentis vulgo oſtentare velle. Sed redeamus eo, vnde dilapſi ſumus.

Perperam ſtatuit Fallopius, totalem vel καθ' ὅλον in corpore dari putredinem, quod *ſuperius* ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Putreſcunt autem humores ſecundũ partem ita, vt corrupta forma alii vel tolerabiles & naturæ aliquam victoriam remonſtrantes generentur, quale pus eſt vel alii quauis corruptione indicibili inquinati producantur. In iſta vero mutatione, qua ſanguis in pus vel alios humores pernicioſos migrauit, adeo forma omneſque eius periere qualitates ab ea dependentes, vt nihil benignitatis nutrimentalis, nihilque priſtinæ bonitatis ſuperſit, excepto hoc, quod in pure vel puri ſimillimo (licet & ille tempeſtiue euacuari debeat, ne detentus nouos morbos vel recidiuas procreet) maior iam obedientia & cicuratio ſit, quãobrem & ad eductionem paratior. Atque hinc non exigua Fallopianæ opinionis abſurditas patet, quod dicat, per concoctionem recuperare humores perfecte putridos formaque ſubſtantiali ſpoliatos tales qualitates, & ſimilitudinem priſtinam, vt commode à medicamento attrahantur, cum à *priuatione ſubſtantiæ, ſiue formæ ſubſtantialis ad habitum non detur regreſſus*, & ſimilitudo illa, qua humores reſpiciebantur à medicamento, (vt quidam arbitrati ſunt) in ipſa forma vel ab ipſa, quam proxime dependebat, adeo hac perdita illam perire, & illa nõ niſi hac reducta redire poſſet. Vt itaque humores putridi amiſſam formam coctione non recuperant, ita neq; ſimilitudinem hanc, quæ à formæ in materia pręſentia dependebat, recipiunt.

Et quid reſpondebit Fallopius ad hoc, quod ipſe affirmat pus vel puri finitimum

finitimum quippiam ex ſanguine pu-treſcēte generatum in venis facilius educi ſub morbi finem medicamento pu: gante ſpecifica vi & ſubſtantiæ ſimilitudine humorem peculiarem trahente, cum nullum detur pharmacum hæmagogum ſeu proprietate ſanguinem vacuans & trahens, quando adhuc in integritate conſtitutus ſit. Neq; n. vti phlegmagoga, cholagoga, & melanagoga, ita quoq; ſanguinē vi ſpecifica educentia, inueniuntur, quod ille naturæ theſaurus & caloris natiui fomes non ſui, niſi maximopere redundet euacuationē, ſed cuſtodiam & aſſeruationem poſtulet. Si itaque nullum reperitur medicamentum, quod ſanguinem in integritate conſtitutum proprietate expurget, nequaquam pus ex ſanguine putreſcente natum ſi coctione aliquas ſanguinis cōditiones viciſſim acquireret, vllo pharmaco ſpecifico educi poterit.

Quin imo ex ratiocinio Fallopii potius ſequetur initio, cum humores putreſcere incipiant, neque omnino propriam ſubſtantiam vel ab ea dependentes qualitates depoſuerint, ſibique nondum prorſus diſſimiles facti ſint, eſſe purgandos, cum tunc adhuc maior ſuperſit ſimilitudo cum medicamento, quam cum perfecte putrefacti formam penitus ſuæque ſubſtantiæ modum & rationem depoſuerint, & poſtea ſiue coctione, ſiue vlteriore ſui corruptione in aliud quidpiam tota ſpecie diuerſum ſint conuerſi. Atque hoc pacto non quod ipſe intendebat Fallopius, ſequeretur, ſed contrarium potius, idque eo magis, quod & ipſe affirmat, medicamentum humorem crudum non ſeparatum æque trahere proprietate vti coctum & ſeparatum.

Verum enimuero, quod idem prçterea cōminiſcitur, cæteros humores putreſcentes æque vti ſanguinem in pus verti, eo ipſo non minus, quam ante venerandæ antiquitatis decretis & veritati obſtrepit, *quippe quod ſolius ſanguinis priuilegium ſit, ita poſſe excandeſcere, talemque concipere flammam, vt febrem committat abſque ſui putrefactione, & ſi putreſcat ſolus in pus purulentamque materiam in venis ſine extra eaſdem conuerti poſſit, quod cæteris humorib. negatum eſt.* Humor enim melancholicus putreſcens in externis cancros & carcinomata generat, & in Scirrho, ſi tentetur ſuppurantibus, tantum abeſt, quod in pus vertatur, vt etiam in cancrum degeneret. Bilem in eriſypelate exulcerare & ſuppurare peſſimum, quod gangrænam minetur, niſi fideli cura gubernetur; nec tñ bilis ibidem ſuppurat, ſed *ſubiecta caro à bile eroſa in pus vertitur*. Dicebat autem Fallopius, humorem melancholicum coctione verti in pus nigrū vel potius ſaniem nigram, & bilem in pus ſaniemue rubram. Sed hæ non ſunt notæ naturæ ſuperantis & concoquentis, vel bonæ concoctionis, ſed cruditatis & malitiæ materiæ ſigna. Pus enim in vlceribus, eique reſpondens ſedimē-

tum in vrinis niſi album, læue & æquale, cruditatem corruptionemque humoris; & ſi nigrum liuidumue, caloris extinctionem, materię indomitam malitiam & necroſin totius vel partis ſignificat; cum tali humorum in venis corruptione natura nec ſupereſſe, nec vita conſiſtere poteſt, & hominem interire neceſſe eſt. Humor autem excrementitius putreſcens eam acquirit malitiam, vt nulla caloris natiui opera vel beneficio, in pus puriq; finitimum, ſiue in venis, ſiue extra eaſdem conuerti poſſit, & quo magis putreſcat, eo ſimilior veneno fiat; tantum abeſt, vt perfecte in venis, ſiue ſanguis ſiue alius quiſpiam humor, putreſcere queat, quod perfectam horum putredinem tolerare ſimulque ſuperſtes eſſe nequeat. Cum vero prædicat Fallopius, bilem vtramq; pręter ſanguinem in nigram rubeamque ſaniem mutari, admodũ inepte & impropriè eam pus nigrum vel flauum nominat, quod inter ſaniem & pus maxima ſit differẽtia. Hoc enim ſi legitimi notas referat, ſemper bene viſitur, coctioniſque & ſecuritatis ſignum eſt, illa vero è contrario ſemper corruptionis & cruditatis indicium, ſiue in vlceribus reperta, ſiue intus in viſceribus veniſque hæreat, ſiue per aluum prodeat. Quod inſuper addit, bilem flauam, acrem, male olentem coctione reduci in ſtatum mitiorem, vt acrimoniam deponat, pallidior fiat, fœtorem exuat, cum mica ſalis eſt accipiendum. Nam fœtorem, qui à putredine fit, emendare nequit natura, acrimoniam nondum putreſcentis mitigare poteſt, in pus autem conuertere putreſcentem ei nequaquam poſſibile eſt. Qualitates imputridæ bilis nonnullas vti calorem tum maxime, cum remediis conuenientibus iuuatur, cicurare & benigniorem temperiem conciliare poſſe, largimur.

Proinde immota manet mea ex oraculis diuinæ vetuſtatis deprompta ſententia, *ſolũ ſanguinem putreſcentem, eiuſq; partes, quæ in pus purique finitimum quippiam conuerti poſſunt admittere illam concoctionem, quam exſpectare iubebat Hippocrates, antequam purgationem eradicatiuam medicamento inſtituamus; cæteros vero præter ſanguinem humores ſiue excrementitii naturales, ſiue præternaturales ſi morbum committant, præuia corporis eorumque præparatione, quam citiſſime euacuandos, antequam putredine inficiantur, quæ & magis maligni & peiores fiant, & incurabiles morbos producant.*

Naturales excrementitii corruptione in præternaturales degenerant, & hi putreſcentes conditionem peſſimam vimque deleteriam acquirunt. Satius itaque ipſos initio quantumuis crudos, euacuari, quia à natura eo ipſo, quod per ſe excrementitii erant, iamdudũ ſeparati fuere, quodque natura hos nulla coctione emẽdare, aut in vtilem ſtatum conuertere poſſit, neque etiam intendat, ſed potius expulſionem decernat. Neque enim putreſcentes, ſi putredinem in-

hibere

hibere vel abolere poſſet, vlterius, quam ad priſtinam cōditionem, quæ ipſa iam ante excrementitii inutiles, noxii & euacuandi erant, reducere valeat.

Qui illa, quæ hactenus pro minoratiua purgatione initio morborum methodice adhibēda, diſputata ſunt, momentoſius expendat, is vtri ſententiæ in curandi proceſſu inſiſtendum ſit, recte intelliget, & ſibi facile perſuadebit etiam alios dari crudos humores, è quibus æque graue periculum ægrotanti immineat, niſi interinitia ſtatim expurgentur, quam exturgentibus: ſeu ex quorum vacuatione initio facta plus commodi, quam ex coctione exſpectata redundare poſſit. Iſti vero humores vel tantā copiā grauant naturam, vt niſi dempta aliqua eorum parte, nulla concoctio ſit exſpectanda; vel ſunt tenues & parati ad exeundum, vt ſine moleſtia, quantumuis crudi, initio eiici poſſint, vel mala qualitate adeo infeſti, vt eos quam citiſſime expellere ipſa ſuadeat neceſſitas, vel ſunt in motu ad partes principes, aut tales, quæ has facile in conſenſum trahunt, eoque vel actu ruunt, vel mox ruituri ſunt, veluti ſeſe offerre ſolent in inflammationibus fientibus, aut parte grauiter icta, aut phlegmone quacunq; incipiente, ſi eam amplam fore metuamus, vel in vehementioribus doloribus capitis, aurium, oculorum, thoracis, abdominis, articulorum vulneribus vel vlceribus malignis depaſcentibus; quibus aut eryſypelas aut oſſium corruptela iuncta eſt, vel luxationibus & fracturis. In his omnibus curationem à vacuatione aut purgatorio pharmaco exhibito, aut ſecta vena, prout alterum altero magis conuenire iudicamus, auſpicatur Galenus *lib. de cur. rat. per ſanguin. miſſ.* & *lib. 4. meth. cap. 6.* & *lib. 6. meth. c. 5.* atq; id optima ratione, quia vniuerſalia particularibus præmittenda, & quidem in curationum initio. Purgatio enim & venæ ſectio reſpectu topicorum & particularium remediorū initio cum materia à toto vel parte illabitur, necdum influxa impactaque quieſcit vacuationis vniuerſalis, ſimulque reuulſionis rationem & vim habet. Sunt etiam omnes cauſæ antecedentes, quacunque, ſi res moram patitur, præuia præparatione, remouendæ, quia continentes fouent, & in earum ſortē ꝑpropere tranſeunt, quamobrem etiam, vbi humores morbifici venis aut parti cuipiam incluſi: in principio & augmento morborum commode & neceſſario exhibentur, quæ in ventriculo, inteſtinis, meſenterio, cauo iecoris, liene, lociſque vicinis continentur, educant, quod his remotis vlterior ad ſedem continentis cauſæ affluxus prohibetur, naturaque ſarcina ſublata alacrior efficitur ad cæterorum concoctionem, & via ſternitur, vt concocti porro felicius educantur. De venenis aſſumptis initio ſtatim vomitu expurgandis vide

Anacephalæoſis argumentorum, quib. compulſus Medicus minoratiuam purgationē initio vel augmento & methodice adminiſtret.

de Dioſcoridem *lib.6. à capite 1. vſque ad 34.*

Cap. XXXVI.

Qui humores proprie turgeant, & quomodo orgaſmus, & quibus morbis peculiariter excitetur, quare turgentes ſtatim ſint purgandi, quidq; horum purgationem inhibere, vel recte determinare poſſit, & quo pacto euacuentur per epicraſin. Quo pacto vtiles ſint in initio acutorum alui fluxus.

CVm de turgentibus humoribus dictum ſit, eos iuxta Hippocratis oraculum initio purgandos eſſe, quærendum, quinam vere pro turgentibus & orgaſmum concitantibus veniant, & cur in principio ſint purgandi, & an hiſce dominantibus id ſemper faciendum?

Solis acutis morbis accidere humorũ orgaſmum, & in horum principio tantum purgationem eradicatiuam conuenire, Galen. *in commentar. 24. ſect. 1.* docet. Illi humores duntaxat turgere, hoc eſt, in corpore impetuoſe diſcurrere, & errabunde huc illucque vagari poſſunt (loquimur cum Galeno & Hippocrate, neque cum Fallopio multum laboramus, rectiusne dicatur, natura vel humores turgere) qui acrimonia ſua interiora ſtimulant, vt de parte in partem compellantur, ne certo loco diu commorentur, & qui tenuitate, ſubtilitate, & mobilitate ſua corporis ductus penetrare, vndiquaque facile deferri, adigi & oberrare poſſunt, ad quod inepti ſunt craſſi & frigidi. *Calor enim & acrimonia motum, frigus immobilitatem & ſegnitiem conciliat.* Iſtiuſmodi vero humores morbos ſolummodo acutos cum vehementia celeriter ſua tempora vniuerſalia percurrentes generant. Proinde neceſſum eſt, ſolis morbis acutis ab humorum ſubtilium acriumq; copia natis proprie accidere turgeſcentiam, & propter hanc ipſis competere purgationem. Ait enim *loco citato* Galenus in morborum acutorum initio aliquãdo nos vtilem moliri poſſe purgationem; in diuturnis vero morbis, qui à craſſiorib. & lentis procreantur ſuccis, ſemper maturationem exſpectandam. Idem *ſect. 2. aphoriſ. 19. & in Iſago. cap. 13.* dictat, ægritudines acutas à ſanguine fere & bile proficiſci, chronicas à pituita & melãcholia. Et *lib. 8. de decret. Hippocr. & Plato c. 6.* aſſerit, acutiſſimas & ardẽtiſſimas febres fieri à bile flaua: & *com. in 2. progn. Hip. t. 46.* affirmat, proprium eſſe bilis flauæ, vt acutas accendat febres. Ex quibus Sole meridiano clarius eluceſcit ratio, cur in morborum grauium initiis alui fluxus, quamuis crudorum humorum plurimum ſæpe proſit, quæ enim eſt turgeſcentiæ humorum, eadem quoq; alui iſtius fluxus eſt cauſa. Nam veluti natura cum materiæ ſubtilioris acrimonia & copia ſtimu-

Qui humores, & quomodo turgeſcant.

Quib. morbus turgeſcentia accidat.

Quá ratione vtiliſſimi ſint in initio morborum acutorum alui fluxus.

ſtimulata in corpus hinc inde eam impe lit & expellere feſtinat, ſed in expellendo à rectis viis, per quas egeratur, in his motibus aberrat, & ſic diſcurſum & oberrationem humorũ per corporis partes efficit, quam turgeſcentiam vocant, ita ſi ſtatim in ordinariam viam compellat & expellat, oritur alui fluxus, naturam à materia acri, inſtabili, vagabunda, nullamque coctionem recipiente liberãs. Quod ni ſua ſponte natura faciat, ſed humo es in corpore turgere ſinat, Medicus oraculo Hippocratis monetur, propter graues cauſas ilico eorum purgationem moliri. *Quam ſalubriter* itaque *humores turgentes initio purgantur pharmaco, tam vtiles ſunt in principio naturæ vi excitati alui fluxus.* Atque vt in declinatione natura ſalutariter humores concoctos eiicit, eademq; ceſſante Medicus per pharmacum idem molitur, ita in eorundem initio turgentes vel copioſos, niſi eadem ſponte ſua rite euacuet, Medico id recte peragendum relinquit. Iſti vero fluxus initio excitati ratione temporis & cruditatis, ſymptomatici, auxilii vero & vtilitatis, quam ferunt, gratia, naturales cenſendi ſunt, vnde aliis mixti nominantur. Nec minus eo ipſo etiam probatur in principio non tantum neceſſario humores turgentes, quod vago motu in corpus oberrent, ſed & idcirco, quod vt plurimũ ſint bilioſi, taleſque, qui nec coctionem recipiant, nec in vllam naturæ vtilitatem à calore natiuo conuerti poſſint. Quamobrem ſiue turgeſcãt, ſiue quieſcant, recte purgantur, antequam plene putreſcant, grauioremque & longiorem ac periculoſum inferant morbum. Poſſunt enim, quia tenues, quia ad fluendum apti, & ob malitiam ſuam à benignis humorib. vel iam ſeparati vel facile ſeparabiles, atq; à natura magis excretioni, quam coctioni deputati, vnde eam ſub initium adiuuantem & propitiam habemus, medicamento rite & commode expurgari.

Galeni ſententia cur humores turgentes initio vacuandi.

Verum quid cauſæ eſt, cur Hippo. iubeat turgentes humores initio ſtatim expellere? ait enim *in valde acutis purgandum, ſi materia incitet, eodem die, differre in talibus malum:* aph. 10. ſ. 4. Galen. *in com.* triplicem affert rationem, quarum prima eſt, ne hinc inde in corpore diſcurſans materia, in partẽ quandam nobilem decumbat, deinde, ne dum differamus purgationem, vires interea collabantur, vt ſuſtinendæ purgationi ſint impares, & humores nihilominus, propter malitiam & copiam corrigere nequeant; & demum, quod febris mirifice incremẽtum putredine humorũ inualeſcente ſit acceptura, quodq; iidem propter motum, nullius concoctionis, quę in quiete perficitur, ſint capaces. Nec tamen immerito etiam quæritur, cũ humores ſint tenues calidique & eorũ formidetur impetus in principes partes, cur non æque iubeat Hippoc. venæ ſectionem, qua calor & feruor prompte euentatur & fluxiones à mem-

membris nobilibus celeriter reuelluntur & auertūtur: an idcirco, quod bili vti humori qualitate peccanti magis conueniat pharmacum ſelectiue purgans? *ſi enim qualia oportet, purgentur, confert*; & quod bilis ſanguine miſſo vti adempto fræno, vt plurimum efferatur maioreſque motus cieat. Neceſſario quoque indagandum, an materia in acutis turgente initio ſemper purgandum, & num id ſemel vel iterato fieri conueniat, & an validis mediocribuſque pharmacis.

An turgeſcentibus humoribus ſemper purgandum, & quid per illa verba Hippocratis intelligatur, in acutorum initio raro & diligenti cum præmeditatione eſſe purgandum.

Hipp. *ſ.1. aph.24 ait raro & per initia purgandum*, idq; diligenti faciendum cum præmeditatione. Gal. *in cōmentario* vniuerſalem ponit regulam, ad quam collimare debet, quicunq; recte purgans, medicamentum præſcribere & exhibere volet. *Maiorem*, inquit, *ex infectorum humorū vacuatione vtilitatem conſequi oportet, quam ſit detrimentum, quod ex medicamentis purgantibus corpus neceſſario accipit. Maiorem vero vtilitatem eſſe continget, ſi & citra moleſtiam, & totus humor noxius infeſtusque euacuetur. Citra moleſtiam purgabimus, ſi corporis diſpoſitionem, humorum apparatum, virium menſuram, qualitatem & quantitatem rite æſtimemus. Hæc enim niſi recte comparata ſint, aliquando plus poterunt ad prohibendum purgationem, quam turgentium humorum indicatio ad præcipiendum. Diſpoſitionem corporis, quod attinet, fluxile id eſſe debet & vias lubricas per quas humor purgandus elabatur; nec hypochondria flatibus diſtenta nec ſub iiſdē vel in ventre viſcera inflammationis ſuſpecta, vel phlogoſi æſtuantia, ita vt vrina ſupra modum calida & ignea prodeat, nec cruditatibus ex multis craſſis, lentis eduliis abundare. Humores primarum venarum viarumque ſint tenuati & omnis lentoris expertes, medicamentum vero ipſum qualitate haut nimium acri & calida, & ratione virium non omnino vehementius, ſed ex eorum ordine, quæ caloris & feruoris expertia, blande tamen & adæquato humorem noxium educunt.*

Virium cumprimis magna habenda eſt ratio. Validæ enim aut mediocres ſufficientem tolerant purgationem, detritæ omnino nullam: & his proſtratis omni remediorum applicatione ſuperſedeat Medicus, Deoq; & naturæ negotium committat, niſi quidquam Chriſtianæ charitatis gratia moliri ſuſtineat, quod tamen edito prognoſtico ad calumniam euitandam, fieri par eſt. Imbecilles vires aliquam pro ſuo modulo, ſed exquiſita cōſideratione adminiſtrandam, permittunt purgationem. Vnde Actuarius *lib.3. meth. cap.8.* inquit, *etſi eadem materia in corpore turgeat, tamen in omnibus non eſt idem virium robur. Quare nec eodem modo tolerant purgantia: ſed quidam facile ſuſtinent vacuationem: aliorū vires ante exſoluntur, neq; eam confertam tolerare valent. Proinde illis ſemel aut bis exhibenda ſunt medicamenta: hi paulatim euacuādi. In omnib. vero facilitatem in purgando ante expendere oportet, ne temere & inconſiderate ijs, qui prompte purgantur, valida, ijs vero, qui ægre, debilia*

Actuarii de purgatione turgeſcentium ſententia.

lia præbeamus. Illa enim iis, quibus fuerint exhibita ὑπερκαθάρσεως minitantur, his vero agitantia & commouentia humores, interdum ad partes principales tranſmittunt, deterioremque affectionum anſam præbent. Gal.*lib.9.meth.cap.*10. eleganter & præclare tradit, quomodo ſint tractandi, qui cum humorum corruptorum abundantia debiles obtinent vires; ſic enim ait, *Ergo, quod corruptum eſt, alienum à natura eſt, quod tale eſt, id ſe auferendũ dictat.* Si igitur cum virib. imbecillis corruptela incidit, vtique quod affectus remedium eſt, id cum virtutis cuſtodia pugnat, ſiquidem affectũ vacuãdum eſſe præcipit, idque vel vena inciſa, vel purgatione. Harum autem neutrum ferent vires imbecillæ. Quoniam autem in omnibus illis repugnantiis incerta ſuccurrendi ratio eſt, alias inſanabilis omnino affectus relinquitur, alias ſpatio & ægre, idque ſi magnum nactus ſit Medicum, ſanari poterit. Oportet namque vbi indicationes ita ſibi aduerſantur, & paulatim, quod vitioſum eſt, vacuare, & paulatim inuicem, quod ſalubre eſt, pro eo reponere. Vocant vero Medici eiuſmodi vitioſi ſucci curationem, Græce ἐπίκρασιν. Quomodo autem vires & corporis conſtitutio purgationem definiant, vel determinent, & quo pacto ἐπίκρασις inſtituenda, vide *ſupra.* Quamobrem ſi virtus conſtet, viæ ſint patentes & liberæ, cruditas maxima craſſorum abſit, nec inflammatio vlla ventrem inferiorem obſideat, nec flatus hypochondria tendant, vel ſuſpendant, omnino turgentes humores, quam celeriter ex lege *ſuperius* dicta expellendi fuerint.

Quomodo fiat purgatio per epicraſin.

Quib. conditionibus humores turgentes ſtatim ſint vacuandi.

CAP. XXVII.

De vniuerſalibus & particularibus morborum temporibus. An in paroxyſmis febrium ſemper, an aliquãdo, quib. & quomodo conueniãt purgantia. In continuis cum & ſine remiſſione & in intermittentium tali complicatione, vt nullum videatur intermiſſionis ſpacium, quo tempore purgandum. In quartanarum & febrium ab humorum craſſitie & pertinacia dependentium paroxyſmis vomitum & purgationem per inferiora conuenire poſſe.

IN purgationib. decernendis & adhibendis triplex ſpectatur tempus, videl. morbi, anni, & diei. Tempora morborũ ſunt duplicia, nempe vniuerſalia, quæ totius morbi partes cõſtituũt, vel particularia, quę acceſſionum in morbis periodos definiunt; & vtrobique eodem, principii, incrementi, vigoris & declinationis nomine indigitantur. Vniuerſalia morborum tempora ex operatione caloris natiui in humores, horumque coctione & cruditate potiſſimum dependent. Quomodo & quo tempore in eis purgationem moliri conueniat, prolixe hactenus diſputatum &

Quid vniuerſalia morborum tempora conſtituat.

 demon-

demonſtratum eſt. Vti vero ex cruditate & coctione definiuntur tempora morborum, ſic etiam purgandi. Dicebat enim Hippoc. *cocta eſſe purganda, non cruda, nec initio morborum*; proinde nō ante illud tempus, quod certa humorum coctione definitur, & ſtatus aut declinatio nominatur, purgatio decernenda erat. Verum cum multa interueniant, quorum opera coctio impediatur, & nihilominus humores quocunque modo affecti ſiue crudi, ſiue cocti, aut ſuperati, niſi protenus eiiciantur, ægrum in certiſſimum vitæ diſcrimen præcipitant, præter coctionem conſideratur turgeſcentia, copia, motus in partes nobiles athroos factus, mala qualitas vel diſpoſitio nullam ſubactionem aut naturæ dominium admittens, ſitus, & humorum conſtitutio, quatenus cauſæ antecedentis habent rationem. Turgentes enim ipſe Hippocrates non exſpectata coctione in principio purgare iubebat; copia, ſi naturam obruat vanum, & cum ægri periculo coniunctum concoctionem exſpectare. Quorum talis eſt diſpoſitio, vt veram, de qua prolixe egimus, concoctionem non recipiant, quoſque natura potius excernere, quam retinere & ſubigere tentet, quiq; retenti & à calore tentati magis efferantur, quam miteſcant, primo quouis tempore & quacunque affulgente vel parata occaſione educere tempeſtiuum eſt. Permittere, vt humores cauſam antecedentem conſtituentes in continentem & proximam morbi cauſam degenerent, à ratione alienum eſt. Qui in primis viis & proximis locis conſiſtunt, quacunque præparatione prævia, quocunque fere morbi tempore, recte vero ſemper in principio & augmento eiiciuntur. Influentium in nobilem quandam partem humorum reuulſio, quę tum venæ ſectione, tum purgatione, pro eiuſdem natura & qualitate perficitur, remedium eſt initiis morborum conueniens. Et cedo, cum ex actione caloris natiui in humores horumque coctione & ſubactione tēpora morborum conſtituantur & determinētur, quomodo humoribus, qui vel turgeſcentia, aut copia, vel mala qualitate ſuaq; indole nullam concoctionem recipiunt affectum cauſantibus, vllum morbi tempus præter principium, & vllam purgandi occaſionem obſeruare aut colligere fas ſit? Soli enim morbi ſalutares, & quorum materialis cauſa naturæ dominium recipit, vniuerſalia quatuor tēpora percurrunt, & in his definite ſua lege & ordine agit. Primo coquit, dein ſeparat, tandem purgat, vel iuſtam purgādi occaſionem Medico decernit & relinquit. Atqui vbi talis benefica non eſt materia, vt hanc caloris & naturæ operam recipiat, in iis ægrimoniis, nec vlla tempora definire, nec definite & ſua lege agere poteſt; ſed vel obruta multitudine ſuccumbit, aut irritata mala qualitate turbate agit, in operatione ſua deficit, ancipitique

Cum ex coctione materiæ oriantur morborum tempora, & ſimul indicatio purgandi, neceſſario illa materia, quæ coctionem non recipit in initio expurganda eſt, quia ad declinationem morbum peruenire non admittit.

que conatu omnia facit, & niſi iuuetur, ſubito aut quacunq; euacuatione humoris anomali nullam naturæ ordinariam determinationem recipientis ſubleuetur, omnino fatiſcit. Quo vno argumento illi, qui omnium pariter humorum coctionem ad purgationem exſpectandā, nullamq; euacuationem in principio morborū tentandam eſſe ſtatuunt, permoueri merito debebant, vt ab hæreſi ſua, ægris perniciosa ſibique parum honorifica vel vtili deſiſtant.

An in particularibus morborum acceſſionib. exhibenda purgationes.

Quo vniuerſali morborum tempore purgationes adminiſtrādæ ſint, vidimus; num vero in acceſſionibus & particularibus febrium temporibus eædem exhibendæ, in dubium à multis vocatur & diſquiritur. Sunt, qui nullis non rationibus & auctoritate freti acceſſionis tempore pharmaca propinanda eſſe contendunt tali vtentes ratiocinio; quod materia à natura ſit attenuata & in motu, vt expellatur, & quod hæc plerumque in paroxyſmis vacuationes moliatur, qua via & methodo Medicus inſiſtere, eamq; imitari merito debeat. Et quod ſi acceſſionis tempore purgare non ſit licitum, in multis grauiſſimiſq; febribus, quarum tamen cum ex cacochymia natæ ſint, purgatio præcipuum ſit remedium, eadem nequaquam adminiſtranda foret, & ſic præſtātiſſimo defraudaremur in harū curatione remedio, nō ſine lethali & exitioſa ægrorum calamitate. Sic enim in febribus, quæ nullas periodos certas, nullaſque remiſſiones habent, quales ſunt ſynochæ & continentes, quæque vna finiuntur acceſſione, qua humores in vaſis maiorib. cordi vicinis continenti incendio illud vitale principium caloremq; natiuum igniculantibus putreſcentes vna interrupta ſerie, aut ex toto abſumuntur, aut concoquuntur, vel vtrumque patiuntur, aut quæ quidem periodos & exacerbationes remiſſioneſque habent, nullas tamen intermiſſiones interpolatas vt ad apyrexiam & infebricitationem deueniant, experiuntur, quales ſunt continuæ tertianæ, quartanæ, cottidianæ, aut, quæ quidem ex pure intermittentiū ſeu ad infebricitationem deuenientium ſunt genere, verum, quod qualis cottidiana & tertiana duplex, quartana triplex, quarum acceſſiones ſeſe mutuo accipiunt, ita vt cum vna nondum finita ſit, altera ingruat; nulla daretur purgandi occaſio, cum tamē illæ abſque purgationis opera, quod ex cacochymia ortæ ſint, omnino non, aut rariſſime, idque fortuito aut ſolius naturæ ſupra modum robuſtæ beneficio curentur.

His rationibus ſtabilitam opinionem auctoritatibus quoque Galeni, Hipp. Auicennæ, Tralliani, Aetiique muniunt. Galenus *libro, quos purgare conuenit, in acceſſionibus per ſuperiora, in intermiſſionibus per inferiora purgandum eſſe docet.* Hippocrates in quartanæ paroxyſmo primo vomitorium exhibet, & aliquot interpoſitis diebus

purgans pharmacum per aluum. Auicenna *lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 64.* in quartana qualibet, potiſſimumq; illa, quæ ex aduſto phlegmate ortum ducit (opinatur enim ex quouis humore per aduſtionem induente naturam atrabilariam aut melancholicam generari quartanam) paulo ante ingruentes paroxyſmos vomitoria exhibere præcipit, ſi modo æger facile vomat, quocirca vomitum nominat *radicem curationis quartanæ.* Trallianus *libro 12. capite 8.* craſſis in orificio ventriculi hærentib. humoribus, laudat vomitum in acceſſionum initiis, & quod tunc potiſſimum eo moueantur humores, nauſeam parientes & ſtomachum rodentes, quib. ſimul reiectis, paroxyſmi minuantur & portione materiæ deterioris vna remota, quartanæ ſæpe finiantur. Idem ſentit Aetius *Tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 84.* recenſens eos, qui crebris vſi vomitionibus, partim à quartana prorſus vindicati, partim in ſtatum tolerabiliorem perducti ſint. Hæc opinio etiamſi quandam probabilitatis ſpeciem præ ſe ferre videatur, tamen omnino nec admittenda, nec prorſus ſequenda fuerit. Rationes, quod attinet, quamuis materia in paroxyſmis moueatur, ſitq; attenuata & calfacta, tamen medicamento aluiduco ad ventrem trahenda non eſt, quod natura in iſtis motibus ad peripheriam expellat, & ſæpe vna ad ſtomachum vbi nauſeam, vomitumque parit, rarius ad aluum. Proinde ſi paroxyſmi tempore detur pharmacum purgans, natura turbatur & ab opere ſubigendi expellendique è venis in corporis habitum auocatur, contrarii excitantur motus, videlicet à centro ad circumferentiam, ſimulque ab hac ad centrum, quod natura impune non ſuſtinet; & cum eodem tempore à paroxyſmo infeſtatur, pariterque à medicamento lancinatur, mirificè vires conuelli neceſſe eſt. Demum cum in paroxyſmis teſte Galen. *com. 3. in lib. 1. Epidemiorum*, criſes fieri ſolent, nequaquam iiſdem infeſtantib. purgatio inſtituenda, *quæ enim iudicantur & iudicata ſunt, non debent moueri.* Et ſi ſit ita, quod natura ſæpe in paroxyſmis moueat euacuationes, non tamen ſequitur, purgationes idcirco ſimul inſtituēdas, quia primo explorandum, quid vires ferant, dein, quid adhuc ignoretur, per quas vias natura ſit factura vacuationem, num per ſeceſſum, vomitum, ſudores, vt plurimum enim per ſpiracula cutis aut vomitum expellit. Si vero natura ad aluum inclinaret, ſufficientem molitura ſuperflui expurgationem, fieri poſſet, vt accedente pharmaci ſtimulo hypercatarſis excitaretur, & æger in ſummum virium diſpendium præcipitaretur. Naturæ itaque motus erit præſtolandus, qui, ſi ſufficienter promoueat, vlterius nō eſt impellendus, ſin minus, nequaquam in paroxyſmo (quamuis vomitu deficiente naturæ conatus tuto iuuari poſſit) aluiducо ſtimulandus erit.

Si in paroxyſmis febrium dentur purgantia, contrarii humorum motus naturā turbant & deiiciunt.

Alteram,

Alteram, quam prætendunt rationem, ſi ad Lydium lapidem fricemus, nullius quoque momenti apparebit eſſe.

Febres enim, quæ ita ſunt continuæ, vt vnica interrupta ſibiq; ſemper æquali acceſſione perdurent ad finem, aut quæ quidem remiſſiones, nullas tamen inſtar pure intermittentium intermiſſiones habent, aut quæ quidem natura intermittentes ſunt, ita tamen duplicatæ, triplicatæue, vt vnum quaſi continuum morbum paroxyſmis ſeſe mutuo & catenatim excipientibus, conſtituant, ſua habent etiam purgandi legitima & iuſta tempora, ſi rem recte putemus. Sunt, qui diſtinguant inter vrgentis neceſſitatis caſum & liberam eligendi commodum purgādi tempus poteſtatem, hoc nos in intermittentib. potiri aſſerunt, in illis verò neceſſitati ita conſulendum eſſe, vt exhibeamus pharmacum ratione exigētis & indicantis cacochymiæ, cuius operatione etiamſi natura commoueatur, maius tamen oriatur commodum, quam ſi eo non exhibito & retenta materia morbifica fatalia quæuis & ſæpe certiſſimam ægri ruinam cogamur exſpectare. Vnde ex Galeno concludunt ſatius eſſe, aliquando cū nonnullo periculo aliquid facere, quam permittere, vt nullo tentatus remedio æger in fata concedat; & ſæpe eligendum eſſe illud, quod minus noxium eſt, vt euitetur hoc, ex quo grauior noxa incidere poteſt. Verum hæc reſponſio ex omnibus iſtis morbis tales producit ſtatuitque affectus in quibus omnia dubii pleniſſima, & in quorum curatione vix, ac ne vix methodice procedere liceat, cum tamen Hippocr. & Galen. longe aliter nos docuerint. Quod itaque ſynochas febres ſeu continentes attinet, de iis maxime; ſunt enim acuti & peracuti, Hippocrates præceptum reliquit *aphoriſ.29.ſect.2. Incipientibus morbis ſi quid mouendum videtur, moue: vigentibus autem quieſcere melius eſt.* Et huius rei rationem, *proxime ſequenti aphoriſmo*, quod *circa initia & finem morborum omnia ſint remiſſiora, in vigore autem vehementiora.* Eo ipſo voluit diuinus ſenex monere, tempus mitius, & quo æger ſymptomatis minus affligatur, ad purgationem inſtituendam eligendum eſſe id, quod ſit initium & finis, cum in principio natura nōdum ad luctam cum morbo, quæ inchoatur in augmento, & in vigore maxima eſt, deſcenderit, & quod in declinatione certamen edomitis victiſque cauſis morbificis, excretioni deſtinatis, finierit, de qua doctrina vberius *ſuperius* actum eſt. Si vero incidat neceſſitas, vti ſi neglecta in initio purgatione, alio etiam tempore, videlicet in augmento compellamur eandem adminiſtrare, ſemper iſta diei pars ad hanc rem perficiendam erit eligēda, qua obſeruauimus ægrū meliuſcule habere, quaque minus affligitur. Galen. in morbis maxime continuis certas dierum partes ſeu horas, quibus ægri mitius & tolerabilius habeant, docet. In cæteris continuis

Quo tempore in puris continuis & ſynochis, & quando in cōtinuis remittentibus ſeu tertianis & quartanis continuis vacuandum.

cinuis, non ex toto æqualibus, ſed certas remiſſiones habentibus, res per ſe plana eſt, videlicet illud tempus intercalare, quod acceſſionibus interiectum, quo accidentia ſunt remiſſiora, purgationi deſtinandum eſſe. Intermittentes adeo duplicatæ, triplicatæve, vt acceſſiones ſeſe mutuo excipiant, illud cedant tempus, quo prior paroxyſmus declinare incipit, neque tamen alter confeſtim inuadit, quod vti in fine & principio morborum vniuerſali, ita & paroxyſmorum particularium omnia ſint remiſſiora, vbi ſic dirigendum negotium, ne in vigorem proxime ſequentis paroxyſmi maxima purgationis operatio incidat. Vti enim morbi ſua vniuerſalia, ita & quælibet acceſſiones ſua eiuſdem naturæ particularia obtinent tempora, & quemadmodum in ſtatu vniuerſali, ſub cuius finem maxime criſes contingere ſolent, nihil mouendum, ſed naturę negotium committendum, ita etiam particulari acceſſionis ſtatu ſeu vigore, naturæ lucta eſt cum morbifica materia, quam tunc maxime ſubigit, & expellere cõmode molitur. Quapropter neque tunc per pharmaca ab opere auocanda & turbanda, quæ etiam veriſſima ratio eſt, cur in acceſſionibus non ſint exhibenda purgantia; quod ſuas operationes ipſo ſtatus tempore eſſent excitatura.

Auctoritates medicinæ procerum allegatas, quod attinet, iis nihil aliud docetur & traditur, quam vomitus in acceſſionibus particularibus & conuenire, & excitari tutius poſſe, in ſolius autem quartanæ paroxyſmis vtiliter etiam pharmacum alui ducẽ *interdum* dari: q̃ ſententiam vti per ſe rectã & vtilẽ eſſe non ignoramus, ita eandem amplexamur & defendimus. Cum enim natura in paroxyſmorum initiis vel ſtatu ſæpe excitet vomitus, & in iiſdem ad cutem & ventriculi partes ſuperiores excutiat materiam, qua reiecta æger multum leuatur, morbuſque minuitur, haut inutiliter in acceſſionibus vomitoria non nimis vehementia, cum animaduertimus, materiam ſurſum vergere, naturamque ad expulſionem non ſufficere exhibemus, eiuſq; conatum iuuamus. Imo experimur, febres diuturnas & contumaces, quales tertianæ nothæ, quartanæ & cottidianæ, niſi vomitorii efficacia in acceſſionibus, cum natura ſuo more materiam craſſam, lentam, viſcidam, & indomitam ſurſum mouere annititur, laceſſantur, & coadunato naturæ remediique opere, eadem quaſi cum aliqua violentia exturbetur, vel quam longiſſime protrahi, aut ægrum prorſus conficere, vel ſæpe nullam aliam curationem recipere, vt non inſcite Auicenna dixerit, *vomitum eſſe radicem curationis quartanæ*, & Galenus *in acceſſionibus purgandum per ſuperiora, in intermiſſionibus per inferiora.* Quomodo autem, & qua ratione vomitus in acceſſionibus quartanæ & cæteris febribus conueniat, vide *ſupra cap.*

Quomodo in quartanis febribus à craſſo & pertinaci humore ortis vomitus & purgatio conueniant.

Vomitus radix eſt curationis quartanæ.

cap. de vomit. Solam autem quartanam in acceſſionibus *aliquando* etiam purgationem per inferiora vtiliter admittere, diuini ſenis oraculo promulgatum & experientia multiplici comprobatum eſt. Materia iſtius febris craſſa, fæculenta & ſubfrigida terreſtriſque eſt, nec facile medicamentis etiam fortioribus tentata obſequitur, vel cedit, in acceſſione vero mota, agitata & quodammodo tenuata & calfacta naturæ pharmaciq; concurrente operatione promptius minoreque moleſtia educitur, facultas commodius iuuatur, morbuſque citius euincitur. Vnde & Fernelius ait, præſtare ante acceſſionem, quam mox ab ea & pridie quartanæ, quam poſtridie medicamento vti. Non ſemel in empiricorum curatione obſeruaui, quartanarios ab aliis derelictos & multis menſibus febrem contumacem & quaſi incurabilem poſſidentes, vel ipſo *antimonio vitrificato* vel eodem cum nitro calcinato & in paroxyſmorum initiis vel paulo ante eorum inſultum exhibito, quam fæliciter & celeriter à tædioſo pertinaci & chronico affectu liberatos eſſe. Hac eadem ratione dieb. acutorum morborum imparibus, imo decretoriis, quibus tamen natura non erat decretura purgationes fiunt vberiores & expeditiores, paribus autem tutius perficiuntur.

CAP. XXVIII.

Quo anni tempore, qua diei hora, conuenientius ſumătur purgantia, quæ tempeſtas commodior, quæ ſyderum ortus, coniunctiones & lunæ ſchemata obſeruanda: an paulo poſt ſumptum pharmacum recte cibus exhibeatur: an cibis cōmiſceri vel inter fercula ſumi rite queat, an differendus cibus, dum omnis operatio abſoluta.

NON leuis incidere poſſet dubitatio ei, qui ex *aphoriſmo* 47. *ſ.* 6. didicerit, *vernū tempus euacuationibus, quæ venæ ſectione & purgatione perficiuntur, conuenientiſſimum, æſtatem vero incōgruam eſſe*, iuxta *Aph.* 5 *ſ.* 4. *ſub canicula & ante caniculā difficiles & moleſtæ ſunt purgationes*, & diuerſum videat dictare eundem Hipp. *ſ.* 4. *aphor.* 4. vbi docet, *æſtate ſuperiorem, hyeme vero inferiorem ventrem potius vacuandum eſſe.* Hæc antiphænomena & contrarietatis quippiam præ ſe ferentia vt recte explicentur & concilientur, tenendum, tria generalia munera eſſe totius medicinæ practicæ, videlicet conſeruationem, prophylaxin ſeu præſeruationem & therapeian ſeu curationē. *Conſeruatio* debetur facultati & perficitur ſimilibus; *præſeruatio* conuenit cauſæ morbū facturę vel cauſæ antecedenti continentem aut proximam fouenti; *curatio* ꝓprie dicta ipſi morbo. *Conſeruatio* perficitur ſimilibus, quando ſubſtantiæ noſtræ ex actione caloris natiui in humidum diſſolutione cōtinua effluuium ſalubri diæta re-

Tria munera medicinæ practicæ, conſeruatio, præſeruatio, curatio.

Quod ſit conſeruatricis munus.

ta reficitur, eaque in ſuo, quantum poſſibile eſt, ſtatu conſeruatur; deinde cùm excrementa, quæ ex alimentorum in ſubſtantiam per cõcoctionem conuerſione reſultant (ſimilia enim plane non ſunt alimenta, ideoque mutatione indigent, in qua id, quod aſſimilari nequibat, reiectaneum & excrementitium euadit) debite expelluntur, ne coaceruata morbificis cauſis materiam ſubminiſtrent, & tertio cum leuiora minuſque ſenſibilia contracta à cauſis neceſſariis externis, vel internis corriguntur, animalq; ne præpropere ſicceſcat vel conſeneſcat, prohibetur.

Quomodo curatio perficiatur.

Curatio & *præſeruatio* perficiuntur contrariis; debentur vero contraria primum morbo, deinde cauſæ propter morbum, quæ vtraque ſui ſublationem per contraria exigunt.

Curatio proprie debetur morbo eiuſque cauſæ formali & continenti, quæ vnam eandemque cum morbo habet indicationem, quippe, quod ea poſita ponatur morbus, & remota remoueatur.

Præſeruatricis officiũ

Præſeruatio peculiariter debetur cauſæ antecedenti, quæ duplicẽ habet reſpectum; vel enim in corpore exiſtit & nondum actu morbum ꝓduxit, ſed ni auferatur, ꝓductura eſt. Corpora vero talem cauſam ſuſtinẽtia nondum quidem ſunt ægra, ſed tamen in morbũ procliuia & in medio ſtatu inter exacte ſana & actu ægrotantia: vel iam morbum genuit eundemque fouet, & hæc eſt proprie morborum in fieri, quę cauſam ſuam in motu habent; ex priori oritur pure præſeruatiua, ex poſteriori miſta indicatio, ex præſeruatiua partim, & partim curatiua. Ait enim Galen. *ſect. 2. com. 22. vbi cauſa, quæ morbum peperit, abeſt, ibi ſola facti morbi curatio reſtat.* Vbi contra cauſa morbum nondum committit (exempli gratia plethora, quæ ineſt in corpore) eiuſdem remotio ad artis partem ſpectat, quæ prophylactice à ꝓuidendo ſeu præſeruando dicta eſt. Quando vero iam morbũ facit, id tum quodammodo ex prophylactice & theraupeutica miſtum eſt. De morbo ſiquidem quantum faciẽdum reſtat, id ne fiat, prouidere oportet, atque hoc artis prophylacticæ munus eſt; quantum vero iam factum eſt, propria indiget curatione.

Cauſa itaq; antecedens eſt in corpore vel ſine morbo, vel cum morbo. Morbus eſt in fieri vel in facto; illius prohibetur vlterior generatio & fomentum, ſi adimatur cauſa antecedens; hic vero etiamſi non amplius ab antecedentis fomentatione depẽdeat, neque in generatione adhuc ſit, tamen non niſi ea remota & exempta curari abigiq; poteſt, vt in illo generantis, in hoc cauſæ, ſine qua non, rationem habeat.

Quando itaque cauſa antecedens ſic exſiſtit in corpore, vt morbũ nondum actu produxerit, ſed eo profecit, vt producere poſſit, eius remotio præciſe vocatur præſeruatio, quæ recte

[Q]uid ſit [pr]æſeruatio [pr]oprie dicta.

ctè definitur, cauſæ morbos facturæ ablatio. Cum vero cauſa morbum actu produxit, eius quidem, quod genitum eſt morbi cauſæque gignentis ſublatio ex præſeruatione & curatione miſtum quippiam exſiſtit, & tamen curationis nomine ſimul comprehendi & exprimi poteſt, teſte Galen. *lib. 9. meth. c. 2.*

His perſpectis, facile liquet, quæ ſit mens diuini ſenis in aphoriſmis *ſuperius* allegatis, ſpeciem quãdam cõtrarietatum præ ſe ferentibus. Quando enim Hippoc. *Vere conuenientiſſime* & Galenus *in comm. autumno quoq; non inconuenienter fieri purgationes aſſeruit*, idque his commodius, quam cæteris anni partibus, non intelligunt purgationes quatenus ad curationẽ morborum actu in corpore exſiſtentium & iam genitorum adhibentur; ſed quo ad cauſ s, quæ quidem nondum genuerunt morbos, at ni remoueantur, producturæ ſunt, eximunt, atque ſic ab iiſdem præſeruant.

Purgationes itaque *præſeruationis gratia* conuenientiſſime vere & autumno dari, *curationis* vero cauſa æſtate potius per ſuperiorem ventrem, hyeme per inferiorem educere, & cũ quilibet morbi quocunque tempore incidant, pro natura & indole horũ, indicationumque neceſſitate, quouis tempore hoc vel illud vacuationis genus rite adhiberi aſſerunt. In præſeruationib. enim cum necdũ morbi præſentia vrget, merito rationem tẽpeſtatis habemus, qua naturæ facile vel ægre purgationes ferant, In curationibus autem morborum iam infeſtantium vbi potiſſima ſalutis ratio in materiæ morbificæ ablatione conſiſtit, cum impoſſibile ſit, vllum remoueri morbum, manente, quæ eum genuit, cauſa, ſtultum eſt exſpectare tempus vernale aut hyemale, ante cuius aduentum ægri ſæpe è medio ferantur.

An præſeruandi cauſa purgatio non niſi vere & autumno recte aut conuenienter inſtituatur.

Etiamſi vero rei Medicæ auctores ſic diſtinguant & doceant, purgationes præſeruandi gratia adminiſtrandas in vernũ vel autumnale tempus differendas eſſe, tamen illud pro vniuerſali & ſtricta regula haut tenendũ arbitror. Si enim ſignis euidentibus appareat, ſubeſſe cauſas, quæ morbos graues & periculi plenos celeriter inducere poſſint, & externæ internas varie mouere ſoleant, vt etiam incertum ſit, citius, an tardius eos producturæ ſint, & iuxta tritum illud;

Ægrius eiicitur, quam non admittitur hoſtis:

Non arbitror, purgationem, qua eædem tempeſtiue reiiciantur, longius differendam, neque exſpectandum, donec morborum cauſæ actu fiant, ſed æque, vt in morbis, quouis tempore, methodice expellendas eſſe. Maius enim periculum ex morbo, quam ex temporis inconuenientia oritur.

Aër, in quo verſatur vtens in rem præſentem debite alterari poteſt, ne vel calor æſtatis, aut hyems frigus nimium incommodent. Proinde ſci-

te monet Hollerius, diligenter notandum eſſe tempus, quo ſolet redire morbus, nec dicēdum, quod purgatio vel venæ ſectio ſit potius inſtituēda menſe Maio, quam alio. Nam ſiquis menſe Maio ſit febribus obnoxius, aut alicui morbo, anteuertendum Martio vel Aprili; ſi menſe Aprili, occurremus Februario vel Martio.

Cur vero æſtiuo tempore ſub canicula & ante caniculam difficiles & moleſtæ ſint purgationes, Galenus triplicem attulit rationem, videlicet, quod tunc corpora & humores ſpiritusque ſint ab ambientis calore feruida, quæ ſi medicamentis purgantibus, vt plurimum calore quoq; pollentibus agitentur, facile febres incurrent: quodq; propter ſpirituum & humorum ab æſtu diſſolutionem naturæ ſint debiliores, & exhibitis pharmacis contrarii motus, quos iniquiſſime ferant, excitentur, calore ambientis ad peripheriam & medicamento ad centrum corporis materiam trahente. Vulgo autem illud æſtatis ſpacium, quod à fine Iunii vel initio Iulii inchoat, & decimoquinto die Auguſti terminatur, medicamentorum purgantium vſui, maxime infenſum eſſe fertur. Notandum tamen, aphoriſmum allegatum potiſſimum locum habere in regionibus calidiſſimis, iiſque, in quibus vixit Hippocrates, cuius ſeculo etiam validis calidiſque & vehementer agitatoriis remediis vtebantur; nos vero cœlo magis temperato fruentes, & benigniora, quibus præſertim a ære ſicco & feruēte vtamur, ad manus habentes, hoc ipſo tantopere nō obligari, cum experientia cottidiana aduertamus, non adeo vehementia aut inſolita ſequi ſymptomata purgantibus pharmacis hiſce diebus apud nos vſurpatis. Hyeme difficilius procedere purgationes in confeſſo eſt, quod corpus frigore ambientis ſit magis condenſatum, meatus conſtipati humores pigriores & quaſi concreti, ad motum ineptiores, & in profundum protruſi aluusque ſicca & dura.

Quanta vtilitas ex vernali purgatione redundat, & cur ea adeo ſalubris.

Vernum itaque tempus primario, dein autumnale euacuationibus vniuerſalibus adminiſtrādis valde opportunum eſt, quod in illo corpora aëris feruore nō debilitentur, nec ſpiritus exhauriantur, humoresve ad peripheriam ferantur, neque etiam denſentur, coagulentur, aluique ſiccentur & conſtringantur, ſed ſuaui eius tepore omnia laxentur, humores fundantur fluxibilioreſq; fiant. Natura enim, vti in plantis verno tempore, ſic & hominibus repurgat, coquit, vtile ab inutili fermentatione humorum excitata ſeparat, quam occaſionem Medicus animaduerterere debet. Vnde Galenus præcipit, horum, qui integra ſunt valetudine, ſed poſtea ęgrotaturi, niſi vacuentur, ineunte vere anticipandam euacuationem per phlebotomiam, ſi plethoricis morbis corripiantur, vel per purgationem, ſi morbis ſint ab humorum

morum corruptione pendentibus obnoxii. Hoc pacto ſe complures à morbis præſeruaſſe, iiſque incolumitatem defendiſſe, qui alioquin quotannis ægrotarant, ipſe teſtatur. Hac ratione Melancholicos, cancroſos, elephantiacos, quotannis horũ morborũ inſultus paſſos ab imminentib. iiſdem vernali purgatione humoris melancholici, apoplecticos, epilepticos, aſthmaticos, pituitoſos, arthriticos, cum magno feruore; bilioſorum; qui cum tumoribus frigidis pituitoſorum vacuatione præſeruauit. Monet autem eos, qui morbis tentantur à bile pallida natis, ſub veris finem; qui vero ex craſſis humoribus patiuntur, quales ſunt melancholici, epileptici, apoplectici, ineunte vere vtilius purgari, & ſimul innuit, hos, qui à craſſa materia certis anni temporibus, aut interuallis redeuntes experiuntur, non ſolum vere, ſed & autumno ad maiorem cautionem eſſe purgandos. Eſt enim autumnale tempus poſt ver ad purgationem aptiſſimum, quia vires in eo ſunt valiores, quam tempore æſtiuo, idque ob deferueſcentem aeris calorem & meatus liberiores, fluxibilioreſque quam hyemali tempore humores.

Quanta vtilitas in vernali purgatione redundat, & eam adeo ſalubris.

Quare autumno & quib. purgare conueniens.

Quæ anni partium eadem quoque tempeſtatum eſt ratio, Auſtrina conſtitutio, quia calida & humida eſt, corporaque humectat, laxat, humores liquefacit, aluumque promptiorem reddit, ad purgãdum magis eſt accommodata. Aquilonia vero frigida & ſicca corpus & excrementa ſiccans, retentricem firmans, & organa ſtringens ineptior eſt. Et cum quorundam ſyderum ortus repentinas aeris afferant mutationes, quib. corpora ſic diſponantur, vt pharmaca purgantia difficulter ferant, aut iiſdem iuſto ampliora excitentur alui profluuia, eoſdem & nõnullas cõiunctiones obſeruare neceſſum eſt, & cum primis, quando Arcturus & Pleiades cum Sole oriantur, vti & canicula. Similiter obſeruanda æquinoctia omnia, vti & nouilunia & plenilunia. Magnas enim operantur mutationes in aërem & hæc inferiora, Phœbi ſoror, cuius efficacia vel ex ſolo maris æſtu & ad creſcentem, decreſcentemque lunam incremento decrementoq; ſatis apparet, Quamobrem, niſi ſumma neceſſitas vrgeat, his temporum tempeſtatumq; articulis differendæ aut comperendinandæ purgationes.

Quomodo ſit ratio tempeſtatũ & ortus ſyderum & coniunctionum certarum & lunæ ſchematum habenda in purgando.

Hactenus, quo morbi & anni tempore purgantia conueniant, ſupereſt, vt diſpiciamus, qua diei hora recte vſurpentur. Matutinam artis noſtræ architecti, niſi quid impediat (in morbis tamen, qui per circuitus ſuos faciunt paroxyſmos, illud tempus præciſe obſeruari nequit) eligendam præſcribunt, quod coctiones peractæ, vires ſomno & nutrimento refectæ, ventriculus vacuus, excremẽta depoſita, & illa hora ſit cæteris natura temperatio. Verum cum quædam pharmaca purgantia, longe, quę-

Qua diei hora conuenienter dentur purgantia.

dam breui ante cibum recte ſumantur, imo quidam cum cibo & à cibo eadem propinent; manifeſtum eſt, nõ ſemper illam recipi horam. Quæ paulo ante cibum exhibentur, ſunt de genere leniter, ſed tamen electiue purgantium, vel ex vehementiorum claſſe. Illa idcirco dimidia vel integra hora ante cibum exhibẽtur, quia calor natiuus, cum partim alimentoſam contineant ſubſtantiam; veluti *manna, caſſia, tamarindi*, in alimentum facile conuertat & eorum vim purgatricem celeriter euincat, quod, ſi poſt eorũ vſum exiguo temporis interpoſito cibaria exhibeantur, quæ eum ſua iucunditate & familiaritate ab actione in pharmacum & eius ſubactione ad ſui cõcoctionem auocent, præcauetur. Quamobrem tanto aiunt temporis ſpacio differendum cibum, donec incaleſcat, attenuetur & colliqueſcat pharmacum, dein eundam offerendum, vt natura ab illius ſubactione auocetur, & interim dum ei negotium eſt cum alimento ſubigendo, pharmacum actuatam operationem ſuam perficiat. Hoc pacto natura relicta vi medicamenti integra, cibum rem ſibi magis familiarem adoritur, eumque coquit, pharmacum vero humores attrahere & aluum mouere permittit.

Qua ratione paulo poſt aſſumpta phar. maca commode detur cibus.

Vti paulo poſt aſſumpta leuiter vacuantia, quo eorum operatio promoueatur, ita etiam poſt vehementium pharmacorum vſum exhibetur cibus, & cum primis ptiſana, vim leniendi & detergendi habens, aut ius cicerum cum ſaccharo, vel galli veteris, tunc præſertim, cum mordicationem oris ventriculi, dolorem feruoremque circa ſtomachum & epar & vapores capu: petentes eiuſq; grauedinem & pulſationem excitent. Galen. *comment. in lib. de vict. acutor. t.* 13. inquit, *maxime quidem ventris ori, quod & ſtomachum vocant, vt in purgantium medicamentorum potib. illæſum maneat, conſulere oportet: præſertim cum febricitantibus tale quippiam propinatur.* Præcipue autem ne offendatũr cauemus, ſi non ſyncerum offeratur medicamentum, ſed cum aliis, quæ eius malitiam hebetare nata ſunt temperatum miſtumque. Omnium enim catarcticorum natura, corporũ, quæ purgantur, naturis eſt contraria, atq; vt quiſpiam dixerit, lethalis vel deleteria. Vt autem ſucci *papaueris, mandragoræ hyoſciami & ſimilium* ſimplicium, quæ nobis & ſubſtantia & virib. aduerſa corpus perimere poſſunt, exiguam aſſumentes portionem, magnam percipimus vtilitatem: Sic & purgãtium medicamentorum, quorum natura corporibus noſtris inimica eſt exiguam aliquam partem pręcidentes ad ſuppetias ferendas vtimur. Quo item modo in horum medicamẽtorum potu ſemina quædã, quæ boni odoris, miſcemus: quæ & malitiam obtundunt & operationem eorum non impediant, tenuandi incidendiq; facultatem obtinentia, ita vt craſſos incidant humores & vias,

vias, quib. euacuatio fit, aperiant; ſic & à ſumpto medicamento ptiſanam ſorbere confert. Nempe purgans medicamentum ipſum, tanquam exiguum ſit, ad ventris quidem fundũ peruenit, ſed, dum tranſit, ſtomachus & quæcunq; ventris ſublimior pars, non qualitatem purgantis medicamenti modo; verum & ſubſtantiæ, quæ in tranſitu hæret, aliquid aſſumens, vehementer læditur. Ptiſanæ igitur cremor ſuperingeſtus commoditatem affert, nempe detergere & deorſum trahere, quod viæ adhæret, & qualitatem medicamẽti, quod his adhæret partibus, tum contemperare, tum permutare poteſt. Ex his liquido conſtat, iuxta veteris ſapientiæ oracula, aſſumptis vehementer purgãtibus, malam interiori corpori qualitatem affricantibus, non modo vtile, ſed & neceſſum eſſe, vt paulo poſt aſſumantur, quæ eandem detergere, delinire, interiora liberare, munire & ſaluare poſſint; quod ptiſana, iure cicerum vel galli antiqui & ſimilibus commode perficitur. Cũ itaque dictum ſit, remedia lenientia & vehementia paulo ante cibum cõmode dari, arbitramur, illa ordinario prandii tempore ſeu paulo ante exhiberi poſſe, hæc vero, etiamſi poſt eorum vſum indultus ſit cibus, quem tamen non tàm ad paſtum, quam interiorum defenſionem, & cicuratio nem malignæ qualitatis in medicamento aſſumi demonſtratum eſt, nõ niſi matutinis horis, niſi aliud obſtet, exhibenda eſſe. Verum cum magna Medicinæ magnatum pars in illa ſit opinione, cibum ab aſſumpto pharmaco non eſſe dandum, niſi id fiat paulo poſt huius aſſumptionem, idq; ex cauſis allegatis, cæteroquin differendam ferculorum exhibitionem, dum plenarie omnis ſit operatio abſoluta, & tunc in principio paſtus detergentem ſorbitionem dandã, quæ medicamenti reliquias eluat & quo decet impellat, relictamque qualitatem & tædia demulceat, nec ante id tempus exhibendum quicquam cibi, ne medicamenti permiſtione corrumpatur aut eiuſdem operationem inhibeat, quærendum eſt, recte ne faciant, qui tribus vel quatuor horis ab aſſumpto pharmaco, quæ vulgaris hodie inualuit cõſuetudo, exhibent ſorbitiones, aut infuſa abluentia vel detergentia, non exſpectantes vltimam eius operationem. Cui quæſtioni vt ſatisfiat, reſpondetur elapſis tribus vel quatuor à ſumptione horis medicamenti debite præparati operationem, quatenus tractione excercetur, plenarie finiri, licet irritatio à pharmaci qualitate ventriculo & interioribus partibus impreſſa inhærere poſſit & materia attracta nondum omnis ſit expulſa. Eiectio enim fit vi naturæ materiæ qualitate & quantitate aggrauatæ. Si itaque dicto tempore offeratur iurulẽtum ferculum, quod attractæ materiæ reliquum eſt in ventriculo & inteſtinis, magis eluitur & ad exeundum cibi liquidioris appulſu

An cibus differendus dum omnẽ excernendi actum purgatio abſoluerit.

appulſu protruſum impellitur, quo & operatio medicamenti vberius promoueri obſeruatur & eiuſdem obhærens interioribus qualitas, humorumq; attractorum reliquiæ abſtergentur, ne cibum poſtea corrumpere, appetitumque euertere poſſint. Non eſt itaque neceſſum præſtolari vltimam excretionem, vt ea peracta demum cibus exhibeatur, ſæpe enim illa pro naturarum diuerſitate & remedii viribus vel compoſitione ad decimam vel duodecimā ab aſſumptione horam protrahitur, neq; certo ſemper ſciri poteſt, pluresue ſedes ſecuturæ ſint. Proinde ſufficit exhibitionem cibi differre, donec medicamenti vis tractrix poſuerit, neque ea amplius impediri poſſit. Vti enim attractio dum eſt in operatione iurulentis & quibuſcunque cibis impediri poteſt, ita expulſio attractorum humorum & quiſquiliarum iiſdem promouetur.

An cum cibis vel inter ſumendum recte dentur purgantia.

Hoc themate diſcuſſo aliud efflorefcit, non minus percunctatione dignum, videlicet, an nō cum cibis, aut inter eos aliquando purgantia recte dari poſſint, Et num vinum nodulis, puppis, ſeu ſacculis purgantibus affuſum ſub initium menſæ bona cum ratione exhibeatur. Sunt, qui vtrumque male fieri aſſerant, & facere prohibeant, his inducti rationibus; quod vis catarctica cibo obtundatur, quod concoctio cibi impediatur, quod ille crudus & inconcoctus iuſto citius remedii vi expellente eiiciatur, quod attractis à medicamento vitioſis humoribus inquinetur, quod fiant cōtrarii motus cibi, videlicet concocti diſtributione & attractione in venas, & humorum prauorum eodem tempore, per eaſdem expulſione, quod commode fieri nequit, quod metus ſit, ne vel præpropere cibus cū pharmaco pellatur in venas & epar, obſtructioneſque pariat; vel praui humores in ventriculum & epar attracti, cum eodem ferantur in corpus. Propoſitas difficultates vt expediamus, & quid ſequendum ſit, demonſtremus, tenendum, ſi nihil refragetur, purgans medicamentum maturinis horis ieiuno ventre ſumēdum, nec niſi attractionis operatione finita cibum ingerendum, multo minus cum cibo id ſumendum eſſe. Verum, cum creberrime vſuueniat Medicum incidere in ægros, qui interiorum partium, quas alluit & præterlabitur pharmacum, ſenſu acerrimo ſint prædíti, vt nullius ſinceri contactum ferant; eaque ſpirituum & texturæ raritate & teneritate, vt ex eo continue pathemata vehementia & viriū iacturam, totius naturę concuſſionem, & quaſi euerſionem experiantur, & quædam pharmaca ea ſint vehementia, vt etiam robuſtioribus nequaquam, niſi cibis miſta exhiberi tuto poſſint, vel debeant; recte mehercle veneranda antiquitas hunc inuenit modum, eumque vti commodum & neceſſarium rationi conſentaneum, & experientia compro-

probatum retinuit, quod quibuſdam naturis non ſyncera decreuerit, & quædam propter vehementiam nemini, quin cibis admiſta, propinet. Hoc inſtituto Galenus *lib. 13. meth. cap. 15. epithymum, polypodium, cnicum, Helleborum nigrum, ptiſanæ* incoxit, vt coctione vis edometur, & cibi mixtura eiuſdem vehementia retundatur, non enim amplius, quam ab epate blanditer ſubducere intendebat. Similiter 1. *de alimentorum facult.* parum *ſcammonij ex ptiſana* datum parciſſime purgare aſſerit. Ex quibus liquet, ſi teneriorib. naturis citra ventriculi & coctionis impedimentum danda ex neceſſitate ſint, quæ paulo fortius operentur, ea cum cibis exhibenda eſſe, tutoque id Galeni exemplo & bona cum ratione fieri poſſe.

Reſponſio ad argumentum in contrarium. In contrarium producta argumenta, ſi rem recte putemus, facile colliquantur. Ad primum reſpondemus, tantam vim catarctici cibis miſti ſeſe exſerere in delicatorum purgatione, quanta iis vltro ſufficere poſſit. Et ꝙ vehementiorum pharmacorum virtus vix ac ne vix cibis ita edometur, quin in robuſtis cum aliqua inſolentia etiam operetur. *Ad 2.* Ad ſecundum dicimus, cibi concoctionem propter admiſtum pharmacum non impediri, quod eodem temporis tractu, quo illa perficitur, medicamentum à natura ſubigatur, ſoluatur, attenuetur, & ad exſerendam actionem, quam cibo magna ex parte concocto inchoet, diſponatur. Proinde cibus & illud, quod in cibo vtile, non minus corrumpi poteſt, propter attracta recrementa; quam ob fæces, quibus adhuc chylus ante potiorem à venis attractam, neque ſeparatam mixtus erat. Et venæ vti non trahunt, niſi id, quod in chylo vtiliſſimum & nutritioni maxime aptum, ita etiam nec fæces naturales, nec allectos à pharmaco humores, quocirca neque impuratur, nec inquinatur. Et videmus, naturam id ſemper intendere, vt amplectatur vtilia ſibique familiaria, quæ omni vi & conatu attrahit, ſuperuacua autem expellat, eodem ex loco, vtilibus, quibus miſta erant, reſeruatis; ſic vomitu ſæpe eiiciuntur humores praui, retentis, quæ ingeſta erant, alimentis. Neque hos contrarios motus præter naturæ ordinem eſſe, eamq; hiſce turbari cenſendum, cum eodum tempore à venis iiſdem meſaraicis & tractionem alimẽti pro inteſtinis ventriculo & meſenterio, ſimulque recrementorum expulſionem fieri docta ſit Medicorum ſententia, quamuis ſuperiores magis chyli ſincerioris tractioni, inferiores fœculentorum eductioni inſeruiant. Vanus itaque metus eſt de digeſtione alimentorum crudorum in corpus vnde naſcantur obſtructiones, cum medicamenti expurgantis motus diſtributioni & digeſtioni ſit contrarius, potiuſque eius eiectio cum humoribus, quam diſtributio in corpus extimeſcenda. Ex quibus omnibus apparet, nihil aduerſus ve-

terum

terũ rationalem pceſſum & vsũ facere, ſi pharmacũ ſupra adductis conditionib. cibo mixtũ det, ſimulq; apparet, vina nodulis, puppis aut ſacculis purgantibus medicata, non minus ratione ſuffragante, quam experientia ſucceſſum comprobante recte exhiberi poſſe, etiam initio prandii iis præſertim, qui naturæ tenerioris aut delicatioris, alio modo vſurpata pharmacã moleſte ferũt, aut quib. ex ventriculo, primis venis & epate materiã infartã modeſte educere conſilium eſt. Id, quod clariſſimus Brunerus *conſil.* 45. faciendum eſſe monet, dum ait, *cottidie in prandio talis vini in rem præſentem debite comparati hauſtum primum non ſolum educere materiam ex ventriculo & epate; ſed etiam obſtructiones in vniuerſo corpore maiori efficacia aperire, attracto ſcilicet à meſareo potu medicamẽtoſo, qui ſine nauſea aſſumitur, & à natura auide attractus altius penetrat, & ſine violentia propter commiſtum cibum obſtructiones expedit, & viſcera blande expurgat.* Hacten⁹ ille. Vina itaq; medicata naturæ gratiora, lente & citra virium iacturã purgant, naturã minime debilitant, potenter penetrant, inſigniter aperiunt, inſtarq; longorum & magiſtralium ſyruporum & apozematum à veterib. vſurpari ſolitorum ſeſe habent, & æque cum cibis, quam ante, ſumuntur, proſpero cum ſucceſſu in ictero, hydrope, cachexia, melancholia hypochondriaca, febrib. intermittentibus, obſtructionib. meſenterii, epatis, lienis, renum & vteterum aliiſque ægritudinibus vſurpantur. Vti vero quædam electiue purgantia cum cibis vel ſub initium menſæ, ita etiam nonnulla lubricantia, quæ aperta qualitate & lubricitate aluum mouent, primo paſtu vſurpari debet, quod vtiliter ab iis obſeruatur, qui natura ſiccam minuſque obſequentem aluum habent & hinc variis accidentibus obnoxii ſunt.

Vina purgantia ex puppis & nodulis inter fercula optime conuenire.

Quomodo itaq; ante cibum multo tempore videlicet horis matutinis aut paulo ante, vel cum cibo, quibuſue diei horis medicamenta purgantia rite ſumantur, vidimus: ſupereſt, vt cognoſcamus an à ſumpto cibo etiam conuenienter aſſumantur, quo maxime pertinet quæſtio, num recte exhibeantur pilulæ cephalicæ à cæna; de qua re pro noſtri inſtituti ratione *lib.* 3. *huius tractatus* agimus.

CAP. XXIX.

In quot caſibus permiſſum ſit ad animi deliquium emittere ſanguinem: an etiam aliquando purgare ad lipothymiam fas ſit: ſolidior & paucis hactenus intellecta aphoriſmi 22. ſect. 1. explicatio traditur: nunquam ad animi defectionem abſq; periculo procedi poſſe purgando, grauibus rationibus demonſtratur: quouſque vero progrediendum, liquido oſtenditur.

NOn inutile in proſcenium ducitur thema, quo quæritur, *An ad animi*

animi deliquium aliquando purgare conſultum & conceſſum ſit, & quidem tale, quod non ex vitioſo humore in orificium ventriculi confluente & lancinante, vel ex metu, ſed vacuationis magnitudine vi pharmaci potentioris excitata ſuboriatur. Affirmatiua videtur adſtruenda ex *aphoriſmo* 22. *ſect.* 1. Hippocr. *quæ vacuantur, non ſunt æſtimanda copia, ſed, ſi quæ oportet, vacuentur, & facile ferant; atque vbi ad animi deliquium etiam educere conuenit, faciendum, ſi ægrotus par eſſe poſſit.* Hunc tam de venæ ſectione, quam purgatione trad re, videntur ſentire interpretes. Prima fronte curſimque intuenti pene de ſola purgatione tractare videtur, cum ait, vacuationem non eſſe æſtimandam quantitate, & venæ ſectione humorum magis quantitate peccantium euacuatio peragatur. Verum, licet ſummorum etiam virorum ſit opinio, aliquando ad animi deliquium purgare fas eſſe, idque ex hoc aphoriſmo deducere & palliare conentur, tamen grauibus de cauſis, & donec aliter ab eruditioribus ipſaque aliorum, non mea experientia ad oculum edocear, ab iis diſſentire cōpellor. Galenus *in commentario iſtius aphoriſmi* vacuationem ad animi deliquium in tribus caſibus locum habere, demonſtrat, videlicet in maximis inflammationibus, febribus ardentiſſimis, & vehementiſſimis doloribus, è quibus febris æſtuoſiſſima & inflammatio magna vix ac ne vix mediocrem, idque initio, & ſumma cum cautione admittunt (niſi humores turgeant) purgationem, tantum abeſt, vt ad animi deliquium tolerent. Proinde Galenum vacuationem, quę venę ſectione perficitur in his ſolummodo intelligere, neceſſe eſt. Reſtat itaque quærere, num in ſummis doloribus æque purgatio ad lipothymiam, quam venæ ſectio conuenire aliquando poſſit, iuxta Hippocratem, qui ait, in doloribus proximum ventrem purgandum, & ſanguinis ventrem, ſeu proximas loco affecto venas, ſcindendas eſſe, & ex Galeni vltima periodo *comment.* 23. *ſect.* 1. vbi refert, ſe nullum nouiſſe præſentius remedium in maximis doloribus illa vacuatione, quæ ad animi deliquium fiat, cum ea tamen diſtinctione, vt intelligatur phlebotomia, an purgatione vti conueniat; vnde deduci poſſe videtur, aliquando ad lipothymiam, in ſummis doloribus hanc vſurpari poſſe. Verum Hippocrates, etiamſi commendet purgationem, qua doloris cauſæ remoueantur, tamen eam non ad virium vitalium deliquium intendere ibidem iubet; & Galenus non aſſerit, purgationem talem in ſummis doloribus adhibendam, cuius violentia animi deliquia oboriantur, ſed ait, diſtinguendū eſſe, quo remedio, venæ ſectione, an purgatione, talis ad lipothymiā inſtituēda fuerit vacuatio, & rem hoc loco in medio & indeterminatā relinquēs re legat nos ad commentarios, quos de phlebotomia conſcripſit, vbi *lib. de curandi*

Affirmatiua.

Negatiua.

Euacuatio ad animi deliquium in quibus habeat locum.

In maximis doloribus.

V

randi ratione per ſanguin. miſſ. c. 12. inquit, *nihil æque artem medicam in agendo coniecturalem efficere, vti cuiuſque rei quantitatem. Quod enim laboranti præbendum ſit medicamen, bilem flauam aut pituitam, vel ſeroſum excrementum euacuans, exacte nouimus; cæterum quantum præberi debeat, neſcimus; atqui talis exhibitio poſtea corrigi nequit.* Nam, *quod ſemel in ventrem deuoratum eſt medicamentum, quo minus omne deuoratum ſit, fieri nõ poteſt, neque poßibile eſt. vbi plus, quam conueniat, iam purgetur homo, partem oblati auferre. At in ſanguinis mißione ſummum id bonum eſt, euacuationem, dum veles, poſſe ſiſtere, ac rurſum, quo videatur tempore, fluere ſinere quoad vſque recte habere appareat. Vbi enim multa euacuatione opus eſt, nec tamen vires hanc ferant, partiri eandem conuenit. Cæterum, quando feruentis ſanguinis ineſt plenitudo, acutiſſimam accendens febrem, ſubito & ſimul euacuare expedit, eamq; inire tentandum, vel ad animi deliquium vſque, virium modo inſpecto robore. Ex ijs enim neceſſario aliqui animi deliquio refrigerati, & toto corpore defluentibus madoribus, aluoque rupta, celerrime morbo liberati ſunt.* Hactenus Galenus. Ex quibus liquido patet, eum nullam in vllo etiam grauiſſimo affectu admittere purgationem ad animi deliquium. Et ratio ex Galeno deducenda, id facile nobis ſuggerere & inſinuare poteſt. Venę ſectio enim, quatenus vacuatio eſt, ad animi deliquium extendenda, neceſſario indicatur à morbi magnitudine & virium robore. Vbi vero magna vacuatio facienda, ibi magnam humorum quantitatem adeſſe neceſſe eſt. Inquit enim Galenus *commentar. 23. ſect. 1. ſeu ſponte ſeu noſtra opera vacuatio fiat, ei omnino modum menſuramque ſtatuiſſe oportet. Quemadmodum enim moleſtum humorem pro qualitatis ratione* (id eſt, ſpeciem peccantis humoris) *euacuare oportet, ſic profecto vacuationis quantitatem humoris vexantis copiæ reſpondere par eſt. Vti vero boni ſanguinis copia vacuationem ad animi deliquium admittens nunquam ſine præſtanti virium robore inuenitur, ita copioſa multitudo prauorum humorum nunquam fere exſiſtit, niſi cum euidenti magnaque virium debilitate; qua tantum abeſt, quod vacuationem magnam & ad animi deliquium admittat, vt etiam paruã, partitam & quã per epicraſin ſupra fieri diximus, vix toleret.* Nec min⁹ in promptu ratio eſt, cur in humorum prauorum multitudine non ſit ad animi deliquium facienda purgatio, vti in plethorica conſtitutione, quod vires agitatione & profuſione ſpirituum & humorum, cum ſint inanitæ propter viſcerum naturalium intemperiem, ſummæ debilitatis omne fundamentum, recolligi, ſpiritusque reſarciri & regenerari continuo nequeant, adeoque ipſarum lapſus & exſtinctio proximus ſequatur ad magnam euacuationẽ, in plethorica vero conſtitutione, viſceribus temperatis, robuſtiſque fulta ſpiritus magis conſeruentur è veſtigio, qui diſſipati ſunt, regenerentur, atque hoc eo citius, quod natura mole

grandi deonerata, leuius meliuſque habeat, vnde nō ſolum noua virium recollectio, ſed & tantum augmentum, vt morbum ipſum frequenter protinus expellat. Ex quibus omnibus apparet, cur aliquando conceſſum profundere ſanguinem ad animi deliquium, & nunquam purgando id, niſi cum animantis extremo periculo tentari poſſe.

[illegible]licatio [illegible] ſ. 1. Hippocraticum aphoriſmum, quod attinet, pauci veram eius ſunt aſſecuti ſententiam; ipſe n. bimembris eſt: Prior pars vti ex ipſis Galen. *in comm.* verbis liquet, de purgatione agit, eamq; *in com.* vſque ad hæc verba (*quod deinceps in litera ſequitur*) de humorum qualitate peccantium eductione interpretatur, vti conſpicuū eſt recte textum intuenti. Poſterior pars, cuius explicationem Gal. inchoat à commemoratis verbis de euacuatione, quæ fit per ſanguinis miſſionem, præcipit, quod non obſcure innuit Galen. Ait enim *ad lipothymiã vacuãdi menſuram in tribus tantum caſib. definire licet, videlicet in maximis inflammationibus, in febribus ardentiſſimis & doloribus vehementiſſimis.* Atqui *ſuperius* demonſtratum eſt, his nequaquam competere vehementem purgationem, ex quo neceſſario ſequitur, ſecundam aphoriſmi partem de vacuatione intelligi, quæ perficitur phlebotomia, & hanc duntaxat, ſi vires ſint robuſtæ, ad animi deliquium extendere conceſſum eſſe.

Verum cum antea dixerimus, humorum redundantiam indicare magnam vacuationem, humoribuſque bonis & ſanguineis virium robur, prauorum autem multitudini neceſſario adeſſe ſummam debilitatem, quæritur, ſi accidat, quod tamen rarius contingit, vt cum humorib. corruptis virium adſit mediocritas, an tunc liceat ad animi vſque defectum purgare.

Ad quam quæſtionem reſpondetur viribus vtrinque conſtantib. facilius ſequi lipothymiam ex ſanguinis profuſione, quam ex humorum qualitate peccantium magna vacuatione, quod ille ſit naturæ theſaurus, & ſpirituum ampla cum eodem profundatur ſubſtãtia: vacuatione enim ad animi defectum facta non tantum plethorica mole exoneratur natura, ſed & ſpirituum & caloris abundanti profuſione vniuerſus habitus refrigeratur eo vſque dum vires fatiſcant. Cum itaque vltra id, quod plethoram conſtituebat & naturam grauabat, euacuando proceditur, naturæ & calori ſpiritibuſq; vim inferri neceſſe eſt. Loquor autem de iis, qui nō aliam ob cauſam facile, ſi ſanguis mittatur, animo deficiunt. Purgatione autem humorū qualitate peccantium, ſi ad exeundum ſatis comparati, viæ liberæ, naturaque fortis, omnem ſimul colluuiem educere, vires non tam proſternit, quam erigit, quia *ſi qualia oportet, vacuentur, confert & facile ferunt*, iuxta Hippoc. oraculum, quocirca eradicatiuas eua-

cuationes initio acutorum cum humores turgent, &in fine ipſis vniuerſim concoctis & edomitis recte inſtitui *ſupra* demonſtratum eſt. Si itaque ad purgationem ſubſequi debeat lipothymia, oportet pharmacum adeo eſſe vehemens, vt præter conuenientem peccantium humorum integram euacuationem, hypercatarſin, ſtomachi inteſtinorumque roſiones, cordis anguſtias, viſcerum interiorũ exagitationem & quaſſationem, conuulſiones aliaque formidabilia accidentia excitet, vnde extremum ægro periculum creari neceſſe eſt. Atque vti in id vnice incumbendum eſt Medico, vt ſic conformet naturæque & humoribus accommodet purgationem, ne ea mala inferantur, ita nequaquam vlli in mentem venire debet, vſpiã aliquam inſtitui poſſe purgationem ad animi deliquium, quæ mortalium cuiquam prodeſſe queat. Et vti in ſanguinis miſſione ad animi deliquium, quam tamen in manibus habemus, niſi conſideratiſſime agamus vires ex pulſu & aliis ſignis, attente obſeruemus, ægro ſummam acceſſimus calamitatem (notat enim Galen. *lib. 9. meth. c.* 10. & *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap.* 12. ſe duos vidiſſe in Medicorum manibus, multos præ virium debilitate poſtmodo occubuiſſe, aliquos naturali virtute mirifice debilitata temperamentoque ſupra modum refrigerato in malum corporis habitum, aquã intercutem, iecinoris & ventriculi atoniam apoplexias aut deliria incidiſſe) ita purgatione, quæ naturam fortius violentiuſque adoritur, & in arbitrio noſtro non eſt, vt motum eius ſiſtere, & ne grauiora ſymptomata excitet, prohibere valeamus, ad animi deliquiũ facta, extremum ægro periculum fatalemque vt plurimum neceſſitatem conciliari nemo ſanæ mentis nõ percipit, cum primis, quod ea pharmaca, quæ tam violentas purgationes efficere nata ſunt, maligna & noſtræ naturæ maxime aduerſa ſint.

Ad lipothymiam nunquam eſſe purgandum, ſatis ſuperque demonſtratum eſt; quouſque igitur procedendum, & quis ſit legitimæ purgationis terminus, porro diſpiciendum erit. Humorem qualitate peccantem, ſiue morbum genuerit foueatque, ſiue eundem daturus ſit, vniuerſum, idque ſimul & ſemel, vel partito euacuandum eſſe, hactenus conſtat. Eo enim vacuando progredi neceſſum eſt, vt vel prorſus eximatur, vel tantum non relinquatur, quod vel nocere amplius poſſit, aut natura euincere nequeat. *Quæ enim à morbis relinquuntur, recidiuas facere conſueuerunt aph. 12. ſ. 2.* *Et impura corpora quo plus nutriueris eo plus læſeris.* Verum, ſufficienter illum eſſe eductum & pharmacum ſuo munere ſatis perfunctũ, ex quo intelligere debeamus, quæritur. Si itaque illa, quæ in corpore morbos cauſantur aut cauſatura erãt, iique ſpecie humores, qui naturam male afficiebant, hoc eſt, *ſi qualia oportet,*

Quouſque purgatione ſit procedendum.

tet,

tet, *vacuentur*, & ad eorum vacuationem ſequatur naturæ releuatio, morbi expulſio, hoc eſt, ſi ægri facile ferant, & melius inde habeant, vtilis erit purgatio, cuius tres ſunt differentiæ, videlicet obſcura, manifeſta & perfecta. Obſcura exiguam peccantis humoris portionem detrahit, quę quia conueniens eſt, ægrum manifeſte leuat. Manifeſta inſignem humoris portionem exturbat, à qua ægrotus ſe ipſo leuior apparet; perfecta nihil humoris peccantis reliquum facit, qua ab omnibus vel ſaltem præcipuis, quibus affligebatur ſymptomatibus, æger vindicatur, ſomnuſq; placidus non ex virium imbecillitate, ſed peccantium humorum exoneratione ſarcinæque releuatione ſubſequitur, appetentia redit, ſitiſque (dummodo ea nulla præfuerit ex ventriculi calida ſiccaque conſtitutione, aut ſtatim ex acrimonia & caliditate aſſumpto medicamento nata ſit, aut ex materia calida acrique infeſtarit, qua expurgata eadem miteſcat) ſufficienti humorum prauorum eductione exoriatur. His enim ſublatis, vlteriori medicamēti adæquati actione ſiccatur ventriculus vnde deſiderium humidi. *Perfecta itaque purgatio ex ſymptomatum ſedatione, & eorum, quæ illa excitant, quo ad ſpeciem & copiam peccantium humorum, debita egeſtione iudicanda eſt.*

Perfecta purgatio ex quibus iudicanda.

* * *

Cap. XXX.

Quo modo & qua forma ſumendum pharmacum purgans, quid ante & poſt ſumptionem faciendum, quomodo nauſea & vomitus arcenda, an medicamento indormire liceat, quando mouendum corpus & quid præſtet motus, quid faciendū, ſi non ſufficienter operetur, aut operatione omnino fruſtretur, cur inrulenta exhibeantur.

PHarmacum, quod à ſecunda vel tertia regione purget, aliquot horis ante cibum matutino tempore aſſumi debet; non frigidum, quod offendatur ventriculus; non tepidum, quia relaxaretur ad vomitū mouendum; ſed calidum, vt citius in actum deducatur, altius penetret, ſtomachumque minus perturbet. Calor enim naturæ familiarior & gratior eſt.

Quo modo & forma ſumendum pharmacū.

Forma *liquida* ventriculi latera alluit, altius faciliuſque penetrat, vndiquaque eum tangit & ferit; potentius detergit, & infartus expedit. Proinde medicamenta valida, in forma liquida debili purove exſiſtente ventriculo conueniunt; Forma *ſolida* diutius in eo commoratur, tardius operatur, calidis ſiccisque naturis humorique melancholico expurgando eſt inconuenientior, à partibus remotioribus & ſuperioribus felicius potentiuſque trahit. Solida forma

 tardius

Quid ante & poſt ſumptionē faciendum. tardius, ſed validius; liquida citius, ſed infirmius purgat: Ante ſumptionem præmanſo garyophillo, ingratum medicamenti ſaporem retundimus, & ne reuomatur, reliquias vino odorato eluimus, fruſtillum cydoniati aut nucis muſcatæ maſticamus, quod & ſaporem porro obſcuret, & os ventriculi roboret, naribus roſtitam panis aceto roſaceo merſam admouemus, oua frigida ſuper gutturapponimus, & quia odorata ventriculum roborant, nauſeamque arcent, vti graueolentia ſubuertunt, *Quomodo nauſea & vomitus pharmaci arceatur.* ea, quæ iucundi ſunt odoris, vti *roſas, mala citria, iridem Florentinam* & aromatica odoratui obiicimus, *aqua roſacea* faciem aſpergimus, ſi adhuc de vomitu ſit metus, faſcia ex linteo, aceto roſaceo imbuta collum obducimus. Fallopius ait, ſe expertum, admorſa duntaxat cæpa omnem nauſeam continuo ſedari. *Quando corpus mouendum.* Corpus in quiete ſeruandum, donec vis medicamenti in actum deducta attractionem & expulſum humorum inchoet; tunc autem mouere expedit.

Hic quæſtio incidit, an ſumpto pharmaco indormire liceat, quæ, vt rite ſoluatur, tria ſunt conſideranda, videlicet facultas & forma medicamenti, vires corporis, & ipſum tempus. *An medicamento indormire liceat.* Si medicamentum ſit ex vehementiorum claſſe, ſub quacunque forma aſſumatur, ſomnus concedi poteſt, vt ferocia, calore ad interiora reuocato melius edometur, & in actum perductum citius è ventriculo, in quo id iuſto diutius hærere haut conſultum, eiiciatur. Fortibus aut mediocribus in ſolida forma, vel vti pilulari exhibitis ſomnum inire licet, vt caloris vi liquentur, & temporius operari incipiant; Quæ ſunt mediocris virtutis, ſi in forma boli aut potionis aſſumpta fuerint, nequaquam ſomnus admittendus, niſi imbecillis ſit, qui aſſumat. Tempus conceditur robuſtis robuſta & ſolidiora pharmaca vel imbecillibus mediocria in ſolida forma ſumentibus, quod ſufficiat, dum à calore natiuo vis medicamenti ad operationem excitetur. Operante pharmaco regulariter non eſt dormiendum, retineretur enim, quod vacuari debebat, & ſomnus vlterior medicamēti vires plane conſumeret. Conuenit autem ſomnus abſoluta purgatione, quo reſtaurētur vires; vel cum enormius operatur medicamentum, vt inſolens euacuatio ſiſtatur, & vires non deficiant. A vomitorii vſu, antequam ſuam perfecerit operationem, neutiquam ſomnus admittendus.

Debet autem, qui pharmacum ſumpſit, ſe continere in loco temperato. Aer enim æſtuoſus & feruidę calidus humores ad cutē prouocat, agitat, febreſq; accendit. Frigus denſat coarctatq; vias, vt torpidi humores ſegnius promoueātur ad exitum. Aer flatibus expoſitus liberior & apertus imbecilla præſertim corpora valde turbat.

Sed ſi iuſto tardius ſequatur operatio

Quid faciendum, ſi medicamentum non operetur ſufficienter.

ratio medicamenti, eaque diminute fieri videatur, nec intentioni reſpondeat, ad tria Medici confugiunt videlicet ad agenda, aſſumenda, & ſubiicienda. In agendis eſt motus. Ait enim Hipp. *ſeſſ. 4. aph. 15. cum elleborum citare voles, corpus moue: cum vero ſiſtere, ſomnum cōcilia, nec moue, nam quod quies ſiſtit, id motio citat.* Debet vero motus fieri tempeſtiue & moderate. Non ſuſcipitur, priuſquam in actum deductum ſit medicamentum, eiuſque vis iam trahere & natura attractum impellere cœperit, quod ex ventris turbatione, æſtu vel commotione percipitur. Citius enim ſi moueamus, excitabitur vomitus, aut actio medicamenti impedietur, diſtracto ad exteriora calore vim pharmaci gubernante. Deinde motus debet eſſe moderatus, quo non excitetur laſſitudo vireſque fatigentur, aut excitetur ſudor, & materia ad peripheriam feratur, quæ ad centrum vergere debebat, ſed ſolū exagitetur & fluxilior fiat ad exeundum per aluū. Tria vero motus commoda recenſet Hollerius, quod videlicet medicamenti vim ad venas, epar, cerebrum aliaſque partes laborantes deferat, quod fundat & liquet materiam, fluxilemque & ſequi paratiorem reddat, atque ita commoueat, vt ſurſum deorſumue & quorſum tracta fuerit, facilius exeat.

Motus qualis & quomodo vſurpandus à ſumpto pharmaco.

Tria motus commoda.

Ad aſſumenda referuntur iuſcula eluentia, abſtergentia, lubricantia, emollientia. Habent autem illa à ſumpta purgatione triplicem reſpectum: vel enim à ſumpto pharmaco fortiore, cuius qualitates & reliquiæ inorificio ſtomachi obhæreſcunt, dantur ad abſtergendum, malitiamque pharmaci obtundendam. Sic Galen. aſſumptis eiuſmodi fortibus ptiſanam aut alia iurulenta ſorbere præcipit: vel exhibentur purgatione abſoluta, vt ſi quæ in inteſtinis medicamētorum & humorum reliquiæ adhuc latitent, prorſus deſcendant, neve aluus, quod plerunque fieri aſſolet, à purgatione nimis ſiccetur, & eiuſdem ſequatur obſtructio, quodque debili propter pharmaci vim ventriculo liquida & coctu facilia facilius ſubigantur. Tertio noſtram, de qua hic agimus, intentionem exſequuntur, ſi tribus vel quatuor à ſumpto medicamento horis cum videlicet in actum ſit deductum, & humores ad exeūdum lenti tardiores & pigriores fuerint, exhibeantur, vt eos eliquando abſtergendo, lubricando, ad deſcenſum & exitium procliuiores faciant. Id præſtat *decoctum cicerum rubeorum, ius pulli cum ſaccharo rubro, ius galli veteris cum duobus ouorum vitellis,* aut ſimilia carnium iura cum pauxillo *mellis* propter abſterſionem.

In quem ſinem iurulenta à pharmaco ſumantur.

Quæ ſubiiciuntur, duplicia ſunt; aut enim intruduntur in anum, vt ſuppoſitoria & glandes, aut infunduntur, vt clyſteres. Illa communiter & ſimpliciter fiunt ex *ſolo melle cocto* & ad duritiem inſpiſſato, vel componuntur ex pulueribus melli commiſtis,

miſtis, videlicet ex *ſpeciebus hieræ picræ Gal. gutta gummi, trochiſ. alhandel, ſale gemmæ, elleboro, &c.*

Clyſteres infundendi comparantur ex abſtergentibus, ſtimulantibus & ad inferiora prouocantibus, vti ex *decocto hordei, origani, hyſſopi, calamenthi Mercurialis, betæ, marrubij, rutæ, centaur. minoris, abſynthij, agrimoniæ, betonicæ, car. duibenedicti*, cui miſceri poſſunt *mel roſatum, ſimplex aut ſolutiuum, benedicta laxatiua, hiera picra Galeni, diacatholicon, ſal, ſaccharum rubeum.*

Hoc pacto vim medicamenti tardius actionem ſuam exſerentis, nec debite operantis inſtigandam & adiuuandam cenſent.

Quid faciendum, ſi actione ſua fruſtretur medicamētum. At, ſi contingat, pharmacum purgans plane ſua fruſtrari actione, quid tunc faciendum ſit, non cuiuis obuium eſt. Sunt, qui eadem die eiuſdem exhibitionem repetunt, quod tamen Auicenna & Fallopio cenſoribus maximo diſcrimine non caret. Fieri enim poteſt, vt hauſti prius medicamenti vis latitet, ſiquidem in obſeruationibus eſt, quod, quæ pridie ſumptæ fuerant, poſtridie ſufficientes effectus ediderint. Quod, ſi quiſpiam hoc non attento, eodem die aliud eiuſdem efficaciæ ſuperaddat, is violenter concurrentibus vtriuſque pharmaci operationibus in extremam calamitatem præcipitabit ſumentem. Proinde, ſi morbus det inducias, aut præſeruationis gratia ſit exhibitum purgans, eodem die nihil aliud, quam quod ad accelerandam & inſtigandam tardioris vim agendum ſuaſimus, tentabit. Quando vero ex eo, quod ſuo fine ſit fruſtratum pharmacum ægro diſcrimē ſingulare impendet, tunc ipſa neceſſitas aliud exhibere ſuadet, & tale quidem, quod è mitiorum ſeu benignorum ſit genere. Sic à pilularum nihil proficiētium vſu Fallopius mannam in iure ſolutam exhibet, alii electuaria lenientia propinant. Sed cum vehementia remedia, vt *diagridium trochiſci, alhandel*, & ſimilia exhibentur plena ſua doſi, vt ſola operationem, quam intendimus, perficiant, vel aliis miſcentur granorum paucorum pondere, vt eorum vim remiſſiorem & ſegniorem in craſſiore hærentem ſubſtantia exſtimulent, quæritur, anne hac ratione, videlicet non vt plenam purgationem perficiant, ſed torpidam aſſumpti catarctici vim excitent paucorum granorum pondere, cum *pulpa paſſularum, manna, conſerua violarum*, aut in rotulis vſurpari poſſint. Id ſane commode fieri bono cum ſucceſſu, iam multis annis expertus ſum. Nam cum *omne remiſſum remittat intenſum*, pure lenientia prius fruſtra ſumptum pharmacum, non tam iuuabunt, quam coërcebunt, niſi forte lubricando, abluendo & tergendo, magna quantitate exhibita, quicquam proficiant, quamuis neque tunc electiuam attractionem iuuare poſſint.

* * *

CAP.

CAP. XXXI.

Purgatio difficulter & moleſte ſuccedit merito pharmaci non proportionati, quo ad ſpeciem, quantitatem, vel qualitatem, vel ratione naturarum varie diſpoſitarum & non vniformiter ſeſe ad medicamenta habentium; vel propter humorum conſtitutionem, peruerſam.

PVrgandi actus ſiniſtre ſuccedit ratione medicamenti, humorum, vel naturæ vtentis. Medicamentum ſi proprietate humorem peccantem non reſpiciat, diuerſum à noxio educit & hunc proritat, diffundit, exagitat, excitatoque tetro vapore corpus diſtendit, inflat, turbat & maximopere laceſſit. Vnde Hipp. *ſ.4. aphor.* 2. inquit: *purgantium medicamentorum vſu talia è corpore educenda, qualia ſponte etiam prodeuntia, iuuant: contrario vero modo exeuntia ſiſtenda.* Et *ſ.7. aphor.* 29. *ſi leucophlegmatia detento fortis diarrhæa ſuperueniat,* (videlicet pituitæ albæ effluxus) *morbus ſoluitur.* Et *ſ.6. aphor.* 14. *hydrope detento ſi aqua è venis effluxerit in ventrem, morbi ſolutio;* videlicet cum viſcera adhuc ſana ſunt. *ſ.6. aphor.* 17. *ophthalmia laborantem alui profluuio corripi, bonum.* Et *ſ.4. aph.* 38. *quibus bilioſæ ſunt deiectiones, ijs ſuperueniente ſurditate deſinunt; & quibus ſurditas adeſt, ijs ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus finitur.*

Ratione pharmaci ſiniſtre ſuccedit purgatio, quod ſpecificum nō ſit ſumptum ad humorem peccantem: vel, quod in quantitate nimis exigua vel excedente vel praua aut vehementiore fuerit qualitate.

Si medicamentum humorem quidem peccantem reſpiciat, ſed ex benigniorum ſit claſſe aut quantitate nimis parua aſſumptum, aut exſoletarum virium, vel corruptæ materiæ humorem mouet non promouet, turbat, non vacuat, tormina, vertigines, inflationes, diſphoriam totius, aliaque diſturbia procreat, & nihil notatu dignum educit. Immoderata vero quantitate ſumptum, aut malignæ qualitatis particeps, & incorrectum, qualia *colocynthis, elleborus,* vehementer ægrotum lancinant, vireſque conuellunt, & initio quidem, ſed cum difficultate qualia oportet, euacuant, & niſi cohibeātur in effrænem efferuntur hypercatarſin, quæ cum humore noxio naturalem pariter atque neceſſarium violenter diripit, & vlterius progrediendo de corporis ſubſtantia nonnihil euellit, vnde citra hæmorrhoidas ſanguis ſincerus, inteſtinorum ramenta, vel pingue aliquid loturæ carnis aut liquamini ſimile in excretis cernitur; Hinc corporis defatigatio, laſſitudo, capitis dolor, vertigines, febres, torſiones, cardialgiæ, æſtus, anxietas, iactatio corporis, perturbatio, dyſenteriæ, teneſmi, conuulſio, ſumma virium exſolutio, lipothymia, ſpiritu ceu naturæ theſauro vi direpto aut malignitate pharmaci oppreſſo.

Symptomata purgationis nimia.

Ratione naturæ vel diſpoſitionis corporis quibuſdam ſiniſtre ſuccedit purgatio. Et illa diſpoſitio eſt naturalis vel morboſa. Quidam ex primordiis

Quomodo ratione diſpoſitionis naturæ purgatio ſiniſtre ſuccedat.

diis adeo teneram & exquiſiti ſenſus interiorum partium texturam obtinent, vt leui pharmaco grauiter afficiantur, nullumque alicuius potentiæ aut excedentis qualitatis participes impune tolerent. Ea ſunt nonnulli idioſyncraſia, vt ſolo odore aut epomphaliis ſeu vmbilico admotis vbertim purgentur, quibus, ſi quiſpiam incaute pharmacum leue propinaret, in extremas difficultates præcipitaret. E contrario inueniuntur, quorum extrinſecus apparet tenella virtus, & conſtitutio infirma, & nihilominus acutis vehementibuſque pharmacis maiori doſi exhibitis vix ac ne vix mouentur. Obſeruatum eſt pariter, alios, quibus integre apparent vires, laudabiliſque videtur ineſſe conſtitutio, mediocri ſumpto pharmaco in virium exſolutionem lapſos. Sunt porro à natura quidam ſic affecti, vt leuioribus pharmacis, videlicet ſoluto *caſſiæ*, vel *manna* ſufficienter moueantur, & à medicamentis vehementioribus & diagridiatis neutiquam impellantur. Macilenti acriter feriuntur medicamenti qualitate praua, vtpote, quę prompte ſeſe inſinuet in partes ſolidas. Acriũ humorum copia ſcatentib. moleſtę accidũt torſiones, maliq; vapores partes principes offendunt. Quib. partes circa vmbilicum & imum ventrẽ extenuantur & contabeſcunt, his per inferiora difficiles ſuccedũt vacuationes. Sic quib. hypochondria tumida, ſuſpenſa, inflata, inflammata vel obſtructa, (de quibus *ſupra*) periculoſæ ſunt purgationes. Quibus ventriculus adeo plenus humorum, vt in iis demergatur pharmacum, eiuſque vires ſuffocentur, irrita erit vſurpatio, aut ſubſequetur vomitio. Si calor natiuus adeo debilis, vt in actum ducere, aut vis expultrix tam languida, vt quod attractũ ſit, expellere nequeat, quod ſæpe vſuuenit ſenibus & conualeſcentibus, neque tunc probe ſuccedere purgatio queat. *Multo maxime difficiles iniuriæ & moleſtæ ſunt purgationes iis, quibus abſceſſus in pulmonibus, iecore, renibus aliisve ſedibus deliteſcit. Hîs enim concuſſis non modo dolor ingraueſcit, ſed & eruptionis & defectionis virium metus incutitur. Quocunque vitio labefactatæ ſunt interiores corporis partes, quia imbecillæ exſiſtunt, facile medicamẽti qualitate aut acrimonia percelluntur. Summa; corpus aut magna labe, aut morborum humorumve copia vehementer preſſum & languens vi medicamenti concidit, quemadmodum ruinoſæ ædes inſtaurando forte concuſſæ, mox vniuerſæ corruunt. Itaque* (ait porro Fernelius) *in his omnibus, qui aut imbecilles ſunt aut ægre ferunt vacuationes, pro medicamine expedit inedia victuque opportuno blandiri, aut ægrum, ſi nequeat, in integrum reſtitui, ſublata morbi portione leuare.* Sic & inique ſuccedit purgatio; quibus corpora non ſunt fluida facta, viæque, per quas humores purgandi tranſire debent, nondum patentes & expeditæ, ita vt ventriculus humorum copia fit nauſeabundus, medicamentumque vomi-

Variæ naturarum proprietates, quarũ merito aliter atq; aliter medicamentis hauſtis afficiuntur.

tu-

tu protenus reiicere moliatur, & inteſtina coarctata, craſſis fæcibus obſtructa humorum curſum impediāt, qui retenti & ſubſiſtentes, ventris torſiones, faſtidia, vertigines, corporis iactationes animique defectiones moueant. Pariter ſi meſenterii, viſcerumque meatus, per quos ſunt educēdi humores, occluſi vel infarti fuerint, quod à plurimis crudis humoribus euenit, dato pharmaco, tormina, cruciatuſque circa vmbilicum, roſiones & animi deliquia excitantur, parumque educitur. Sunt enim craſſi, inepti ad motum, & pigri, viaſque omnes, per quas id, quod medicamentum attraxerit, efferri debebat, obſtruunt, & ſic neq; ipſi educuntur, & aliis ſunt impedimento, vt tradit Galen. *lib. 4. de ſan. tuen. c. 5.* ideoque *ſi quis corpora purgare velit, fluida faciat*; iuxta Hipp. oraculum.

Humores tripliciter difficilem faciunt purgationem, ſubſtantia, quantitate & qualitate.

Quomodo ratione humorum difficulter ſuccedant purgationes.

Subſtantiæ vitium corruptela eſt; & prauorum corruptorumque humorum copia ſemper eſt cum imbecillis viribus. Illa quidem ſui vniuerſam remotionem indicat; hæ vix tantillam vacuationem ferunt. Hoc eſt, quod dicebat Hippo. *prauo vtentes alimento ſi purgentur, ſtatim deficere.* Quales enim fuerunt cibi, tales inſunt humores, quibus concitatis tetri vapores in partes feruntur principes, vnde ſpiritus corrumpuntur, conciduntque; nec minus praui humores per ſenſiles delati partes lipothymias concitant. *Magna humorum referti cacochymia, ſi valido medicamento, quamuis virium mediocri ſint robore, ad vniuerſalem vacuationem tententur, in vitæ diſcrimen adducuntur. Ideoque paulo citra modum ſubſiſtere, quam vltra procedere, tutius eſt.* Grauiter enim hac camarina mota ſpiritus exſoluuntur, corpus concutitur, torſiones inferuntur, humores varie miſcentur, vireſq; concidunt. *Empii & hydropici*, auctore Hipp. *cum vruntur vel ſecantur, ſi pus vel aqua vniuerſim effluat, omnino moriuntur.* Quæ autem mala vniuerſalis euacuatio magnæ cacochymiæ in corpore reſtagnantis, aut ſaltem vehemens eius agitatio & commotio procreet, Fernelius paucis perſtringit, cū ait; *lipothymia, quæ purgationibus ob humorum acrimoniam & inteſtinorum torſionem interuenit leuis eſt; grauis vero, quæ ob concitati humoris tetrum vaporem in cor principeſque ſublatum partes; grauior ob malignam venenatamque pharmaci qualitatem, grauiſſima, quæ ob immoderatæ purgationis violentiam.*

Quatuor modis lipotymia purgationibus ſiniſtre ſuccedentibus ſuperuenit.

Vti itaque conſtantibus viribus pauca cacochymia vniuerſe ſimul detrahi poteſt, ſi humor paratus & viæ patentes; ſic imbecillis iiſdem pauca haut vniuerſim, & multa partito & per epicraſin educenda, veluti in leucophlegmatia, cachexia, ſimilibuſque affectibus, de qua re *ſuperius* vberius.

Quomodo vero humoribus crudis & incoctis non iuſto tempore, nec debite motis, vel in aliqua parte fixis,

aut concluſis, vel ab interioribus nobilioribusque ad cutem parteſq; exteriores fluentibus & pharmaco retractis aut craſſis, viſcidis, acribus, acutis, minimeque præparatis, medicamento deiectorio exhibito improſpera ſuccedat purgatio ex ſuperioribus ſatis conſpicuum eſt.

CAP. XXXII.

Quare pharmacum purgans alium, quam quem ſpecifice reſpicit, humorem, & præter hunc vnum, duos vel omnes aliquādo extrahat; nō eſſe generalem quandam in medicamentis facultatem omnes ex æquo humores reſpicientem.

ETſi quodlibet electiue purgans determinatum humorem extrahat, nihilominus per ſe non vnum tantum, ſed plerumque duos humores (inter quos tamen vnum propriiſſime reſpicit) purgat, veluti *Rhabarbarum* primo bilem, dein ſeroſos humores, *ſenna* primario melāchol'iam, ſecundario pituitam; *aloe* bilem & pituitam; per accidens autem horum quoduis omnes ſæpe humores purgat, idque his potiſſimum de cauſis; primo, quod electiue purgant ia non tantum formali proprietate determinatum humorem ſeligente & extrahente prædita ſint, ſed & qualitatem quandam habent naturæ, quaſi infeſtam & laceſſentem, qua eandem, ita irritant, vt non tantum humorem, quem ex proprietate trahunt, expellant, ſed quemcunq; fere abundantem, & ſua mole vel vi & indole grauem, vna extrudant. Id volebat innuere Hipp. cum inquit: *Si eidem homini, idem medicamentum quater in anno voles exhibere, hyeme euomet pituitoſiſſima, vere liquidiſſima, æſtate bilioſiſſima, autumno nigerrima.*

Secundo purgatur per accidens humor alius, quam ille quem per ſe reſpiciebat & ducere debebat, cū hic minime præparatus, crudus, craſſus, glutinoſus in denſa vel obſtructa parte coercitus, vel in remotiore poſitus, aut viæ minime patētes fuerint. Tunc enim obuium quemuis & ad fluendum aptiorem aggreditur, aut cuius maior exundat copia, educit. Ita ſi quiſpiam è capite bilem educere conetur, medicamentum eo directū cæteros humores in primis viis proximioribusque locis ſubſiſtentes vnà & citius vacuabit, magnæ enim purgationes ex remotioribus locis vacuantes, è propinquioribus obuia ſecum etiam euerrunt. Tertia cauſa eſt in doſi & facultate medicamenti. Illa eſt deficiens, vel exſuperans. Deficiens facultas & doſis facit, vt aut non pertingat eo, vnde trahere debebat humorem, ſed ſi quis alius in proximo hærebat, eum educat; vel vt multitudine humorum obrutum plane ſua fruſtretur actione & (vti volunt) in humorem purgandum ipſum et vel prauas ſuperfluitates vertatur.

tatur. Vehemens pharmacum, in quo vis maligna, qualis *colocynthis*, ſi eius exigua doſis obruta ſuperetur, in putredinem veneno finitimam abit. Benignius, quale *ſerum lactis, prunorum pulpa, caſſia, manna*, in alimentoſam vertuntur conditionem: verum duo poſteriora apud calidas naturas facile in bilem, vti omnia dulcia, faceſſunt. Mediocre pharmacum veluti *agaricus* in pituitam, *ſena* in melancholiam, *aloe* in bilem, & ſic in eum humorem, actione ſua fruſtratũ, vertitur, quem proprietate reſpiciebat, & adducere debebat. In quo multi formalem medicamenti proprietatem, qua humorẽ purgandũ reſpicit, conſiſtere, & q̃ ei affine ſit, concludere ſatagunt, cum in habentibus ſymbolum facilis ſit tranſitus. Ita dictitant, magnetem trahere ferrum formali proprietate, quia in ferri conſeruatur ſcobe, ac ſi eodem nutriatur: inueniuntur enim & generantur magnetes in ferri mineris, Indè patere aiunt, quomodo totius ſubſtantiæ proprietate cognati ſint humores & pharmaca, cui ratiocinationi, ſi inſiſtendum foret, ea, quæ venenatæ aut malignæ fuerint naturæ, potius malignos & venenatos ducent humores, qualia ſunt è vehementiſſimorum claſſe, *colocynthis, peplium*, & quia in eoſdem vertuntur, ſi à natura ſuperantur, pariter atque *agaricus* in pituitam. Sed hæc parergῶs.

In medicamentum vertatur in humorem purgãdum.

Alia ratio affinitatis & familiaritatis medicamenti cum humore.

Aucta medicamenti doſis præter determinatum humorem, etiam alios educit. Vbi tamen obſeruandum, quod licet ſit aucta doſis & duplicata vel triplicata, indeque maior & vehementior ſequatur actio, non tamen duplicetur, aut triplicetur, vel exaltetur eius ſpecifica facultas, aut gradus; *nihil enim ſuprà ſuæ ſpeciei virtutem per ſe agit*. Quod itaque quantitas medicamenti aucta actionem intendit, quamuis non ſupra gradum à natura inditum; contingit, quia in maiori copia & mole *diuturniorem* habet actionem, & minorem reſiſtentiam; propter reſiſtẽtiam enim fit, vt idem nunc intenſius, nunc remiſſius agat; veluti in *pipere* & *cardamomo* videre eſt, cuius magna quantitas diutius & conſequẽter violentius alterat, quod quamuis vim ſuam etiam eo intendere poſſit, vt interficiat, tamen non vltra tertium agit gradum; habitum enim corporis diu multumque ſine intermiſſione alterando naturæ violentum euadit.

Propter doſin itaque auctam pharmaci benedicti vel benignioris, neque ſatis correcti (qualia ſunt mediæ regioni dicata) ſequitur euacuatio etiam aliorum humorum, quos non reſpiciebat medicamentum, vtque tum actione diuturniore poſt determinati euacuationem perſeuerante, qua cum ſimiles non amplius inueniat, alios adoriatur, primoque ad fluendum paratiores, dein cæteros inuadat. Propter auctiorem vero doſin vehementioris remedii, aut eius male conuenientem vſurpationem, ma-

ſgna oritur hypercatarſis, cum non tantum humore proprio violentius detracto alios aggreditur, ac primum tenuiorem atq; ad fluendum promptiorem, deinde, qui craſſior pigriorque, ſed & ipſum ſanguinem, quem tanquam ſuum natura theſaurum auidius amplexatur & defendit, magna exagitatione & irritatione recluſis venarum oſcillis exturbat. Sic cholagogum primo bilem, deinde pituitam, tertio loco melancholiam, poſtremo ſanguinem educit. Phlegmagogum primo pituitam, deinde flauam, tertio atram bilem, & vltimo ſanguinem prolicit. Melanagogum primo atram, dein flauam bilem, tertio pituitam, tandemque ſanguinem profundit. Vim autem, qua alios preter determinatum humorem euacuet quodlibet purgans, non adſcribimus alicui proprietati tractrici vniverſali cum Fernelio, ſed magis expultrici, quod illa exagitata & irritata malefica pharmaci qualitate, commotos humores non aliter, quam in alui profluuiis à viroſa ſuperfluitatũ qualitate & copia laceſſita fluxiones excitãs ſuperfluas, ſine lege & ordine exturbat.

Fernelii opinio de generali omnes humores concernente proprietate nõ recipitur.

Cap. XXXIII.

De hypercatarſeos ſeu immoderatæ purgationis ſignis, accidentÿs & cauſis: de eiuſdem curatione methodica, & remedÿs adpropriatis, internis & externis: de narcoticis eorumque compoſitione & tempeſtiuo vſu. Ladani opiati elegans & probatiſſima ſtructura candide communicatur.

Hippocrates *ſect. 2. aphoriſ. 37.* inquit, *qui integra ſunt corporis valetudine, medicationes ægre moleſteque ferunt*; quod (Galeno interprete) *cum pharmacum exhibitum familiarem & quẽ reſpicit, adpropriatum humorem in ſano corpore non inueniat, ſanguinem colliquet & carnes, vt ex iis ſibi quicquid proprium & familiare eſt, attrahat, quo ipſo ſpiritus diſſipat, contenta ſana violenter quaſſat, naturam confundit, vertiginem, tormina animique defectiones excitat.* Idem eadem de cauſa accidere neceſſum eſt, cum præternaturalibus humoribus præſentib. natum comparatum pharmacum exhibetur, quod adeo intenſæ virtutis & fortitudinis ſit, vt poſtquam ſuperuacuos penitus eduxerit, reſidua adhuc & vlteriore polleat facultate, qua actionem ſuam in ſanas dirigat partes, & innocentia adoriatur, primumque tenuioribus, dein craſſis eductis, vaſisque debilitatis & venarum oſcillis relaxatis, aut violenter apertis, eroſiſuè mordicatione & tractione perſeuerãte ſanguinem vitæ theſaurum tandem profundat. Natura enim vi medicamenti violentioris quaſſata, proſtrata & turbata vna cum vitioſis bonos humores veluti pertuſum dolium ſimul effluere permittit. Hypercatarſi hoc pacto medicamento imprudenter exhibi-

Cauſa hypercatarſis.

to mota, idq; vel non ſatis correcto, vel excedent: doſi, aut naturæ virib. & proprietate haut congrue explora-tis, ſuccedunt facultatum omnium proſtratio, ſpirituum diſſipatio, calo-ris natiui reſolutio, ſudores frigidi, frigus extremorum, humorum natu-raliũ & præternaturalium profuſio, primariarum nobiliumque partium, in quarum integritate virtus & vita conſiſtit, atonia, animi deliquia, ſyn-

Signa & effecta hypercatarſis.

cope. Signa itaque ſuperfluæ purga-tionis ſunt eductio humorum vio-lenta primoque peccantium, deinde innoxiorum, tandem ipſius ſangui-nis: & accidentium commemorato-rum irruptio.

A vehementiori, acri & maligna qualitate prædito pharmaco nec ſa-tis methodice exhibito iſta acciden-tia generari, nullum eſt dubium, ſed quomodo illa, quæ ex mediocrium claſſe, excedenti doſi propinata eiuſ-modi ſymptomata excitare queant, cum nihil vltra ſuæ ſpeciei virtutem agat haut ſatis perſpicuum eſt. Non difficile eſt ei inuenire cauſam, qui nouit medicamenti cuiuſq; ſpeciem certos habere facultatum gradus, vl-tra quos actionem non extendat, niſi quantitate immoderata propinetur. Maiori enim copia diutius agit, na-turam ſine intermiſſione afficit, mi-norem repatitur reſiſtentiam, illudq; efficit (& plus etiam) quod in me-diocri doſi vehementius moliri poſ-ſet.

Superpurgatio curatur, ſi vim me-

Curatio violentæ hypercatarſeos.

dicamenti ſuperfluam tempeſtiue in-fringamus, malitiam retundamus, acrimoniã temperemus, impreſſam maleficam qualitatem abſtergamus & eluamus, eius exitum promouea-mus, ventriculum & inteſtina & vi-ſcera corroboremus, venarum rela-xata & aperta oſcilla conſtringamus, irritationem continuam vi medica-menti inſolentioris partib. inductam cõſopiamus, immoderate excitatum à toto affluxum reuellentibus auer-tamus. Mitigamus, eluimus, retun-dimus & frangimus vim medicamen-ti atrociorem *mucilagine ſem. pſyllii vel cydoniorum*, ſoluta in aqua *roſarum, maluæ, aut violarum* addito *modico olei amygdalarum dulcium*; *lacte amygdala-rum dulcium*, & *quatuor ſeminum frigi-dorum maiorum cum ſem. papaueris, pul-ticula ex lacte cum amylo, oriza & ſimili-bus*. Abſtergimus *decocto hordei, paſſu-larũ, cremore ptiſanæ, ſero lactũ, ſaccharo rubro cum aqua hordei, vel lacte, hydrome-lite, decocto fanugræci*.

Indicationes curatiuæ.

Si interim à fluxu vel medicamen-to acri corroſio vel excoriatio inte-ſtinorum ſit facta, conueniunt illa, quæ acrimoniam temperant, leniter abſtergunt & conſolidant. Et in hoc caſu valent *maſtiche, gummi tragacan-thi leuiter toſtum, arabicum, ichtiocolla, terra ſigillata, ſyrupus corallorum*.

R. *Gummi tragacanthi leuiter toſti* ℥ij. *lactis chalybeati* ℥iij. *miſce, dentur*.

Potiones.

℞. *Pulueris maſtichis* ℈v. *ſyrupi cy-doniorum* ℥ß. *de althea, de ſymphyto Fer-nel. ana* ℥j. *de papauere* ℥ß. *miſce*.

Dolor

Dolor, acrimonia & deſidendi indeſinens neceſſitas ſi flagitet, ad narcotica confugiendum, tunc præſertim, cum vires periclitari cœperint.

Quando & quomodo narcotica ſint exhibenda.

Narcoticorum ſumma indicatio eſt virium imminens proſtratio, ob vigilias continuas, dolorum diritatem, deſidendi motum continuum, fluxumque immoderatum. *Vires enim conſeruare eſt vitam ipſam ſeruare.*

Circumſpecte & accurata cum conſideratione ſunt exhibenda opiata, quamobrem ea vſurpanda erunt, quæ artificioſe præparata ſint, & quibus fuerint iuncta viſcerum primariorum tonum fulcientia. Non debent autem exhiberi, cum vires ſummopere languent & admodum proſtratæ ſunt, cum calor natiuus valde extenuatus aut iam extinctioni proximus; quod quidam non attendentes fati, quod alioquin imminebat, accelerati ſuſpicionem, non ſine magna nominis ſui ruina in ſe deriuarunt. Dantur etiam tutius in morbo calido, quam frigido, ſed nec pueris, nec ſenibus, nec grauidis.

Opii optima correctio. Ladanum Opiatum.

Vſurpatur hodie frequenter id, quod ladanum opiatum vulgo, aliis nepenthe nominatur. Optima opii ad compoſitionem huius recipiendi correctio eſt eiuſdē artificioſa quædam torrefactio. Hinc multi tanquam eleuſinum ſacrum celant, ſuæque inuentioni tribuunt; Verum, qui libros Galeni de compoſitione medicamentorum ſecundum loca euoluit, ei obſcurum eſſe nequit veterum decreto ſic corrigi.

Baſis ladani.

Baſin compoſitionis conſtituunt opii correcti & ſpecierum diambræ cum ſpiritu vini maluatici facta extractio. His pro ſua quilibet intentione adiicit tot tantaque, vt multiformes circumferantur, & proſtent eiuſdem confectiones aliter atque aliter materiatæ & præparatæ. Ladani, quo vtor, & cuius à multis annis vſus mihi probatiſſimus, cuius à gr. iij. ad ix. vel x. requirente neceſſitate, doſin feliciter exhibemus, deſcriptio talis eſt.

Ladani opiati probatiſſimi & ſaluberrimi candide communicata deſcriptio.

Menſe Martio vel Septembri *accipe iuſtam copiam radicum hyoſciami, cum germinibus tenellis, has contunde, & lege artis ſuccum exprime, eumque, vt ſit inſtar vini rubicundi optime clarificato & filtrato. Huius ſucci clarificati* R. ℔ j ß. *in quo diſſolue opij Thebaici optimi* ℥ iiij ß. *opij noſtri ex floribus rubicundis, papaueris hortenſis præparati* ℥ ij. *omnia rite diſſoluta filtrentur & inſpiſſentur. Huic ſimul inſpiſſato ſucco vel opio ſuperfunde ſucci citri, aranciorum, & aceti vini ana q. ſ. vt tribus digitis ſupereemineat, ſtent in loco calido, donec tingantur, tinctus liquor effundatur, & nouus affundatur, idque repetatur, donec omnis eſſentia extracta ſit. Colorati ſucci filtrentur, & ponantur in cucurbita vitrea in loco calido, vel ſupra arenam, donec fere omnis humiditas euaneſcat, & eſſentia opii in fundo mellis inſtar remaneat. Huic eſſentiæ miſcebis extracti mumiæ, extracti caſtorei ana* ℥ j. (*per ſpiritum vini præparatorum*) *& extra-*

ctum

ctum ex ſequentibus ſpeciebus factum. ℞. *ſpecier. diambræ* ℥ j ß. *arom. roſ. diamoſch. dulc. diaxyl. ana* ℥ ß. *lætific. Gal. lætificant. Rhaſis ana* ʒ iij. *vnicornu veri* ℥ ij. *his ſuperfunde ſpiritū vini rectificatū, & tincturam reiteratis vicibus extrahe, hunc tinctū ſpiritū ſuperfunde extracto opij, mumia, & caſtorei, & per B. M. ſeparato, & manebit in fundo mellis inſtar ladanum, quod pedetentim in loco calido indureſcat, quod & antequā id fiat (ſi nobile & efficaciſſimū velis eſſe) miſcebis magiſterij perlar. & corol. ana* ℥ j ß. *eſſentia ſuccini per ſpiritum vini factæ & eſſentiæ croci ana* ℥ ß. *Refrigeratis & induratis omnibus adde olei cinam. ol. cort. citri aranciorū. Gariophyl. calami ana* ℥ j. *ol. aniſi, cymini, fœniculi, carui ana* ℥ j. *moſchi* ℥ j. *ambræ* ℥ ij ß. *in ſpir. vini ſol. balſami macis* ℥ j ß. In vſum fœminarū hyſtericarū ſine *moſcho* & *ambra* parabis.

Huius ladani ℞. gr. iij. iiij. vel v. pro natura, ætate & conditione ægri, miſce *theriacæ Androm.* ℈ j. *& fiant pilulæ, vel bolus cum conſerua roſarum rubearum.*

Vel ℞. *Philon. Roman.* ℥ j. *aromatici roſat.* ℈ ß. *fiat bolus.*

℞. *Philon. Rom.* ℥ ij. *cum* ℔ j. *iuſculi optimi fiat clyſter* ſubiiciendus, quo reiecto detergens ſuccenturietur.

[Sa]nguinis [f]luxum [ſiſ]tantia.

Ad ſanguinis fluxum cum narcotica, ſi flagitet vſus, tum vero *lapidem hæmatitem, acaciam, ſemen ſumach, ſophiæ chyrurgorū, plantago, hypochiſtidem, terram ſigillatam, crocum ♂ eiuſque oleum, ſuccum plantaginis aut* ℈ ij. *ſal. prunellæ ex ſyr. papaueris vel myrtino* commendant.

Sed neq; q̄ extus applicantur, ſunt negligēda. Proinde conueniūt placētæ roſaceæ à deſtillatione aquæ relictæ, vino rubello calente & puluere *maſtichis* aſperſæ, aut *gr. maſtichis* piſtillo calido agitata, & ſoluta cū modico *terebinthina* corio inducta, & puluere *coriandri mirtillor. balauſtior. nucis muſcatæ & ladani* aſperſa, & in forma ſcuti applicata. Vel emplaſtrum ex *ladano de cruſta panis, cydoniis conditis, mica placētæ Noribergicæ toſtæ, granis iuniperi torrefactis, cū oleo abſinthij, cydoniorū maſtichino, ſtomachali & modico terebinth. & cera.*

Extus applicanda.

Roborantia viſcera.

Viſcerum interim, vt debite confirmentur, habēda eſt ratio. Danda itaque corroborantia ex *myua cydoniorū, diacydonio ſimpl. carne myrobalanorū conditorum, condito ſorborum & cornorum, conſerua roſarum, florum tunicæ, ſyrupo corallorum, cornu cerui præparati, lapide Bezoar, ſpeciebus de gemmis.*

Somnus & quies.

Somnus & quies imperanda vel conciliāda ægro. *Quæ* enim *motio ciet, illa ſiſtit, & moratur quies,* multoq; magis ſomn⁹, per quē actiones animales tam ſenſuum, quam motus volūtarii feriantur. Hip. *ſ.* 4. *aph.* 14. *&* 15.

Auertentia.

Reuellentib. & auertentib. annumerātur quæcunq; à centro ad ſuperficiē corporis parteſq; exteriores aut alias vias materiam pertrahūt. Auerſio perficitur frictionib. ligaturis, balneis, ſudore, vomitoriis, diureticis. Sudorifera balneis pręferuntur. Hęc n. corpus alioquin mirifice exhauſtū & fatigatum amplius ſoluūt, ſpiritus diſſipant, totiuſq; compagem quaſi laxant, & tardius ad cutē promouent ea, quæ intus fluunt, illa cum theria-

cam plurimum recipiunt, quæ purgationum impetum frangit, humoreſq; efficaciter ab internis ad cutem propellant, minore virium diſpẽdio maiorique emolumento operantur & hypercatarſin ſiſtunt.

Cap. XXXIV.

De dyſenteria eiuſque cauſis, differentiis, ſignis & methodica curatione: an & quomodo in dyſenteria purgandum: varia experta & ſecreta omnis generis remedia, & notabiles aliquot curationum obſeruationes traduntur: Paracelſi opinio & remedia, empiricorumque pharmaca recenſentur.

CVm ad hypercatarſin nõ raro fluxus alui dyſentericus ſubſequatur, viſum fuit huius naturam, cauſaſque breuiter delibare, & curandi modum, quatenus huic inſtituto ſeruit, annectere.

Quid ſit dyſenteria. Eſt autem dyſenteria *fluxus alui cruentus ex vlceratione inteſtinorum, quo primum fæces, cruor, mucoſa, adipoſa, pinguia & ramenta inteſtinorum, pelliculæ ſeu ephelcides, & cum tempore carunculæ omniſque generis humores ſub propria vel alia per corruptionem acquiſita forma, chyloſa, purulenta, fœtida, putria, ſanioſæ demumque inſtar loturæ carnium & cadaueroſa prodeunt liquamina.* *Dyſenteriæ cauſa.* Vlceratio inteſtinorum producitur à materia acri, mordente, ſalſa, putrida, erodente, ſeptica, ſine ii ſint humores à toto corpore, vel parte quapiam diſfluentes, ſiue alimenta ingeſta, ſeu medicamenta.

Humores à toto vel parte dilabentes critice aut ſymptomatice in aluũ feruntur, idq; in febribus malignis, ardentibus, peſtilentialibus, & ab vniuerſo venoſo genere, corporis habitu, capite, ventriculo, liene, iecore, meſenterio, aliiſque partibus. Eos vero oportet eſſe acres, mordaces, acutos, vel ſalſos vt abradere & erodere; viſcoſos & lentore præditos vt ad vlcerationem inducendam, hærere diutius poſſint; quales ſunt bilis flaua, vitellina, porracea, æruginoſa, aut pituita ſalſa, per aduſtionem, putredinem, vel humoris amari commiſtionem genita; aut melancholia aduſta, putrida, atrabilaria, aut ſanguis corruptus, acutus, bilioſus, aut ſanies virulenta, aliiq; humores manifeſta vel indicibili qualitate & lædendi facultate affecti & infeſti.

Medicamenta huius affectus cauſæ fiunt, ſi incaute ſumantur, quæ acri & erodenti vi ſunt prædita, qualia *colocynthis, eſula, ſcammonium, adamas, vitri puluis, antimonium, hydrargirus, aquæ fortes, ſublimatum*, aliaq; prædicta facultate participantia, quibus accenſentur venena.

Si itaq; pharmacum purgans acrimonia vehementiori præditum, incorrectum exhibeatur, inteſtina exulcerare, & dyſenteriam excitare poteſt, tunc maxime, cum humores

acres,

acres, indomitos, magno agmine ad inteſtina compellit aut etiam in hypercatarſin ægrum præcipitat.

Alimenta vel ſua natura ſunt talia, vt in prauos mordaceſque ſuccos faceſſant, vel per ſe quidem bona, ſed quæ in corpore vel extra prauitatem illam acquiſiuerunt, qua affectum hunc inducere poſſunt. Natura talia ſunt omnes pene horarii fructus, muſtum, cereuiſiæ recentes, impuræ, piſces ſtagnorum & lacuum, allium, porrum, ſinapi, raphanus, ſalſamenta.

Cibi & potus dyſenteriam inducentes.

Quæ per ſe bona erant cibaria, illa aſſeruatione & repoſitione corrumpi, ſitum, rubiginem & aliam malam qualitatē acquirere, vel ſiniſtra præparatione noxia fieri poſſunt, dum in vaſis æneis, cupreis coquuntur, aſſeruantur, in ſartagine, & oleis friguntur, vel alia ratione in edulium minime conueniens rediguntur.

In corpore ex bonis alimentis praui naſcuntur humores propter viſcerum intemperiem, ingeſtamve copiam & cruditates continuas. *Nihil* enim *æque ad praui ſucci generationem facit, quàm cruditas continua.* Cibi alii in ſuccos tenues, vnde morbi acuti; alii in craſſos, vnde chronici oriuntur, degenerant.

Differentia & gradus dyſenteria.

Differentiæ graduſq; dyſenteriæ, ab vlcere & excretis conſtituuntur. Vlcus præcedit, vel ſequitur fluxum *dyſentericum*. Quod præcedit, à cauſis potiſſimum externis generatur, videlicet ab ingeſtis acribus corruptiſq; cibis, pharmacis violentioribus & acutis erodentibus, ſepticis cauſticiſq; medicamentis, & venenis. Vlcus productum contenta & allabentia continuo expellit, dolore, calore, & inflammatione ma eriam ex vniuerſo corpore allicit, ad inteſtina, quæ cum excrementorum receptioni eorumque expulſioni deſtinata ſunt, facilius euenit, quod à toto & parte qualibet ſuperuacaneæ eo relegentur quiſquiliæ.

Vlcus, quod fluxum ſequitur, à copioſo acrium, erodētium & virulentorum tranſitu oritur, & ſic frequenter diarrhæa præcedit, cuius feritate inteſtina adeo afficiuntur, vt in dyſenteriam tranſeat. Differt enim diarrhæa à fluxu dyſenterico, quod in hoc non ſolum fiat cuiuſcunq; materiæ excretio, ſed & inteſtina ſimul ſint vlcerata, quamobrem ſanguis, ramēta, & demum purulenta egerantur.

Diarrhæa quomodo differat à dyſenteria.

Ratione vlceris dyſenteria eſt in fieri ſeu fiens, & facta. In illa primus conſtituitur gradus, cum adipoſa, pinguia, quibus pro ſcuto tranſeuntium acrium humorum & ad faciliorem duriorum ſtercorum exitum erant oblinita inteſtina, modici ſanguinis rimis aſperſa. Secundus, quando ramenta membranoſa interiore tunica deraſa inſtar epidermidis cum ſanguine eiiciuntur. In facta vero non tantum ramenta cum ſanguine, ſed & eroſa tunica ſecunda carnoſiore, carunculæ prodeunt cum ſanioſis purulentiſque vlceris profundioris recre-

mentis. Vlcus illud ratione ſuæ profunditatis & conſtitutionis benignũ vel formidabile & malignum euadit. Cũ ad tertiã penetrarit vlceratio tunicã, ſanationis ſpes penitus ſublata eſt.

Vti vero ex ſpecie humoris generantis, genera vlcerum, ita ex craßitie & acrimonia profunditas oritur. Praui humores vlcera gignunt profunda, intẽperata, putrida, calloſa, maligna, cacoethea, inflãmata, varicoſa, fiſtuloſa, ſerpentia, quæ quicquid boni adfluit nutrimenti, ſua labe conſpurcant, vnde cũ tempore malo colore, fœtido odore, cadaueroſo putore, infecta liuida nigraq; prodeũt, febre, æſtu, ſiti, corporis iactatione neceſſario comitante. Vlceratio in ſuperioribus vel inferiorib. inteſtinis aut medio horũ, vtriſq; videl. correptis aut in vniuerſis ſimul exſiſtit. Si in ſuperiorib. tenuib. ſit inteſtinis, birioſa, porri colorẽ habẽtia, variegata, excrementa magis cruda, ſanguinem nigriorẽ, ſtercorib. valde remixtũ, cum magnis dolorib. deiectionem longe pręcedẽtibus excernuntur. Cruor & ramenta tenuiora abſque putredine excretis valde ſunt miſta, ſitis, vomitus, cibi faſtidium, febris, cordis anxietas, anguſtiæ, cardialgiæ, lipothymiæque ſuperueniunt. Propagata & ampliata exulceratione, animi deliquia inualeſcunt, frigidum ſudant, ad interitum properant.

Si vlcus ſit in inteſtinis craſſis ſtatim à dolore ſequitur deiectio, ſtercora egeruntur multa & ſincera, quibus cruor ſupernatat, & exeunt pinguia, aliquando ſpumoſa & cum flatibus, cibum magis expetunt, & ſi febris ſuperueniat, oportet vlcus eſſe magnum & malignum.

Gal. lib. 14. meth.

Signa vlceris in ſuperioribus inteſtinis.

Signa vlceris craſſorum inteſtinorum.

Peſſimæ ſunt dyſenteriæ, quæ cum ſordibus pelliculas multas eiiciunt, late enim graſſari & ſerpere vlcerationem, indicio eſt. Excrementa porriformia, nigra, acria, graueolentia, ſanioſa, cadaueroſa, peſſima. Diſenteria ab atra bile lethalis, quia cancrosũ eſt vlcus. Vlcera caua, vetuſta, calloſa, labriſq; induratis, inſanabilia. Citius curantur, quæ à bile flaua; ægrius, quę à pituita craſſa; ægerrime, quæ ab humore melancholico, inſanabilis atrabilaria, & quæ fit poſt abſceſſuum eruptionem.

Prognoſtica.

In curatione dyſenteriæ duo ſunt reſpicienda fluxus & vlcus. Cum in confeſſo ſit, *nullum curari poſſe morbum, manente, quæ eum genuit & fouet cauſa*; nulla vlceris poterit recta perfici ſanatio, niſi fluxionis præcedat remotio. Hic remouetur deriuatione, reuulſione & euacuatione materiæ. Nulla recte adminiſtratur deriuatio, ante reuulſionem, neque reuulſio ante euacuationem totius, quod vniuerſalia in methodica curatione rite præcedãt. Nec enim materię ad vlcus affluxus coerceri poteſt, niſi plenario eius exhauſtu & diuerſionibus. Quãdiu ſupereſt materia, non ceſſat ad locum imbecillem delabi. Quamobrem ſi ante debitã euacuationem adſtringentibus vtare, vlcus amplius doloremque acerbiorem efficies, inflamma-

Curatio dyſenteriæ.

flammationem & febres accerſes, aut materiæ in nobiliorem partem decubitum promouebis. Vnde Galenus *lib. de ven. ſect. aduerſus Eriſiſtr. cap. 6.* ait, *non paucos ſe vidiſſe, qui dyſenteria, varicibus & hæmorrhoidibus opera imperitorum medicorum immaturo & præpropere cohibitis, atra bile vel inſania fuerint vexati, aliqui nephritide aut pleuritide correpti, nonnulli vomitione ſanguinis, hæmoptoe, apoplexia & hydrope exſtincti.* Et Hippoc. refert *in Coac. prænotit. dyſenteria intempeſtiue ſuppreſſâ abſceſſum in coſtis, viſceribus aut articulis fieri*: bilioſum in articulis, ſanguineum in coſtis & viſceribus. Vide Holler. *in ſchol. lib. 1. de morb. interior. cap. 43.* Et caſum puellæ memorabilem apud Fernel. *lib. 6. pathol. cap. 9.* Proinde affabre dicebat Aetius, *non eſſe intus cohibenda, quæ in emolumentum totius rectè eiiciūtur.* Quocirca liquidò conſtat, nullum materiæ morbificæ fluxum quatenus talis, rectè curari adſtringentibus, ſed euacuatione eius, quod fluit aut fluere natum eſt, methodice ſiſti, nullumq; dari locum adſtringentibus remediis in methodica curatione, niſi extraordinarie, videlicet cum vires nimia profuſione confertim facta collabūtur. Præterquam enim, quod *ſuperius* enumerata mala cauſentur, fluxum non tam cohibent, quam augēt, quia materia primò aliquamdiu violenter coercita, poſtea violentius erumpit, quodq; adſtringentibus occluſæ venæ meſaraicæ, & diſtributione chyli impedita maior fiat ingeſtorum effuſio. Corporis raritas & celer cibi diſtributio ventris denſitatem, impedita vero digeſtio aluum fluidam ſolutioremque facit.

Quæ ſuperueniant mala ex intempeſtiuo adſtringentium vſu.

Sed cum nequeat fieri vniuerſalis euacuatio, quin materia tranſeat & feratur per partem vlceratā qua mirum in modum vlcus exacerbari & grandeſcere neceſſum ſit, doctaque & trita ſit Galeni regula *lib. 13. meth. med.* materiam non ducendam ad locum affectum, ſed à tentata fluxione particula, quam longiſſime reuellendam eſſe, imò Hippo. *ſect. 1. aph. 21.* per vias & loca conuenientia humorem purgandum educere iubeat (oculis enim laborantibus non conueniunt errhina; neq; affectis ex influxu pulmonibus apophlegmatiſmi) multi in dyſenteria nequaquam purgantibus vtendum eſſe contendunt. Verum, quia vlcus non ſanetur, niſi remota, quæ id genuit vel fouet, cauſa, hæc vero ſic diſponi poſſit, vt abſque omni vlceris ampliore offenſione per partem affectam cōmode educatur, quid obſtat, quo minus in methodica curatione procedamus, eamq; ab vniuerſalis materiæ euacuatione auſpicemur? ſi cauſa, quæ vlcus produxit, non fuiſſet efferæ & acrioris particips qualitatis, non dyſenteriam, ſed diarrhæam duntaxat genuiſſet, qua corpus, materiæ nocentis copia exoneratum in ſtatum quendam meliorem perductum eſſet. Quando itaq; illa ſic temperatur & mitigatur, vt noxiam erodentemque vim depo-

An purgātia in dyſenteria cōueniant.

 nat,

nat, tuto eiicitur: imo remedia, quæ materiæ acutam qualitatem temperant, retundunt, eamque innoxiam & mitem faciunt, ſimul vlceris dolorem compeſcunt, eiuſque æſtum & feruorem atq; intemperiem demulcent, & ne latius ſerpat, efficiunt. Pharmaca autem, quæ humoribus ſic diſpoſitis euacuationis gratia dantur, ex eorum ſint genere, quæ blande nec cum violentia educunt, vlcus ſine mordicatione abſtergunt, & adſtrictionem roburque partium poſt ſe relinquunt, qualis vis eſt in *Rhabarbaro* & *myrobalanis*

Rationes in contrarium adductæ aliquid ponderis haberent, ſi pharmaco purgante maior inferretur noxa, vlcus amplificaretur, fluxus augeretur, inflammatio accéderetur, dolorque intenderetur: verum hęc non tam augentur mala, quam cum ipſa fluxione ceſſante omnia remittant.

Dyſenteria fit ab humore moto, ſed non ſatis promoto, & in inteſtinis hærente, cum moleſtia, dolore, & labe tarde tranſeunte. Proinde vti omnis fluxus materiæ inutilis diminutus eſt iuuandus, ita arte hic eſt promouendus, ne diutius ibidem hærens, acredine, ſalſędine & erodente vi amplius vellicet, maiorem labem imprimat, neq; nouus concitetur affluxus; quo effecto ceſſante videlicet dolorum & accidentium cæterorum diritate, & humorum affluxu ad vlceris curationem recta procedere licet.

Axioma therapeuticum, quo præcipitur, materiam nõ eſſe trahendam ad partem affectam, tunc maxime locum habet, cum laborans particula ſic eſt formata, vt nullas vias nullaq; habeat emiſſaria, per quæ humor noxius eiici poſſit, quamobrem attractus ibidem neceſſario permaneat, morbumque mirifice augeat. Atqui ſi pars laborans ita ſit diſpoſita, vt emiſſarium habeat patentiſſimum, per quod attracta materia iam ante cicurata, temperata, celeriter educi queat, ſitque à natura alias ſordium & inquinamentorum vacuationi deſtinata, vti inteſtina, contra methodi canones non erit eam huc transferre, præſertim quando nec commodius nec expeditius per aliam conuenientiorem viam euacuare queamus.

Intellectus verus regula, qua præcipitur, materiam non eſſe trahendam ad partem affectam.

In purgantium adminiſtratione id attendendum, vt initio ſtatim conſtantibus adhuc viribus & vlcere nõdum grandiore exhibeantur lenia, nequaquam vehementia, nec calida aut acria, ſed ita temperata, vt adſtrictionem, ſiccationem, roboriſque beneficiũ aliquod poſt ſe relinquant. Sedulo cauendum, ne illa exhibeantur, quin humoribus ſatis edomitis eorumque acrimoniæ & mordacitate retuſis. Qua autem ratione & remediis id perficitur, iiſdem ſimul vlceris dolor componitur, neue grandeſcat, inhibetur, inteſtina oblinuntur, muniuntur, ne ſi quid adfluat vel tranſeat rei acrioris, prompte lædantur.

Commendantur in hanc rem *ſyrupus*

Præparantia & temperantia humorum acrimoniã & feritatẽ in dyſenteria.

rupus iuiubinus, violaceus, de ſucco portulacæ, pomorum dulcium, de mucilaginibus gentilis, cydoniorum, de althæa Fernelii, de ſymphyto eiudem, de papauere, roſarum, phantaginis, abſinthii, &c.

Hac purgante potione fœliciter vſus ſum.

Purgantia.

℞. *Rhabarb. ſelect.* ʒij ſ. *agar. trochiſc.* ʒij. *cort. myrobal. citrior.* ʒſ. *nuc. muſc.* ℈j. *ſem. cimini torref.* ℈j. *ſpicæ* ℈ſ. *infund. in ſ. q. aquæ plantag. agrimoniæ, abſinth. ana p. æ. coque, cola, exprime. Colaturæ* ℞. ℥vj. *quib. miſce ſyrupi cydon. de abſinth. ana* ℥ſ. *f. potio pro duabus vicibus.*

Potiones purgantes.

℞. *Rhabarb. ſelect.* ʒj. *vel* ℈iiij. *pul. cornu cerui gr.* vj. *ſyrup. cydonio.* ℥ſ. *aquæ plantag.* ℥iij. *miſce.*

℞. *Rhabarb. ſelect.* ℈iiij. *cinam.* ℈ſ. *nuc. muſc.* ℈j. *aquæ fol. quercus, tormentillæ ana* ℥ij. *Infundantur ſex horis dein ferueſiant, & fiat colatura cum expreſſione forti, cui adde ſyrupi roſarum ſolutiui* ℥jſ.

℞. *Decocti hordei torrefacti* ℥iiij. *Rhabarb.* ℈iiij. *ſyrupi roſarum ſolutiui, acetoſitatis citri ana* ℥ſ. *miſce f. hauſtus.*

℞. *fol. agrimoniæ, cichorei ana M.* I. *flor. violar. roſar. ana p.* I. *fol. ſen. mund.* ʒ iij. *ſem. aniſ.* ℈j. *decoquantur, in colatura infunde Rhab. elec.* ʒjſ. *ſantal. citr.* ℈j. *expreſſione facta diſſolue ſyrup. de cicb. compoſ.* ℥j. *Rhab.* ℈j. *f. potio.*

℞. *Rhabarb. elect.* ʒj. *ſantal. citr.* ℈ſ. *Infundantur in* ℥iiij. *decocti vel aqua plantag. & endiuiæ, expreſſione facta adde ſyrup. de roſis ſiccis aut cydonior.* ℥ſ. *pul. Rhabarb.* ʒſ. *raſuræ cornu cerui* ℈j. *f. hauſtus, detur.*

℞. *pul. mechoacæ* ʒj. *corn. ceru. gran.* vj. *aq. fol. quercus* ℥iij. *ſyrup. cydoni.* ℥ſ. *miſce.*

℞. *Extract. mecho.* ʒſ. *vel* ℈ij. *cum pul. maſtich. f. pil. nu.* viij.

Syrupus myrobalanorum ad dyſenteriam.

Adprime commendatur ſyrupus de *myrobalanis* ad dyſenteriam, cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. *aq. plantag. cichor. ana q. ſ. myrob. citri. chebul. Indor. recent. ana* ʒ vj. *Rhabarb. ſelectiſſ.* ʒ xij. *maceris inciſi* ℈ j. *ſquinanthi* ʒ ſ. *flor. prunell. ſyl. p. j ſ. menthæ p. ij. ſem. aniſ. infundantur omnia calidiſſime per biduum vel triduum, colaturæ, adde ſyrup. roſ. ſolut. ſacch. clarif. ana* p. æ. *coquantur leui igne ad conſiſtentiam ſyrupi, addendo ſub finem aquæ cinamom. vel ſyrup. de abſynth.* ℥ ſ.

℞. *aq. hordei* ℥ viij. *myrob. citrin.* ʒ iij. *chebul.* ʒ jſ. *Rhab.* ℈ ijſ. *flor. violar. prunell. roſar. ana p. j. infundantur horis tribus calide, colaturæ* ℞. ℥ iij. *ſyrupi de myrob.* ℥ j. *pul. Rhabarbar.* ℈ j. *maceris* gr. v. f. *hauſtus.*

℞. *Rhabar. elect.* ʒ j. *ſquinant. maceris ana* gr. iij. *abſynth. noſtrat.* gr. v. *myrob. chebul. citrinor. ana* ℈ iiij. *ſucci roſarum abſque ſaccharo, aquæ plantag. bis deſtillat. ana* ℥ jſ. *Infundantur calide per noctem mane colentur ad vſum.*

Sequentibus præſidiis nobilem quendam, aulæ celeberrimæ ſatrapam, dyſenteria laborantem, qui pluribus fruſtra tentatis remediis iam eo deuenerat, vt diei ſpacio amplius, quam ſexageſies aluum deponeret, & cruenta purulentaque excerneret, SS. Trinitate auſpice feliciter percuraui.

℞. Her-

Obſeruatio curationis dyſenteriæ vehementioris. R. *Herb. herniariæ, ſcabioſæ, ſaniculæ, alchimillæ, hederæ terreſtr, ana* M j. *Radic. ſymph. maior.* ℥ ij. *altheæ* ʒ ſ. *ſem. aniſi* ʒ ij. *Hord. mũd. torref.* p. ij. *coq. ad tertias, colaturæ* R. ℔ ijſ. *quib. adde amygdal. dulc. decort.* ℥ iij. *ſem. pap. alb.* ℥ v. *ſem.* 4. *frigid. maior. ana* ℥ jſ. *manus Chriſti perlat.* ℥ ſ. *f. lac amygdalinum.*

Lac amygdalinum.

Delibato hoc lacte dolor mitigabatur, fluxum feritas remittebat, materia ad expulſionem commodiorem, quam ſequentibus pilulis inſtituebam, p. æparabatur.

Pilulæ laxatiuæ. R. *pul. Rhabarb. ſelect.* ʒ ij. ℈ ſ. *myrrhæ, Thuris, cornu cerui præpar. ana* ℈ ſ. *terebinth. Venet.* ℈ j. *cum ſ. q. ſyrup. de abſynth. f. pil. num.* xxxvj. ſ. pil. purgantes.

His tertio vel quarto in quartum diem vtebatur, aſſumendo qualibet vice decem vel duodecim.

Pilulæ antidyſentericæ. R. *pul. myrrhæ, thuris, cornu cerui præparat. terebinth. ad duriciem coctæ & tritæ ana* ʒ jſ. *croci Martis opt. præp.* ℈ iiij. *puluer cryſtall. præpar.* ℥ j. *terræ ſigill.* ℥ j. ℈ ſ. *Extr. tormen.* ℥ j. *Elect. requi. Nicol.* ℈ v. *ladani opi.* ℈ ſ. *cum ſ. q. ſyrupi de abſynth. f. pil. ex qualibet dragma num.* xv. dentur ſig. pil. antidyſentericæ.

Electuarium. R. *conſer. roſar. antiq.* ℥ j. ſ. *marmill. Hiſp.* ℥ ſ. *miclet. Nicol.* ℥ ſ. *Rob de ſymph.* ℥ jſ. *pul. cornu cerui præpar.* ℥ ij. *croci* ♂ *opt. præpar.* ℈ v. *extract. torment.* ℥ j. *pul. cryſtal. igne candefacti & aceto toties extincti, donec in pollinem redigi poſſit* ℥ jſ. *pul. nuc. muſc. torref.* ℈ iiij. *cum ſ. q. ſyrup. de ſymph. f. mixtura.*

Puluis. R. *pul. nuc. muſc. torref. cimin. torref. ana* ℥ j. *gummi Arab. tragacanth. ana* ℥ ij. *miſce,* detũ ſig. puluis cibo aſpergẽdus,

Alteri, præparatione & purgatione humorum præmiſſa concinaui, quæ ſequuntur.

R. *vitellor. ouor. coctione indurator. num.* xx. *pul. nuc. muſc.* ℥ ij. *radic. torment. cyperi, biſtortæ ana* ℥ ſ. *cornu cerui vſt. terræ ſigillatæ, maſticis ana* ℥ ij. *aq. plantag. agrimon. abſynth. aut vini rubelli ſtiptici ana q. ſ. fiat deſtillatio in arena; cuius* R. ℥ v. *ſyrup. corall. rub.* ℥ ſ. *extract. torment.* ℈ ij. Miſce pro ſingulis doſibus cottidie vſurpandis.

Alia probata remedia.

Aliud magnatibus in dyſenteria variiſque affectibus vtile.

R. *corall. rub. in alcohol læuigatorum ſuper porphyr.* ℥ iiij. *ponantur in phiala, eique inſtilletur ſuccus berberorum; donec imbibatur puluis, & fermentatione ſoluatur, dein affunde ſucci limonum defæcatiſſ.* ℥ xx. *fiat digeſtio in* B *vel fimo per dies* 10. *vel* 12. *donec menſtruum contraxerit colorem rubicundum, fiat per chartam emporeticam filtratio cuius* ♃. ℔. 1. *addendo ſucci depuratiſſ. cydon. vel in eius defectu miuæ* ℥ vj. *ſucci berber. ſacch. roſat. ana* ℥ xij. *miſce & exhalatione lenta reduc in ſyrupum, cui immittatur nodulus continens ligni aloes, ſantali citr. ana* ʒ j. *ambræ griſ.* ℈ ij. *moſch. oriental.* ℈ ſ.

Antidyſentericum ſpecificum.

Aliud. R *pul. roſar. rub. ſiccat.* ʒ ij. *radic. filipend.* ʒ vj. *conſolid. maior.* ʒ ſ. *Trochiſ. granor. actes* ʒ v. *trochiſ. de ſmarag.* ʒ jſ. *terræ ſigill.* ʒ ſ. *ſem. anth. roſar. plantag. ana* ʒ jſ. *nuc. muſc. torref.* ℈ v. *Croci Martis* ʒ j. *ſyrup. cydon. de roſis ſiccis, de hedera terreſtri ana* ʒ j. *ſyrup corall.* ʒ vj. *ſang. ſymphyti* ℥ ſ. *Extract. Tormentillæ* ℈ ij. *miſce.*

Pilulas de cera frequenter cum ſuc-

ſucceſſu vſurpaui ad vlceris inteſtinalis ſanationem.

...ule de ...a ad ...nteriă. R. *Ceræ aq.hederæ terreſtr. lotæ* ℥ ij. *Terebinth.aq.plantag.lotæ* ℈ j.*myrrhæ* ʒj. *amyli* ʒſ. *thuris terræ ſigill. ana* ʒij. *boli armen.* ʒj. *pul. cancror.vſtor.maxill.lucii vſtar.ana* ℈ jſ.*fl.ſulphur.opt.præp.* ℈j. *opii parum torref.* ℈ ſ.*cum ſ.q.miuæ cydonior. f.pill.*

...edia ...yſente- ...e epi- ...icam. Ad dyſenteriam epidemicam, malignam & contagioſam à Medicis Philippi Sigiſmundi quondam Oſnaburgenſ. Epiſcopi in aula Iburgenſi præſcribebantur ſequentia, quæ non abſq; ſingulari ægrorum commodo vſurpata fuere.

...ta. R. *Rob baccarum ſambuc. berberor. ana* ʒj.*conſeruæ roſa.rub.veter.ſymphyt.maior.ana* ʒ ſ. *Trochiſc. de terra ſigill.corall. rub.præparat.nuc.muſc.toſtæ ana* ʒjſ. *ſpecierum roſatæ nouell.diarrh.abbat. diatrionſant.ana* ℥ſ.*cum ſucco cydoniorum, fiat opiata.*

...uis. R. *pul.rad.verbaſ. torment.an.* ℥ſ.*ſem. planta. lapathi rub.an.* ʒiij. *gigart.paſſul. maior.nuc.muſc.torrefactæ ana* ℈v. *corall. rub.* ʒj.*cinamo. Succini alb. ana* ℈ijſ. *Garyoph.* ℥ſ.*terræ ſigill. Cryſtall. in pollinem redacti ana* ℈v. *Trochiſc. de ſmarag.* ℈ ij. *Tenuiter trita miſce,f. puluis*; cuius doſis ʒjſ. vel ʒij.

...me. R. *radic.tormentill. Ireos Illiricæ ana* ℥vj.*zedoariæ* ℥ ij. *biſtortæ* ℥ iij. *ſem. acetoſæ, plantag. carduibened.napi ana* ℥ jſ. *ocymi,citri ana* ℥ ij.*cort.citri ſicc.* ℥ ij. *boli Armen terræ ſigill.Lemniæ ana* ℥ iij. *cinamomi* ℥ j.*in pul.trita,miſce.* Doſis ℈v.

...uis ex ...allo. Montuus puluerem ex cryſtallo æruginoſæ bilis frænum eſſe ex Conciliatore aſſerit. R. *margar.corall.ana* ℈ j.*ſmarag.ſaphyr.granat.ana* gr.v.*ſpodij de canna, raſura eboris ana* ℈ ſ.*cryſtall.* ℥ſ. *fol.auri num.*vj.*ſacch.roſati* ℥ ij.*f.pul.*doſis cochleare j.

Diutina maceratione & coctione ex limatura cornu cerui affuſo vino vel aqua extrahitur mucilago, in dyſenteria curanda admirandæ efficaciæ.

Quando virium languor & fluxus vehementia ad narcoticorum vſum me compulit in magnatibus hoc ipſo feliciter vſus ſum.

R. *confect.alcher.ſpecierum diamarg. frigid.ana* ℥ ſ. *puluer. lap.Bezoar. ladan. opiat. ana* gr.xv. *theriac. Androm. vet.* ℈ jſ. *terræ ſigill.* ℥ ij. *corall. rub. præparat.* ℈ j.*cum ſyrup. cydon. f. mixtura*, de qua detur ℥ j.cum ſyrupo corall. *Electuariũ elegans.*

Præparantur itaq; remedia ad dyſenteriã ex *ſem plantag. ſumach. naſtur. torref.cym.torrefact. coriand.præp.anthe. roſar.ſoph. chirurg. acetoſæ,papauer. hyoſciami,oriza pſyllio, cidoniorum;ex granis chermes, myrti granatorum ex glandibus, cydonijs,piris auſteris,granatis,cornis,ſorbis,berberis,moris,meſpilis,ceraſis,fructibus rubi, vuæ criſpæ,nuc. muſc.gigart.vuarum paſſular. baccis tiliæ, cynosbati, oxyachantæ,oßib.meſpill. farina fabarum, fructibus roſarum lanuginoſis, cum ſemine & foliorum vnguibus.* *Simpliciũ farrago ex quibus remedia ad dyſenteriã comparantur.*

Ex herbis *piloſellæ, pyrolæ, ſaniculæ, virgæ aureæ, Liſimachiæ,Herniar.polygon. fragar. agrimon. burſa paſtor. alchimil. balſamin.ſophi.chirurg.ſolidagine,poten-* *Herbæ.*

tilla, hedera terreſt. Gnaphal. amaranth. millefol.equiſet.plantag.filic.phyllit.clemati: polemon.lunari.piloſell.ophiogloſſ.rorell. Epatic.tragopogi, nummul. verbenæ.

Foliis quercus,rubi,lentiſci, myrti,oleæ, ſalicis, populi liguſtri; corticibus meſpili, querci,berberorũ, malicorii; moſcho quercino, prunellor. ſylueſtr. meſpili,vſnea vel moſcho cranei microcoſ. ſantalis.

Radices. *Radicibus conſolid. alceæ, altheæ, tormentillæ, pentaphylli, biſtortæ, nymphee, rubiæ tinct.Garyophyll filicis, acetoſæ, lappæ, verbaſci, cyperi, Rhabarb. pimpinell. ſanguiſorba,china,filipendula.*

Lapides. *Lapide Bezoar, hæmatite,cryſtall. præpar. ſmaragd. ſaphir. granat. coral. bolo armen. terra Lemnia vel ſtrigenſi, ſuccino,ſpodio,thure,maſtiche, myrrha, matre perlarum,hypochiſtide, raſura eboris, amylo.*

Cineres. Cineribus *leporis, turturis cera impleti & in clybano toſti, cochlearum cum teſtis vſtarum, cancrorum fluuiatil.*

Medica: ex animalib. *Vermibus terreſtribus, ichtiocolla, ſperm. ranar. exſiccato oſſibus humanis vſtis,epate lutræ,arietis,lupi, ſiccato, cornu cerui,priapo ceruino,mumia, coagulo leporis & hædi, alb. græco, oculis & mandibul. lucii, inteſtinis lupi, Blatta bizantia, pellicul. interior. ſtomach. Gallin. ouorum luteis induratis,raſura ſepiæ,oui vitello aceto cocto.*

Gummi. *Gummi arab. tragacanth. Iuniperin. ſarcocolla,ſang.drac.acacia.*

Aqua deſtill. Aqua *fol. quercus plantag. pyror. agreſtium vel auſteror. extract. & ſang. ſymphyti, extr. tormentillæ, ſucco tragopogi, plantag.decoct.cort.meſpil.cort.rat. querc. folior.populi,vitriolo martis, oleo ferri.*

Syrupi. Syrupis *de althea ſymphyto piloſella,de roſis ſiccis,abſinth.eupator. agreſt. granator.ribia,oxyachant.berber.papau.Violar. granat.de mucilag.*

Compoſit. Trochiſcis *de terra ſigill. de ſuccino,de berberis,ramich,de ſpodio,granor.actes,diarrhod.pil.de bdellio.Marmillada diacydon. ſimpl, diacod. Micleta Nicol. triphera minor.*

Speciebus *diarrhod. Abbat. diatrion-ſantal.diacorall.Theriaca Mithridat.Philon.Perſico,Romano,Requie Nicola. pil. de cynogloſſ.laudano opiato,nepenthe.*

Hactenus propoſita eſt methodus & remedia, quibus ſanetur dyſenteria, quæ potiſſimum ex vlcere ſuperiorum & gracilium inteſtinorũ orta eſt. In cuius recta curatione primum humores affluxi & affluentes & affluxuri, temperantur, ſimulque vlceris dolor & ſenſus acer conſopitur, inteſtina muniuntur: dein inſtituitur euacuatio remediis, q̃ nec violenter, nec vehementer in vicinia & vlcere hærentẽ & fouentẽ humorem eluũt, affluxurum aut motu lento decumbẽtem ſimul, ſed tñ modeſte educũt, nec tamen à toto perniciter attrahũt. Vniuerſalis, euacuatione debite præmiſſa, auerſiones à centro ad peripheriam, & ad vrinam deriuationes molimur, ſimulque ad vlceris exterſionem, ſiccationem & conſolidationem accingimur. Simplex vlcus ſiccantibus & ſine mordacitate adſtringentibus, detergentibus, quæ (quo maior in vlcere putredo & corroſio,

eo fortiora eſſe conuenit) curatur. Qui methodo rite procedẽdum, niſi vehemens fluxus, doloris acerbitas, & inde oriunda virium eclipſis opiata admiſcere ſuadeant. Hæ intentiones, quibus remediis expleantur, ſupra numeroſe recenſuimus.

Auertentia & ad peripheriam debita præmiſſa euacuatione exigentia non parum in dyſenteria, potiſſimum epidemica conducere meo exemplo comprobare & conteſtari poſſum. Anno ſupra milleſimum & quingenteſimum nonageſimo nono graſſante dyſenteria epidemica maligna (præcedenti anno horrẽdum in morem ſæuierat peſtis) cum admodum adoleſcens ſcholam Hannoueranam frequentarem, me quoque iſta lues, quæ immenſam hominum multitudinem obtrũcabat, & inter pecudes, etiam vaccas & porcos adoriebatur, inuaſit, vt non ſemel, qui mihi miniſtrabant adſtantes, ſuprema occinerent.

ſeruatio rationis ſenteriæ demicæ.

Erat autẽ iſta dyſenteria aphthis, angina, ani tuberculis, recti inteſtini procidentia ſtipata, ingenti dolorum torminumque ferocia ſæuiens, ſeceſſuum & deſidendi crebritate vehementer lancinans, febri iracunda æſtuans, quibus ad extrema pene ſuſpiria conficiebar. Accedebat præter cætera etiam hoc mali, ne vlla calamitas ſola foret, quód adſtantes imperiti puerili mea ſimplicitate abutentes empiricorum curationi me ſubiicerent, qui ſine ratione & methodo, ſuo more me tractabant, & tantum non funerabant. Rebus ad extremum Parca iam pene occante, redactis, imploro loci Medicum celeberrimum, ſenem venerandum, Doctorem Mithobium, qui annis & ætate grauis, mittebat filium eiuſdem artis Doctorem percelebrem, quorum conſilio lene purgans pro virium ſuperſtite modulo hauſi, cuius operatione ſub noctem finita potiúcula extheriaca, cum bolo Armeno, terra ſigillata, aqua plantaginis & foliorum quercus exhibetur, quo abſorpto placide ſoluor in ſomnum, quaſi toto morbi decurſu non eram perfunctus. Euigilans ſentio madorem in ambitu corporis ad extremam tabetudinem iam ante conſumpti, quem ſcabies bilioſa, ardens puſtulis rubentibus minutis & acuminutis totum corpus adeo reſpergens, vt nec volis manuum, nec pedum plantis, parceret, ſubſecuta eſt. Ex hoc continuo cœpi melius habere, vires reduces ſentire, appetitum recuperare, & bona de ſanitate poſtliminio vindicanda ſpem concipere; neque diuina me deſeruit gratia. Scabies illa ingenti ardore, noctu præſertim, ac ſi in vrticeto voluerer, igniculabat, qua deſæuiente, ſumma cuticula deglumabar, capillorum defluuium ad glabritiem patiebar, vixque vngues penitus adhærebant. Recitaui hanc hiſtoriam, vt iunioribus demonſtrem, quid diuerſio, & in contrarium abductio humorum tempeſtiue inſtituta ꝓſit in hac ægrimonia.

Curatio dyſenteriæ, quæ eſt in inteſtinis inferiorib.

Quomodo medicamentis per ſuperiora hauſtis pertrahatur dyſenteriæ curatio, hactenus diſpeximus, vbi notandum, illa potiſſimum prodeſſe, quando vlcus in ſuperioribus hæret inteſtinis. Eodem vero in inferioribus exiſtente magis proficere & neceſſario adhiberi, quæ per inferiora ſubiiciuntur; qualia ſunt clyſmata.

Enematũ differentia.

Hæc in quadruplici ſunt differentia: vel enim abſtergunt & ſiccant; vel adſtringunt, conſolidãt, aut leniunt, doloremve inducta narcoſi compeſcunt.

I. Abſtergentia.

Abſtergentium materia ſunt *hordeum, furfures, ficus, ſaccharum Thomæũ, ſerum lactis, mel, hydromel, reſina vitello oui ſoluta, liquiritia, ciceres, piſa, lupini, lentes, parietaria, abſynthium, centaurium, beta.*

R. *hord. mund. furfur. ana* M. j. *radic. liquir. althea, ana* ℥ j. *fol. agrimon. heder. terreſtr. parietar. abſynth. ana* M. ſ. *cicer. rub. lupin. ſem. fœnugr. ana* ℥ ſ. *lini* ʒ iij. *flor. roſar. melilot. ana* p. ij. *mellis roſati* ℥ jſ. *coque in ſ. q. aquæ vel ſeri lactis, colaturæ* R. ℥ xiij. *quibus miſce ſacchari roſati* ℥ jſ. *vitell. ouor. num.* ij. *f. clyſma.*

Validioribus ſi fuerit opus detergentibus, addunt *abrotanum, vnguent. Apoſtol. Ægyptiac. muriam, lixiuium.* Sed non temere ad hæc tranſeundum,

Cur pinguia vitanda.

Pinguia & oleoſa arceantur ab vſu, quod vlcus ſordidius reddunt.

Abſterſo vlcere ad ſiccantia, adſtringentia & conſolidantia deueniẽdum, quorum materia *ſuperius* magno numero propoſita eſt.

Siccãtia, conſolidantia.

Clyſmatum materia, formulæ.

R. *Radicum biſtortæ, conſolidæ maioris, tormentillæ ana* ℥ j. *Herb. polygoni, piloſellæ, agrimoniæ, Herniariæ, ſaniculæ, hederæ terreſtris, verbaſci, virgæ aureæ ana* M. j. *capular. gland. nuc. cupreſſ. balauſtior. fol. roſar. rub. ana* ʒ ij. *lentium decort.* ℥ ſ. *orizæ torrefactæ, vel hordei parum toſti* p. 1. *Coquantur in lacte vel iure capitis veruecini; colaturæ* ♃. ℔. 1. *adde vitellor. ouor. coctione induratorum n.* ij. *ſucci plantag.* ℥ j. *vel amyli* ℥ ſ. *aut boli armeni, terræ ſigillatæ, tutiæ, ſanguinis draconis, gummi, tragacanth. in pollinem tritorum* ʒ j.

Lenientia.

Clyſteres lenientes parantur ex lacte vel iure extremorum ſeu pedum capitiſue vitulini aut veruecis, cui incoquantur *radices altheæ, maluæ, ſem. pſyllii, cydoniorũ fænugr. lini papau. albi, flores meliloti, camomillæ, verbaſci, roſarum addito ſeuo hircino, caprino, hædino ceruino, vitellis oui amylo.*

R. *Radic. verbaſci, althea ana* ℥ j. *ſem. pſyllii, cydon. papa. alb. lini plantag. fænugr. ana* ʒ iij. *flor. camomil. verbaſci, roſar. rub. ana* p 1. *gummi tragacanthi* ʒ j. *orizæ* p. ſ. *coquantur in ſ. q. lactis, colatura lib.* 1. *adde vitellorum ouor. n.* ij. *ſeui hirzini* ℥ j. *ſ.* vrgente doloris vehementia ex narcoticorum claſſe poteris addere *pil. de cynogloſſa* ℈ jſ. *vel Requiei Nicol.* ʒ j.

In horum omnium vſurpatione attendendum, quod quamuis inferioribus inteſtinis læſis magis vſurpandæ ſint potiuſque iuuent, quæ ſubiiciuntur tamen negligi non debeant ea, quæ per os aſſumuntur & contra. Et cum inteſtina exquiſito ſenſu ſint prædita clyſteribus tergentibus

tibus ſiccantibuſque ſemper lenientia, quæ nec vlcus ſordidius reddere, nec eius ſiccationem conſolidationemque inhibere poſſunt, miſcenda eſſe, nec temere vehementer detergentia ſincere & impermixta infundenda.

Reſtat, vt empiricorum & Paracelſicorum remediorum mentionem aliquam faciamus.

Paracelſica dyſenteriæ & fluxionum cura.

Paracelſus *lib. 1. Paragraphor.* dyſenteriam aliaſque alui & quaſcunque corporis fluxiones, ſiue extra ſiue in corpore de parte in partē fiant, morbos diſſolutos nominat, horūq; curationem (attendite an non Paracelſ. ſui immemor cōtraria contrariis curanda eſſe doceat & conteſtetur) habere vnicam intentionem, videlicet vt materia fluens coaguletur. Verum hic obiter notetur plane irrationale & empiricum eſſe ante debitam vacuationem, adſtringentibus ſeu coagulantibus vti.

Ipſi in hoc genere remediorum præ cæteris placet oleum auri. Mihi (ſilentio dictum) magis aurum ipſū, ſed non ad dyſenteriæ curationem. In morbo porro diſſoluto talem proponit coagulandi rationem. R. *Seminis & locuſtarum filicis ana* ℥ *ſ. ſanguin. Tracon.* ℥ j. *ſinapis, croci Martis ana* ʒ ij. *Tragacanth. in aq. vel ſucco plantag. ſoluti q. ſ. pro miſtione.* Doſin huius ſtatuit ab ℥ j. ad ℥ j. ſ. credo dragmam legendam.

Nota, hic Paracelſum per ſanguinem Traconis intelligere venas rubentes carbonum, quorum vſus eſt in fabrorum officinis, vti interpretatur Toxites.

Alia eiuſdem coagulatio. R. *Croci reuerberati, chalybis poſt ſolutionem* ℥ j. *ſem. filicis* ℥ ſ. (alii addunt æquale pondus *Tanaceti*) *boli purgati ab aquoſitate,* ℥ ij. *Tragacanth. diſſoluti in decoctione plantagin. f. trochiſci pondere* ʒ j. doſis eſt vna mane, meridie & veſperi.

Alia, R. *Trochiſcor. prædict.* ℥ j. *ladani puri* ʒ vj. *liquoris corallor. magnet. ana* ʒ j. *Theriac. deſcriptionis Paracelſi q. ſ. f. bolus,* doſis à ℈ j. ad ℈ j ſ.

Alia, R. *huius boli* ℥ ſ. *liquoris orizei (auri)* ℈ j. *liquoris carnis q. ſ. f. hauſtus.*

Aliud, R. *liquoris Martis* ʒ j. *liquor. orizei gr. x. liquoris filicis ad pondus omnium,* doſis ab aureo vno ad ſeſquiaureum. Quod porro ait, omne ex mineralibus paratum remedium, ſiue flores ſint, ſiue croci, conducere ad morbos diſſolutos, quocirca ſtibii flores audacter miſcet medicamentis ad horum curationem concinnātis, id magnam apud intelligentes fidei obediētiam, apud imperitos credulitatem requirit.

Empirica remedia.

Empirici ex *farina triticea, puluere nucis muſcatæ cum vitellis & albumine ouorum, adiecto nonnunquam ſemine ſophiæ chirurg. & modico lactis* conficiunt maſſam, ex qua ſuper tegula vel latere calfacto coquunt placentulam ægro deuorandam.

Alii decoquunt *gummi Arabicum* in cereuiſia tenui, quam pro potu ordinario exhibent.

Alii *radicem conſolidæ* ſtuppæ inuolutam, & ſub cinerib. toſtam exhibent, vel puluerem *glandium torrefactarum*, aut *corticem arboris vel radicis quercus ſiccatum, & in tenuem puluerẽ tritum, cum lacte aut alio conueniente liquore* propinant. Sunt, qui vinum aut decoctum *prunellorum ſylueſtrium* aut *corticum radic. prunell.* aut *corticum meſpili* commendent. *Syrupus & rob acaciæ noſtratis* in vſu eſt apud multos.

Quidam panem triticeum teſſulatim conciſum in cera frigunt, eaq; fruſtula comedere iubent.

Rectius alii *orizam torrefactam* & tritam in puluerem aqua macerant, & addunt *oui vitella, cum albuminib. & modico lactis* comparantque placentulas in ſartagine, aut ex *farina triticea fabarumque cum oui vitellis & albumine* formant bolos, quos in ſartagine frigunt.

Tritum eſt remedium, quod ex *malo cydonio* excauato & *cera*, cum *tragacantha* repleto, toſtoque paratur, Vulgus raſuram *priapi ceruini*, *puluerem lumbricorum terreſtrium*, *decoctum aut gelatinam ichtiocollæ*, aut pulticulam ex *amylo & amygdalis* vſurpat.

Veteres non formidarunt ex *acacia*, *hypochiſtide*, *gummi Arabico*, *balauſtijs*, *ſucco plantagin. licio*, *Rhoe culinaria*, *glandibus*, *prunis ſylueſtribus*, *baccis myrti*, *gallis*, *cornis*, *cachleis vſtis*, *corticepini. ſem. hioſcyami*, *opio torrefacto*, *meſpiliſque*, formare trohiſcos ad dyſenteriam.

Victus ratio. Victus rationem quod attinet, ea admodum frugalis eſſe debet, ne quantitate grauans, aluum ad exonerandum iuſto citius impellat, & ſic fluxum augeat, vel qualitate acriore, & ſalſa excretionẽ irritet. Conueniunt in vniuerſum cibi & potus, qui acrimoniam humorum obtundere & mitigare, curſumque eorundem ferocientium quodammodo inhibere poſſunt. Ex horũ genere ſunt *cydonia cocta*, *ptiſana ex hordeo parum torrefacto*, pulticula ex *amylo*, *oriza*, *iura extremorum* ab animalibus, *perdicum*, *carnes aſſatæ*, *oua ad duritiem cocta*, *lacticina* debite parata. De lactis vſu, vide auctores.

Cap. XXXV.

Methodi medendi ſuccincta & dilucida delineatio traditur; de origine, neceſſitate, & cauſis compoſitionis medicamentorum, de inuentione baſis & requiſitorum ad eam perficiendam neceſſariorum agitur.

IN methodo medendi ad duo potiſſimum collimat Medicus, videlicet naturam ægri, & affectum præter naturam ſeu morbum. Illa conſeruationem per ſimilia; hic remotionem per contraria exigit. Affectus præter naturam in latiori ſignificatione ipſum morbum eiuſque cauſam & ſymptomata à morbo catenatim dependẽtia ſimul complectitur. Cauſa triplicem habet reſpectum; vel cum adeſt, necdum actu morbum produ-

Rationalis methodi medendi breuis delineatio.

produxit, & tunc eius remotio eſt à morbo impendente aut futuro, præſeruatio, vel cum iam generauit morbum, & eundem ſimul fouet, vt ſine eius remotione curari nequeat, nullus enim curari poteſt affectus, remanente, quæ illum genuit, cauſa, & ſic propter morbum requirit ſui per cõtraria ſublationem; aut denique habet rationem continentis, atque ſic vnam cum morbo indicationẽ, quippe, quod vti eius rationẽ conſtituit, ita ipſius remotione ille continuo vna tollitur. Morbus itaque & cauſa continens vnam eandemque habent indicationem, videlicet ſui per contraria expulſionem. Symptomata vti à morbo dependentiam habent, atque ad eius eliſionem vna tolluntur & euaneſcunt, ita per ſe nullam præſcribunt aut indicant curationem, niſi ex accidenti, quatenus viribus periculum minantur.

Remedium morbo cauſęque contrarium ſic debet eſſe comparatum, vt ſua vi vtraque expugnare & elidere poſſit, & ſimul naturæ partique affectæ, quæ ſui conſeruationem indicant, ſit conueniens & adpropriatum. Vt vero morbum rite euincere queat, neceſſum eſt, ei viribus par eſſe. Quod enim minoris eſt efficaciæ, eundem expellere nequit, maiori virtute pollens, contrarium, ei, qui præfuit, affectum inducet. Medicamentum morbo contrarium, & ex indicatione eſſentiæ morbi inuentum, ſi ita ſit comparatum, vt eum per ſe ſolum expugnare poſſit, alia præter hoc accerſenda non ſunt, ſed ſimplex ſimpliciter adhibendum erit. Nam *cum ſimplicia intentioni ſufficiant, compoſita in vſum vocare nefas eſt*, dictante Hippocrate.

Rationalis methodi medendi breuis delineatio.

Si vero ſic comparatum, vt morbum quidem ex aduerſo reſpiciat, & oppugnare natum ſit, ſed interim vel nimis intenſum, aut remiſſum, vel aliena quadam naturæ infenſa, vel ad rem non neceſſaria qualitate præditum, ſi item naturæ partique affectæ nõ ſatis accommodatum, vel ad propriatum, plura, vt adaptetur, & determinetur, primo indicatũ requirũtur, vt ex ſimplici per plurium ad neceſſarias intentiones complendas admixtionem fiat compoſitum adæquatum. Vbi tenendum id, q̃ à morbo primo indicatur, per vnam ſimplicẽque contrarietatis ex natura affectus reſultantem indicationem vere eſſe baſin cuiuſcunque remedii, cætera, quæ hanc morbo, naturæ & parti affectæ magis accommodant, rectiuſque definiunt, ad dirigentia, corrigentia, conſeruantia referenda. Et, vt à morbo indicatio; & indicatum ſeu baſis proprie decernit, ſic cætera, quę huius, vt fiat remedium, per omnia conueniens, rationem determinant, coindicantia ſunt, & coindicationes decernunt, quæ cum baſi recte conſpirantes vnam efficiunt compoſitionem ad remedii adæquati hypoſtaſin. Quamobrem cum raro in vno aliquo ſimplici omnia illa inueniuntur,

De origine, neceſſitate, & cauſis componendorum medicamentorum.

Baſis indicatur à natura & eſſentia morbi.

quæ

quæ methodus curatiua præſcribit, neceſſum eſt, plura ſimplicia in vnam aliquam formam medicamenti reducere, quod morbo, parti affectæ, & ægro prorſus ſit idoneum. Vnde eliquet cauſa, quæ compoſitionem medicamentorum inſtituere compulerit.

Vidimus itaq; morbi ſpeciem indicare remedium ipſum ſeu baſin, & quæ eum determinent, referri ad dirigentia & corrigentia, quocirca de duobus vlterius deſpicere oportet, de ipſa videlicet remedii baſi, & his, quæ eam determinant.

Cap. XXXVI.

Baſis ſpeciem, qualitatem gradũ & doſin indicat morbi ſpecies, qualitas & exceſſus. Simplex baſis à ſimplici affectu indicatur, & ex vno vel pluribus genere ſimilibus, vel diuerſis & contrariis ſimplicibus conſtat. Compoſitus affectus compoſitam baſin indicat, ex baſium pluralitate oritur medicamentum polychreſtum, gradus apertarum qualitatum, & virium in his, quæ formali & occulta facultate operantur, quomodo indagentur.

Deſcriptio baſis.

BAſis eſt *radix & fundamentum medicamenti, à quo primaria totius actio proficiſcitur, & cuius gratia cætera omnia miſcentur.* Circa baſin conſiderantur eius ſubſtantia, & quæ eandem dirigant, corrigant, fælicitent, quomodo & qua quantitate miſcenda, quæ, vti ſimplicis, ita & compoſiti mixtura & doſis.

Species, qualitas & gradus baſis à morbi qualitate & quantitate indicatur.

Indicatur vero baſis ſpecies & qualitas à morbo, gradus à morbi quantitate & exceſſu. Debet enim omnis exceſſus per æqualem exceſſum contrarii curari, veluti, ſi morbus duob. gradibus frigiditatis excedat, medicamentũ exhibeatur in ſecundo gradu calidum. Idem autem deſignant gradus remediorum in medicamentis aperta qualitate agentibus, quod ordines in formali & occulta proprietate operãtibus, qualia ſunt purgantia & alexipharmaca. Nam vti vires medicamentorum & quæ inde æſtimatur eorum exhibendorum doſis in iis, quæ manifeſtis qualitatibus agunt, ex ipſa primorum mixtione, atque horum in mixto proportione deſignantur, ita quorum actio ab occulta & ſpecifica formæ proprietate perficitur, facultas & doſis ex operãdi modo tanquam à poſteriore experientia ſola inueſtigato dependet. Et quemadmodum quatuor numerantur gradus medicamentorum aperta qualitate agentium, quorum quilibet ſuas habet in initio, medio, & extremo deſignatas manſiones, ſic tres numerantur electiue purgantium pharmacorum ordines, iuxta ternas corporis regiones, quas ſinguli ſua vi tangunt & reſpiciunt. Et in quolibet conſtitutorum certa eſt latitudo, intra

Quomodo baſis tam ſpecifica, quam occulta facultate agentium inueniatur.

tra quam limitata doſis minor, me-dia & maior exhibetur pro indica-tionum poſtulato & determinatio-ne.

Gradus qualitatũ apertarum dupliciter inueniuntur.

Gradus aperta qualitate agentium cognoſcuntur ipſo ſenſu, vel æſtima-tione proportionis primorum in mixto coalitorum.

Prior cognoſcendi modus tradi-tur à Galeno *lib.5.de ſimpl.facul.cap.27.* vbi primum ſtatuit ordinem ſi obſcu-re; ſecundum, cum manifeſte; tertiũ, quando vehementer; quartum cum intenſiſſime guſtum tactumue affi-ciunt, quod ſequentibus antiquitatis verſiculis exprimitur:

Primus dicatur, qui in ſenſus non domi-natur,
Senſibus æquato gaudet natura ſecun-do,
Tertius excedit, ſed cum tolerantia læ-dit,
Deſtructor ſenſus neſcit procedere quar-tus.

Alio modo gradus cognoſcuntur ex ipſarum partium æquali vel inæquali in mixto menſura, & proportione. Partes ſeu gradus æquales conſtitu-untur ex æqua omnium partium di-ſtantia & proportione. Ita medica-mentum temperatum æquales par-tes caloris & frigoris ſiccitatis & hu-miditatis habebit. Nimirum ſi ſum-mus gradus ſit quattuor partium in temperatis, duæ erunt partes caloris totidemq; frigoris; ſi duodecim ſex caloris, totidem frigoris. In intem-peratis vero tantum vnius contrarii ſemper corrumpi debet, quantum al-terius generatur. Proinde calidum in primo gradu dicitur, quod vno gradu vicerit temperatum, in ſecun-do quod duobus, in tertio, quod tri-bus, in quarto, quod quatuor. Vt igi-tur intelligatur, in quolibet reme-dio quot partes vtriuſque ſint, nimi-rum calidi & frigidi, primum à tota graduum latitudine ſcilic. quatuor, auferatur numerus propoſiti gra-dus, deinde dimidium relicti numeri addatur numero dati gradus, & pro-deunt partes qualitatis prædominã-tes, alterum relicti dimidium erit quantitas partis alterius contrarii in mixto. Ita calidum in primo gradu habebit duas partes cum dimidia ca-loris, ſed frigoris vnam & ſemis. Ca-lidum in ſecundo gradu tres partes caloris vnam frigoris, calidum in ter-tio gradu tres partes caloris cum di-midia, frigoris mediam, in quarto gradu omnes quatuor partes caloris & nullam frigoris. Proinde, vt in pri-ma ſimplicium mixtione naturali *o-mne intenſum intendit remiſſum, & remiſ-ſum intendit intenſum.* Sic & in compo-ſitorum ex ſimplicibus primis artifi-ciali mixtione comparatis idem con-tingit. Quæ eſt ratio in primis qua-litatibus, eadem quoque in ſecundis & tertiis, niſi quod ſecundæ & tertiæ viribus primarum, quarum contem-peratione conſtant, agant. Atque ita vires compoſitionis rite internoſcũ-tur ante confermentationem, quæ mutua actione ingredientium, ſeſe

 inuicem

inuicem refrāgentium & contemperantium nouam & incognitam vim producit, ſola experientia indagandam.

Morbi ſimilares vt plurimū aperta qualitate agētia; cauſa ſpecifica vi operantia potiſſimum exigunt.

Paulo ante dictum eſt, morbos & cauſas morbificas baſin remedii indicare; vbi aduertendum, morbos ſimilares (excepto peſtilentium venenatorumque genere) poſcere remedia ex eorum claſſe, quæ manifeſtis qualitatibus agunt; cauſas vero morborum, vt plurimum illa, quæ ex quarto medicamentorum ſunt ordine & occulta formæ proprietate operantur; qualia ſunt purgantia, & etiam illa, quę vel ad vacuandum diſponunt & præparant materiam, vel quæ id, quod vniuerſalis purgationis vim effugerit, educunt, diaphoretica & diuretica dicta, quæ omnia ſecundi & tertii remediorum ordinis virtutę primarum qualitatum operationem ſuam perficiunt.

Differentia baſis.

Baſis eſt ſimplex, vel compoſita. Quemadmodum enim affectus alius ſimplex, alius compoſitus exſiſtit, ita baſis, quæ affectui reſpondere debet, alia ſimplex, alia compoſita erit. Simplex baſis eſt, quæ vnam habet intentionem vnamque actionem edit, ad quam perficiendā ſufficit vnum ſimplexque remedium, vel plura, quæ in eundem actum pariter conſpirant. Et ſi plura ſimplicia ad vnam baſin, quæ ſimplicem affectum reſpicit, vnamque actionem edere debet, concurrant, nihilominus illa pro ſimplici eſt habenda. Cum ſimplici affectui vnum aliquod ſolitarium ſimplexq; remedium nō inueniatur, neceſſum eſt, plura miſceri, vt quod in vno vel altero deſideretur, cætera conferant; quo fiat adæquatum.

Simplex.

Simplicit baſis ex ſimpliciei us peratione depende.

Baſis illa ſimplex dicenda eſt, quæ vnam ſimplicem intendit actionem, ſiue ex vno ſimplici remedio affectui adęquato; ſiue ex pluribus in vnam eandemque intentionem ſimul facientibus conſtructa ſit. Et vti ex remediorum multitudine baſis compoſita dici nō debet, ita ex vnitate non ſtatim ſimplex baſis affirmanda eſt. Fieri enim poteſt, quod vnum ſimplexq; remedium diuerſis viribus præditum, duarum baſium ſeu compoſitæ baſis vicem gerere poſſit. Sic *Rhabarbarum, aloe, abſynthium*, vim habēt chologogam & ſimul adſtringentem, quibus duabus facultatibus, ſi affectus indiget, veluti cum flaua bile orificium ventriculi obſidetur, iiſdem commode vtimur. Simplex itaque baſis eſt, *quæ vni affectui oppoſita, vnam ſimplicemque illi affectui ſufficientem edit actionem.*

Quæ ſimplex.

Compoſita.

Compoſita vero eſt baſis, *quæ ex pluribus numero remedijs diuerſarum baſium ad diuerſos complicatoſque affectus præſtare valentibus conſtat.* Vnde vnum remedium ex diuerſis baſibus conformatum ad morbos compoſitos diuerſoſque valens, polychreſton nominatur.

Origo medicamenti Polychreſti.

Simplex baſis pluribus in vnam eandemque actionem conſpirantibus conſtans & directa, conſtruitur ex genere ſimilibus vel contrariis, ſæ-

pe

pe enim euenit, ſimplicia non eſſe ad manus affectui adeo contraria, vt eius proportionem certo adæquent, ſed vel ipſum ſuperent, aut ſint inferiora viribus. Baſis ex ſimilibus eiuſdem generis conſtruitur deficiente quantitate vel qualitate. Ratione quantitatis, cum quidem medicamentum ſimplex, quo ad qualitatem æquipollens datur, ſed eiuſdem non ſuppetat iuſta doſis, quamobrem addatur tantum alterius ſimilis facultatis, quod defectum ſuppleat. *Operatur enim rite remedium quodlibet in certa ſua doſi.* Sic ſi anodynum ex camomelo præparare vſus flagitet, neque iuſta huius ad manus ſit quantitas, defectum adiecta meliloti portione ſupplemus. Ratione qualitatis deficientis ex pluribus genere & facultate ſimilibus conſtruitur vna baſis, quando non datur ſimplex vnum exacte gradibus ſuis proportioni morbi reſpondens. Si enim in morbo frigido duorum graduum infra duos gradus calidum exhibeamus, morbus non auffertur penitus, ſi vero in tertio gradu calfaciens demus, victa frigiditate morbifica, vnum caliditatis præternaturalis gradum introducemus. Eiuſdem proinde generis, ſed diuerſorum graduum calida ſimplicia ſic ſunt miſcenda, vt ex mixtione remediorum inferioris & ſuperioris facultatis reſultet id, quod morbo æquipollens & per omnia adæquatum eſſe poſſit. Hic inſeruit regula, quod *omne remiſſum remittat intenſum, & omne intenſum intendat remiſſum, ad medium vtriuſque.* Quocirca ſi deſit remedium ſimplex in ſecundo gradu calidum, ex vno, quod primi gradus, & altero, quod tertii ſit calidorum, commixtis emergit medicamentum in ſecundo gradu calidum. Eadem eſt ratio in ſecundis & tertiis qualitatibus, quod hæ virib. primarum agant, earumq; virtus ab his dependeat, & in his fundetur. Sic eiuſdem facultatis, videlicet roſa & galla adſtringentis, apium & ſemen melonis diureticę, id, quod intenſum eſt, intendit remiſſum & contra. Eadem quoque ratio eſt illorum, quæ quartæ facultatis feruntur remedia, qualia ſunt purgantia. Etſi enim formis, quarum proprietate operari dicuntur, nihil ſit contrarium, nihilq; contrarietate ſua earum actiones directe impedire vel remittere poſſit, tamen cum nulla forma ſubſtantialis vel materiæ immerſa ſine miniſterio qualitatum ſit efficax, & hæ potiſſimum ſint illud, per quod operentur, inſtrumentum, domitis pharmaci purgantis qualitatib. intenſioribus, actionis violentia remittitur. Cum formæ ratio ſit occulta, actioque ſupra elementarium qualitatum efficaciam inde proficiſcatur, fit, vt qualitates illæ, per quas hæ actiones perficiuntur, etiam reuera ſint & dicantur occultæ, in quarum natura rerum ſympathiæ & antipathiæ fundantur. Etſi vero hæc ita ſe habeant, tamen occultas qualitates nō aliunde, quam

…aufæplu- …alitatis …medioru …mplicium …ſimplici …vſi.

Virtus intenſa, intendit remiſſam, & hæc remittit illam tā in ſecūdis tertiis & quartis medicamētorum virtutibus, quam primis.

varia varie remiſtorum miſcibilium ex primis ortorum compoſitione, mixtione, peculiarique idioſyncraſia cuiuſcunque formæ ad vires ſpeciales edendas vtili & comparata ortas eſſe credimus. Cum enim *formis nihil contrarium* ſit, & hę purgantium facultates iis remittantur, quæ manifeſta primarum vi occultas obtundere valent, omnino neceſſum eſt, illas ex peculiari idioſyncraſia primarũ coaluiſſe. Vnde ſequitur magnam rationem medicatricium facultatum ex primis earumque varia remiſtione dependere, vbi tamen formis cuiuslibet, quæ qualitatum, tanquam inſtrumentorũ operationem dirigunt, & virtute ſua promouent, ſuum tribuimus.

In ſimilium ſimplicium genere adſeruimus *omne intenſum intendere remiſſum, & contra:* quod in iis, quæ primis, ſecundis & tertiis facultatibus agunt, oſtendimus, & in his, quæ quartis operantur, quoque fieri demonſtrauimus. *Epithymi* virtus ad purgandum melancholiam intenditur adiecta *ſena* vel *helleboro*, horumque viciſſim remittitur potentia *epithymo*, ordinata certa ſua cuiuſque in hanc rem doſi, de qua *poſtea*. *Cnici* phlegmagogi vis intẽditur *agarico, & turpetho*; *Rhabarbari* cholagogi modico *ſcammonio*. Atque ita etiam in purgantibus intenſioribus vehementia remittitur, additis mitiorib. eiuſdem ordinis, & mitiorũ facultas exaltatur, adiectis vehementioribus.

Hactenus, quomodo baſis ex ſimplicibus genere ſimilibus, ſed diuerſorum graduum conſtituatur; reſtat, vt demonſtremus, quomodo ex his, quæ non vnius vel ſimilis generis & qualitatis, ſed diuerſarum aut contrariarum ſint naturarum, commixtione conformetur.

Temperato, ſi opus ſit, remedio, neque tale quippiam continuo habere potes, duo contrariæ facultatis eiuſdem ordinis, eodem pondere miſce, exempli gratia, *roſam* & *ſpicam*, habebis, quod intendis. Pari modo ex ſimplicibus contrariæ naturæ, quę ſigillatim & per ſe ſola adhibita affectui curando forent nocentiſſima, ſi certa quantitate miſceantur, accommodatiſſimum cõficitur remedium. Huius rei complura à Galeno *in lib. de compoſit. medicament.* producuntur exempla, ex quibus ſequentia ſunt deprompta. *Oleum* p ſe omni vlceri eſt nocentiſſimum, quia humectat, & ſordes parit. *Vlcus* enim *omne ſiccantia & abſtergentia requirit*. *Chaltitis* vero, quia vehementer rodit & ſiccat, ex aduerſo quoque noxia eſt; vtriſque mixtis tamen oritur appoſitum, & conueniens ad vlcera remedium. Galen. *lib. 3. meth.* dicebat *oleoſa & pinguia reddere ſordida & male olentia vlcera, & in cacochymico corpore putria, æruginem vero erodere, ex oleo, cera & ærugine miſtis fieri remedium replens vlcus*. Sic ex temperamentis duob. aduerſis vnum fit conueniens. Perinde ex ſecundis qualitatibus, emplaſticum cum detergente

tergente vel epulotico miſtum, facit ſarcoticum: Ex ſarcotici miſtione cũ adſtringente fit glutinans, ex adſtringenti cum valde ſiccante epuloticum.

In horum omnium ſiue ſint ſimilis facultatis, & diuerſorum gradum, ſiue contrariarũ qualitatũ mixtione, diligenter attendenda ſingulorum quantitas, æqualis, vel inæqualis, pro cuius ratione medicaměti vires multifariam variant, & magis minuſue intenduntur aut remittuntur. Quando ex ſimilium qualitatum ſimplicibus intenſioribus & remiſſioribus fit mixtura, vti ex *roſis* leniter adſtringentibus cum *galla* vel *alumine* & *balauſtiis*, ſi æqualis ſit illarum cum his miſtura (veluti *roſarum & aluminis*) medicamentum oritur, quod ſit in medio extremorum, ſi *floris* pondus triplum aut quadruplum, fiet mitiſſimum, ſi contra *alumen* iſta quantitate copioſius additum fuerit, vehementiſſimum orietur, atque adeo varium & diuerſum pro maiore vel minore cuiuslibet quantitate. Similiter *cum contraria paris gradus æquali quantitate permiſcentur oritur temperatum, ſi inæqualibus miſcentur portionibus, varius compoſitorum diuerſis viribus præditorum oritur numerus.*

De baſi compoſita. Tantum de ſimplici baſi. Quia vero *nihil in compoſito, quod non prius fuerit in aliquo ſimplici*, baſis compoſita dicitur, *quæ ex plurium ſimplicium baſium in vnam medicamenti formam redactarum coadunatione conſtat.* Componitur autem baſis propter vnum vel plures affectus. Vnus ille eſt, vel cum ſua cauſa, & difficilibus ſymptomatibus vires conuellentibus, vel non; *ſimplex affectus, ſimplex requirit remedium*; ſua ſtipatus, quæ illum produxit, cauſa & ſymptomatibus vires proſternentibus, & aliquam hoc pacto curationis partem requirentibus, tam cauſa & ſymptomata, quam ipſe affectus peculiarem ſuam requirunt baſin, vnde earundem compoſitio oboritur. *Baſis compoſita indicatur à cõpoſitis affectibus.* Plures affectus in eadem vel diuerſis inſunt partibus. In eadem eſt intemperies cum materia, vlcus cum intemperie, obſtructio iecoris cum calore, tumor inflammationis ex ſolutione vnitatis, imtemperie cum humore & læſa conformatione conſtans. Plures morbi in diuerſis partibus ſunt implicitì, connexi, & conſequentes. *Morbi implicitì.* Implicitì morbi ſunt, quando communi opera eandem facultatem lædunt, quales in aſthmate & pleuritide concurrunt. *Connexi.* Connexi, cum alter ex natura prioris generatur, ita pleuritidem neceſſario ſequitur febris, orificio ventriculi affecto coafficitur cerebrũ. In his nõ ſufficit medicamentum ſimplicis baſis, ſed tale, quod ex pluribus compoſitum cuiuslibet affectus indicationi reſpondeat. Volentes itaque remedium multis affectibus ſimul vtile componere, id tot debet conſtare baſibus, quot actiones ab eodem exſpectamus. Hoc pacto polychreſtorum medicamentorum inuenta eſt compoſitio,

tio, qualia ſunt *theriaca, mithridatium* & complura alia.

CAP. XXXVII.

Baſin indicatione à natura affectus deſumpta, inuentam conuenientem & accommodatam reddunt coindicantia à parte affecta eiuſque dignitate & officio ſitu, & conſenſu, & natura ægri atque ab ipſa baſis ſubſtantia, qualitate & conſtitutione exorta.

De coindicantibus baſin, vt ſit conueniens omnibus requiſitis remedium perficientibus.

CVm de baſis conſtitutione & quomodo ipſe affectus primo & per ſe eam indicet, pro re nata ſit actum, conſequens eſt, de coindicantibus ſiue illis, quæ baſin ita moderantur & determinant, vt parti affectæ & naturæ ægri conueniens fiat medicamentum, videamus. Non enim ſufficit, baſin morbo adæquate contrariam, & tantæ facultatis, vt eum expellere poſſit, inueniſſe, ſed requiritur etiam, vt ſic comparata ſit, ne naturę ægri vel temperamento partis, dum affectum elidere molitur, nouam inferat iniuriam. Debet itaque morbo eſſe contraria, & naturæ partique affectæ conuenire. Coindicationes, quibus dirigitur & conformatur baſis, vt naturæ ægri & parti congruentior ſit, vel ab ipſo medicamento baſin conſtituente, vel à natura ęgri, vel à parte affecta deſumuntur.

Quo pacto indicatio à parte vim baſeos moderetur & determinet.

Quid dignitas partis indicet.

In parte conſideratur primo dignitas, temperamentum & ſenſus. *Parte digniore, cuius functio toti communis, qualis ventriculus, eparque, laborante, ſolis relaxantibus non vtimur*, ne robur viſceris diſſoluatur, ſed adſtringentia miſcemus, aut quæ ſubſtantiæ proprietate eandem reſpiciunt & confirmant, quippe *principis partis robur ſemper eſt conſeruandum, licet affectus contraria exigat.* vid. Gal. *lib.* 13. *meth.* Quandoquidem autem optima partium corroboratio ſit temperaméti, à quo actio prima perficitur conſeruatio, ſemper ſui cuſtodiam indicat temperies partis, quare ſi curatio temperamento contraria eſt, veluti ſi iecur, quod eſt ſubſtantiæ poroſæ & diſſolutioni idoneę, laboret obſtructione valide extenuantia & diſſoluentia nó adhibentur, neceſſarioque corroborantia & adſtringentia miſcentur. In ventriculi pariter iecoriſq; tumoribus ſolis relaxantibus neq; puris reſoluentibus vtendum eſt, propter actionis, quæ toti inſeruit, neceſſitatem, & partium dignitatem, quamobrem illo affecto abſinthium, hoc vero læſo agrimoniam admiſcemus. Similiter vbi plurimum cum temperamento partis pugnat morbus, non ſolum adhibenda remedia vehementiora, ſed etiam in primaria quapiam affecta, quæ eius temperamentum conſeruant. Cerebrum eriſypelate laborans non tantum vehementiorib. indiget, ſed etiam, quæ partis robur & temperiem tuentur.

In

Situs partis quid indicet.

In parte exquiſite ſentiente, acuta, acria & valida remedia non adminiſtranda, ſed hæc temperanda, adiectis etiam corroborantibus, ne vires dolore ſoluantur, aut alia membra in conſenſum trahantur. Conſideranda porro etiam connexio, ſitus, & conſenſus partium, ad remotiorem aut in profundo ſitam non facile deducitur, nec integris virib. penetrat medicamentum, niſi quippiam, quod vehiculum præſtet, miſceas, quod tribus potiſſimum modis fieri ſolet, primo addendo ea, quæ ſubſtantiæ proprietate parti affectæ ſunt familiaria, vt ab illa trahantur, & ſua ſponte ad eandem prompte ferantur. Cephalica miſta vim remedii ad caput; pectoralia ad pulmones deferunt: frangentibus calculum *cantharides*, cardiacis *bugloſſum*; pectoralibus frigidis, *hyſſopum*; nephriticis calidis *ſem. quat. frigida*; cephalicis *betonicã, ſtæchadem*; epaticis *agrimoniam, cichoreum*; ſpleneticis *ſcolopendrium* ſeu *ceterach verum* additur. Hic prætereundum non erit, quædam remedia quibuſdã partibus adeo familiaria eſſe, totius ſubſtantiæ proprietate, vt nõ tantum partes ipſas reſpiciant, & ad eas inclinent, ſed ſimul eorum affectus percurent vicemque baſis & baſin dirigentis ſimul expleant. *Cerebrum leporis* apoplecticis & paralyticis prodeſt, *pulmo vulpis* phthiſicos iuuat, *epar lupi* epaticos, *oſſa humana* oſſium fracturis & arthriticis proſunt, *veſica ouilla* vel *caprilla* vſta, aut *teſticulus leporis* mictum inuoluntarium curat, *cameli & muſtelæ cerebrum* ſiccatum ex aceto potum medetur epilepſiæ, *galerita* elixa vel aſſa colicum cruciatum ſedat, *inteſtina lupi* affectibus inteſtinorum, *pelliculæ ſtomachi Gallinæ* ventriculo, *capita apum, muſcarum & murium* vſta alopeciam ſanant, *os de corde cerui & aqua cordis vituli* deſtillata cordis agrimoniis ſuccurrit.

Deducentia virtutem baſis ad partem affectam.

Quæ ſingulari & formali proprietate morbos ſanent.

Secundo miſcentur, quæ baſin per meatus natura obſtructione aut cõpreſſione anguſtos deducere poſsũt, in partes, ſi opus ſit, remotiſſimas, eſſentiæ ſuæ tenuitate, vel acrimonia, in obſtructionibus viſcerum miſcetur *acetum*, in affectibus pulmonum *bolo armeno & tragacantha* additur, *manna* vel *ſuccus liquiritia*, in inflãmationibus & doloribus capitis *acetum*, quod alias iiſdem noxium, confunditur *oleo roſato* ad penetrationem iuuandam; & in externis porro eadem de cauſa remediis ſæpe pro re nata additur *euphorbium*.

Tertio à tritura & læuigatione medicamentum acquirit maiorem penetrandi vim, vti videre eſt in *Rhabarbaro & aſaro, quæ ſubtiliſſime trita lotium mouent, craſſiuſcule comminuta aluum ducunt.* vbi obſeruandum, non ſatis eſſe deuenire ad partem affectam id, quod baſis vice fungitur, ſed etiam neceſſum fore, vt ibi hæreat, donec in actum recte deduci & operari poſſit. Quamobrem in vlcerib. aſperæ arteriæ miſcemus *tragacanthum* & externis remediis *ceram, reſinam & picem*.

Con-

Conſenſus ſtomachi cum cerebro & corde facit, ne impendio refrigerantia miſceamus ſtomachicis, ſed quæ peculiari proprietate illas parte reſpiciunt.

Natura ægri quomodo determinet baſin. In ægri natura & circa illam conſiderantur temperamentum, proprietas, ſexus, ætas, conſuetudo, vitæ genus, de quibus *ſupra* mollibus pueris, eunuchis, mulierculis & delicatis, debentur mitiora, duris, ſiccis, baiulis, agricolis, nautis, venatoribus validiora; mediocribus mediocria, conſuetis fortiora; in cognatis temperaturis mitiora, in contrariis validiora.

Quomodo ratione ipſius baſis, quæ eam commode determinent, addantur. In medicamentis ipſis ſeu baſibus potiſſimum conſiderantur ſubſtantia, & qualitas, eorumque, quæ ad harum conformationem idoneam accerſuntur, proportio & doſis.

Ratione ſubſtantiæ liquidis ſicca miſcemus, ne diffluant, ſiccis liquida, vt penetrent; craſſis viſcidiſque attenuantia, incidentia, vt *acetum*. Aſpera leuigamus, & viſcidis miſcemus, veluti in affectibus oculorum. Medicamentis tenuioris ſubſtantiæ, & facile reſolubilibus aliquid craſſioris & viſcidioris, ne euaneſcat; quæ facile putreſcunt, aut corrumpuntur, *ſale, melle* vel *ſaccharo* conſeruantur.

Qualitas medicamenti nimis intenſa vel remiſſa eſt, & vel maligna, vel ſuperuacua, vel iniucunda vtenti. Quorum vis in craſſa materia hæret, ea acrioris additione intenditur, quæ acriora & vehementiora ſunt, contrarii vel craſſioris & viſcidioris, vti validiora pleraque permixtione medicamenti ſibi ſimilis, ſed remiſſioris vel contrariæ qualitatis retunduntur. Ita *agarici, Rhabarbari, turpethi* ignauior vis purgandi, quia in craſſa hæret materia, acrioris & extenuãtis permiſtione exſtimulatur. In *turpetho* & *agarico* virtus catarctica excitatur & agendi celeritatem acquirit, addito *zinzibere* aut *ſale gemmæ*, in *Rhabarbaro ſpica*, in pilulis adiectione aliquot granorum *diagridij*. Similiter medicamenta in primo gradu calida intenduntur permixtione calidorum in ſecundo & tertio gradu.

Vehementia remedia miſtione contrariorum vel ſimilium remiſſioris gradus contemperantur. Violentia purgantium mitigatur contrariis, cum vis *ſcammonij tragacantho malove cydonio* infringitur. Sic in *diaphœnico* eadem remittitur *dactylis*, in *diapruno* per prunorum pulpam, in *diarrhodon laxatiuo ſucco roſarum*: aut cicuratur ſimilibus; ſic *ſcammonij* acumen retunditur *manna, Helleboro, epithymo, polypodio & folijs ſenæ*.

In *confectione aromatici Garyophyllati* calor intenſus *Garyophyllorum, piperis, galangæ*, contemperatur, non ſolum permixtione *roſarum, ſantali, trochiſcorum diarrhodon*, ſed etiam *liquiritia*, remiſſum enim remittit intenſum.

Maligna qualitas benignioris adiectione delinitur, aut contrariis infringitur & temperatur. *Opium* caſtigatur *croco* & *caſtoreo*, *colocynthidis*, *oleo amygda-*

amygdalarum aut *tragacantho*, *Ellebori* malignitas, quæ ventriculum afficit, *aniſo*, *dauco*.

Superuacanea qualitas eliditur per alteram contrariam. Si ſola requiratur humectatio, & detur medicamẽtum frigidum humidum, debita permixtione calidi & humidi frigiditatem ſuperuacaneam temperabimus.

Iniucunditas remediorum corrigitur grato odore, ſapore, colore, de quibus apud Practicos.

Tenendum vero, corrigentia, quę acuunt, vel minuunt facultatẽ baſis in minore quãtitate addẽda. *Vulgo baſis proportio ad acuẽtia & minuẽtia eſt tripla.*

Quæ malignitatem baſis occulta naturæ proprietate corrigunt, vt plurimum æquali quantitate aſſumuntur.

Quæ vero manifeſtis qualitatibus non neceſſaria aut ſuperuacanea remouent, qualia potiſſimum oppoſitis viribus conſtant, æquali aut maiori.

Dirigentia ſequuntur rationem baſis. Quo enim hæc fuerit debilior eiuſque quantitas maior, eo dirigentium ſit minor, adeo, vt frequentior aut decupla ſit baſis ad dirigentia. Contra, quo baſis vehementior, eiuſque doſis minor, vti *ſcammonij* & *colocynthidis*, eo dirigentium quantitas debet eſſe amplior, & vel baſi æqualis, aut paulo maior, quo modo *ſtœchas* ingreditur *pilularum cochicarum*, q̃ ob id cephalicæ vocantur, conſtructionem. Nam vis medicamenti dirigentis valida non eſt, & in exigua doſi ad partem affectam aliorum medicamẽtorum vires deducere nequit.

Quæ conſeruationis, formæ, aut ſuauitatis gratia compoſitis permiſcentur, baſin nec nimia quantitate obtundere, nec aliena qualitate peruertere debent, ſed virtute ſua aut vires baſis iuuare, vti *mel* in ſyrupis & electuariis aliiſque compoſitis calidis extenuantibus abſtergentibus; aut viribus baſis nihil, vel quam minimum reſiſtere, vt *ſaccharum* in ſyrupis, iulepis, aliiſque compoſitis frigidis, *cera*, & *oleum* in vnguentis & emplaſtris.

Totius compoſiti facultas ex omnibus eius partibus ante fermentationem, iuxta *ſupra* commemoratas regulas, poſt fermentationem experientia & vſu cognoſcitur.

Cap. XXXVIII.

Noua purgantis remedij doſin nec à quoquam ſatis explicata inueniendi traditur ratio. Species humoris ſpeciem pharmaci purgantis, (an cholagogum vel melanagogum) ſitus ordinem, videlicet lene, mediocre, vel vehemens, & ſimul doſin ipſam, ſi conſideratio copiæ humoris accedat, deſignat. Hæc moderantur, & determinantur coindicantia à viribus, ætate, natura,

& idioſyncraſia. Qua doſi pharmaca ſimplicia ad mixtionem concurrere debeant: quomodo ea inueſtigetur in compoſitis.

VT plenam de recta purgandi methodo earumque conſtructione tractationem perficeremus, quæ breuiter de medicamentorum compoſitione dicta & producta ſunt, inſpergere neceſſum fuit, tempeſtiuum nunc erit, ſpecialius de conſtituenda & definienda purgantium doſi tranſigere.

Doſis æſtimatur ex facultate baſis; hæc primo indicatur à morbo, vt magnus morbus efficacem ſeu magnam baſin, paruus paruam requirit; & vt magnam baſin, ita & eiuſdem doſin pro virtute & efficacia eiuſdem formandam requirit. Sed vt in purgantibus id efficacius diſpiciamus, vbi non ipſe morbus, ſed cauſa morbi, videlicet humor qualitate peccans indicat, neceſſum eſt inſiſtere principiis & fundamentis *ſuperius* traditis. Humor ſuperfluus & peccans indicat genus pharmaci purgantis, ſitus ſeu regio, & regionis aliquod membrum deſignat, ex quo eiuſdem generis ordine, primo, ſecundo, an, tertio, videlicet, an ex lenientium, mediocrium, vel vehementium cenſu id ſumendum, doſinque, ſi conſideratio copiæ humoris accedat, maxime determinat. Nam ſimplicia pharmaca non in qualibet, ſed in certa quantitate & doſi ex aſſignata ſuæ efficaciæ regione attrahunt ſuperflua. Minima doſis nihil mouebit, iuſto minor potius turbationem, quam purgationem promouebit. Nimia quantitas, etiamſi quodlibet remedium non agat vltra gradum & virtutem ſuę ſpeciei, propter diuturniorem à maiore copia actionem & infeſtationem minoremque reſiſtentiam, hypocatarſes demum excitabit. Quamobrem ſua cuique definita eſt doſis, vltra & infra quam parum aut nihil mouebit, quę omnia potiſſimum dicta ſunt reſpectu eorum, qui inter pubertatem & decrepitam ſenectam conſtituti mediocres purgationes haut difficulter tolerare poſſunt. Doſis cuiuslibet certa conſtat latitudine. *Rhabarbarum* in forma pulueris purgat bilem ex ſecunda regione corporis mediocris ætatis hominibus, cumprimis ex epate, à ℥j. ad ℥ij. In hac latitudine vires & natura ægri aut hominis purgandi doſin moderantur. Si homo robuſtior vireſque per morbum haut nimis exinanitæ, humorque præparatus, ad ℥jſ. vel ℥ij. licet tranſcendere. Si vero vires infirmæ, ægerque naturæ debilioris, quamuis humor ſatis magna exundet copia, nō extrema, ſed remiſſiore pharmaci doſi vtendum erit.

Exſiſtente humore in ſecūda regione partim crudo, & partim cocto, aut eodem in remotioribus aut diuerſis eiuſdē partib. & locis ſito, eorū, quæ ex ſecunda regione purgant, non extrema

trema,ſed media doſis eaque methodice repetita conuenit. Hic aduertendum, quod in debilioribus & maxime imbecillib. corporibus, vti & in ſenibus & pueris (de qua re *ſuperius* etiam dictum) ea, quæ primæ regioni deſtinata erant purgantia, ex ſecunda, & quæ ſecundam attingunt ipſis, ex tertia ſatis euacuare. Ex quo deducitur, pueris & ſenibus eorum, quę ex tertia regione ducũt, nullam conuenire doſin, quamuis more recentium caſtigata, & refrænantibus corrigentibuſque miſta aliquot granorum pondere non infeliciter ſæpe exhibentur; vidi extractum *ellebori nigri* & *diagridium* præparatum aliquot granorum pondere, non tantum impune, ſed & bono rei cum ſucceſſu tenerioribus datum.

Quemadmodum itaque humoris ſpecies, & eiuſdem ſitus ipſam remedii ſpeciem, & ex quo ordine ſumendum, & doſin indicant, ita vires, & quæ circa has conſiderantur, videlicet ætas, naturæ idioſyncraſia, variaque corporis diſpoſitio, tempus, & cætera, de quibus *ſupra* actum, coindicant, vel contraindicant, & indicatum moderantur ac rite determinãt, vt, ſi fuerit recipiendum cholagogum ex eorum genere aliquod maioris minorisve efficaciæ aut primi, ſecundi, tertiive ordinis determinetur, & cum doſis remedii cuiuſcunque ordinis certa conſtet latitudine, vt in huius minore, medio vel ſupremo gradu detur. Facultas robuſta maiorem medicamenti vim & doſin, mediа, mediocrem & mediam, imbecillis minimam definit. Proinde ætas media atq; florens medicamentum efficacius & maiorem doſin (æſtimata videlicet cuiuſque latitudine) admittit, ſed ea, quo extremis vicinior fuerit minorem, omnium minimam infantilis & ſenilis. Pueri enim propter naturalem humiditatem facile in diarrhæam, aliumve ventris fluxum prolabuntur, vel ob corporis mollicíem & raritatem diſſoluuntur, & ſenes, quibus tempore iuuentutis adſtricta fuit aluus, quia, velut pueri facile diarrhæa corripiuntur, vireſque poſſident imbecilliores, inſtar puerorum ſunt habendi. Quibus aluus adſtrictior & cruda aut vegeta ſenectus, hi mediocria tolerant. Qui itaque nouit, in qua quantitatis latitudine quodlibet purgans ſimplex ex deputata ſibi prouincia proprium humorem ducat, is, ſi tempus morbi, vires & naturam ægri, humoris cruditatem, coctionem, copiam, partiſque ſitum, & quæ *ſupra* dicta ſunt, de indicantibus purgationem, reſpiciat, facile definiet, ex quo ordine, & qua doſi quodlibet exhibendum ſit.

De eradicatiuis purgationibus hic notandum, quod etſi humor ſit in ſecunda regione copioſus, dum vires & natura ægri tolerent, non tantum ea exhiberi tuto, quæ ſumma doſi ex ſecunda purgent, ſed, & illa in mediocri doſi dari poſſe, quæ tertiam attin-

gant,aut illa oportune acui poſſe his, quæ tertiam reſpiciunt.

Quem dosis compoſitorum doſis inueſtigetur.

Similiter in compoſitis remediis ſi quot doſes purgantium vnius pluriumue ſpecierum ingrediantur conſtructionem totius compoſiti,ſi item corrigentium,refrænantium & acuentium vim,quatenus pharmaci purgantis baſin conſtituentis facultatem coerceant, corrigant,intendant, vel remittant, eaque,quæ modo de ſimplicis remedii determinatione dicta ſunt, examines, facile cuiuſcunque pharmaci compoſiti ſub quacunque forma doſin inuenire & definire valebis.

Qua ratione ſimplicia ad mixtionem concurrere debeant.

Qua doſi ad mixtionem concurrere debeant purgantia ſimplicia,de quorum menſura definitum eſt,explicandum reſtat. Miſcentur vero æqualia æqualibus, vel æqualia inæqualibus; æqualia vocamus, quæ æqualis virtutis ſunt,& ex vna eademque regione, ſiue vnum ſiue diuerſos purgant humores, vel quæ in eadem doſi vulgo præſcribuntur,ſic doſis *agarici* & *turpethi* eſt æqualis. Æqualia miſcentur, ſi lenientia lenientibus, mediocria mediocribus & valida validis confundantur.

Quando æqualia æqualibus miſcentur, totius compoſiti quantitas nunquam excedit iuſtam vnius doſin:tantum enim de cuiuſq; portione detrahendum,quantum reliquorum quantitate ſuppletur. Si duo lenientia mediocria aut valida miſceantur, cuiuſque duæ ſumuntur partes, ſeu media cuiuſque doſis;ſi tria, tunc cuiuslibet doſis ſumitur pars tertia. Vbi notandum, cuius facultatis medicamentum maxime neceſſarium ſit. Si bilis & pituita æquali copia peccent & per mediocria fuerint expurganda, cum *Rhabarbari* & *agarici* ſeorſim doſis vſitata ſint ℥j. cuiuſcunque erit aſſumenda ʒj. at ſi plus phlegmatis, quam bilis præſto ſit,augeatur dimidium doſis vſitatæ *agarici* & diminue *Rhabarbarum*, ita vt porrigas *agarici* ℈iiij. *Rhab.* ℈ij. quod in omnium purgantium mixtionibus obſeruandum, videlicet eius maiorem ad compoſitionem recipiendam copiam, quod humoré maiori abundantia infeſtātem proprie reſpicit. Cum æqualia inæqualib. miſcentur, tunc vel lenientia mediocribus, aut lenientia validis, vel mediocria validis miſcētur. Si leniētia mediocrib. aut validis miſceantur, vtriuſque ea eſt doſis, quæ ſeparatim: quod lenientia vltra primam regionem nō magnopere purgant, nec mediocrium aut validiorū vim in tertia & ſecunda regione promoueant, imo *omne remiſſum remittat intenſum & contra.*

Si mediocria cum validis miſcentur,id propterea fit vt valida tantum excitent & acuāt mediocrium vires, vel vt æquali vi eoſdem diuerſoſue humores purgent. Si illud videlicet vt hæc illa acuant,tum valida mediocrium vſitatę doſi granorum aliquot pondere adiiciantur. Si æquali vi cū mediocribus purgare debent, tunc vtriuſ-

vtriuſque vſitatæ doſis dimidia pars eſt aſſumenda. Si vnum mediocre & duo vehementia aut vnum vehemēs & duo mediocria commiſcenda, ſingulorum duntaxat tertia pars recipitur, ſi quidem omnia eundem ducāt humorem vel etiam diuerſos, æqualiter tamen abundantes. Diuerſis autem humorib. inæqualiter abundantibus, eius augenda doſis, quod exuberantem præ cæteris purgat humorem.

Hæc omnia ſtricte obſeruantur in mixtione illorum pharmacorū, quorum alterum alterius vim & actioné non impedit; in his enim, quorum alterū remoratur alterius operationem, ſemper augenda eſt compoſiti doſis.

Quemadmodum aliæ qualitates à contraria vel remiſſiore retunduntur, vt calidum à frigido, vel minus frigido, ita etiam facultas purgandi miteſcit, quando ſoluentib. miſcentur, quæ vel non ſoluunt, vel in ſoluendo infirmiora ſunt. Quocirca ſicut mutatur ratio virium in purgādo, ſic etiam mutatur doſis. Nam quāuis in aliquo medicamento purgante compoſito accipiuntur, quę in ſummo ſunt ordine purgantiū, qualia *ſcammonium, colocynthis, elaterium*, tamen quia hebetantur miſtura aliorum, deducitur totum medicamentum ad ſecundum ordinem purgantium, proinde liberalior eſt doſis illius, quod ex pluribus commixtum, quam ſyncerorum ſeorſim, vel iunctim exhibitorum.

Studioſe itaque attendenda præparatio, compoſitio & fermentatio, quippe ſecundum has non raro alia, quam deſcripta ſit, conſtituenda eſt compoſiti quantitas. Sic medicamentorum coctura ob plurimam exhalationem ſuadet totius compoſiti pondus in deſcriptione poſitum, pro breuioris diuturniorisue coctionis, ratione imminuere. Diuturna fermentatio & adiecta medicamenta, quæ malignam purgantium qualitatem corrigunt, inſinuant, compoſiti ante inuentam doſin augendam eſſe; Ideoque maiore doſi exhibentur pilulæ aureæ, quod eorum compoſitionem ingrediatur *aloe* & *maſtiche*, quæ purgantium vim frænant.

FINIS LIBRI PRIMI.

AVRORÆ MEDICORVM IOANNIS FREITAGII

LIBER II.

CAPVT I.

Purgantium pharmacorum differentiæ, quæ primam regionem euacuant præparantibus & purgantibus diuerſo reſpectu accenſentur, & vel apertis ſolum, vel ſimul occultis agunt qualitatibus. Illa proprie eccoplotica dicuntur, & in ampla quantitate, vt operentur, ſunt aſſumenda.

VT ad ipſam purgantium claſſem deſcendamus & ſigillatim horum quodlibet expendamus, ordinis & inſtituti ratio requirit.

Purgantiũ differentia. Quemadmodum corporis humani fabrica in tres regiones diuiſa eſt, ita purgantium tres referuntur ordines, vt ea, quæ primæ regionis ſuperuacua educunt, neque vltra eam magnopere vires ſuas extendunt in mitiorum ſint genere; quæ vero ad mediam regionem pertingunt ſecundi generis, è quorum cenſu etiam minoratiua *ſuperius* recenſita, quæ inter validiora & mitiora medium nacta ſunt locum, in tertio ordine exſiſtunt, quæ ex tertia corporis regione trahunt, qualia ſunt validiſſima, quo & eradicatiua pertinent.

Quæ primam vacuant regionem duplicem habet reſpectum, vel enim, quia primas vias nempe ventriculum inteſtina & venas meſaraicas à ſuper fluitatibus liberant, vt his, quæ in ſecunda & tertia regione hærent, purgandis ſuperfluitatibus liquidior pateat exitus, præparantibus adſignantur, iuxta *aphoriſ.* 11. *ſ.* 2. *corpora ſi quis purgare velit, fluida faciat, oportet*; vel quod è prima regione ſeu dictis viis locis. *Quæ primã regionem expurgãt, triplicem habent reſpectum.*

locíſque ſuperuacua auferant, & per aluum excludant, purgantibus accenſentur, & ſic viciſſim, quatenus purgant, in duplici ſunt differentia. Hoc enim manifeſta qualitate, aut formali ſeu formam proxime conſequente vi & proprietate efficiunt.

Manifeſta qualitate purgantia obuium quemlibet humorem & recrementa primarum viarum euehunt, cætera omnia formali proprietate humorem hunc vel illum electiue foras trahũt, in quibus pariter id obſeruandum, quod vna vel ſeſquihora ante cibum ſumpta felicius vberiuſque operentur, & priores meatus ad epatis vſq; regionem rite perpurgent, quemadmodum à veſpertino ingeſto alimento ſumpta in forma, præſertim pilulari, rectius à capite ducunt. Vocantur autem illa vulgo hypactica, ſiue lenientia & eccoprotica, quod fæces communes primo euacuent, ſuntque in quadruplici differentia, vt alia lubricantia, abluentia, detergentia aut comprimentia dicantur.

Eccoprotica quadruplicia.

Lubricantia.

Lubricantia lenta pinguique ſubſtantia prædita, ſunt modice calida, qualis vis in *althea, malua, atriplici, ſpinachia, prunis dulcibus, iure carnis vitulinæ, gallinæ, caponis cum vitellis ouorum, paſſularũ, iuiubarũ*, & item in omnib. oleoſis & pinguibus, quæ contentricem leuigant, & ingeſta transfluere permittunt.

Abluentia.

His cognata ſunt abluentia & detergentia, quorum illa magis aquæ naturæ ſuperficiem partium expurgant, minuſque mordent, & calfaciunt, vt *ius galli veteris, ſerum lactis, aqua hordei, hydromel, ius braſsicæ mercurialis & betæ*, hæc vero plus calfaciunt & exſiccãt, altius penetrãt, tenuiores meatus ſubeunt, vellicant, abradunt, qualia ſunt potiſſimum nitroſa & amara, vt *centaurium minus, ariſtolochia*, & nonnulla dulcia quadam acrimonia prædita veluti mel.

Detergentia.

Comprimentia improprie lenientibus accenſentur. Idcirco enim purgare feruntur, quod vaſa contrahendo humores contentos exprimant, qualia ſunt *tamarindi, myrobalani, maſtiche*; quo fine in vltima menſa aut poſt cibos exhibẽtur, *cydonia, pyra*, &c.

Comprimentia improprie purgantibus accenſentur.

Quæ manifeſta & ſimul occulta qualitate ſeu proprietate formali vna agunt, ea magis hunc illumve primæ regionis humorem cum excrementis communibus & obuiis educunt. Sic lubricando & ſimul electiua proprietate blande alliciẽdo bilẽ ducunt, *caſsia & manna*, detergendo vero *aloe*, cuius vis ad mediã epatis regionem pertingit, & *terebinthina*, quãuis non tali, qua *aloe* acrimonia & ſiccitate prædita ſit. Pari modo puluis *tartari albiſſ.* & *cremor, criſtalluſque eiuſdem* & *tartarus vitriolatus*, pituitam bilemque educunt. Cremoris, ſi altius purgare velis, dragmæ vni tria vel quatuor *diagridij* grana adiice.

Quæ manifeſta & occulta qualitate ſimul purgant, primam regionem.

Abluendo purgant, & ſimul electiue purgando bilem & aquas ducunt *flores & horum infuſa*, videlicet *violarum*,

rum, roſarum, perſicorum, acaciæ geniſtæ, lupuli, ceraſorum. *Habent enim fere omnes flores recentes* (ſi nimis calfacientium quoſdam excipias) *propter aeream, quam participant ſubſtantiam, vim quandam laxandi.*

Quod autem *tamarindos* & *myrobalanos* adſtringendo purgare dicitent auctores, admiratione dignum eſt, cum illos, vt adſtringendi vim minuant & corrigant, ex ſero lactis exhibeant, hos *oleo amygdalarum dulcium* fricent præparentque, quo impedimentũ facultatis formaliter attractiuæ remoueant; vnde eos ſpecifica proprietate, non compreſſione vel vaſorum expreſſione, quę vacuãdi actum inhiberet, educere neceſſum eſt.

Pituitam è prima regione & ſæpe vlterius purgant *ſemen carthami, geniſtæ, rad. Ariſtolochiæ, myrobalani, chebuli, emblici, bellirici*; melancholiam *fumaria, lupulus, polypodium, epithymus, cretici. mercurialis, cuſcuta, geniſta, ſquilla, myrobalan. Indi.* Bilem *ſemen pſyllij, eiuſque cremor, abſynthium, ageratum, myrobal. citrini, ſuccus roſarum pallidarum.*

Manifeſta ſolum qualitate vacuantia, ampla quãtitate, vt operentur, danda.

Quæ manifeſta duntaxat qualitate lubricando & abluendo, vel detergendo obuia, è primis viis recrementa educunt, maiore copia ſunt haurienda, qualiter aquæ minerales aſſumuntur, idque pondere aliquot librarum, vt defectus attractiuæ virtutis quantitate vberiori ſuppleatur. Sic etiam decocta *mercurialis, maluæ, althææ, ficuum, galli veteris, ſerum lactis, & ſimilia*, trium vel vltra librarum pondere haurienda præbent. Cætera, quę quidem lubricant, vel abluunt, ſed qualitate ſimul occulta trahunt, vnciarum pondere ſaltem dantur. Verum alii his, quæ primas vias euacuant, etiam illa electiue purgantia, quæ clementer ex ſecunda regione educunt, qualia ſunt, *Rhabarbarum, agaricus, ſena, mechoaca*, non ſatis congrue accenſent. Obſeruandum tamen, quod quamuis in fortioribus naturis vltra primam regionem haut ſtrenue agant, & in mediocribus ex ſecunda, cui proprie dicata ſunt, peculiariter trahant, tamen in debilibus locum iuſtæ & magnæ purgationis, vti & in ſenibus, pueriſque, vbi conſiderate & ex arte adminiſtranda ſunt, ſuppleant.

CAP. II.

Tribus corporis regionibus ſua ſigillatim aſſignata ſunt purgantia. Cuiuslibet regionis purgãtia in triplici ſunt ordine: omnium ſigillatim pharmacorum doſes recenſentur.

Generales purgantium doſes.

IN genere primo tenendum, quod vt plurimum ſimplicia leniter purgantia & primam regionem reſpicientia vnciarum, mediocria, quæ ſecundam concernunt dragmarum, vehementiora, quæ tertiam ſcrupulorum & granorum pondere dentur. *Supra* oſtenſum eſt, quod medicamẽtũ vti peculiarem regionem ſpectat, ſic

ſic certa doſis latitudine ex eadem euacuet, adeo, vt id, quod infra minimam detur nihil, quod vltra ſummũ exhibetur, immodice purget, inter quæ extrema & mediocritas & non parua maioris minoriſque eſt differentia, quæ omnia pro naturæ ætatiſque ratione humorum educendorũ quantitate & qualitate viriumque ægri modulo æſtimanda & emetienda.

Purgantiũ ordines & doſes.

Proinde eorum, quæ ex qualibet regione purgant pharmacorum tres ſunt ordines & cuiuscunque tres viciſſim doſes, videlicet minor, mediocris & maxima, vbi non excluditur illa, quæ inter minimã & mediocrem maximamque intercalaris eſt.

Doſes quorumlibet purgantiũ ſpecíales.

Primam regionem, quæ euacuant, manifeſta vel ſpecifica formæ proprietate id perficiunt. De illis *ſupra* actum; quia vero nihil acuminis aut qualitatis noxiæ habent, vti *ius galli decrepiti*, *ſerum lactis*, *decoctum ficuum*, *prunorum*, *ſebeſten*, *mercurialis*, *aqua thermales horumque ſimilia*, ad libras dantur.

Generales purgantium doſes.

Quæ manifeſta & occulta proprietate ſimul agunt & *iiſdem* ex prima regione vel etiam paulo vlterius ducunt, in tres diſtinguuntur ordines, eorumq; quodlibet certam præterea habet minoris, medii & extremi quo ad doſin, latitudinem.

Doſes eorũ, quæ ex prima regione ducunt.

Purgantium ex prima corporis regione ea, quæ primi ſunt ordinis, dantur ab vnciis duabus & tribus vſque ad ſex, vt minima doſis eius ordinis ſint ℥ ij. media ℥ iij. maior ℥ vj. vel vij. in horum mitiorum exc[illegible]u minus, in vehementium, & quæ tertiam ſpectant regionem errore periculoſius peccatur.

In primo gradu primi ordinis exſiſtunt *ſyrupus ſolutiuus ex infuſione florum roſarum, violarum, acaciæ, perſicorũ ceraſorum lupuli ſalictarii* (*habent* enim *flores recentes pene omnes aeream teneramque ſubſtantiam, qua aluum ſoluant*) *mel roſarum violarumque laxatiuum.*

In ſecundo ordine ducentium ex prima regione partim dantur ab ℥ j. ad ℥ iij. vti *ſuccus roſarum, violarũ, manna*, partim à ʒ vj. ad ℥ jſ. vel ℥ ij. ſic *tamarindorum pulpa* ab ℥ j. ad ℥ jſ. *caſsiæ pulpa* à ʒ vj. ad ℥ jſ.

Quæ in tertio ordine ex prima regione ducunt, ea dragmarum pondere exhibentur, neq; in ſubſtantia ad vnciam aſcendunt.

Fumariæ puluis à ʒ iij. ad ſex; *ſuccus* ab ℥ ſ. ad ℥ ij. in infuſo (videl. ex ſero lactis) ℥ ij. vel ℥ iiij. *Abſinthii* puluis datur à ʒ ij. ad ʒ iij. ſuccus à ʒ iij. ad ℥ ſ. decoctum, quod ſero lactis & fumaria intenditur, ad ℥ vj. vel viij. eadem *centaurei* ratio eſt, pauci ſunt pulueres ſimplices, qui dragmæ pondere primæ regioni vacuãdæ ſunt comparati, excepto tartaro & eius cremore, qui à ʒ j. ad ʒ jſ. datur.

Doſes eorũ, quæ ex ſecunda regione ducunt.

Quæ ex ſecunda regione corporis electiue ducũt, pariter in tres diſpeſcuntur ordines: quæ primi ſunt ordinis, dantur in ſubſtantia dragmarum pondere & fere conueniũt cum his,

quæ in tertio ordine ex prima regione trahunt. Sic *epithymum* datur in ſubſtantia à ℥ij. ad ℥iij. vel ʒiiij; in infuſo ad ℥jſ. vel ℥ij. *aloe* datur à ʒſ. ad ʒij. vel paulo amplius, *pſyllii ſemen* in ſubſtantia à ʒj. ad ʒiij. *polypodium* à ℥. iij. ad ℥v. in infuſo ab ℥j. ad ℥v. *myrobalani* à ʒij. ad ℥v. in infuſo à ℥v. ad ℥j. vel ℥x. *ſeminis carthami* medulla datur à ʒj. ad ʒij. tritum *ſemen* infunditur ab ℥ſ. ad ℥jſ.

Doſes eorũ, quæ ex ſecunda regione ducunt.

Quæ ex ſecunda corporis regione in ſecundo ordine purgãt, illa in forma pulueris à ʒj. ad ʒij. dantur, vti folia *ſenæ, agaricus Rhabarbarum, mechoaca, lapis armenius* affabre lotus, *ſemen geniſtæ, opopanax, ſarcocolla. Iris noſtras* datur in ſubſtantia à ʒj. ad ʒij. ſuccus eiuſdem ab ℥j. ad ℥ij. *aſarum* in ſubſtantia à ʒj. ad ʒijſ. in infuſo à ʒij. ℈ij. ad ℥ſ. *Cyclaminus* in ſubſt. à ℈iiij ad ʒij. ℈ij. ſuccus à ʒij. ad ℥ſ.

Hic notandum, quod mediocris vel ſumma doſis in forma pulueris exhibendorum, ſi dupletur, plerumque recte cõſtituat doſin infundendorum. Sic mediocris doſis *agarici & Rhabarbari* in forma pulueris eſt. ʒjſ. quocirca recte infunduntur ʒiij. vel ℥ſ. pariter de reliquis ſtatui poteſt.

Quæ ex ſecunda regione in tertio ordine ducunt, ea ℈iiij. vel ʒjſ. pondus raro excedunt. *turpethum* datur à ʒj. ad ℈iiij. in forma pulueris. *lapis lazuli* dextre lotus à ʒſ. ad ʒj.

Doſes eorũ, quæ ex tertia regione ducunt.

Quæ in primo ordine ex tertia regione euehunt, raro dragmæ pondus adæquant. *Hellebori nigri* præparati puluis à quibuſdam (cum periculo tamen conuulſionis) datur à gr. xv. ad ʒſ. Tutius extractum rite concinnatum à ℈j. ad ℈jſ. exhibetur. in infuſo conceditur ʒj. ad ʒſ.

Hermodactyli in ſubſt. à ʒſ. ad ℈ij. vel ʒj. in infuſo à ʒj. ad ʒij.

Eſulæ cortex in puluere à gr. v. ad gr. x. lac à gr. iij. ad gr. vij. Commodius datur extractum à ℈ſ. ad ʒſ. pro expurgandis hydropicorum aquis.

Quæ in ſecundo & tertio ordine ex tertia regione educunt, granorum pondere duntaxat exhibentur.

Guttæ gummi datur à gr. vj. ad 10. 12. vel 14. & ſæpe vltra.

Diagridium à gr. vj. ad 10. vel 12.

Euphorbium à gr. iiij. ad 12.

Elaterium à gr. iij. ad ℈ſ.

Mezereum ſeu *coccognidium thymeleæ ſemen* datur à gr. viij. ad ℈j. in infuſo vel decocto à ʒſ. ad ʒj.

Ricini ſeu *cataputiæ maioris grana* potiſſimum, in vſum veniunt. Illa exhibentur à numero quinquenario ad quindenum, trita & cocta in iure pulli antiqui. *Lathiridis* ſeu *cataputiæ minoris grana* dantur à gr. vij. ad gr. x. vel xII.

CAP. III.

Lubricantium & primas vias euacuantium ſeu eccoproticorum & lenientium catalogus & farrago recenſetur.

QVoniam purgantia vulgo diſpeſcuntur in lenitiua & ſolutiua

ſeu mitiora & vehementiora omniū in ſpecie, ac primo lenitiuorum, dein ſolutiuorum genus, naturam, virtutem exhibendi modum, & conuenietem doſin luſtrabimus, & ex hoc ad ea, quæ ex his componuntur, progreſſum faciemus.

Lenientia, vti dictum, vel manifeſta duntaxat qualitate primarum viarum ductus humectando, molliendo, lubricando, vel nitroſitate extergendo, obuia quæque, promiſcue educunt, vel adiuncta quadam vi formali peculiarem & ſpecificum ſimul humorem efferunt.

Quæ manifeſta qualitate aluum promouent, magna mole, vt ea ſimul naturam irritent, nec ab hac ſuperentur, vſurpari debent, aſcendendo ad librarum quantitatem. Hoc pacto *ſerum lactis*, in quo dulcedo quædam emolliens & acredo irritans ineſt, ad quinque vel ſex libras exhiberi poteſt, vti & aquæ thermarū, quæ copia ſua aluum vrinaſque cient, & qualitate ſulphurea, ſalſa, aliave ſimul incitant; & lac, ius veruecis pinguioris, aut galli veteris nitroſius, aut ius primæ caulium cocturę, qua ſuperficialis eorum nitroſitas educitur, ſecundum enim decocti propria ſua interiore ſubſtantia terrea adſtringunt. *Decoctū mercurialis* ad ℥ viiij vel ℔ j. datur & vltra (valet cū primis ad hypochondriacam paſſionem) ſic & *althea, liquiritiæ, ſpinachiæ, maluæ, ficuum, paſſularum, iuiubarum, aqua mulſa* ex copioſo *melle*; *vitella duorum ouorum* cum iure pulli & ſale *ſuccus liquiritiæ* ad ℥ ß.

Huc pertinent *ius cicerum rubeorum*, quod datur ad ℔. jſ. *lac aſininum, caprillum, ouillum, vaccinum*, ius *braſſicæ*, cum *oleo & butyro*, & *ſuccus* eius pondere ℥ iij. *oleum amygdalarum dulc. amararum, oliuarum, non omphacinum, irinum, muſtum, caſſiæ pulpa, vel manna*, paulo ante cibum ſumpta, *decoctum prunorum dulcium, paſſulæ decoctæ ex vino cretico* cum *ſaccharo, ſebeſten* numero xx. cocta, & cum ſuo iure aſſumpta, *vua recens* per diem aſſeruata, vt turbatiuam humiditatem exſuat *tartari* ℥ j. ex iure carnium. *Ficus recentes* ſeorſim, vel cum *nitro* comeſtæ, *pruna dulcia recentia, mora nigra matura*, eorumque & *radicis ſuccus, fraga matura, mala omnia dulcia, ſtyrax* ex *oxymelite, therebinthina* ad ℥ ſ. *ſiliquarum pulpa interior* vel *decoctum* ex iure. *Semina citri* recentia numero xl. comeſta, quæ & *ſaccharo* obducta, ſi ſumantur, grauidarum malaciam ſanant. *Contra picam.* *Semina auranciorum, limonum, pomorum Adami cæterorumque* aluum ſubducunt. *Amygdala dulcia* & *amara* copioſe ingeſta, cæterorumque fructuum nuclei. *Caro ſuilla* & *porcellorum* cum paſſulis & melle cocta. *Manarum & anguillarum caro* & decoctum; *ius piſcium petroſorum, cum vino, oleo, butyro, porro & ſale. Ius conchylium paruorum, cochleæ marinæ & terreſtres* cum *porro, oleo & ſale, æſtreorum ius, & caro. Vinum Creticum* aut *maluaticum cum oleo vel butyro* (valet ad ventris tormina) *duæ vnciæ butyri, cum totidem mellis vnciis miſtæ. Lac cum melle vel*

ſaccharo. Serum lactis cum melle vel ſaccharo. Vinum Creticum cum melle. Butyrum cum ſaccharo. Lentium ius primum laxat,ſecundum adſtringit.*Phaſeoli recentes cocti,cerebrum animalium,* præſertim *ſuillum. Blitum & caulicula matura, eorumque decoctum. Cucurbitarum aſparagi & ſuccus cum nitro & melle. Succi braßicæ ſatiuæ* ℥ iij.cum ʒ j.*nitri & mellis deſpumati* ℥ j.*ſuccus cucumeris,lactuca, ſpinachia, ſcandix , decoctum caparum & allij. Sem.naſturtij* ʒ ij.foliorum eiuſdem ʒ jſ.*radix ſtruthij , dracunculi minor.* ad ʒ iij. *Radic.aſphodeli* puluis, *flores , ſuccus, decoctum. Raphanus* ante cibum comeſtus vomitum ciet, poſt ſumptus aluum ciet.Decoctum *ſquillæ,acetum ſquilliticum* ad iij.cochlearia. Vinum eiuſdem ad ſex , pro craſſa ventriculi pituita.*Panericium* Dioſcoridis,*cappares conditi* copioſe aſſumpti. *Abſynthij decoctum* & puluis ad ℥ ſ.cum *melle Hyſſopi* puluis cum *ficubus,* & decoctum cum *mulſa Tragoriganum,Peucedani ſuccus* ab ℥ j. ad ℥ iij. *ammoniacum* ventrem mollit; *polij* puluis ad ʒ iij.& decoctum ad ℥ vj. *pilulæ ex chamæpyti & ficubus* ad ʒ iij. *vrticæ foliorum* decoctum *ſemen & radix. Cynogloßi folia* in vino cocta. Decoctum *balani myrepſici* ſeu *vnguentarij & oleum balaninum* ad ℥ iij. Decoctum *radicis vitis ſylueſtris , ſemen cnici* tuſum, & ſuccus in iure pulli, *medulla ſeminis decorticati* ad ℥ j. *vinum dulce œnomeli* ſeu *mulſa* ad ℥ vj.Pollio Romulus intus mulſa, & foris oleo vitam ad C.annos protraxit.*Bupthalmi radix,*decoctum *hordei & ptiſanæ* eiuſdem cremor. Decoctum *marubij* cum *aqua & ſale.* Vel puluis eius ʒ ij.cum ℈ ſ.*ſalis* ex *melle* ad tuſſim cum *abſynthio* ad vteri mala. Decoctum *lychnidis ſylueſtris* ad ℥ iiij. *decoctum fol. lapathi, & radicis labruſcæ. Lac ficuum collectum & ſiccatum,à* ℈ j.*ad* ʒ j. *Lac caprifici, cerasia dulcia* eorumque ſuccus dixerunt veteres maluam,quod molliat aluum.

Cauliculi teneriores,ſambuci decocti,& medius cortex colore viridis coctus vel pulueriſatus ʒ ij. pondere baccæ ebuli,ſambuci & acini earum.*Spondylium , ſmilacis, clematitis decoctum , radix ari hypophæſtı radicis ſuccus,* conuulſioni,tremulis & hydropicis medetur, ſimulque purgat. *Nitrum* craſſam ducit pituitam & vermes necat. *Salia omnia* ſtimulando laxant; *centaurium, chamadris,mercurialis,lupulus,napũ, ſemẽ perforatæ, cortex & ſuccus, radix Thapſiæ, hyſſopus,thymus, ariſtolochia, matricaria, betonica, Thymbra, ocymi ſemen. Scordium* vermes necat , aquas expurgat. Pulueris eius datur ʒ j. & decocti manipuli ℥ iij. fotu impoſiti cum alliaria tollunt vteri ſtrangulatus.*Corallina & ſemen ſementinæ* vermes & liquidas materias ducit.*Terebinthina* ʒ ij.vẽtrem mollit, pectoris affectus tollit, obſtructiones aperit, vrinam mouet. Decoctum & ſemen *marrubij, atriplicis lampſanæ,narcißi,radix ari. Hæmerocallis,baccæ hederæ, Thlaſpi,piper* minore quantitate minuſque tritum, ſoluit aluum, contrario modo vrinas mouet. Summa, *liquida, lubrica,mollia,*

pinguia

pinguia initio menſæ ſumpta aluum apertam ſeruant. Plinius ait, *inter cibos bibere facit ad aluum emolliendam.*

CAP. IV.

De lenientibus, primas vias expurgantibus, & modeſte ſimul bilem flauam ducentibus.

Caſsia.

CAſſiæ pulpa datur pueris ſeſquidragmæ pondere, imbecillib. & prægnantib. ʒj. validiorib. ℥ ſſ. vel ℥ ij. Quia vero ſit flatulēta ad vaporē decocti *ſem. aniſi* vel *fœniculi* extrahitur, vel parum *cinamomi* eidem miſcetur, aliquando propter inteſtinorum debilitatem grana berberis adiiciūtur.

Quibus affectibus proſit caſſia. Quia in primo ordine calida & humida fertur, ſitim ſedat, pectoris & gutturis aſperitatem lenit; eorúmq; abſceſſus reſoluit, renum calorem cū decocto liquiritiæ ſumptum temperat, calculi generationem prohibet, ſanguinem purificat. Exhibetur tuto ad primarum viarum bilem educendam in febrium acutarum initio. Si craſſior humor pectori, vel renibus impactus fuerit, deterſionis gratia eius, qui thoraci ineſt, hyſſopus additur, qui flatus diſcutit & attenuat, vel vbi tanta non opus eſt caliditate, apponitur radix liquiritiæ aut capillus Vener. Si ad renes & vias vrinarias eius perducenda vis, vt craſſa inde educatur pituita, diureticis & calidis attenuantibus miſcetur. In morbis calidis vbi multa humorū craſſities, datur cum ſero lactis. Humoribus vitioſis, ventriculi tunicis altius impactis ℥j. *caſſiæ* adduntur *electuarij hierapicræ* ʒ ij. *vel ſpecierum eius* ℈ ij. Si ſiccior exiſtat ventriculus, *caſſiæ* lubricitas augetur *oleo amygd. dul.* Ante cibum duarum vel trium dragmarum pondere ſumpta iis, quibus pigrior eſt aluus ſimpliciter aperit & laxat. Cum ex longinquioribus viis alicuius humoris in morbis acutis tempore calidiore euacuationem deſideremus, ex *ſero lactis* propinari poteſt, aut addi ad vacuandam pituitam *agaricus*, ad melancholiam & bilem *ſena* & *diagridium*, vel horum loco *diaphænic. confection. Hamech*, vel *electuarii de ſucco roſarum* ℥ j. Quia vero illis, qui ex humiditate & frigiditate debilem, laxum, nauſeabundumq; habent ventriculum & inteſtina læuia aluumque fluentem, tormina flatuſque excitat, *aniſum* vel *cinamomum*, aut quæ modeſte adſtringunt & viſcera roborant, qualia ſunt *maſtiche*, *ſpica*, *ſemen citri*, *Rhabarbarum tamarindi*, *aloe*, *hiera*, *diacatholicon* miſcetur. *Caſſia quomodo corrigatur.* Conuenit potius iecori, bili æſtuanti & in febre ardente, in veſicæ & renum feruoribus, & vbi corpus ſqualidum cælumque æſtuoſum. *Caſſia quibus conueniat vel non.* Non conuenit arthritide laborantibus, & in renum veſicæque vlceratione. Exhibetur vt plurimum in forma boli, aut cum iure pulli gallinacei, vel decocto accōmodato. Benignum & innoxium eſt medi-

medicamentum, quod omni ætati, pueris & prægnantib. tuto datur. Ferunt nouum caſſiæ genus ex Braſilia aduehi, cuius pulpæ ℥ ſ. plus purget ℥ j. orientalis & vulgo vſitatæ.

Tamarindi.

Tamarindorum temperamentum virtus vſus & correctio.

Tamarindi ſunt in ſecundo ordine intenſo vel initio tertii frigidorũ & ſiccorum. Bilem & aduſtos humores purgant, quamobrem cutaneas exulcerationes & ſanguinis aduſtione patientibus, lienoſis, ſcabie & lepra affectis vtiliter dantur. Valent ad bilis efferueſcentiam, furorẽ demulcent, ſitim caloremque epatis & ventriculi temperant, conueniunt febribus acutis. Eodem modo, quo caſſiæ, pulpa horum extrahitur. Conſerua tamarindorum ſaccharo conditorum vti & pulpa ſaccharo remiſta datur ab ℥ j. ad ij. vel iij. & quia his, qui ex frigiditate ſunt debili laxoque ventriculo infenſiores ſunt, additur *aniſum, cinamomum, macis, gariophylli zinziber*, cum quibus in bolum redigitur. Infunduntur etiam ab ℥ ij. ad ℥ iij. iiij. vel v. in aqua *cichorei*, additis corrigentibus, cuius colatura cum *ſaccharo* exhibetur. Languidam & tardam eorũ purgandi vim proprietate quadam acuit *ſerum lactis* præſertim *caprilli*. Macerantur vero in ſextuplo liquore, poſtea fricantur & ſemel feruefiunt (diuturna enim coctione vim amittunt) danturque ab ℥ ij. ad ℥ v. Infunduntur etiam in *ſucco lupuli* & *fumariæ*. Conuenientiores ſunt in febribus acutis, temporibus & temperaturis calidioribus, quam *caſſia* & *manna*, quæ in calidis naturis facile in bilem tranſeunt. Tenuem ſine omni exagitatione bilem educunt, ardorem febrilem ſitimq; exſtinguunt, vomitum ſiſtunt, phreneticum furorem demulcent.

Tamarindi in febribus conducunt & phreneticũ furorem proprie demulcent.

Manna.

Manna veteribus *mel aerium* dicta, calida & humida primo gradu, bilem clementer & blande admodum educit, vt pueris, ſenibus & prægnantib. tuto detur. Conueniens eſt medicamentum in morbis pectoris, pleuritide & peripneumonia, expectorat ſputum, gulæ, aſperæ arteriç & pectoris aſperitatem læuigat, aperit, mollit & ſitim reſtinguit. Infantibus, bimulis vel etiam iunioribus duarum vel etiam trium dragmarum pondere, ex iure pulli: grandioribus innoxie ℥ ſ. adultis ab ℥ j. ad ℥ iij. Et vltra ſecure propinatur ex iuſculo prunorum vel decocto pulli gallinacei. Vis eius intenditur affuſa *ſyrupi roſacei* ℥ j. vel ℥ jſ. aut adiecto vno vel altero *ſcammonei* grano.

Manna virius & vſus.

Manna conducit morbus pectoris.

Sebeſten.

Sebeſten, quæ & *myxaria* vocantur, prunis dulciora iiſdem plus laxant & exacte ſunt temperata. Ex his blandum euacuans conficitur, quod ventrem emolliendo obuia quæque è viis educit & è venis meſaraicis, ꝓpinquis bilem extrahit. Si numero triginta in iure pulli decoquantur, aluum

alvum emolliunt bilemque ducunt. Eodem numero poſſunt conteri & per incerniculum colari, additoque ſaccharo in forma boli exhiberi. Decoquuntur etiam cum *paſſulis & prunis*. pulpa vulgo datur pondere x. vel xii. dragmarum.

Sebeſten vrinæ ardori pectori & aſperitatis medentur.

Eadem fere præſtant, quæ *caſſiæ medulla*. vtiliter dantur in febribus bilioſis; linguæ aſpredinem corrigunt viſcoſo ſuo lentore, tuſſi & laboranti pectori ſuccurrunt, vrinæ ardoribus ex bile & pituita ſalſa medentur ſi num. 40. in iuſculo aliquo coquantur, aut horum pulpa cum ſaccharo in formam electuarii redacta deuoretur.

Pruna.

Pruna etiamſi cholagogis annumerentur, tamẽ haut notabilem vim educendi bilem, ſed aluum duntaxat mouendi poſſidẽt, quamobrem dulcia Iberica, quæ catalonica dicta eligenda ſunt. Acida enim quamuis humidiora, tamen adſtrictionis non ſunt expertia. In febribus & bilioſis affectibus vtiliter vſurpantur. *Pruna, paſſulæ, & ſebeſten miſta*, vtiliter vino, dein ſaccharo incoquuntur, cuius poſtea dantur quinque vel ſex cochlearia. Prunorum pulpa vulgo exhibetur ab ℥ſſ. ad ℥ ij. Maior tamen quantitas innoxie dari & plus mouere poteſt.

Roſæ.

E roſis eligendæ ſunt pallidæ, & moſchatæ, incarnatæ maximeque odoræ, non rubræ & inodoræ, quippe, quod hæ in primo frigidę & in ſecundo gradu ſiccæ ſint, illæ vero calidę ordine primo, amaræ & detergẽtis ſint facultatis obſtructiones expediant, & ora venarum crebro vſu non ſecus atque *aloe* reſerent. Harum ſucculentia ſiue per expreſſionem, ſiue infuſionem, in alium liquorum projecta, benigne bilem flauam, & aquas citrinas educit, obſtructo iecori, ictero, cachexiæ, hydropi incipienti, febribuſque lentis conuenit. Virtus intenditur, ſi ſucci ℥ j. miſceatur cum ℥ ij. vel ℥ iij *ſeri lactis* adiecto momento *cinamomi, ſpicæ* vel *aniſi*. Ex nouem infuſionibus conficiatur ſyrupus, is trium vnciarum doſi ſatis clementer è primis viis ſeroſos & bilioſos humores educit. Idem ſyrupus è ſucco conficitur, eodemque pondere exhibetur. Ad horum confectionem recte colliguntur folia roſarum matutino rore delibuta. Notandum vero *ſyruporum iſtorum vires laxantes facile exſpirare, nec vltra ſextum propemodum menſem durare.* De his vide latius *libro 3.*

Roſæ ſunt hydragogæ, medentur hydropi, ictero, cachexiæ & obſtructo iecori.

Syrupi roſarum.

Notãdum.

Flores violarum perſicorum, acaciæ.

Violæ frigidæ primo, & humidæ ſecundo ordine reiterata maceratione deponunt virtutem laxatiuam roſis æquiualentem, & ſuccum quoque, ſi exprimantur, pari vi purgandi præditum. Qui ex ſeptem vel nouem paratur infuſionibus ſyrupus quatuor, qui ex ſucco trium vnciarum pondere aluum citat,

Violarum vſus eſt in febribus & morbu pectoris calidioribus.

tat, bilemque ducit. In morbis pectoris calidioribus præſtans eius eſt vſus, vti & in cephalalgia calida, viſcerumque inflammationibus, febribus æſtuoſis, morbis biliofis. Roſato magis humectat, ſomnum conciliat, ſitim reſtinguit, gutturis adſperitatem lenit.

Perſicorũ.

Ex multiplici florum perſicorum infuſione, aut ex ſucco pariter conficitur ſyrupus, qui in bilioſorum & melancholicorum morborum initiis vtiliter exhibetur. Sed & hic quoque recens in vſum vocandus eſt, quia cæterorum inſtar progreſſu temporis laxandi vires amittit.

Florum acaciæ.

Hodie in vſu frequenti eſt ſyrupus florum acaciæ ſimili modo concinnatus. Hi ſyrupi commode præparantur, ſi florum aquis deſtillatis aut infuſionibus cum ſaccharo ad conſiſtentiam ſyrupo conuenientem per coctis par ſuccorum pondus modica coctione vniendum adiiciatur.

Cap. V.

De aloe eiuſque virtutibus & noxis, de congruo vſu, & quomodo intus extuſq; vſurpata, contrarias perficiat operationes, quod ventriculo & inteſtinis proprie dicata, in, ante, & poſt cibum rite vſurpetur; quo pacto iuxta veteres & neotericos corrigatur, in eſſentiam exaltetur, inſuccetur, & vtiliſſima ex eadem fiāt remedia, omniumq; fere pilularum corpus & plurium baſin conſtituat.

Aloes qualitas aperta & virtus formalis.

ALoë calida eſt in initio ſecundi, & ſicca in tertio gradu, mediocriter adſtringit, & vehementer amaricat; primo bilem, dein pituitam ventriculi & inteſtinorum educit, tunicaſque extergit, adſtrictione ſua ſtomachum roborat, primarum venarum viſcerumque infartus expedit, humores & interiora à putredine præſeruat, vt etiam in ſcorbuto & morbis ab humorum putrilagine oriundis, ex eadem præparentur remedia. Confert peculiariter nauſeæ, cruditati, & quibus ventriculus atque præcordia multo crudo conferta ſunt humore, voracibus frigidis, humidiſque corporibus, quæ abundeſiccat. Vltra iecur purgandi virtutem vix protendit. Auctores non contēnendi tradūt, eos, qui crebro aloen vſurpant, à grauium morborum inſultibus ſecuros, eiuſque vſum non minus inter, quam ante & poſt cibum vtilem, & naturæ fel eſſe, quo noxia detergantur, & præterea omnium pene pilularum fundamentum ſeu baſin, quod de mole ſubſtantiæ & compoſitione potiſſimum intelligēdum eſt, conſtituere, alacriter purgātium inſolentiam, & ne ventriculum nimis offendant, cohibere. Gal. *lib. 8. de compoſ. med. ſ. 1.* inquit, *vbi humiditas ventriculi tunicas exporrigit, aloe picra vtilis eſt, expurgans humiditatem. Omnino autē ſic affectis acceſſio nauſeæ plus vel minus*

Aloe ventriculo potiſſimum inſeruit.

nus adeſt. Non autem habet vim purgatoriam fortem, ſed eorum, quæ ſunt circa aluum, & ſi ampliore pondere ſumatur ad locos circa epar conſcendit, non tamen totius corporis purgatoria eſt. Vt ſtomacho ſit accommoda, & medicamentaria aloes vis infringatur, additur maſtiche. Cinamomum, quod tenuiſſimarum partium eſt, adiicitur, vt ventris meatus aperire, attenuare, craſſos viſcoſosque humores extergere queat, quos ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem alioquin ducere nequit. Bilioſarum vētris affectionum optimum eſt pharmacum, adeo, vt ſæpe vno die ſtomachicos perſanarit. Meſue non modo bilem, ſed & pituitam purgare aſſeuerat, & proinde redundantia bilis æſtuanti ventriculo ſuccurrere, eumque & caput mundare, vſum cottidianum à mortiferis morbis tueri, cum myrrha à putredine vindicare, icterum ſanare, ſenſus intellectumque acuere, ex lacte ſumptam vermes necare. Communis eſt ſententia, viſceribus omnibus extra pulmones, veſicam vel aluum, cariem ſentientibus opem ferre, nec eſſe, quod quiſpiam interaneorum animalia, vtpote vermes, lumbricos, aſcarides & ſimilia, vel in ventre progigni, vel in hoc ipſo permanere poſſe vel credat, vel metuat, ſi aloe crebro ſumpta fuerit, cum nihil in viuo homine viuere permittat, niſi, quod ad eius partes vel vitam ſpectet: caput catarrhis obnoxium & humido fumantique ventriculo reſpondens euacuare, eiuſque vſum familiarem ab omni arthritide, cum recrementa circa viſcera reſtagnantia, & abitū ad articulos molitura, ſenſim blande exhauriendo, tum capitis fluxiones minuendo præſeruare, capite grauatis, lippientibus, ſtomachi dolorem, ardorem, nauſeam & ſubuerſionem, inteſtinorumque morſus, ſentientibus, præter rationem pallidis, & ſuperfluitatum, præſertim bilioſarum & pituitoſarum ventriculo & inteſtinis impactarum eductione indigentibus conferre. Dioſcorides *lib. 3. cap.* 22. de externo eius vſu tradit, aloen ſpiſſare, ſiccare, corpora denſare, ſiccam glutinandis vulneribus vtiliter inſpergi, vlcera ad cicatricem perducere, & cohibere, exulceratis genitalibus peculiariter mederi, dirupta puerorum præputia iungere, condylomata rimaſque ſedis ex paſſo ſanare, hæmorrhoidum abundantiam & ſanguinis eruptiones ſiſtere, pterygia ad cicatricem ducere, ablutionem eius ex vino vel aqua roſarum aut ſucco fœniculi abſtergere, oculos & lacrumas ſtringere, liuores & maculas cum melle tollere. Ex quibus porro concluditur, aloen interius aperire; exterius arctare, glutinare, ſiccare & ſtringere, illotam abſterſione magis purgare, quam adſtrictione roborare, lotam magis adſtrictione roborare, quam abſterſione purgare. Meſue in aloes laudibus & virtutibus recenſendis prolixus eſt. Aloen, ait, id habere prærogatiuæ, quod cum alia medicamenta purgantia, membra, virtutum mineras debilitent, hæc debilia confirmet, & vires roboret, imo

[margin: ...loes mi-...ca vir-...es & o-...ationes.]

[margin: ...loe eſt ...mium ...cifica ...tidotus.]

[margin: ...arthri-...e præſer-...t.]

quod aliarum medicinarum ſit rectificator, quod mixta purgantibus eas rectificet, nocumenta remouendo, quoniam ex parte ſubſtantiæ ſuæ opponatur ſubtilitati & acumini earũ, & ex parte ſui effectus eas in ſoluendo iuuet; & ex parte proprietatis ſuæ, quod de ipſarum malitia eſt, in membra imprimi prohibeat, ipſamet tamen ſit tardæ ſolutionis. Summa, aloe fertur *natura balſamus* cunctos humores ſuccoſque, ſiquidem naturales adhuc fuerint, conſeruans, præternaturales euacuans, medios emendans, vniuerſos putreſieri & corrũpi prohibens. Atque hactenus virtutes, quibus humano corpori prodeſt, recenſuimus: ſupereſt, vt & noxas, quas, niſi rationaliter adhibeatur, imprimit, demonſtremus. Non conuenit extenuatis & macilentis, calidis ſicciſque naturis, & cum primis reſiccato nimis ventriculo, & in vniuerſum, vbi ſola intemperies ſiue ea calida, ſiue frigida abſque humore affligit, in his enim adhibita & exhibita in tabitudinem perducit. Inutilis & noxia, eſt ſenibus, inteſtina, corio reſiccato ſimilia poſſidentibus, vti & febricitantibus. Internarum venarum & præcipue hæmorrhodalium oſcilla aperit, epatis parenchyma & ſyncraſiam longo vſu debilitat & ſoluit, quippe, quod mollis, id texturæ, ac ſi ex ſanguine coagulato coagmentatum fuerit, & venis, quarum origo & fundamentum exſiſtit, intertextum ſit pluribus. Scaliger *exercitat.* 160. *ſect.* 3. ait; *qui negant aloe iecur offendi, experientiæ ſcutica digni ſunt, hoc per annos quadraginta compertum habemus. Quamobrem Meſuæ me ipſum adſcriptorem ſtatui neceſſario nolo commemorare, quot ab empiricis & pharmacariis, ſed etiã Galeniſtis in pericula & morbos aloes vſu coniectos eximimus è pernicie manifeſta.* Cui adſtipulatur Fernel. *Aloe nocet ſepati, cuius venas tenues amarore & acrimonia vellicat, podicem corradit, aperitq; hæmorrhoidas. Aduerſiſſima igitur illis, qui ſanguinem vomunt, aut exſcreant, aut quouis modo ex aluo vel vtero profundunt: inutilis denique eſt calidis & ſiccis extenuatiſque corporibus, niſi quum ingens eſt humidorum excrementorum prouentus. Nec puero apta, nec prægnanti tuta, nec ſeni excrementis vacuo conueniens.* Notandum etiam, quod Foreſtus obſeruauerit, aloen frequenti vſu iis, qui natura ſunt calidiore, faciem puſtulis defœdare.

Aloe natura balſamus.

Aloes noxæ.

His poſitis tria in diſquiſitionem neceſſario veniunt: primum eſt, quomodo aloe hauſta venas ani magis conſpicuas referet, cum appoſita & extus adhibita earundem abundantiã, & ſanguinis eruptiones ſiſtat, cæterarumq; venarum oſcilla claudat, vlcera cicatrice obducat, rimas ſedis ex paſſo ſanet; immo etiam pota ſanguinis reiectiones cohibere iuxta Dioſcoridem poſſit.

Quom[odo] aloe in[...] ſumpt[a ve]nas reſ[...] extus [...] pata cl[au]dat, & conſol[...]

Sunt, qui reſpondent, *aloen* recludere hæmorrhoides, quod acutos educat humores, quorum acrimonia in tranſitu venarum ora pungantur &

& dehiſcant. Serapio id intelligendum putat non de quacunque venarum reſeratione, ſed de harum peculiariter, quæ ſunt in ano. Trincauellius arbitratur, aloën ideo ſanguinis ſputum ſiſtere, & ora venarum ſedis aperire, quod à tenuiore eius ſubſtãtia, in qua ſita eſt amaritudo, partes terreſtres & adſtringentes ad membra ſpiritalia facilius deducantur: ad anum vero tenuiores facilius, terreſtres difficilius. Pro exemplo adducit *centaurium maius* ex Gal. *lib. 7. de ſimpt. facul.* qui eo hæmoptoſin curari & v-teri venas potenter reſerari ita, vt abortus concitetur & fœtus mortuus eiiciatur, aſſerit, & non eſſe mirum, effectus oppoſitos ab vno medicamento prouenire, quod diuerſis partibus & aduerſis quodammodo conſtet facultatibus. In hunc fere modum Scaliger quoque reſpondet. *Aloe*, inquit, *igne ſuo atque glutino venarum oris appoſita operculum imponit: eodẽ calore venas aperit.* Hunc ad modum natura partita eſt operas atque vices in iis, quæ condidit; vt idem non ſolum diuerſum ſit diuerſis ſpeciebus, ſed etiã eodem in corpore alias atq; alias comparet affectiones. *Mirrha* nonne matricis venas aperit? ea tamẽ ſciſſis appoſita cohibet ſanguinis fluxum, *ſemen cannabis* genitale ſemen in homine adurit, gallinas efficit fœcundas.

Prima reſponſio nodum nondum ſoluit, quod ab acrioribus medicamentis & bilem pungenteſque humores vberius educentibus nihilominus hæmorrhoides non referentur iis, quibus ab *aloes* vſu id accidere obſeruatum eſt.

Trincauellii ratio contrarium potius, quam id, quod intendit, ſuadere videtur. In tenuiore enim ſubſtantia maior eſt acrimonia, quam in craſſiore, & amara craſſioris, acria tenuioris ſunt ſubſtantiæ. Duæ ad pectus ſunt viæ, vna recta per aſperam arteriam, qua tenuior *aloes* portio facilius penetrare poteſt, altera, quæ per mediũ epar & venas eo deducit, & hac pars terrea craſſior potius deferetur, quod in tantorum anfractuum tranſitu tenuioris ſubſtantiæ vires peſſundari & conſumi veriſimile ſit. Galeni tamen & Scaligeri ratio magis ad rem facere videtur, quod non inepte ſtatuant, vnius rei diuerſas diuerſarum & oppoſitarum virium partes diuerſos in vno humano corpore effectus edere poſſe, vti in *Rhabarbaro* etiam videre eſt, quod in liquorem, cui infunditur, tenuioris ſuæ ſubſtantiæ vim purgantem deponit, & in craſſiore ſua portione adſtringentem facultatem reſeruat.

Verum neque ſic ſatisfactum eſſe videtur; quomodo enim *Rhabarbarum* & alia tenuioris ſuæ ſubſtantiæ vires exſuant & exſerant, liquido patet, ſed cur *aloe* ſua acrimonia in tenuiore & acutiore parte ſita venarum meſaraicarum in ventriculo & inteſtinis ora non æque, vt in ano adoritur? Eiuſdem enim venæ ſunt pro-

pagines, vna earundem eſſentia, neque ſitus inferior aut ſuperior aliam naturæ adfert conditionem, ſi quis regerat ex proprietate *aloen* ſic agere, prompta eſt reſponſio, eandem neceſſario in vnam eandemque rem ab vna eademque cauſa proficiſci actionem. Magnes trahit ferrum quocunque loco poſitum. Supereſt itaque partium in vna re diuerſis virib. præditarum diuerſitas. Quocirca quærendum, cum cauſa naturalis (vti aloe à calore natiuo) in actum deducta actionem non ſuſpendat, cur aloe eius partis virtutem, qua venas ani reſerat, non exſerat in ventriculo & inteſtinis, cur eandem cohibeat, donec ad anum deuentum fuerit, cum neceſſario in tenuiore parte hærens ea vis promicare debebat, antequam eo perueniret, aut ſaltem æque in idem obiectum à calore actuata vniformiter agere. Non ſum, qui hiſce auſim, tantis ſcientiarum magiſtris imbecillitatem ſuam confitentibus, interim cenſeo aloen quo magis cruda & à calore natiuo minus igniculata fuerit, eo plus aſtrictionis habere. Craſſiores enim eius partes caloris noſtri opera, cum aſſumpta fuerit, ſic actuuntur, vt præter amariciem depoſita demum in longo tranſitu adſtrictione, & ingenito ſecundi gradus feruore ad tertium euecto, eiuſque corpore partim, quaſi aduſto & incinerato, mirificam acrimoniam & venarum oſcilla operiendi facultatem conſequatur, quod vti in calidis naturis citius, in aliis tardius fit, ita in omnib. hæmorrhoides non prouocat niſi eæ conſpicue turgeant & illa à calore valde acuatur. Accidit autem ab aloe id venis ani potiſſimû, quod tum demum ex diuturniore mora in longo itinere per varios anfractus acutam qualitatem acquirat. Sic mel in corpore bileſcit & diuturnitate acrius redditur. In cæteris medicamentis, quibus iam ante inerat acrimonia, natura eandem, quã um poteſt, mitigare conatur, in aloe vero propter materiæ diſpoſitionem, excitat. Et rara ſunt, quorum vis ad anum vſque pertingit, niſi illa admodum vehemens inſit, qualis in *euphorbio*, quæ caloris noſtri opera ſubigi nequit. In *ſinapi, capis* & aliis extus veſicantibus acrimonia vi naturæ ſubigitur, quorum vero pinguis & terrea eſt ſubſtantia in longo tranſitu non tam conuincitur, quam accenditur.

Cur aloe ani venas potiſſimum reſeret.

Extus appoſita *aloe* dominantem exſerit terreſtris craſſiorisq; ſubſtantiæ vim adſtrictoriã, qua venas claudit & cicatrices inducit, nec enim ibi à calore natiuo ad tantum acumen perduci, eamq; alterationem ſubire poteſt. Quæ etiam ratio eſt, quod pectoris venas apertas claudat; quod recenti vi recta in pectus penetrante fieri, qua adſtrictionem venas cõtrahentem inſinuat, & ſimul facultatem ſiccantem, ne ſanguis corrumpatur, conferat, fieri neceſſum eſt.

Quomodo venas claudat aloe.

An *Aloen* vtiliter ante cibum, cum cibo, & poſt cibum ſumere queamus, nihilque

An aloe ante, cum

& poſt cibum rite & utiliter ſumatur.

nihilque id facere vetet, vti multorum fert ſententia, porro inquirendum eſt.

Semihorio vel integra hora ante paſtum, recte & tuto exhiberi poteſt aloe, quod *lenientia omnia, & quæ non magnopere vltra primas venas ſuam laxandi virtutem extendant, ſi paulo ante menſa rationem initam ſumantur, vberius & felicius operentur, quã ſi triplum eorum multo ante tempore fuiſſet aſſumptum*: ſic *aloes* vel *Rhabarbari* ʒ ſ. dimidia ante cibum hora deuorata luculenter ſatis euacuat. Aloe autem, quia ventriculum confirmat, coctionem cibi paulo poſt ingeſti non turbat, ſed in fundo reſidens, abſque ingeſtorum tumultu & agitatione deſcendit. Veteres cæteroquin poſt aſſumptum pharmacum vehementius & qualitatis pernicioſæ, cibum non nutriendi, ſed maleficam vim deliniendi, & ex ore ventriculi abluendi & detergendi gratia obtulerunt, & hoc pacto ptiſanam & ſimilia iſto fine exhibuere.

Verum, ſumiturne aloe recte ſine improſpero ſucceſſu in prandio vel cœna cum cibis? Medicamenta ex ſecunda vel tertia regione corporis ducentia iuſta doſi cibis miſcere, nemo Medicorum orthodoxorum probauit vnquam, quod cum iuſto citius & ante perfectam concoctionem è ventriculo exturbent, & hunc vellicando amplexum debitum inhibeant, alios interim è toto humores huc conuocent, & alimento miſceant, ventrem exagitent, nauſeam, vomitum anxietateſque creent.

Quomodo pharmaca vehementia interdũ cum cibis dentur non improſpere.

Etſi vero Galenus *lib. 13. meth. medic. cap. 15.* pharmaca cibo miſcuit, & *epithymum, veratrum nigrum, polypodium* vel *cnicum* ex ptiſana coctum ſorbere iubet, & *de alimentorum facultatibus, ſcammonij* modicum ex ptiſana datum parciſſime purgare ait, tamen eo ipſo nõ vult inculcare vel perſuadere nutritionem & purgationem eodem tempore rite fieri, ſed tantum demõſtrare, vehementia pharmaca nulla ratione ſecurius, & ſine minore naturæ concuſſione & vellicatione dari, quam ſi miſceantur alimentis, quæ eidem grata, & acrem purgantis vim retundere, & vt ſine inſolentia ſperatum effectum edant, efficere poſſint. Obſeruamus etiam non raro, exſiſtentibus in ventriculo prauis humoribus ingeſto cibo, illis tanquam noxiis, & alienis vomitu ſubito reiectis, hunc vnice retineri & comprehendi. Nõ abſimili modo fieri poteſt, quod medicamentum in cœna vel prandio ſumptum cum humoribus, quos attraxit, à natura reiiciatur, cibo gratiore & vtili ſeruato. Non tamen hæc ita dicta velim, ac ſi receptam veramque tempore matutino & ventriculo vacuo exhibendi purgantia legem inuertere aut inclinare tentem; ſed vt indigitem, poſſe etiam pharmaca *aliquando* cum cibis & inter cibandum *certis rationibus poſtulantibus* innoxei exhiberi.

Reuertimur ad aloen, de qua ex-

perientia & ratione conſtat *illam v-nam fere & ſolam cum cibis ſincere ſumptam hoc habere priuilegium, quod innoxie tranſeat, neque cibum corrumpat.*

Quamuis autem veteres de ſola aloe id prædicent, tamen recentiores de vinis ſuis medicatis, quibus non extreme vehementia è purgantibus ſunt infuſa, & cum primis vino abſinthiti laxatiuo experientiæ fide adducti idem affirmant. Et quis in praxi vel mediocriter verſatus, non obſeruauit, initio menſæ primum vel ſecundum hauſtum laxatiuorum vinorum, ſine coctionis & naturæ diſturbio commode & copioſe corpus euacuare; præcipue vero primam & ſecundam eius regionem, & maxime illis conuenire, qui per ventriculi imbecillitatem ſenſumq; acriorem, ſyncerorum purgantium contactum difficulter ferunt. De qua re *ſuperius* vberius; vide etiam Brunnerum *conſil.* 44.

Aloe ceteroquin præ reliquis id prærogatiuæ habet, quod à cœna vel cibo detur innoxie Oribaſii, Auicennæ, aliorumque claſſicorum auctorum & experientiæ teſtimonio. Cum enim non tam euertat, quam confirmet os ventriculi, ſi rite præparetur, tuto poſt cibum dari poteſt. Lenientia cætera, quæ lubricando aut alia vileniter ſoluunt, paulo poſt cibum ingeſta in alimentum vel humori purgando correſpondentem colluuiem vertuntur. Vehementia pharmaca propter ventriculum vndiquaq; amplectentem cibum cum ad fundum deſcendere nequeant, & vel in orificio fluctuent, vellicent, & coctionem turbent, nauſeam, vomitumq; accerſant, & cibum inquinent, à paſtu ſumi non debent. Omni enim induſtria hoc agit Medicus, vt acrioris medicamenti ſubſtantia & qualitas ex orificio ventriculi deorſum promoueatur, quod fieri nequit, ſi à cibo ſumatur. Et quamuis hæc ita ſe habeant, tamen experimur quotidie, illa purgantia, quæ non tam offendendi & turbandi vim quam corroborandi virtutem poſſident, vtiliter ad capitis affectus & catarrhos à cœna dari, idque non propter hanc rationem, quam alii aſſignant, alii, vt indignã refutant, quod cum vaporibus cibi vis medicamenti feratur in caput, ſed propter conſenſum ſuperioris orificii cum cerebro maximũ, optime ſurſum agant, & ex eodem ſumma tranquillitate educant noxia.

Pilulæ leniores à cœna fructuoſe ſumuntur ad affectus capitis.

Quis neget, à cibo ſaluberrimum eſſe vſum *pilularum de ſuccino* Cratonis? quis inficias eat, hæc & alia complura hoc pacto vtiliter vſurpari, & fructuoſe à cerebro ducere, ſimulq; caput vnice roborare? certum eſt, à cœna & ante ſomnos catapotia deuorata, quamuis imbecillia, copioſius tamen his, quæ in vehementiorum ſunt ordine à cerebro purgare.

Tripliciter aloe ad vſum commodiorem præparatur.

Tandem ad tertiam de aloe conſiderationem deuoluimur, videlicet, quomodo in vſum commodiorem debite præparetur, quod tripliciter

perfi-

perficitur; primo cum noxæ prodiuerſitate earum partium, quibus infenſa eſt, & offendere poteſt, corriguntur; ſecundo cum ſic adaptatur, vt baſis ſit plurium remediorum, vel vt cęterorum, quibus miſcetur, ſimul ſit corrigens, partesque interiores vna muniat & confirmet, tertio, quando conformatur vt ad aliam atque aliã pro diuerſa præparatione & mixtura partem corporis vis eius dirigatur.

Aloes præcipua noxa & quo pacto hæ corrigendæ.

Noxæ, quas inferre poteſt, *ſupra* ſunt commemoratæ, videlicet, quod ani venas proprietate quadam reſignet, quod ſenibus ſiccisque & calidis naturis ſit aduerſa, diuturna vſurpatione epatis ſyncraſiam corrumpat & nuda intemperie ſeu calida ſeu frigida laborantes ad tabitudinẽ perducat. Poſtremum quod attinet, id *omnibus electiue* purgantibus commune eſt, quod ſola intemperie *laborantibus ſint noxia*; quapropter ipſa medendi methodo, quæ per indicationes procedit ab horum curatione arcentur. *Ceſſante indicatione ceſſat indicatum*, vbi non adeſt humor ſuperfluus, ibi neque purgatio eſt neceſſaria.

Sed an ita pręparari poſſit, vt hominibus calidæ vel ſiccæ temperaturæ; aut ſenibus, ſi ex humore ſuperfluo indigeant vacuatione, & item epaticis aut hæmorrhoidũ fluxui obnoxiis fiat vtilis, minusque offendat, indagandum erit. Hoc in ſtudio & ſtadio non infructuoſe deſudarunt Medicorum plurimi, ad quam intẽtionem indipiſcendam triplici vtuntur præparatione. Prima eſt, cum in puluerem trita affuſo conuenienti liquore à ſordibus ſabuloque abluitur. Veteres illotam Aloen magis extergere & gnauius purgare; lotam vero multum de vi medicamentaria deponere arbitrati ſunt.

Aloe illata magis extergit.

Verum etiamſi nõ eamus inficias, aloen illotam vẽtriculi parietes inteſtinorumq; gyros, & primarũ venarũ tubulos magis extergere, tamen lotam & per proxime recenſendas præparationes in eſſentiam deductam magis electiue & ſpecifice imo ſingulari benignitate copioſius ex partibus corporis profundioribus & venoſo genere educere, aſſeueramus. neque enim venerandam antiquitatem iſte præparandi modus latuit, nec à neotericis primum inuentus eſt, vti Thraſonica quorundam fert iactantia, ſed ad vſum crebriorem idque auſpicato ab his vocatus eſt.

Lotam magis purgare.

Purgata itaque à ſordibus *aloe* & trita & in liquore conuenienti infuſa maceratione ſoluta ſuccus illius innatans, quæ purior eſſentia eſt decantatur, & à ſubſidentia ſecernitur, eo aliquoties repetito, quod effuſum & ſequeſtratum eſt purius, leni calore inſpiſſatur, humore per Balneum Mariæ vel miti euaporatione extracto. Infuſus liquor, ſi fuerit vinum Rhenanum, maluaticum vel horum ſpiritus, ventriculum magis confirmabit, & calfaciet; ſi abſinthi-

Aloes prima præparatio & correctio.

te

te ad laxandum & abſtergendum erit accõmodatior aloe. Doſis ſic pręparatæ eſt à ʒ ſ. ad ʒ j. liquorum, quibus lauatur, defęcatur & infunditur, temperies, eandem ſic emendare poteſt, vt nec ſiccioribus calidioribuſq; naturis purgatione opus habẽtibus, neq; epati crebriore vſu nocere, aut venas podicis vexare queat.

Quomodo aloe preparetur, vt epati crebro vſu ſit innoxia.

Proinde roſarum, endiuiæ vel cichorei ſucco lauãt, aut ſinceriorem extrahunt, & vt podicis venas iis, quibus facillime offendũtur, minus infeſtet, *maſtichis, bdellij aut tragacanthæ* adiectione temperatur.

Quomodo ſenibus fiat innoxia.

Vt ſenum ſiccitatem minus offendat lota & purgata, cum *bdellio* tribus diebus *lacte* nutritur, aut eidem infunditur, & ſi opus, cum *extracto mechoacæ* vel *Rhabarbari*, aut ſi conditio fert, cum *therebinthina*, quæ *ſenibus minus nocet, & omnes viſcerum venarumque infartus expedit*, in pilulas cõformatur.

Aloes optima præparatio eſt eius in eſſentiam deductio.

Omnium conuenientiſſime præparatur *aloe*, ſi lota & per affuſionem liquorum, vti dictum eſt, in eſſentiam redacta, porro ſuccis vtilibus imbuatur. Etſi enim lotæ & eſſentificatæ, alii aromatum mixtione, vti *cinamomi, ſpicæ, macis, gariophyllorum* purgandi vim tardiorem acuerunt, acrimoniam, & ſi quid noxæ adhæreat, adiecta *maſtiche* vel *bdellio* correxerint, tamen virtus eius nec felicius intenditur ad largam ſine omni naturæ concuſſione purgationẽ, nec operatio ad peculiares cum partes, tum humores accuratius dirigitur, aut ſi quid corrigendi inſit, commodius emendatur, quam per ſuccorum conuenientium impręgnationem, quæ præparatio vulgo *aloes inſuccatio* vocatur.

Aloes roſatæ præparatio.

Hoc pacto comminutæ & tritæ affunditur *ſuccus roſarum*, reſiccata maſſa, tertium & amplius eadem operatio repetitur, & ſic conficitur *aloe roſata* in morbis & naturis calidioribus ſine offenſionis aut damni vllius metu exhibenda. Ne hæmorrhoides offendat, *ſucco verbaſci* aut *violarum* imbuitur; vt calidum epar reſpiciat, neque diuturniore vſu noceat, intingitur *ſucco cichorei, endiuiæ, taraxici, florum epaticæ albæ*; vt epati frigido conueniat, *ſucco eupatorij, agarici, chamædrios*, vt lieni & ſanguinis impuritati auxilietur, *ſucco fumariæ*; vt ſtomacho melius proſit, *ſucco abſinthij*: ſi ſeroſos humores aut bilem purgare eſt in animo, imbuitur *ſucco roſarum pallidarum* vel *incarnatarum*, vel *florum perſicorum*: ſi ſanguinem purgare & à cacochymia liberare inſedit, affuſione reiterata

Aloes eſſentificatæ inſuccatio.

aquæ cichorei, endiuiæ, agrimoniæ extrahe tincturam *aloes*, & illam imbue ſuccis debite defæcatis & præparatis *florum violarum, primulæ veris, perſicorum, roſarum pallidarum, cichorei, bugloſſi, hyperici, calendulæ*; ſi à cerebro, neruis & oculis educere ſit propoſitum, nutrias *ſucco fœniculi, roſarum rubearum, betonicæ, meliſſæ, maioranæ*. *Eſſentiæ aloes* hoc modo impręgnatæ, adde extracta vel decocta purgantia, veluti *ſenæ, Rhabarbari, ellebori nigri, agarici*, & his pariter imbutis ad maiorem correctionem

olea

olea deſtillata vel pulueres aromatum & maſſam pro pilulis confice. Præſtantiſſima eſt, quæ ſequitur *aloes* inſuccatio, ℞. *aloes ſocotrinæ à ſordibus repurgatæ quantum velis, hunc primo ſucco roſarum prouincialium vel pallidarum ſexies imbue & exſicca, poſtea ſucco violarum, florum, perſicorum, prunorum ſylueſtrium, nouellorum germinum, lupuli, fumariæ endiuiæ, florum geniſtæ, vnoquoque horum ſemel imbui debet aloe eo ordine, quo haberi poſſunt, ſi vero aliquot ſimul habere licet, tum æqualibus partibus mixtis affundi debent, hac tamen conditione, vt quot ſucci permixti ſint, tot fiant inſuccationes. His omnibus peractis ſequens infuſio bis terve affundi debet, iterumque exſiccari.* ℞. *Turbith albi ʒ j. Rhabarb. agar. trochiſc. ana ʒ jſ. fol. ſen. Alexand. ʒ iij. Radic. ellebor. nigr. præparat. ʒ j. angelicæ, Aron. ana ʒ ij. enulæ ʒ ijſ. cort. frang. ʒ j. tamariſci ʒ ſ. ſem. fœnic. fœnugræc. ana ʒ ſ. ſpicæ Ind. cinam. ana ʒ ij. macis ʒ j. zinzib. ʒ jſ. Infundatur in ſ. v. q. ſ. videlicet quantum ad aloen inſuccãdam ſufficit, ſtent in infuſione in vaſe vitreo bene cooperto per biduum, poſtea colentur, & exprimantur fortiter. Colatura hac iterum bis terve imbuatur aloe, & exſiccetur reponaturque ad vſum;* ſic præparata in vſum rite vocatur ſimpliciter, aut aliis denique ſequenti modo remiſta.

Pilulæ de aloe inſuccata leniores.

℞. *Aloes inſuccatæ* ʒ ſ.
Rhabarbar. electi aqua cinamomi aſperſi.
agarici trochiſcati ana ʒ ij.
extracti ellebor. nig. Quercet. ʒ j.
extract. enulæ campan.
calam. arom. ana ℈ j.
Ol. cinam. ℈ ſ.

Sirup de pom. laxatiui q. ſ. formetur maſſa, ex qua fiant pilulæ, de qualibet dragma num. xv. ſuauiter hæ ducunt è toto corpore.

Fortiores ſunt hæ.

Pilulæ de aloe inſuccata fortiores.

℞. *Aloes inſuccatæ,*
maſſ. interior. pil. hieræ cum agar. aurearum,
Trochiſcorũ alhand. ana ʒ j.
diagrid. ℈ ſ.
olei maioran. ℈ ſ.
ambræ griſeæ gr. iiij

cum ſ. q. ſyrupi de cichor. cum Rhabar. f. pil. num. LXX. *æqualis magnitudinis.*

Non alia ratione veteres decoctis acuentium & corrigentium purgantiumve imbuerunt, aut pulueribus tali virtute præditis *aloen* compoſuerunt. Ex hoc genere ſunt *pilulæ alephãginæ* ſecundum deſcriptionem Meſuæ & Euricii Cordi, quæ & operã baſis, & corrigentis, roborãtis, dirigentiſque, ſi aliis miſceantur, nauare poſſunt.

Miſcentur etiam pulueres cum *aloe* ad eandem intentionem, qua ſuccis imprægnatur. Cum præter laxationem calfacere volumus ſtomachum, aromata; cum roborare *maſtiche, roſa, ſpica*; cum validius detergere *azarum, myrrha*; cum coctionem amplius iuuare, *crocus* adduntur. Et hoc modo coagmentata eſt compoſitio *hieræ picræ*.

Aloes præparatio & directio ad certas partes.

Vt ventriculo magis approprietur *aloe*, adduntur *ſpecies hieræ picræ, maſti-*

che, myrobalani citrini, vt in *pil. aſſaireth*; vel *maſtiche* cum *agarico*, vt in *pilulis maſtichinis*, vel miſcentur ſpecies *diamoſchi dulc. agaricus trochiſc. cum maluatico ſubactus*, vt in *pil. de aloe lota*; vt melius extergat, etiam additur *mirrha*; vt corroboret magis coctionemque iuuet, aromata, veluti in *pil. ſtomachicis Alkindi*. Vel fiunt pil. ex *aloe cum oleis expreſſ. nuc. muſc. macis*. Vt maior ſequatur operatio, aliquot *diagridij* grana ſtimuli loco apponuntur, vt in *pil. de aloe & maſtiche*. Si ad epar dirigere velis, adiice *Rhabarb. ſuccum abſinth. agerati, trohiſc. diarrhod.* vt in *pil. de Rhabarb. de Eupator.* Ad obſtructiones lienis expediendas, confer *ammoniacum, ſuccum famariæ, extract. zarſæ pariglia, extract. ellebor. nigr. tincturam chalybis*, de quibus omnibus in progreſſu & ſigillatim *lib.* 3. vberius agetur.

Cap. VI.

De abſinthio eiuſque differentiis, qualitatibus & virtute ad viſcerum, præcipue ventriculi & epatis mala, & de remediis ex eo ad interiorum infartus, cachexiam, hydropem, icteritiam, de poteſtate bilem primario & pituitam purgandi ſimulque corroborandi.

Tria abſinthii genera, iuxta Dioſcoridem.

Dioſcorides tria abſinthii deſcripſit genera, vulgare, marinũ ſeu ſeriphium & ſantonicum; Seriphium hodie in vſum nõ accerſitur, ſantonicum veterum quale fuerit, non ſatis liquet. Semen, quod hac tempeſtate contra lumbricos frequenter vſurpatur, nec ſeriphii, ſeu marini, vt falſò putauit Antonius Muſa Braſſauolus, nec Santonici veri, quod cum neutra horum deſcriptione, qualem eam tradidit Dioſcorides, congruat, ſed herbæ cuiuſdam, quæ ob ſeminis, quam profert copiam, ſementina vocatur, cuius ſemen in officinis *ſine zinæ, zedoariæ, granellæ, ſanctonici, ſanctum & ſanctolinum* vocatur. Huius ſeminis decoctum dragmarum duarum aut pulueris dragma vna ex iure aliquo ſumpta non ſolum lumbricos expellere, ſed & ventrem ſufficienter euacuare auctor eſt Antonius Muſa Braſſauolus. Hodie potiſſimum in vſu ſunt *abſinthium vulgare*, & *ponticum* Galeni, cui facie & viribus montanum Romanumque noſtrum per omnia reſpõdet, & à noſtratibus non incongrue ſurrogatur. Dioſcorides abſinthio tribuit vim calfaciendi & adſtringendi, & nihilominus bilem, quæ ſtomachum & ventrem inſedit, expurgare, vrinam ciere, crapulam coercere, prodeſſe doloribus ſtomachi & inflationibus ventris, faſtidia diſcutere, arquatos curare, promouere menſes; vinum abſinthite frequenter potatum incolumitatis eſſe auctorem, ſuccum vero ſtomachum male habere, & capitis creare dolorẽ aſſerit. Gal. *lib. 6. de ſimpl. facult.* inquit, abſinthium habere adſtrictoriam, amaram & acrem ſimul qualitatem, excal-

Quid ſit ſemen zinæ.

Vires abſinthii iuxta Dioſcoridem & Galenum.

excalfacere, extergere, roborare, exſiccare, ac proinde bilioſos humores è ventre propellere, calidum eſſe in primo, & ſiccum in tertio ordine; & *lib.11.meth.medic. cap.16.* ait, *cum duplex in omni abſinthio facultas & qualitas ſit, vtique in pontico adſtringens qualitas non parua eſt, in reliquis amara quidē qualitas eſt vehemētiſſima, adſtrictio vero aut plane obſcura, aut prorſus nulla ſentitur.* Duplici *proinde conſtat ſubſtantia, vna calida, amara, nitroſa, cuius ratione facultatem obtinet purgatoriam; altera terrea & adſtringente, qua partes cogendo roborat, præſertim exſiccatum.* Quoniam vero caliditas eius eſt ſuperficiaria, ab ea prius depromitur actio detergendi & purgandi; à terrea vero poſterior adſtrictionis ſequitur.

Abſinthiũ bilem vacuat per aluum & vrinas.

Educit itaque è tunicis ventriculi & inteſtinorum bilem eaſdemque ſimul roborat inſtar *aloes*; Meſuæ vero auctoritate bilem etiam è venis & epate prolicit & per vrinas pariter exigit. Pituitam an pariter exigat, & an illito eadem ventriculo conueniat, dubitatur. Auenzoar pituitam quoque vacuare contendit; Galen. pituitam in ventre contentam nihil iuuare, neq; ſi eadem in thorace vel pulmone contineatur, quod in eo adſtringens, quam amara facultas valentior ſit, profitetur: *& lib.6.de ſan. tuen.cap.9* .inquit, *abſinthio vis eſt extergendi adſtringendique, & talis, vt ſordes tunicarum detergat, non quod altius eſt imbibitum, extrahat, velut aloe. Quamobrem aduerſum eſt ijs, qui pituitoſum in ventre habent ſuccum, quod eum magis adſtringendo affigat, quam detergat, qua ratione & ſola aloe non ſufficit, vnde facta eſt compoſitio, quæ picra dicitur, acrimonia & calore craſſos humores incidens, detergenſque.*

Abſinthiũ an præter bilem etiã euacuet pituitam.

Vt autem recte intelligatur Galen. tenendum, quod cum loquatur de abſinthio habente maiorem adſtrictionem, quam amarorem, quodque magis corroboret viſcera, ſolamque bilem, nō etiam pituitam educat, de Pontico ſermonem cædat, in quo adſtringendi facultatem abſterſoriæ vel parem vel maiorem aſſerebat, ſecus, quam in altero vulgari, in quo amaram qualitatem vehementiſſimam, adſtrictoriam vero obſcurā vel nullam fere ſentiri tradebat. Vnde liquet, ſi purgare amplius & bilem pituitamq; ſimul educere propoſitum ſit, vulgare abſinthium recipiendum eſſe, quia primario bilem, dein etiam pituitam eliquet & educat; & roborationis viſcerum maiore incidente neceſſitate pōticum vſurpandum, quod quidem valide cōfirmet & nihilominus deobſtruat, tergat, bilemque per vrinas exigat. *Porro omne abſinthium quoquo modo ſumptum cachecticis, ictericis & hydropicis prodeſt.* Quippe in cauſa calida bilem educendo per aluum & vrinam ex accidenti refrigerat, & nihilominus viſcera roborat, in frigida cauſa calfaciēte ſua virtute ſimulq; attenuante & roborante purgat, aperit, roborat, coctionem promouet, ſanguinem emundat, emendatq; & ſuperflua expellit. Mat-

Omne abſinthium cachecticis ictericis & hydropicis prodeſt.

Virtus abſinthii ad hydropem.

thiolus abſinthium commendat in hunc modum: *Ponticum efficacem vim habet ad aquam intercutem vt mihi iam ſæpius experimento compertum eſt. Equidem noui quoſdam hydropicos quaſi deploratos, qui ex longo eſu comarum ſaccharo adſeruatarum ſanitati ſunt reſtituti*; Et Eraſtus *tomo quarto antiparacelſico abſinthii virtutem his verbis extollit: Curaui aliquando aſciticum pauperem incredibili ventris pedum & pudendorum tumore laborantem alterna ſucci Iridis & abſinthii exhibitione, pedum ſcarificatione & ſudorem prolicientibus remediis. Prodeſt ſyrupus de abſinthio ℥ ij. pondere cum decocto maiorana*, roſmarini, ligni aloes & menthæ ſiccæ. Cum obſtructionis eſt ſuſpicio, addo oxymel ſcyllinum. Idem vinũ abſinthite Murlati in eodem caſu commendat. Vt compendio rem dicam, *abſinthium prodeſt decoloratis, ictericis, cachecticis, hydropicis, imbecille tumidumque iecur & ſtomachum habentibus, bilem per aluum & vrinas exigit, ventriculi & inteſtinorum dolores colicoſque cruciatus cõponit, vterinas efferationes mitigat, matricem emundat, cruditates diſcutit, ſingultum compeſcit, vomitum ſiſtit, appetitum reducit, flatus digerit, ad intermittentes quaſcunque vti ad inueteratas febres & viſcerum obſtructus optimum remedium.* Infuſum ex vino Hiſpanico vel maluatico ad ventriculi affectus & colicã datur. Ex eius & *fabarum ſarmenti, iuniperique cinere* lixiuium facit ad hydropem. Decoctum ex *hydromelite* grumos ſanguinis in veſica ſoluit, *opij, cicuta, fungorumque* domat virulentiam, ex aceto ad mala lienis valet, contra peſtem cum *ruta, ſaluia, nucleis iuglandium & aceto*, pollet ſumptum ante cibum, arcet ebrietatem, nauſeam marinam, enecat vermes. *Succus abſinthii pondere ℥ ſ. cum ℥ j. theriaca* tribus horis ante inſultum quartanæ exhibitus eandem maximopere infringit, aut ſi tempeſtiue detur, plane pellit, dummodo eius vſus ter quaterque repetatur. Vniuerſum porro ſanguinẽ à putredine conſeruat & vindicat. Iis, qui colicæ paſſioni obnoxii ſunt, ex Aetii conſilio, nihil ſalutarius vini abſinthiaci vſu continuato. Ad prædicta omnia *extractum* rite præparatum minori quãtitate efficacius exſiſtit. In vulgari vſu ſunt ſyrupus, trochiſci, extractum, ſal & vinum abſinthite. Sal ad malignas & peſtilentes febres conducit.

Vſus abſinthii ad hydropem.

Abſinthii facultates præſtantiſſima.

Abſinthiũ in hydromelite coctum grumos ſanguinis in veſica ſoluit.

Ad quartanam remed. ex abſinth.

Vini abſinthitis vſus ad præſeruationem à dolore colico.

Extractum abſinthii & ſal.

CAP. VII.

De centaurio minore & maiore. Illud bilem & pituitam purgat, febres pellit, neruorum vitiis opitulatur, viſcerum obſtructiones expedit, vermes & menſes exigit. Hoc qualitatibus inuicem contrariis eſt præditum, medetur fluxibus, ſoluit obturata, & ſanguinem coagulatum, pectoris affectibus conducit.

CEntaurium minus, quod vel terræ propter ſummam amaritudinem,

nem, & febrifuga, quia bilem exigendo febres pellat, dicitur, calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu; amara in eo ſuperat qualitas, cui modica iuncta adſtrictio, expers eſt omnis mordacitatis, folio & flore duntaxat, in vſum venit. Bilem craſſoſque humores per aluum exigit: ſi manipuli vnius decoctum exhibeatur iuxta Braſſauolum educit bilem, vt vero vna ducat pituitã, paulo plus ſumendum erit. Iuxta Dioſcoridem & Galenum non tantum bilem & craſſos humores educit, ſed & ius eius Iſchiadicis infuſum biliosa & craſſa educens tunc maxime prodeſt, vbi adeo vehementer operetur, vt etiam cruenta euacuet. Vnde liquet centaurium ex eorum eſſe numero, quæ ſanguinem vſu immoderatione ducunt, ſiue id efficiat oſcillorum venarum reſeratione, ſiue proprietate quadam ſpecifica. Sed nec ſolum ius infuſum iſchiadicis doloribus ſubuenit, ſed ſuccus eius epotus, vel herba ipſa ex *hydromelite* decocta peculiariter neruorum vitiis ſuccurrit. *Florum & foliorum decoctũ* vtiliter tertianariis datur, quod bilem per aluũ expurget, obſtructiones reſeret. Quamobrem decoctum, ſuccus & tractum centaurei minoris ſpecifica cum huius febris, tum cæterarũ lentarum, & obſtructionum epatis, lienis, renum, vteri & morborum ab horum infarctu dependentium remedia prædicantur, quemadmodum *abſinthii & gentianæ*.

Centauriũ minus bilẽ purgat & pituitam.

Iſchiadicis infuſum prodeſt.

Neruorum vitiis opitulatur.

Pellit febres, obſtructiones ſoluit.

Pellit vermes & iuuat ſtomachum.

Ad Rheumaticos etiam affectus & verminoſos commendatur, menſes ducit, & vſu immoderatiore fœtum excludit. Stomachum roborat & colicos cruciatus abigit. Quoniam vero propter amaritiem cum modica adſtrictione medicamentum eſt vehementer ſiccatorium ſiue mordacitate vulnera magna glutinat vlcera dyſepulotica, maligna & cacoethea mundat, & ad cicatricem perducit, fiſtulas ſanat, duritiem emollit, cum oleo partibus contuſis emplaſtri modo impoſitum præſenti remedio eſt.

Centaurium maius, quod officinæ vulgo Rhaponticum vocãt, Arabes cum minore confundunt, & vnam pro vtraque herbam non ſine grandi errore tradunt, quod cẽtaurium maius ad tertium gradum caliditatis & ſiccitatis accedat, guſtu ſit acre cum dulci quadam adſtrictione, expers omnis amaritudinis, quæ in minore redundat. Vti ſapore contrarias qualitates, ita & in vſu cõtrarios demonſtrat effectus, teſte Dioſcoride & Galeno. Acrimonia enim, qua menſes prouocat, fœtum viuum corrumpit, mortuum expellit, caliditatis eſt opus. Cum vulnera glutinat, & ſanguinem ſpuentibus pondere duarum dragmarum hauſtum auxiliatur, aſtrictionem ex terrena craſſaque frigiditate dependentem comprobat; Omnibus vero qualitatibus, cum ex alto lapſis & coagulato ſanguini, ruptis, conuulſis, pleuriticis, dyſpnææ,

Centauriũ maius.

Contrariis qualitatib. eſt praditum.

ſeu ſpirandi difficultati ac tuſſi inueteratæ medetur, agit. Nec enim illic euacuare ſolum, quod præter naturam eſt, oportet, ſed partem quoque euacuatam roborare & confirmare. Acrimonia cũ modica dulcedine ſoluit, adſtrictio roborat. Auctore Matthiolo radix rhapõtica vtiliter datur hydropicis, ictericis, iecinoroſis, tum in vino macerata, tum in puluerẽ trita. Camerarius quoque prædicat ſuccum radicis ad cachexiam, & epatis vitia, & ad horum curationem frequentem eius eſſe vſum Noribergæ, memorat. Cum adſtringentibus ad dyſenterias, & alui fluxus, cum *terra ſigillata*, *bolo Armena*, *mumia*, *ſpermate cete* & *Rhabarbar.* ad ſanguinem coagulatum propinatur.

Virtutes centaurii maioris.

CAP. VIII.

De naſturcio, lupulo Hyperico, Thlaſpi, chamædri. lychnide ſylueſtri, Thapſia, Tragorigano.

NAſturcium calidum & ſiccum ordine tertio adurentis particeps eſt facultatis, inſtar ſinapi. Hu[9] ſi M. j. decoquatur, & iuris ℥ iiij. exhibeantur, copioſe ſatis bilem educunt, Dioſcor. & Galen. teſtibus. *Semẽ* duarũ dragmarũ pondere potum, idem præſtat, ſed quia ſtomachum conturbat, adduntur ſtomachica roborantia. Excalefacit, attenuat, incidit, extrahit, reſoluit. Confert aſthmaticis ex *oxymelite*, & ſpleneticis ſcorbuticiſque cum aqua, vel decocto conuenienti. Vulgus ad variolarum morbillorumq; expulſum cum *ſemine aquilegiæ* ex *decocto ficuum* propinat. Extrinſecus applicatum rubificat, & ex alto trahit, vnde capitis & coxæ doloribus prodeſt. *Succus* in aurem dolentis lateris inſtillatus, ſedat dẽtium dolorem. Viſum & animum exacuit, vnde mentis torpore affecti ad naſturcii vſum relegantur. *Naſturcij aquatici ſemen* ſanguinem coagulatum omnium optime ſoluit, & torrefactum alui fluxionibus medetur.

Naſturciũ purgat bilẽ.

Conuenit ſpleneticis & ſcorbuticis.

Expellit variolas.

Sedat dentium dolorem.

Lupulus.

Lupuli veteres Græci non meminere, ſunt autem, qui lupum ſalictarium Plinii eſſe arbitrantur. Meſue ait, lupulum flauam bilem expurgare, ſanguinem mundare, eius inflammationes exſtinguere, fieriq; valentiorem, ſi ſero caprino maceretur. Syrupus ex ſucco ictericiæ medetur, & in febribus à bile & ſanguine valde prodeſt. Calidus fertur receſſu primo, & ſiccus ſecũdo. *Flores, folliculi, & radices*, excalfaciunt, ſiccant, aperiunt, extenuant, abſtergunt, repurgant, ſanguinem mundant, febribus diuturnis ab obſtructione viſcerum ortis proſunt. Expurgant iecur, lienemque, & ab infarctu liberant, hydropicorum aquas per aluum pellunt, menſes vrinasq; cient, ſcabiem, ſerpigines, lichenes, alphos & cutis vitia tollunt. Turiones elixi ex aceta-

Lupulus flauam bilem purgat & ſanguinem mundat.

Iecur deobſtruit, febribus medetur.

Cutis vitiis medetur.

tiis ſumpti ventrem laxant, ſanguinem purificant. Semen interraneorum animalia necat. Atram quin et. iam bilem, digerit & educit, vnde morbis ab humore melancholico oriundis ſummopere confert.

Atram bilem præparat & purgat.

Fuchſius lupulum vtramque bilem purgare, pituitā hydropicorum per aluum educere, ſuccum eius crudum ventrem magis mouere, minus expedire obſtructiones, coctum obſtructiones expedire, minuſque ventrem ſubducere, radicem iecoris & lienis infartus tollere, flores fotu & inſeſſu vrinas citare auctor eſt.

Fuchſius de virtutibus lupuli.

Hypericon.

Hypericon vulgo *perforata*, & *fuga dæmonum, androſæmum* & *aſcyrum* nuncupatur. Calidum ſiccumque eſt in initio tertii ordinis & tenuis eſſentiæ; extenuat, digerit, purgat. Semen dragmæ pondere hauſtum bilem educit. Calculos præterea eiicit, & lumbricos venenis & venenoſorum morſibus reſiſtit, menſes vrinaſque ciet, prodeſt iſchiadicis. *Farina ſeminis* cum *ſucco poligoni* vel *aqua plantaginis* ad ſanguinis reiectiones datur. Decoctum hyperici febres tertianas & quartanas abigit. Floribus & ſemini ineſt facultas ad omnia interna & vulnera, exceptis iis, quę ſunt in capite ſananda, quocirca oleum, in quo flores & ſiliquæ prægnantes maceratæ diuque inſolatæ fuerint, recentia vulnera mirifice ſanat. Id autem melius perfici, ſi oleo *terebinthinæ* infundantur, aſſerunt. Galenus vult, ſemen eſſe purgantis facultatis, folia vero extergentis & ſiccantis, & ad ambuſta prodeſſe, quę vino incocta magno rum vulnerum glutinatorium efficiunt.

Hyperici ſemen bilē purgat, febres abigit calculos, venena vermeſque pellit.

Vſus internus eſt ad ſanguinem coagulatum; miſcetur etiam potionibus vulnerariis, ſummam vim habet reſoluendi, aperiendi, glutinandi, cohibendi. Sal Hyperici pleuriticis & calculoſis auxiliatur. Aqua hyperici deſtillata epilepticis & comitialibus confert. Oleum hyperici vulnera ſanat, & neruoſarum partium læſionibus mirifice prodeſt. Illitum fluxus & dolores dyſentericorum compeſcit, cum oleo anethi cruciatus coli mitigat. Contra phantaſias & tempeſtates à nonnullis geſtatur. Balſamorum & oleorum ex *hyperico* compoſitiones, vide apud auctores.

Oleum hyperici ad vulnera inciſorum neruorum, combuſtionē ignis, dolores femoris, veſicæ, & remorantem vrinam. ℞. *Sumitat. Hyperi. matureſcentis* ℥ iij. *macerentur in vino odorifero tribus diebus, bulliant deinde in vaſe duplici, obturato orificio, hinc exprime, & recentis par pondus iniice, iterumque macera, coque, & exprime, idque tertium facito, & ſi vinum minuatur, aliquid adde; Recipe dein terebinth.* ℥ iij. *olei veteris clari* ℥ vj. *croci* ℈ j. *coquantur in vaſe duplici ad vini conſumptionem, poſtea exprime, & à ſedimento mundatum oleum repone.*

Oleum hyperici ad neruorum vulnera, aduſtionem remorantem vrinam.

Oleum vulnerarium inſigne. ℞.

Olei

Oleũ vulnerarium inſigne. *Olei oliuar.* ℔ ij. *vermium terreſtrium mundatorum* ℥ v. *florum & ſummitatum hyperici* ℔ ſ. *flor. centaur. minor. & capitũ trifolij odorati ana* ℥ ij. *gummi elemi* ℥ j. *æſtiuo ſoli exponantur. Nonnulli parum aquæ vitæ, in qua benieuini quicquam ſoluerit, alij terebinthinæ aliquid addunt.*

Thlaſpi.

Thlaſpi bilem purgat, menſes ciet, abſceſſus internos rumpit, præſeruat à morbis contagioſis. *Thlaſpi*, quod & *thlaſpidion*, *capſellam, ſcandulaceumque* nuncupant, calidũ ſiccumq; eſt in principio ordinis quarti, attenuat, vrit, extrahit, prouocat, incidit. Semen manſum os & linguam ſinapis modo vellicat. *Herbæ & ſeminis decoctum* bilem purgat. *Semen* duarum dragmarum pondere ex iuſculo potum eam copioſe educit, adeo, vt ſurſum deorſumque ſæpe exturbet: menſes ciet, fœtus enecat, internos abſceſſus rumpit; prodeſt iſchiadicis infuſum educens ſanguinolenta, calculos expellit. *Ad calculum.* A peſte quinetiam & morbis contagioſis veneratiſque præſeruat, miſcetur antidotis, & rabidorum canum morſibus vtiliter imponitur.

Chamædris.

Chamædris ſiue *triſago* aliis *quercinola* ſeu *parua quercus* dicta in tertio calidorum & ſiccorum ordine conſtituta eſt; plus tamen ſiccare, quam calefacere fertur. *Chamædris bilem vacuat.* Amaritudinis & acrimoniæ particeps eſt. Theophraſto & Braſſauola auctoribus bilem purgat. Manipuli integri decoctum ad ℥ vj. exhibetur. Siccata etiam herba in forma pulueris exhibetur. Braſſauola ex *centaurio minore & chamædri* pilulas conformat. Theophraſtus *lib. 9. cap. 10. radicis* eiuſdem partem vnam ſuperius, alteram inferius purgando bilem ducere commemorat. *Viſcerum obſtructiones expedit.* Galeno *lib. 8. de ſimplic. facult.* lienem colliquat & abſumit, menſes ciet, humorum craſſitiem incidit, viſcerum obſtructiones expurgat, ictericis mirifice prodeſt. *Febres pellit.* Quod eius decocto aliquot diebus poto tertianæ profligentur, herba febrium & febrifuga nominatur. *Semen* ℨ j. pondere ſumptum bilem per vrinas euacuat, & vermes pellit, vti & vinum, in quo macerarit herba. *Prodeſt affectibus cerebri frigidis.* Prodeſt frigidis cerebri morbis, capitis doloribus diuturnis, comitialibus, veternoſis, melãcholicis, ſtupidis & conuulſis. Ieiunis acetarii modo ſumpta, inſtar *ſcordei* peſtem arcet. Plinio incipienti hydropi ſuccurrit, ſplenem ex aceto conſumit, vrinæ difficultatibus auxiliatur, & efficax eſt aduerſus venena. *Iuuat podagricos.* *Vinum chamædrite & decoctum eius* 60. diebus rite perpurgato corpore potum, podagricos ſanat.

Lychnis ſylueſtris.

Lychnis bilem purgat. Iuuat hæmoptoicos & dyſentericos. Calida & ſicca eſt in ſecundo ordine completo. *Semen* eius à ℨ j. ad ℨ. ij. bilem per aluum expurgat, teſte Dioſcoride, Plinio & Braſſauola. *Decoctum foliorum* ex vino iuuat hæmoptoicos

ptoicos & dyſentericos. Herba ſcorpionibus impoſita torpidos reddit. ſuccus ſemine violentius per aluum purgat.

In calidorum tertio gradu completo acrem & vehementer excalfacientem facultatem habet cum humiditate. Tam *cortex radicis*, quam ipſe *ſuccus* lacteus ex aqua mulſa potus bilem vehementer purgant. Theophraſtus ſuccum cortice validiorem eſſe & ſurſum deorſumque purgare ſtatuit. *Corticis* dantur ℈ ij. cum *ſeminis anethi* totidem. *ſucci expreſſi* ℈ jſ. *ſucci lactei ſponte effluxi* ℈ſ. Caute & cum religione hæc vſurpanda. Trahit etiam violenter ex alto foris vſurpata, vnde alopecias explet. cum *aquis cera & thuris portionibus* ſugillata liuoreſq; tollit.

Thapſia bilem purgat.

Thapſia alopecias explet & ſugillatis medetur.

Tragoriganum.

In initio tertii ordinis calidorum ſiccorumq; conſtitutum, guſtu ſubacre, excalfacit, aperit, digerit, incidit, reſoluit. Decoctum iuxta Dioſcoridem & Braſſauol. bilem flauam educit; ex vnciæ vnius in aqua decocto exhibentur ℥ vj. *ſuccus* exhibetur à ℥ ij. ad ℥ſ. Omnia origana bilem trahere, aſſerit Dioſcorides, ſed Heracleoticum atram exquiſitius, creticum vero & tragoriganum magis flauam. Lienoſis ex *aceto* potum prodeſt, menſes proprie ciet, peripneumonicis & pleuriticis è *melle* lingendum præbetur, ſtomacho faſtidienti, acida ructanti & infirmo conducit, nauſeæ marinæ medetur. *Semen origani cretici*, quod ad nos etiam exportatur exquiſitiſſimum remedium eſt ad frigidos ventriculi & inteſtinorum affectus, eiuſque *oleum ſtillaticium* fragrantiſſimi halitus idem paratius præſtat. *Origanum* confert obſtructionibus lienis, epatis, veſiculæ fellis, pectoris & vteri, crudo nauſeabundoque ventriculo lienis atra educit, menſes aperit.

Bilem ducit.

Omnibus viſcerum obſtructionibus & languenti ſtomacho medetur, menſes aperit.

CAP. IX.

De Pſyllio & eius qualitate contra Arabes: ſemen ducit bilem: Omnibus ex calore & inflammatione præcipue articulorum & capitis doloribus medetur, faucium aſperitati, dyſenteriæ & fluxionibus biliosis opem fert.

PSyllii ſemen Arabes ſuperficie tenus frigidum & interiore ſubſtantia acre & exurens eſſe arbitrati ſunt, eique quartum caliditatis gradum aſſignarunt, & ad veneni deleterii ſepticiq; naturam euexerunt, ſed quãtum hac opinione à veteribus Græcis receſſerunt, tantum errare ipſis procliue fuit. Nulla enim quarti gradus caliditas, quę non tactu, quod omnino fieri par eſt, vel ſaltem guſtu percipi queat. Atqui ea nec guſtu percipitur, & iam tot ſeculis eius comprobatus eſt ſalutaris vſus, vt merito illa Arabum ſit explodenda opinio.

De pſyllii qualitate & temperie aduerſus Arabes.

Audiendus proinde Galenus, qui pſyllii ſemen admodum ſalubre & frigidum in ſecundo, in paſſiuis temperatum eſſe ſtatuit, licet alii exiguum caloris participare arbitrentur. Mucilago eius aqua fontana extracta aut infuſio datur cū *ſyrupo violato* aut *ſaccharo*. Infunditur à ℥ ij. ad ℥ſ. Braſſauolus *cinamomum*, vel *macim* aut ſtomachica addi iubet. Hoc pacto bilem educit; & rite exhibetur in febribus ardentiſſimis cum ſiti intolerabili, inflammatis ſpiritibus; medetur & pectoris & faucium aſperitati.

Mucilago ſem. pſyllii bilem ducit.

Pſyllii ſemen maceratum mucilaginem edit ad omnes inflammationes, ſed proprie ad articulorum calidos dolores cumprimis ſalutarem, & auctore Plinio vtiliter fronti & temporibus ex *aceto & poſca*, capite dolente illinitur. Adeo refrigerat, vt in ferventem aquam eius ferſuorem continuo reſtinguat. Fertur abigere pulices, vnde etiam *herba pulicaria* nominatur.

Ad dolores capitis & articulorū ex cauſa calida.

Mucilago ſeminis pſyllii, cydoniorum & papaueris albi cum ſaccharo penidii in formam electuarii redacta, aſperitatem faucium, & calorem temperat, fluxiones calidas ſuſpendit.

Ad faucium aſperitates & fluxiones calidas.

In febribus vehementiorib. ſitim & calorem mitigat cum *ſyrupo violarum* vel *aqua hordei*, & ſimulac bilem ſuauiter leniterque educit.

Ad febres ardentiores.

Torrefacto in ſartagine *ſemine pſyllii* affuſus liquor hauſtus inteſtinorum, dolores, eroſioneſque & fluxus alui biliofos & calidos, & inde natas dyſenterias perſanat, *calcis*, *euphorbii*, & *cantharidum* acrimoniam ſepticam conſopit.

Ad dyſenteriam.

Cap. X.

Tartarus ad digeſtiuorum & purgantium ordinem refertur, an chymici recte vniuerſalia digeſtiua ex tartaro conficiant; de vſu eius ad febres chronicas, viſcerum obſtructiones & hydropem. De tartaro vitriolato, ſpiritu, mixtura tartari vitriolata, horum compoſitione & vſu. Spiritum tartari non conuenire anginæ, pleuritidi, phthiſi, paralyſi, vti volunt Paracelſochymici, ſed maxime nocere varia ex tartaro remedia.

TArtarum fex vini, res notiſſima, accedit, quam proxime ad naturam mineralium. Optimum, quod ex vino veteri & forti concretum eſt. Calidæ & ſiccæ temperaturæ, purgat, conſumit, abſtergit, laxat. Simplex eiuſdem, puluis depuratus per ablutionem vel ſolutionem eccoproticis & paulo vlterius, quam primas vias purgātibus remediis accenſetur. Vti penetratione obſtructa reſerat, ita abſterſione euacuat, cæteriſque medicamentis, quibus vel præmittitur, vel coniungitur, aditum ad vlteriora & interiora parat.

Tartarus præparantib. & purgantib. merito accenſetur.

In forma pulueris dragmæ vnius pōdere, aut paulo pl⁹ exhibetur ex iuſculo pulli vel galli, vt primas vias expurget, & primarū obſtructiones recludat.

Quomodo per ſe & aliis miſtus exhibetur.

Materia ulcerum una cum tartaro & decoctorum Galli veteris ad hypochondriacos.

cludat. Quod ſi altius purgare placet, adde *diagridij* gr. ij. vel iij. vt aliorum vires iuuet & promoueat, miſcetur pulueribus *ſenæ* diuerſorum auctorum vti Montagnanæ, Braſſauolæ, Wieri & aliorum, ex *tartaro*, *ſena*, *diagridio*, *epithymo*; *Garyophyllis*, *aniſo*, *mace*, *cinamomo* pro varia variorum intentione varie compoſitis. Pari modo decoctis veteris Galli in vſum hypochondriacorum præparatis, additur cum *ſena*, *polypodio*, *cuſcuta*, *epithymo*, *cæteroqui vero fumaria*, *ſem. carthami*, *aniſi*, *carui*, *ſale gemmæ*, *radicibus ellebori nigri*, *ſcorzoneræ*, &c. vnde ſatis liquet, ad viſcidos, craſſos, melancholicos, & pituitoſos humores incidendum, abſtergendum & educendum, & ad viſcerum præcipue epatis, lienis, primarumque viarum infartus & conſequenter lienoſis, quartanariis, hypochondriaciſque perutile eſſe. Chymiatri in Tartaro ad eſſentiam ſynceriorem perducendo & penetrantiora ex eodem remedia tam ad viſcerum purgationes, quã obſtructiones, ſeu ad dirigentia, pparantia & purgantia remedia componendum, ſtrenue elaborarunt. Ex quo interna & externa ſunt producta medicamenta. Quæ internum ſpectant vſum, ſunt ſimplicia, velut cremor tartari & cryſtalli, aciditas tartari, ſpiritus & oleum, vel compoſita, vt tartarus vitriolatus, qui magiſterium tartari Beguino, & mixtura tartari vitriolata.

Ad craſſos humores incidendū, & viſcerū infartus, lienoſos & quartanarios.

Remedia chymiatrorum ex tartaro.

Ex his omnibus, cum digerentia, tum purgantia cuduntur. Cremoris vel cryſtallorum tartari ℨj. ſi tria vel quatuor grana diagridii adiicias, aluum debite promouebit. *Tartarus vitriolatus* efficacius purgat vnius dragmæ pondere cum *diagridij* gr. ij. vel iij. ex iuſculo quodam ſumptus, quod in febribus intermittentibus haut male conueniens remedium eſt.

Tartarus eiusq; cremor & ſpiritus generalia chymicorum digeſtiua.

Per ſe vero & ſine alterius purgantis adiectione *cremor cryſtalluſve tartari*, & *tartarus vitriolatus tartarique ſpiritus* ſunt generalia Chymicorum digeſtiua ad omnium humorũ & quorumcunque viſcerum, & viarum obſtructarum præparationem & reſerationem: id vero, quo iure, quave iniuria, ipſi viderint. Nec enim quomodo bilis flauæ, æruginoſæ, vel alterius ferueſcentis, & ebullientis, neque quomodo atrabilariæ excandeſcentiæ, acria, vitriolata, & penetrantiſſima tartarea ſint mitigatiua, cicuratiua & temperantia, ratio vlla vel experientia vndiquaq; accerſita vnquam demonſtrauit, aut conuicit.

An remedia ex tartaro humoribus acrib. & atrabilariis præparandis & num in paralyſi, uti vult Crollius, conueniant.

Imo his omnia fuiſſe exaſperata, in bilioſis, atrabilariis & candeſcentibus affectibus, non ſine ægrorum calamitate ſæpe obſeruatum eſt. Quæ ſodes vtilitas tartareorum & vitriolatorum ſpirituum in teneriorum neruorum obſtructionibus, & paralyſi, quorum ſubſtantia textura & temperies acrium acidorumque vim nequaquam tolerat? *Rectius indicationes à parte affecta deſumendas, quid videlicet partis temperatura, conſtructio, ſenſus*

& natura perferant, didiciſſent, & non tam turpiter impingerent, quod fieri neceſſum eſt, cum neglectis rationalis methodi regulis Paracelſica fatuitate morborum corporumque curandorum rationem ex medicamentorum præparatione, eorumque conſideratione venamur, & ſolam medendi artem in remediorum ſpagirica præparatione ſitam eſſe, impudenter cominiſcimur. Non refragamur, vbi craſſi, pituitoſi, terreſtres & atri humores viſceribus viiſque inhærent, & naturæ negotium faceſſunt, vtiliter hæc commemorata in vſum vocari, cõmunia vero & abſoluta omnium indifferẽter eſſe digeſtiua, pernegamus. Doſis *tartari vitriolati* eſt à ℈ ſ. ad ℈ ij. cum *iuſculi gallinæ* ℥ v. vel vj. vel cum vino & *decocto paſſularum*. Huius vſum prædicant in omnibus viſcerum obſtructionibus, ictero, menſium retentionibus, ſplenis duricie, hydrope. Peculiariter vero in calculo & renum opilatione, quod tartarum ſoluat, & euidentiſſime expellat. Pariter in hypochondriaca melãcholia potiſſimum eſſe remedium, quod in venis meſeraicis congeſta melancholica excrementa per aluum expurget, calorem epatis & lienis contemperet, ad febres chronicas & pertinaces arcanum non dari præſtantius, aſſeuerãt, quam ſi *extracti ſcammonij per S. V. præparati* gr. v. vel vj. vel vij. *cum ſcrupulo vno tartari vitriolati* exhibeantur, vel cum *mẽſtruum ſcammoneæ tinctum* fundatur ſuper puluerem *tartari vitriolati*, & abſtrahatur viciſſim leni balnei calore, qua ratione eſſentia ſcammonii cum *tartaro vitriolato* vnitur, quod eximium aduerſus contumaces & inueteratas febres eſt remedium. In hydrope & peſte commendãt *tartarum vitriolatum* cum *theriaca* & *aqua cardui benedicti*. Alii Chymiſtæ *cryſtallos* vel *cremorem tartari* aliter præparant, & vt *ſupra* cæteros quippiam ſapere videantur (*ſolam enim medicinæ ſcientiam in nudis remediorum præparationibus plerique veteris philoſophiæ ignari conſiſtere, perſuaſi ſunt*) alio donant nomine *acidum* vel *eſſentiam tartari* facientes. Ex *cinere Iſalidis* lixiuium conficiunt idq; reiterato affundunt tenuiter trito, donec omnes eductæ ſunt (alii affundunt S.V.) fæces, neque amplius tingatur lixiuium, pollinem defæcatum in aquam pluuiam deſtillatam immittunt & coquunt, donec cremor ſupernatet & lateribus vaſis adhæreat, cuius ſiccati ʒ ſ. propinãt; ad conciliandam ſuauitatem addunt *eſſentiæ citri vel aranciorum* ℈ ſ. vt operetur per aluum, *diagridii* aliquot grana.

Paracelſiſta fatui.

Virtutes tartari vitriolati.

Aduerſus contumaces & diuturnas febres remedium inſigne ex tartaro vitriolato.

Ad hydropem & peſtem.

Supra memoratis digeſtiuis inſuperaccenſetur *mixtura tartari vitriolata*, quæ nonnullis *mixtura de tribus* vocatur, quod ex tribus conſtet ſpiritibus, ad triplices noſtros, vitalem, naturalem & animalem accommodatis, videlicet ex ſpiritus aquæ theriacalis camphoratæ quinque partibus, *ſpiritus tartari rectificati tribus*, & *ſpiritus vitrioli correcti parte vna*. Huius mixturæ in peſtiferis & contagioſis pertinacibuſque capitis morbis, viſcerum obſtructionibus & aſthmate miram-

Mixtura tartari vitriolati compoſitio & vſus ad morbos peſtiferos contagioſos aſthma & viſcerum infarctus.

mirandos, ſi recte vſurpetur, effectus experimur.

Spiritus aquæ Theriacalis camphoratæ præparatur, ſi *Theriacæ Andromach. veter.* ℥ v. *myrrhæ rub.* ℥ ij. *croci Orient.* ℥ ſ. *affundatur ſpiritus vini rectificati & penetrantiſsimi* ℥ x. & *ex alembico, in quo ſuſpenſæ* ℥ ij. *caphuræ, fiat deſtillatio primo igne lento in B.M. tandem auctiore, qui labor tertia cohobatione reiteratur*, donec *oleum Theriacale præſtantiſsimum vna prodeat*, quod tãquam pretioſiſſimus balſamus ſecernitur & aſſeruatur.

Spiritus tartari uſus ad menſes mouendum, hydropem, lepram, luem Gallic.

Spiritus tartari & *vitrioli* præparationes apud Crollium, Beguinum paſſimque apud Chymicos extant.

Spiritum tartari in retentis menſibus cum aqua *artemiſiæ*, *florum borraginis*, vel *vino Sabinato* porrigunt, in paralyſi cum arcano *meliſſæ*, ita enim totum corpus penetrare & à pituitoſa colluuie neruos liberare fertur; In hydrope exhibetur cum *ſpiritu vitrioli* confectus ex *aqua ebuli & ſoldanellæ*; in pleuritide & angina cum *aqua cardui Mariæ & papauer. rheadis*. Ad lepram præterea & morbum Indicum commendant.

In paralyſi & angina & pleuritide non conuenire ſpiritum tartari.

Sed quomodo in pleuritide & angina acutiore à feruidis humoribus feruentiſſimus iſte tartari ſpiritus conueniat, miſeri ægri experiuntur, cum nec in vera paralyſi, vbi tamen ſuperior mixtura quadamtenus admitti poſſet, ſatis rationaliter adhibetur. Et cum tot præſtantia diuina benignitate inuenta & cumulate indulta ſint remedia, tam ipſos neruos & ſpinæ medullam, quæ quaſi elongatum ſit cerebrum, quã hoc ipſum reſpicientia, eaque proprietate quadam confirmantia, & ſpiritus animales iucundiſſima odorisfragrantia reficientia, pituitam conſumentia, quis furor, & quæ audacia eſt, ad tam acuta, neruis & cerebro inimica, fœtida; quorum acumen adeo exquiſiti ſenſus & texturæ tenerioris partes non tolerant, confugere, naturamque omnem penitus his ipſis proſternere? Exaſperabitne iſte tartareus penetrãtiſſimus & acutiſſimus ſpiritus in angina & pleuritide inflammationem ab acutis & acribus humoribus genitum? An ſanguinis & humorum orgaſmum, feruorem, æſtum & ebullitionem acribus, feruidis & igniculantibus ampliuſque iracunde concitantibus curabis? Qua methodo? Qua artis lege? Quo dictatore? Hippocrate, an Galeno? Soli Paracelſicæ conſcientiæ toti antiquitati oppedenti hic obſequendum. Quid ſana mens & ratio nondum omnino phrenetica ſentiat, cum eo veſaniæ & tyrannidis prolabuntur, vt tartari vitriolique ſpiritus ad phthiſeos & peripneumoniæ curatiorem offerant & vſurpent?

In præparatione tartarei ſpiritus vna prodit oleum, cui fere eoſdem, ſi rectificari & fœtor adimi queat, cum ſpiritu vires tribuant.

Paratur & aliud tartari oleum per deliquium ex eodem calcinato ad albedinem vel ex ſale eiuſdem. Illud

concurrit ad præparationem *tartari vitriolati*, alioquin extrinſecus eius eſt vſus ad maculas faciei, impetiginem, ſcabiem, & cutanea vitia.

Eius quoque guttulæ aliquot adduntur menſtruis vegetabilium eſſentias extrahentibus. Tincturæ quinetiam rerum aliquarum, (videlicet *corallorum* & *gemmarum*) huius affuſione à menſtruo ſeparantur & præcipitantur.

Puluis tartari ad corroborandum ſtomachum. Ad ſtomachi affectus puluerem ex *tartaro* præparant, vt ſequitur. R. *Tartari, ſalis nitri ana* ℥ iij. *fundatur in tigillo, fuſis pedetentim iniice fruſtula ſulphuris viui*, vt *deſuper comburantur, deinde ſpiritum vini affunde, eundemque per B. M. viciſsim abſtrahe. Huius ſalis medicamentoſi* R. ℥ ſ. *macis, Galangæ, cubebæ ana* ℥ vj. *miſce, doſis* ℈ jſ. cum vino.

Hydroticũ ad hydropẽ ex ſpir. tartari. Hydroticum ad hydropem. R. *Spiritus tartari rectificati, aquæ gentianæ, aquæ Theriacalis ana* ℥ j. *ſpiritus vitrioli, olei ſulphuris ana gutt.* xv. miſce, doſis à ℥ ij. ad ℥ ſ. cum vino anteingreſſum laconici.

Specificum purgans Paracelſi ex tartari vitriolique ſpiritibus cum proprio ſale animatis vide apud Crollium.

Cap. XI.

Terebinthina aluum euacuat primas vias purgat, epar, renes, veſicã, matricem, pectuſque exterget, viſcerum obſtructionibus medetur, Remedia ex eadem parantur ad affectus cerebri & neruorum videlicet epilepſiam, paralyſin, & ad arthritidem, raucedinem, tuſſim, aſthma, pleuritidem, phthiſin, colicum cruciatum, renum & veſicæ vlcera, ardentem, & purulentam mictionem, iſchuriam, calculum, oppilationes vreterum & veſicæ, gonorrhæam, matricis impuritates, menſes remorantes: de ſpiritu terebinthinæ, balſamo ſulphuris terebinthinato, rubino ſulphuris, oleo arthritico & vulnerario aliiſque expertis & præclaris ex illa oriundis remediis agitur.

Terebinthina eſt lacruma arboris Terebinthi, in cuius defectu per multos annos larigna reſina vſi ſunt, ſed, quia hac tempeſtate genuinæ copia ſuppetit, merito hæc in vſum reuocata eſt. Eligenda eſt odorata, candida, pellucida, vitreo colore in cæruleum nonnihil vergente, guſtu ſubamara. *Terebinthina delectus.* *Reſinarum omnium natura eſt, calfacere, mollire, diſcutere & expurgare*, adeo, vt tuſſi & tabi per ſe, vel cum *melle* linctæ, conueniant, vitia pectoris expurgent, vrinam cieant, cruda concoquant, ventrem emolliant, laterum doloribus illitu adpoſitæ & ſumptæ medeantur, lepras cũ *ærugine, atramento ſutorio*, & *nitro* tollant, pruritui genitalium ſint vtiles, cum *melle & oleo* purulentis auribus conducant, malagmatis & acopis remediis miſceantur. Inter reſinas au- *Reſinarum omniũ vir-tus in genere.*

ctore Dioſcoride præſtantiſſima eſt *terebinthina.* Etiamſi vero Galenus, lentiſcinam, quæ *maſtiche* vocatur præferat, quod propter pauculam, quæ illi ineſt, adſtrictionem ſtomachi, ventris & iecoris imbecillitati & phlegmonis conueniat; quodque ſine mordacitate deſiccet, cum minime acris & nihilominus tenuium ſit partium: Et *Strobilinam reſinam* calore præualere aſſerat, tamen aduertendũ eſt, eum non repugnare Dioſcoridi; ſed ſtatuere *Strobilinam* duntaxat *terebinthina* cæteriſque reſinis calidiorem, & interim nõ diſſentire ab hoc, quod *Terebinthina* inter reſinas, quãuis calore non præualeat, ſit optima tanquam medicamentum ad multiplices vſus accommodatum. *Reſinas* omnes calfacere & ſiccare; *Terebinthinam* in ſecundo caliditatis & ſiccitatis ordine ſubſiſtere in confeſſo eſt. Galenus hanc modica adſtrictione participare, & propter amaritudinẽ, quæ illi ineſt, digerere & abſtergere atq; ob partium tenuitatem plus cæteris ex profundo attrahere, & ſimul emolliendi vim præclaram poſſidere cenſet. Vnde patet, cur vlceribus & vulneribus tantopere proſit, & vnguentis emplaſtriſque vt plurimum miſceatur. Miti enim ſuo calore ſuperflua digerit, coquit, puris generationem iuuat, & leniter abſtergendo ſiccandoque vlcerum caua, carne replet, ſordes, quia amara, tum ſumpta, tum admota expurget. Ad aluiducea etiam refertur medicamenta, quod benigne ventrem moueat & ſuperflua educat. Heurnius inter cholagoga eam recenſet, an recte, nec ne viderit ille. Vſu & obſeruatione conſtat, pituitam ſalſoſque humores copioſe educere, & quicquid in primarum viarum ductibus iecoris, lienis, renum & vrinariorum meatuum vaſis obhæreat, ſimul efferre.

Terebinthinæ temperies & vis purgandi.

Conducit potiſſimũ vitiis cerebri, neruorũ, articulorũ, ſplenis, pectoris, laterum, renum, vteri, inteſtinorum. Galen. *lib. 5. de ſan. tuen. cap.* 8. docet, Terebinthinam nucis ponticæ magnitudine vel amplius ſumptam non ſolum citra noxam aluum ſoluere, ſed & viſcera omnia, lienem, iecur, renes, pulmoneſque extergere: quocirca pro cuiuſque natura & ætate æſtimanda quantitas exhibendæ terebinthinæ ad ſoluẽdum ventrem & viſcera extergenda & expurganda. Auicenna præſcriptum Galeni ſequitur: moderni à ℨ ij. ad ℨ vj. vel integram vnciam procedunt. Quandoque *duas vel tres Terebinthinæ dragmas cum Rhabar.* ℨ j. *aſperſo ſaccharo in forma boli* exhibent.

Terebinthina cerebro, neruis, inteſtinis, pectori, renibus, veſica, vtero & obſtructis viſceribus conducit.

Terebinthina plerumque lauatur (ſi lotio ad intentionẽ neceſſaria eſt) aqua ſtillaticia herbæ, quæ reſpicit illam partem, à qua purgare potiſſimum inſtituimus.

Cerebro neruis & articulis cum purgando tum roborando intus & extus vſurpata maximopere confert.

Terebinthinæ ℨ ſ. per ſe, vel cum *melle* &

Terebinthina ad paralyſin quomodo vſurpetur.

le & aqua *Iuæ* diluta purgans appropriatum fertur in paralyſi, cui quidã *ſpecies hieræ picræ* addunt, quod minoratiuum ſæpe reiteratum vtile eſt initio paralyſeos cum vehemẽtia, & humores ad maiorem illapſum & influxum agitantia nondum conueniant.

Rondeletius *pilulas ſuas de Beniouin* ad paralyſin, dolores iuncturarum & epilepſiam vtiles cum Terebinthina conficit.

Pilulæ de beniouin Rondeletii ad epilepſiam, paralyſin & iuncturarũ dolores.

℞. *aſæ fœtidæ* ℥ ij.
Caſtorei,
Beniouini,
Opoponacis,
Sagapeni ana ℥ ſ.
Trochiſc. alhandel ℥ jſ.
Sem. rutæ agreſtis
Radic. galangæ
Calami aromatici
Spicæ nardi
Celticæ ana ℈ j.
Cinamomi
Maſtichis
Sarcocollæ
Mirrhæ
Croci
Eſulæ ana ℈ iiij.
Agarici trochiſcati ℈ iiijſ.

Cum ſ. q. terebinthinæ fiat maſſa, cui adde parum mellis ſquillitici & Iuæ arthe-ticæ ℥ jſ. *ſtæchados* ℈ j. ſi ab articulis magis educere, adde *Hermodact.* & *Zinzib.* ana ℥ ſ. ſi ad epilepſiam vſurpare voles, *carnes ſquillæ aſſatæ* ℥ j. *& ſem. pæoniæ* ℥ ſ.

Ad arthritici paroxyſmi præcautionem *pil.* Cratonis.

Pilulæ de Terebinth. ad præſeruationem ab arthritide.

R. *Terebinth. Cypriæ* ℥ ſ. *coque in aqua maluæ, donec albeſcat, dein adde pul. Rhabarb.* ℥ iij. *Iuæ arthriticæ. ſuccini albiſſimi ana* ℥ j. *ſucci liquiri.* ℈ j. *miſce. fiant pil. inuolue pulueri cinamon.* Vtatur quindecim diebus.

In Scholtzianis conſilio L. extat deſcriptio electuarii cerebrum neruoſque mirifice corroborantis ex Terebinth.

Electuarium de terebinth. ad paralyſin.

R. *Cerebri leporini recentis in ſartagine frixi lib.* I. *ſucci ſaluiæ, radicis acori ana* ℥ iij. *Cinamomi, Gariophyll. piperis ana* ℥ ſ. *Terebinth. lotæ, aq. chamæpyt.* ℥ iij. *ſacchari aq Chamæpyt. l. quefacti q. ſ. f electuarium.* Quæ ad neruorum & articulorum vitia extus adhibenda ex eadem præparentur remedia, poſt recenſebuntur.

Ad pectoris affectus ex cauſa potiſſimum frigida & phthiſeos initium Dioſcorides *Terebinthinæ* cũ *melle* linctum commendat. Alii cum *hydromelite* vel *aqua mellis ſtillaticia* exhibẽt. Auicenna docet pectoris doloribus emplaſtri ritu impoſitum conferre: vlceribus pulmonis & tuſſi antiquæ, per ſe ſumptum, vel cum dulcib. tradit Serapio. Manlius Alexandrinus in *comment. ſuper Meſuen* deſcribit lohoh ex *butiro*, *melle & Terebinthina*, quod *Diabutirum* vocat, cuius virtus eſt tergere, fundere & expectorare.

Ad phthiſin & pectoris affectus.

Diabutirũ Manlii.

Nonnulli ex *Terebinth.* ℥ j. *vitello oui, butiri recent.* ℥ ij. *mellis* ℥ ſ. *remiſtis* faciunt lambile, aut ad ſiccam tuſſim

miſcent

Ad raucedinem & tuſſim.

miſcent *terebinth. ſaccharum & inſulſum butyrum*; Ad raucedinem *vitellum oui* cum *inſulſo butyro ſaccharo, penidio, pulpa paſſularum, ſyrupo violarum vel iuiubino.*

Ad vlcus pulmonũ.

Ad detergendum ſiccandumque vlcus pulmonum exhibemus non infeliciter *therebinthinam ex ouo ſorbili* cum *modico florum ſulphuris.*

Optima ad phthiſin remedia.

Ad phthiſin R. *Succi liquiritiæ in ſucco vel ſyrupo hederæ terreſtris ſolutæ* ʒ ij. *Terebinth. Venetæ* ℥ ſ. *mellis roſati* ʒ jſ. *ſtyrac. calamitæ* ʒ ij *florum ſulphuris* ʒ jſ. *ſyrupi de ſymphyto* ℥ ſ. *de hederæ ſucco* ℥ jſ. R. *miſce.* Veſperi de ſequenti ſumat. R. *Mirrhæ, thuris, ſtyrac. calam. Terebinth. ana* ʒ ij. *boli Armeni* ℈ iiij. *Requiei Nicolai* ʒ jſ. *diacodij* ℥ ſ. *miſce.*

Ad aſthma & orthopnæam.

Ad aſthma & orthopnæam Doctoris Henr. Brucei. R. *Radic. enulæ conditæ* ℥ iiij. *Terebinth. Venetæ* ℥ jſ. *millepedum præp.* ʒ ij. *ſyrupi de marrubio* ℥ ij. *oxymellis ſquillitici* ℥ ſ. *miſce.*

Aëtius ad tuſſim veterẽ, orthopnę̃a & phthiſin conficit lambilia ex *Terebinth ſtyrace, mirrha, croco, centaurio, iride, ammoniaco, opopanace, Galbano, pipere, ſem. vrticæ, naſturcij, rutæ agreſt. Gentiana, ariſtolochia, ſquilla, ſpuma nitri, farina erui, melle, mulſa, ſapa, millepedibus, ſulphure, marrubio, Hyſſopo, pulegio, calamenth.* qnibus *opium* interdum adiicit.

Idem ad arteriæ & pulmonum vlcera puris & ſanguinis reiectiones, deſtillationes in pectus & expectorationem eorum, quæ in pulmone continentur, præſcribit ſequens remedium.

R. *Terebinth. croci, thuris, mirrhæ, terræ aſter, cinamomi, nucum pini. liquirit. ana* ʒ iij. *amomi, tragacanth. carnis palmul. ping. ana* ʒ iij. *ſpicæ nardi* ʒ ij. *caßiæ* ℥ ij. *coſti* ʒ j. *Galbani obul.* iiij. *mellis* ℔ vj. *miſce.*

Ad dyſpnæam ex craſſa pituita. R. *Terebinth. aqu. ſcabioſæ lotæ, dum albeſcat,* ʒ vj. *pul. ſem. fœnic.* ʒ ij. *radic. Irid.* ʒ j. *ſacchar. cand. albiſſ.* ℥ ſ. *fiat paſta,* doſis pro tempore ʒ ij.

Ad aſthma & hydropẽ.

Ad aſthma & hydropem pilulæ ex Terebinth Doctoris Schroteri. R. *Terebinth aqu. Hyſſopi diligenter lotam, adde aquæ Hyſſopi* ℔ j. *ebulliant ad aquæ conſumptionem, dein proiice in aquam hyſſopi frigidam, malaxetur addendo radic. Ireos* ʒ j. harum vſu dilatatur pectus, pituita abſtergitur, & vrina, quæ violaceo prodit odore, vehementer promouetur.

Balſamus ſulphuris terebinthinati ad aſthma.

Ad aſthma & orthopnæam commendantur *balſami ſulphuris terebinthinati* guttulæ v. vel vj. cum *ſyrupo violato.* Ex hoc balſamo ad eoſdem vſus præſtans extrahitur tinctura.

Ad pleuritidem.

In pleuritide cruda R. *Terebinth. Venet.* ʒ iij. *vel* ℥ ſ. *ſoluatur in pari quantitate vitelli oui, addendo aquæ tußilaginis* ℥ iij. *ſcobis dentis apri* ʒ ij. Nonnulli addunt *ſacharum candi,* & aliquot vncias *olei amygdalarum dulcium.*

Ad ſyeliſmum.

Quidam quinquies exhibendo *balſamum ſulphuris terebinthinatum* cum *decocto vrticæ* obſtructiones ſplenis ſoluit, & ſyeliſmum materia ad vrinarias vias translata, curauit.

Ad colicũ cruciatum.

Ad colicam paſſionem R. *Terebinth.*

binth.Venetæ ʒ ſ. *ol.amygd.dulc.*℥ jſ. detur cum *aqu.maluæ*. Si ex cauſa ſit frigida, vtiliter ſumitur cum *vino maluatico* aut aliquot guttulis *olei aniſi, carui, cort.aranc.deſtill.*

Ad meſaraicarum obſtructionem.

Ad venarum meſaraicarum antiquam & pertinacem obſtructionem vix præclarius inuenitur, quam hoc ex terebinthina remedium. R. *Terebinth. Cypriæ* ʒ ſ. *lauetur aqu. abſinth. & rutæ, dein adde puluer. cinamon. & nuc. muſc. ana* ʒ ſ. *ol.amygdalar.dulc.*℥ ij. *miſce*, fiet accuratius, & etiam ad cachexiam fœminarum magis dirigetur, ſi addideris *limaturam chalybis rite præparatam*. Roborans & aperiens hoc eſt.

Ad viſcerum infartus.

R. *Specierum dialac. diacurcum. ana* ʒ jſ. *Trochiſ.de eupator.de Rhabarb ana* ʒ j. *ammon.in aceto ſquillitico ſoluti* ʒ ij. *ſagapeni* ʒ ſ. *chalyb.præpar.* ʒ j. *vel tincturæ chalyb.* ʒ ſ. *pul.marub.abſinth.pont. ana* ʒ ſ. *Terebinth.Venetæ q.ſ.f. pilulæ.*

Quæ pectori conducunt, ea renibus & viis meatibuſque vrinariis, vt plurimum quoque proſunt. Vſus itaque terebinthinæ primarius eſt in calculo, Iſchuria, dyſuria, ſtranguria, vlcere renum, veſicæ & impuritatibus matricis.

Ad vlcera renum & veſicæ.

Ad vlcera renum, mictum puris & vrinæ acrimoniam R. *Terebinth.ad duriciem coctæ* ʒ vj. *radic. Ireos flor. maſtichis electæ ana* ʒ jſ. *ſarcocollæ, terræ ſig. ana* ʒ j. *ſuccini albiſſ.præp. corall.rub.præp. ana* ʒ j. *fol.ſaluiæ min. equiſeti. flor. roſar. rub. ana* ʒ ij. *ſacch.roſati tabul.*℥ jſ. doſis ʒ ij. cum aqua maluæ, infeſtante dolore, adde *opij torrefacti* ℈ j. Vel R. *Terebinthin. cocta* ℥ j. *cornu cerui vſti præpar.* ℥ ſ. *ſuccini alb.præpar.* ʒ ij. *terræ ſigill.* ʒ j. *ſacchari in ſyrupo roſarum aut violarum candefacti* ℥ j. *miſce, f. puluis.*

R. *Terebinth. Venetæ aqu. viol. lotæ* ℥ j. *Trochiſc. Gordonij & de alkekengi ana* ʒ iij. *Rhabarb.* ʒ ij. *cum pul. liquiritiæ, fiat maſſa*, ex qua formentur pilulæ.

Aqua lactis terebinthinata ad nephritidem.

Aqua lactis nephritica. R. *Lactis recentis* ℔ viij. *Terebinth.* ℔ ſ. *mellis puri* ℔ j. *miſce, & deſtillentur.* doſis ℥ v. vel ℥ vj. confert in paroxyſmo nephritico, dyſuria, & Iſchuria præmiſſis vniuerſalibus.

Ad vrinæ ardorem.

Ad vrinæ ardorem & calculum datur *terebinthina ex aqua maluæ lota*, cum *ſpermate cete & ſyrupo de althea*, vel cum *ſyrupo iuiubino* aut violaceo.

Iſchuriam & Calculum obhærentē in via.

Ad Iſchuriam ℞. *Terebinth. lotæ & benedictæ laxatiuæ ana* ʒ iij. vel ℥ ſ.

Ad calculum in anguſtiis renum vel vreterum hærentem. ℞. *ol. amygd. dulc.* ℥ ij. *Terebinth.* ʒ iij. *aquæ maluæ aut vini maluatici* ℥ iij.

In vlcere renum & veſicæ vrinæq; acrimonia.

℞. *Terebinth.Ven aq.plantag.lotæ* ℥ ſ. *Trochiſcor.alkekengi ſine opio* ʒ ij. *Requiei Nicol.* ℈ iiij. *pul.terræ ſigillatæ, boli armeni ana* ʒ jſ. *Thuris, maſtichis ana* ʒ ij. *cornu cerui præp.* ʒ j. *ſuccini albiſſ.* ʒ ij. *ſtirac.* ʒ j. *glandium torrefact.* ʒ jſ. *ſyrupi de althea Fernel.* ℥ ſ. *de ſymphyto* ℥ jſ. *papau.* ℥ ij. *Miſce f. electuarium.* Chymici *phlegma Terebinthinæ* cum ſyrupo de *ſymphyto* prolixe commēdant ad interiorum, præcipue, veſicæ & renum vlcera. ℞. *vini maluatici* ℥ ſ. *croci* ℈ j. *in hoc ſolue opii* ʒ ſ. *Stent per noctem mane leniter euaporet*

humor agitando ſpatula ad ignem, dein adde Terebinth. Venet. ʒij. pul. Terebinth. ℥ ſ. mirrhæ ℈ iiij. florum ſulph. opt. præp. ℈ iiij. thuris, ſuccini albiſſ. boli armeni, terræ ſigillatæ, cornu cerui præpar. ana ʒ j. ſarcocoll. ʒ ĳ ſ. cum ſyrupo de ſymphit. f. pil.

Ad ardentem & purulentam mixtionẽ. Ad ardentem purulentamque mictionem ex vlcere veſicæ ℞. *Terebint. cypriæ* ʒ vj. *mellis* ℥ j. *vini maluatici* ℥ iiij. *vitell. oui vnius, miſceantur rite, vt fiat liquor lacteus,* detur viginti diebus pro doſi ʒ vj.

Ad ſopiendum dolorem. ℞. *Trochiſc. alkekengi cum opio* ℥ j. *radic. conſol. Terebinth. induratæ ana* ʒ ij. *ſacchari* ℥ v. *cum mucilag. tragac. f. trochiſci.* vel R. *Terebinth. Cypriæ* ℥ ſ. *vitell. oui vnius mellis* ℥ j. *agitentur in mortario, donec albeſcat inſtar lactei cremoris, dein adde aquæ parietariæ, florum fabarum, vini albi ana* ʒ ĳ ſ. *ſyrupi de acetoſitate citri* ℥ j. *vel de althea doſis* ℥ ĳ ſ.

Ad acrimoniam lotii. R. *Terebinth. lotæ* ʒ ſ. *ſpecier. diatrag. frig.* ʒ ij. *miſce cum ſyrupo de althea.*

℞. *Terebinth.* ℥ ſ. *ſacch. candi* ʒ ij. *ſyrupi de limonibus parum f. maſſa* doſis aliquot diebus ʒ j.

Balſamus terebinthinæ ad nephritidem. Ad paſſionem nephriticam ℞. *Olei Terebinth. q. ſ. euaporet in ſcutella vitrea, aperto igni impoſita, vt in colophoniã inſpiſſetur, quæ puluериſata & extracta ſpiritu vini, menſtruoque remoto euadit balſamus,* cum pluma regioni renum illinendus.

Ad calculum & arenas. Ad calculum & arenas exigendum.

℞. *Terebinth. cypriæ aceto ſquillitico lotæ,* ʒ vj. *ammoniaci in oxymelite ſquillitico ſoluti* ℈ v. *pul. ſuccini oculor. cancrorum præp. boracis ana* ʒ ĳ ſ. *ſem. geniſtæ* ʒ ij. *ſpermat. cete* ʒ ſ. *tartari vitriolati* ʒ j. *miſce, & fiat maſſa, aſperſis, ſi ſit opus aliquot guttulis ſyrup. de althea, ex qua formentur pilulæ.*

Ad præſeruationem calculi eiuſq; materiam remouendã celebres ſunt pilulæ de terebinth. Cratonis.

Pil. de terebintina Cratonis. ℞. *Terebinth. aq. roſarum lotæ* ℥ j. *pul. Rhabarb.* ʒ iij. *cinamo.* ʒ j. *ſuccini albi, ceterach, liquir. ana* ℈ j. *Miſce f. magdaleon pil.* doſis ʒ ij. vel iij. ſingulis ſeptimanis.

Bolus. Vel ℞. *Terebinth. aq. ſcolopend. lotæ* ʒ ij. *Rhab.* ℈ ij. *ſuccini albiſſ.* ℈ ſ. *pul. cinamo. & liquir. q. ſ. fiat bolus* pro vna doſi.

Ad calculum ℞. *ſpiritum & oleum Terebinthinæ mixta in vaſe vitreo digere aliquot ſeptimanis donec vniantur, dein infunde marmori frigido vt in colophoniam eant, quam ſpiritu vini extrahe, & cum eſſentia oculorum cancri aceto, vel, oleo ſalis tartari primum, & dein per ſpiritum vini denuo extracta, eoque ſeparato in oleum eſſentiale redacta exhibe.*

Ad præſeruat. à calculo. ℞. *Tereb.* ℥ j. *pul. ceterah. leporis combuſti ana* ʒ ſ. *oſſ. meſpilor. ceraſorum ana* ʒ ĳ ſ. *ſacch. cand.* ʒ ij. *fiat paſta*, doſis ʒ j. ante cœnam.

Terebinthina cypria aqua betonica decies lota & cum ſaccharo in paſtam redacta pondere ʒ ij. bis in menſe data à calculo præſeruat.

In ſpiritus terebinthinæ ad exigẽ-

Cautio in vſu ſpiritus terebinthinæ ad calculum.

dum calculum vſu caute procedendum. Video complures practicos hic errorem errare & committere grauiſſimum, cum eum ad curationem mali nephritici ex cauſa calida orti propinant. Etſi enim arenas & ſabulum calculoſque interdum minores exturbet, tamen tanto viciſſim calore corpus renum inflammat & indurat, materiamque calculi eo attrahit, vt decuplo plus arenæ lapidumque deinceps generet, quam expulerit, & diatheſin calculoſam inexpugnabilem relinquat, præterquam, quod vrinæ acrimoniam intendat & exaſperet. Commodius vero exhibetur cum vehiculis temperatis.

Ad Gonorrhæam ℞. *Terebinth. aq. nymphea lotæ* ℥ſ. *ſuccini albiſſ.* ℈ v. *croci martis* ʒ j. *cornu cerui præpar. farinæ fabar. ana* ℈ iiij. *ſem. ſumach.* ℈ijſ. *Thuris, maſtichis, boli armeni ana* ℈ j. *Trochiſc. alkekengi* ℈ vj. *cum modico, ſi ſit opus, ſyrupi myrtini f. pil.*

Ad gonorrhæam.

Ad Gonorrhæam acrem & virulentam, expertum.

℞. *Tereb. Venetæ aqua nymphea lotæ* ʒjſ. *cornu cerui præp. boli armeni ana* ʒ j. *mirrhæ, thuris, ſuccini albiſſ. ana* ʒſ. *floru ſulph.* ℈ſ. *croci martis optime præp.* ℈ iiijſ. *aurei pul. in auerſa foliorum ceterach parte hærentis & in pixidis, qua aſſeruantur fundo collecti* ℈ iiij. *ſem. ſumach* ℈ijſ. *papa. lactuc. ana* ℈jſ. *Requiei Nicol. Trochiſc. alkekengi ana* ʒjſ. *cum ſyrup. papau. miſce f. pil.*

Vel ℞. *Trochiſc. de carabe corall. rub. ana* ʒ j. *ſem. papa. alb. cydonior. plantag. ana* ℈ j. *cornu cerui præp. Rhabarb. toſti ana* ℈jſ. *Terebinth. pulueriſatæ* ʒſ. *f. puluis*, detur pro doſi ʒ j. cum *aq plantag.*

R. *Gummi Arab. Tragacanth. carab. mumiæ, glandium, boli veri, radic. nymphæ. conſolid. maior. chynæ ana* ʒ j. *bacc. hederæ, ſem. papauer. alb. Rhabarb. torrefact. ana* ʒ jſ. *cornu cerui præpar. gummi animæ, ſanguinis dracon. ana* ℈ ij. *nuciſtæ, ſem. plantag. oculor. cancr. ana* ʒ ſ. *cum terebinthina ſucco limonum lota fiat maſſa*; doſis ʒ j. bis in die mane & veſperi exhibenda.

℞. *Gummi guaiaci* ʒ ij. *ſuccini albi* ʒj. *maſtich. olibani tragacanth caphuræ ana* ℈ j. *Requei vel Philon.* ℈ſ. *ſang. dracon.* ʒij. *miſce f. maſſa cum ſyrupo violaceo.* doſis ʒſ. Aetius addit *ſemen viticis, cannabis, rutæ, lactucæ, glandes Ariſtolog. rotund. tormentillam.*

Sunt, qui *terebinthinæ* puluerem quindecim diebus cum lacte exhibeant, idque pro ſecreto habeant.

Cum ad abſtergendum & exigendum impuritates matricis, vnde frequenter ſuffocationes oboriuntur, & ſimul impellendum remorantes menſes præclaram vim habeat *terebinthina*, ſequenti modo eam recte exhiberi compertum eſt.

Ad impuritates matricis & menſes propellendos.

℞. *Herb. ſauinæ M. f. bulliat in vini ſ. q. hac colatura ter lauetur terebinth. cypriæ* ʒ j. *quam deinde ſemel inſuper allue aceto ſquillitico & adde pul. rad. rub. tinctor. Gariophyllorum, macis ana* ʒ j. *ol. amygd. amarar.* ʒſ. *miſce cum ſaccharo*, detur in pixide. Huius, præmiſſis vniuerſalib. ſumat ſeptem diebus ante tempus menſium.

menſium cottidie ʒ j. & ſuperbibat hauſtum *cicerum rubeorum* cum pauco *croci*. Adhibeantur mane & veſperi pedilotia ex balneo conuenienti & frictiones eorundem, & applicentur ventoſæ femoribus.

Pilulæ ad remorantes menſes.

Vel ℞. *Terebinth. aq. ſauinæ lotæ q.ſ. pul. ariſtoloch. rotundæ, mirrhæ ana* ʒ ſ. *aloes* ʒ ijſ. *ſalis gemmæ* ʒ j. *extract. ſplenis bouis* ℈ iiij. *f. pil.* Si cuilibet doſi addideris tria vel quatuor grana *diagridij* circa tempus conſuetum menſium, ſtrenue promouebis.

Ad articulorum affectus conficiũt pilulas ex *hermodactilis, euphorb. ellebor. nigr. turpeth. trochiſc. alband. ana* ʒ iij. *Iu. arthetica, ſtœch. ana* ʒ iiij. *ſalis nitri* ʒ ij. *cum ſ.q. terebinth. f. maſſa.*

Reſtat, vt de externo terebinthinæ vſu diſpiciamus.

Quomodo, cum extergat vlcerum & ſolutionum continui ſordes auferat, & miti calore pus generet (vnde vulgare Chirurgorum linimẽtũ Eyterſälblein dictũ ex *terebinthina, vitello oui & oleo*) vſurpetur, & diuerſimode cum *ammoniaco, bdellio, ſarcocolla, mirrha, thure*, aliiſque ad vnguentorum & emplaſtrorum compoſitionem miſceatur, videantur auctores.

Externa è terebinthina remedia.

Ad ſcabiem ℞. *Styrac. liquid. ſucci lapath. acuti ana* ʒ ſ. *terebinth. lotæ, butyri loti ana* ʒ ſ. *ſucci limonum* ʒ jſ. *ceruſæ lotæ, ſulphuris viui ana* ʒ ſ. *ſalis toſti* ʒ jſ. *miſce in mortario plumbeo.* Ni reſpondeat expectationi, adde *ſublimati* ʒ ſ. ad eandem valet *phlegma terebinthinæ.*

Ad neruorum reſolutionem, articulorum contractionem materia in muſculos, tendines, commiſſuraſque influxa ℞. *Radic. pirethri, nuc. muſc. Gariophyl. contuſ. ana* ʒ ij. *florum ſaluiæ, hyſſopi, roſmarini, ſtœchad. ſpicæ* Nard. *ana* ʒ jſ. *radic. Hermodact. ariſtolochiæ ana* ʒ j. *permiſtis adde aquæ vitæ* ℔ j. *macerentur vna*, & adde *Therebinth.* ℔ jſ. *reponantur omnia in alembico vitreo deſtillentur, ſeruetur aqua & oleum in vſum.*

Oleum arthriticum.

Alii idem oleum arthriticum hoc pacto comparant. ℞. *Radic. pyrethri, meu, calamint. aromat. peucedani, ana* ʒ ſ. *Hermodactyl. ariſtoloch. rotund. ana* ʒ j. *herb. ſalui. chamæpyt. betonicæ, roſmarini, ſtœchad. Arab. ana* M. j. *ſpicæ Indicæ, Nardi ana* ʒ iij. *nuc. muſc. Gariophil. ana* ʒ ſ. *maſtichis, baccarum lauri ana* ʒ vj. *florum hyperici, ſaluiæ, lauend. ana* M. ſ. *ſaſſafras* ʒ j. *inciſis & contuſis affunde ſ. v.* ℔ iiij. *macerentur viginti quatuor horis loco calido, dein affunde terebinth.* ℔ iiij. *macerentur iterum per horas viginti quatuor, ſæpiuſque agitentur, poſtea deſtillentur per cineres, aqua & oleum ſeorſim excipiatur & reſeruetur.*

Aqua antipodagrica.

Aquam antipodagricam miræ virtutis, ex *ſpiritu vini, melle, terebinthina, caſtoreo, tartaro, ſale fuſo, phlegmate, vitrioli & lixiuio ſarmẽtorum* deſtillatam vide apud Quercetanum in *pharmacop. dogm. cap. 7.* Alii non inepte eandem ex *mirrhæ, maſtiches, thuris, bdellij, opopanacis, ammoniaci, mumiæ ana* ʒ ij. *vitrioli* ℔ j. *mellis* ℔ ij. *tartari* ʒ j. *per retortam deſtillant.* Alii *caphuram & aquam ſambuci* affundunt & *oſſa humana* inſuper addunt.

Chymici *oleum terebinthinæ* cum *oleo ſalis* commendant ad contracturas.

Oleum Terebinthinæ rite præparatum & ad ſpiritus ſubtilitaté perductum maxime valet in morbis frigidioribus, vti tuſſi & dyſpnæa ex materia craſſiore, calculo renum & veſicæ cũ *aqua halicacabi*, cum *ſyrupo violarum* & *hederæ terreſtris* ad vlcera pulmonum & phthiſin. Valet ad colicam ex pituita & flatibus ſeorſim, vel eius ℥ ß. cum *electuarij benedictæ laxatiuæ* ℥ ij. vel ℥ iij. exhibita. *Oleum terebinthinæ* ℈ j. pondere pueris aluum mouere, grandioribus ℥ j. ſufficienter per inferiora purgare vulgo cenſent.

Ad colicam paſſionem.

Per *ſpiritum Terebinthinæ* præparatur *rubinus ſulphuris*, cuius *ſupra* mentio facta eſt, admirandæ virtutis. Spiritus ille affunditur *floribus ſulphuris* & lenta digeſtione extrahitur Rubinus, qui leni deſtillatione ſeparatur à ſuo menſtruo & denuo pariter per ſpiritum vini extrahitur ſeparaturq; vnde vera ſulphurea tinctura reſultat, nobile remediũ ad thoracis affectus putridos, ad ventriculi coliquedolorem, matricis lancinationem, veſicæque mala. Cum vino decoctionis *allij* ad vrinæ ſuppreſſionem, cum *aqua tamariſci* ad lienis vitia, cum *aqua & ſale pimpinellæ* vel *vino decoctionis raphani* & modico *Theriacæ* ad peſtem conducit. Viſcera & articulos humorum abundantia obſitos & putredine affecta membra curat. Fiſſuras ani peculiari vi contrahit, fiſtulas, procidentiam, mariſcas, pruritum, apoſtemata, leni illitu ſanat, totum corpus à putredine & malefica impreſſione tuetur.

Rubini ſulphuris præparatio & virtutes inſignio res.

Ex duabus partibus *florum ſulphuris* & *caphuræ* parte dimidia, *affuſis olei terebinth.* partib. tribus in cucurbitam ſtricti orificii immiſſis per digeſtionem, ebullitionem in arena paratur balſamus, qui vulnera & vlcera glutinat, tumores emollit & diſcutit. De cæteris balſamis vulnerariis, & quæ præterea ad externos affectus ex terebinthina parantur, remediis, conſule auctores.

Balſamus terebinthinæ vulnerarius.

CAP. XII.

Rhabarbarum benedictum & benignum eſt pharmacum, bilẽ clemẽter educit, & ſimul viſcera, præcipue epar, cuius anima dicitur, roborat, dyſenteriæ, cachexiæ & hydropi, hæmoptoſi & ſanguinis rete. ctioni peculiariter medetur. De eius extracto & oleo.

RAdix *Rhabarbara* inter benedicta purgantia præſtantiſſimum eſt pharmacum, calida & ſicca in initio ſecundi ordinis, bilem è media corporis regione & pituitam conſequẽter educit, abſque vlla naturæ concitatione aut vehementia. Propter ſuæ ſubſtantiæ diuerſitatem & diuerſas præparationes alias atq; alias & contrarias

Rhabarbarum ex diuerſis ſubſtantiis eſt compoſitum.

trarias etiam edit operationes. In ſuperficialibus & externis partibus, aereæ, igneæ & tenuioris eſt ſubſtantiæ, qua epatis, folliculi fellis & viſcerum obſtructiones, reſerat, bilemq; educit, in penitiore ſui corporis receſſu, craſſioris, terreſtris, & aqueæ naturæ magis eſt particeps, quamobrem vẽtriculum & viſcera roborat mirificeque confirmat.

Doſis.

In forma pulueris ſimpliciter, adiectis *ſpicæ* aliquot granis datur à ℥j. ad ℥ij. vt bilem primario pituitamque purget. Innoxie exhibetur debilibus, ſenibus, pueris, grauidis, omnique ætati, & porro tertianariis vermiculantibus, imbecillem ſtomachum, quem abſtergit & roborat, habentibus, cachecticis, hydropicis, epaticis. Propter ſubſtantiæ ſuæ diuerſitatem exacto purgandi munere ventriculum & viſcera vniuerſim cõfirmat. Modice torrefactum (Rondeletius cenſet toſtione nimia vires purgandi diſperire) datur in dyſenteria ad cauſam materialem acrem & erodentem aufferendam, & ſimul conſtringendum fluxum. Quod ſi à toſtione metuas exſolutionem virtutis purgantis, & de nidore quodam ab igne contrahendo, exhibe puluerem *Rhabarb.* cum *aqua plantag.* & *ſyrupo cydoniorum.*

Purgat & roborat viſcera.

Conuenit in dyſenteria.

Adprime miſcetur pulueribus aut remediis viſcera roborantibus.

Si cum aliis, quæ epar cæteraque viſcera deobſtruunt & corroborant, miſceas, aperiendo & roborando mirifice illorum vires adauget & promouet. Ex hac intentione nati *trochiſci de Rhabarbaro*, & hac ratione ingreditur compoſitionem *diarrhod. Abb. dialaccæ, diacurcumæ, ſyrupum de eupatorio, trochiſcos de abſinthio, de eupatorio.*

Quibus morbis cõducat.

Omnibus, quæ ab epate propendent malis, videlic. febribus bilioſis, diuturnis, ictero, cachexiæ, hydropi eorumque cauſis, videlicet epatis obſtructioni, intemperiei & ſcirrho medetur, cumprimis ſi intemperies frigida ſubſit, vnde anima & vita iecoris dictum eſt *Rhabarbarum*. Sanguinem blanditer emundat. Guilhelmus Placentinus commemorat, ſe ſola *Rhabarbari* maſticatione cachecticos complures & hydropicos curaſſe. Quacunque itaque ratione epar laboret, ſiue imbecille, obſtructum, vel impurum fuerit, in *Rhabarbaro* inuenit remedium. Si vero ſolummodo ex epate & venis educere bilem & pituitam intendas, ſine aliqua poſt purgationis operam adſtrictione, vel confirmatione, ſola maceratione in conuenienti liquore, quale *ſerum lactis* aut *aqua endiuiæ vel cichorei* cum vino, cui modicum *ſpicæ* adiectum ſit, vis purgans educitur, quæ alioquin coctione exſoluitur. Si puluerem *Rhabarbari* miſceas cum *radice curcumæ, rubiæ, mumiæ, oculis cancrorum* & ſimilibus remedium excellens ad caſum, quod coagulatum ſanguinem ſoluat & ne nouus erumpat cohibeat, efficies. Sanguinem reiicientibus eodemque à qualibet parte promanante totius ſubſtantiæ proprietate confert, ſingultum ſiſtit & vomitum leniter.

Rhab. anima iecoris.

Cachexiæ & hydropis peculiare remedium.

Puluis & remedium ad caſum & ſanguinem coagulatum.

Ad hemoptoſin & ſanguinis profluuia.

niter torrefactum ex *ſucco vel aqua plantaginis* confert vomitioni, lienteriæ, dyſenteriæ, ſputo cruento, ruptis & contuſis.

Ex *Rhabarbaro* comparantur ſyrupus *de cichoreo cum Rhabarb.* ſyrupus de *Rhabarb. Solenandri, pilulæ de Rhabarb. de eupatorio, confectio diarhabarb. ſeu Raued. ſeni; rotulæ de Rhab.*

Extractum Rhaba. Extractum Rhabarb. conficitur affuſa *aqua Cichorei, Endiuiæ, centaur. minor. cum gutt. aliquot olei tartari.* Illud frequenter acuitur *diagridio, gutta gummi vel elaterio in mortario*, affuſis *ſpiritus vitrioli & olei aniſi, cinamomi, fœniculique aliquot guttis ſolutis. Oleum Rhabarbari* purgans ad quartanam & febres putridas ſcabiem Indicam aliaque mala complura vide apud Tabernæmontanum *lib. 2. cap. 6. hiſtoriæ ſtirpium.*

Cap. XIII.

Scammonium purgat bilem, & aquas citrinas cum præcipitantia, malignitate & viſcerum omnium quaſſatione. Quinque recenſentur noxæ, quibus naturæ noſtræ aduerſatur. Varij correctionum iuxta veteres & recentiores traduntur modi. Chymici optimam correctionem in eſſentiæ extractione conſiſtere arbitrantur. Quomodo optime extrahatur & componatur diagrydium, vt innoxie & ſimul vbertim operetur. De ratione extrahendi purgantia omnia, & cuiuslibet adpropriato menſtruo: de recta panchymagogorum præparatione. Virtutem purgandi non ineſſe pharmacis vi principij ſalini. Acriter purgantia non eſſe adſtringentibus corrigenda.

Scammonii qualitas & potentia. Scammonium calidum & ſiccum eſt in tertio gradu, acrimoniæ inſignis particeps, faſtidioſa & naturæ aduerſa qualitate præditum, viſceribus & cordi inimicum, bilem educit primario, dein ſeroſos humores & pituitam, ſed cum violentia & actum ſuæ virtutis præcipitando, adeo, vt potius ex partibus remotioribus, acutos, calidos, acres & tenues humores, quam è ventriculo & vicinia inhærentes euocet, interim ſtomachum ingrata qualitate ſubuertit, & lancinat, inteſtina rodit, viſcera turbat & concutit; intempeſtiue & inconſiderate datum, ſpiritus & humores exagitat, inflammat, febres accendit, oſcilla venarum recludit, hypercatarſin, cruentas deiectiones & animi deliquia excitat, dyſenterias procreat; Quamobrem nec in febribus, nec ſenibus, nec pueris, nec grauidis, nec imbecillib. nec calidis ſiccisque naturis, nec vbi viſcera infartu laborant, plurimæq; in venis hæreant obſtructiones, tutus eius eſt vſus.

Quinque ſcammonei noxæ. Veteres, & in his Ægineta & Meſue quinque noxas, quas ſumptum corpori

corpori imprimat, recenſent. Flatus mordaces excitat, vſque adeo ventriculum laceſſentes, vt ſumentibus nauſeam commoueat: Acrimonia & calore ſpiritus inflammat, quo fit, vt facile febres excitet iis, qui viſcerum obſtructionibus & humoribus putreſcentibus obnoxii ſunt: Immoderata attrahendi & aperiendi facultate venarum oſcula nimis reſerat: Acri ſuo ſucco inteſtina abradit, tormina & dyſenteriam teneſmumq; concitat: cordi, iecori, & ventriculo totius ſuæ ſubſtantiæ proprietate eſt infenſum. Ex quibus omnibus liquet, ſcammonium nunquam eſſe exhibẽdum, quin ſit correctum, niſi animas negociari, & Chriſtianam charitatem abiicere decretum ſit.

Dodonæi & Tabernæmontani de ſcammonii temperatura opinio deſcribitur.

Dodonæus eũq; ſequutus Tabernęmontanus tẽperati caloris ſcammoniũ ſtatuunt, ſed oportet illum, q tale de ſapore & qualitatibus illius iudicium perhibet, ſenſu carere, vel æneũ palatum, aut fungum pro lingua & exſenſum ventriculum habere; Imo prorſus anæſthęſia laborare, qui etiam in *ſcammonio* correcto, quod diagrydium moderni vocant, naturæ aduerſam vim, acrimoniam & faſtidioſam qualitatem non perſentiſcat. Neque eſt, quod quiſpiam de adulterato, *tithymalli lacte, ſcammonio*, id duntaxat verum eſſe affirmet, & quod à Dioſcoride eius vſus integræ drachmæ pondere præſcribatur, cum nullum vel etiam ex ſinceriſſimo ad nos feratur, cuius doſis vltra 12. vel 15. gra. na robuſtiſſimis tuto & innoxie dentur.

Quamobrem cum fere potiſſimas ſelectiue purgantium compoſitiones ingrediatur, & vel baſin, vel acumen ipſis præſtet, vnice prouidendum & curandum, vt verum, ſincerum & non adulteratum, vel ſophiſticatum habeamus ſcammonium, deinde vt rite corrigatur, & maligna vis corporique infenſa qualitas emendetur, & auferatur, atque innoxium reddatur ſumentibus.

In corrigendo proinde ſcammonio vnice laborandum, & omnis impendenda eſt induſtria; vbi primo tenendum, quod vis eorum, quæ craſſæ ſunt ſubſtantiæ, cum propter hanc ignauior ſit, ad operationem acris & extimulantis mixtura intendatur. Id, quod irritat & extimulat, vel ſola aperta qualitate agit, quamobrem *agarico, zinziber*, & *ſal gemma*, & *Rhabarbaro ſpica* iungitur, vel purgandi facultate acutiore, quo nomine *diagridium* etiam cæteris purgantibus, vt ignauam eorum vim exſuſcitet & proritet, miſcetur iuxta regulam *ſuperius* traditam, quod *omne intenſum intendat remiſſum, & contra.*

Vehementia vero & acri acutaque qualitate prædita pharmaca miſtione contrariorum aut in remiſſiore gradu conſtitutorum ſimilium temperantur & corriguntur.

Purgandi vehementia in occulta vel manifeſta virtute conſiſtit; Cum enim purgantia, vti *ſupra* definitum eſt, non

Quid ſit, quod in purgantib. corrigatur vt eorum vehemẽtia infringatˇ & malitia retundatur.

tantum vi tractrice ſpecifica, quæ magis à formę proprietate dependet, humores purgẽt, ſed & virtute irritatrice prædita ſint, qua naturam ſtimulant, vt, quod attractum ſit, celerius expellatur, apparet, ea, quæ maximam purgandi vim nacta & in tertio ſummoque ſelectiue purgantium ordine conſtituta ſunt, etiam apertas qualitates ſummas & acres & acutas poſſidere. Quocirca videmus, Medicos fere tantum occupatos in eo, vt manifeſtas qualitates violenter purgantium temperent, & cicurent, quo peracto ſe ſuo officio probe perfunctos eſſe exſiſtimant.

An detur quippiam, quod occulta & ſpecifica vi formalẽ purgandi virtutem nimis intenſam remittere poſſit.

Sed cum vis purgandi à formæ proprietate & efficacia promanans aſſimiletur tractioni magneticæ, quæritur, ſi violentior ea, quam naturæ cõueniat, pharmaco inſit, an ſpecifico remedio remitti poſſit, vel debeat, quemadmodum tractrix vis in magnete retunditur ſucco *allij* affricto, & num tale detur pro quolibet inſolentiore purgante cicurando.

Ego ingenue fateor, me nullibi neque apud vllum auctorem rei medicæ inueniſſe vel legiſſe remedia proprietate quadam ſpecifica purgantiũ tractionem cohibentia aut moderãtia, niſi forte nobis quiſpiam *theriacen* obiiciat, *quę proprietate quadam omniũ promiſcue purgantium violentiam inhibere prædicatur*, cuius rei ratio, quamuis peculiares poſt fermentationem vires acquirere verum ſit, ex ingredientibus aperta qualitate agentibus, aſſignari poteſt. Proinde reſtat, vt maiorum exemplo ea adhibeamus corrigentia, quæ manifeſtas violenter purgantium qualitates excedentes reſtænant. Cum enim illæ virtutem pharmaci tractricem eo ipſo iuuent, quod irritent & ſtimulent naturam ad eiiciendum id violenter, quod peculiari & ſpecifica proprietate prolectum eſt, fit etiam, vt earũ vi edomita mitior hotum expulſio, & neq; furens vel impetuoſa ſequatur exturbatio.

Praeparatio ſcammonei Meſue.

Corrigitur itaque *ſcammonium* contrariis vel ſui generis ſimilibus purgãtibus, ſed in remiſſiore gradu collocatis, ita Plinius cum *aloe* (*quæ omnium purgantium correctiua ſuperius* nominata eſt) alii cum *Rhabarbaro* exhibẽt, aut cum *caßia*, *manna*, *tamarindis*, *mirobalanis*, *ſyrupo violarum*, *mucagine pſyllii*, varii correctionum per contraria ſunt modi à veteribus & neotericis excogitati & adhibiti. Meſues ita emendat, vt quinque, quas recenſuit, noxis totidem quoq; correctionum opponat modos. Mordaces eius flatus tollit coctione in *malo cydonio* excauato paſtæ inuoluto additis *ſeminibus, dauci, fæniculi, apii & galangę*, ſub prunis vel in clibano aſſato. Acredinem ſpiritus & humores inflammantem, febreſque excitantem temperat refrigerantibus, & feruorem exſtinguentibus, videlicet *ſem. pſyllii mucagine*, *pulpa prunorum*, *ſuccis violarum & roſarum*, aut *ſucco cydoniorum* admiſta *rhoe vel ſpodio*. Vehemens attrahendi

&

& oſcula venarum aperiendi facultas hypercatarſes excitans, cicuratur adſtringentibus, vti *maſtiche, malo cydonio* eiuſque *ſucco & myrobalanis*. Erodendi & abradendi vis mitigatur humidis & lentis; qualia ſunt *tragacantha, bdellium, oleum amygdalarum* aut *roſaceum*, *pſyllij ſpiſſamentum, prunorum pulpa*. In hunc finem nonnulli à poto *ſcammonio hordei iuſculum cum modico ſaccharo*, ſuperbibendum præbent, vt celerius à ventriculo & inteſtinis abſtergatur, deſcendat, & eiiciatur.

Contra virulētiam primariis viſceribus inimicam addunt ea, quæ totius ſubſtantiæ proprietate viſcera roborant. Ex his illa Valerii Cordi præparatio eſt conflata, qua primum *oleo violato* aſpergitur, & maceratur *ſcammoniū*, deinde in excauato & impaſtato *cydonio* aſſatur, tandem affuſo *cydoniorum ſucco*, in quo *myrobalani* infuſi fuerint, loco calidiore ſenſim exſiccatur. *Scammonium* hoc pacto correctum, vulgo *diagridium* nuncupatur.

Præparatio Cordi.

Quidam exhibent malum illud cydonium, in quo percoctum eſt, alii ſcammonium cum *pulpa cydoniorum in infuſione roſarum pallidarum cocta*, ita vt ℥ j. *pulpæ* accipiat gr. vj. *ſcammonii*. Nōnulli exhibent cum *conſerua roſarum* gr. vj. vel ſeptem, & pro conditione & ætate ſumentis plus minusve; vel gr. v. cum *Rhabarb.* ℈ ij. & *caſſiæ pulp.* ℥ vj. aut totidem vel plura grana cum *mānæ* ℥ ſ. *ſyrup. violar.* ℥ vj. *aquæ plantag.* vel *endi.* ℥ jſ. Formant etiā trochiſcos ex *Rhab.* ℈ j. *Trochiſ. de abſinth. & diagrid. a-na* gr. vij. cum *ſyrupo de eupatorio*.

Varia præparatio & exhibitio ſcammonii.

Ex harum rerum contemplatione ortæ ſunt elegantes veterum compoſitiones, videlicet *Electuarii diapruni laxatiui*, in quo corrigitur porro *diagridium prunorum pulpa, caſsia, tamarindis*, cæteriſque pulueribus: *Electuarij de ſucco roſarum Meſuë & Nicolai*, in quibus frænatur effera vis *ſucco roſarum, manna, trochiſcis de ſpodio, de berberis, ſantalis, caphura*. *Electuarij de ſebeſten*, in quo mitigatur *pulpa ſebeſten, prunorum, penidijs, ſeminibus frigidis maioribus & ſucco anguriæ*: *diacydonij laxatiui* Fernelii & Auguſtanorum, & *diaphænici*, in quo cicuratur *dactylis, aceto maceratis & penidiis*: *Electuarij de pſyllio*, in quo domatur *mucagine pſyllij, caſsia, tamarindis, tragacantha, amylo, gummi Arabico, ſpodio, ſantalis, violis*.

Quæ compoſitiones diagridiū recipiant, in quibus accurate corrigatur.

Sed hic quæritur, An vtiliter addantur vehementer adſtringentia his, quæ virulentam & malignam corpori qualitatem imprimere, inteſtina vellicare & arrodere, ſuaque in corpore mora grauem virium confuſionem & diſpendium creare affecta ſunt? Cui quæſtioni recte reſpondetur, quod ſi illi recte faciunt, qui id vnice moliuntur, vt talia ſumpta ex orificio ventriculi eiuſque & inteſtinorum tunicis præpropere extergantur, vt ante maioris violentiæ impreſſionem deſcendant & eiiciantur, ne diuturniore in corpore mora nō tantum purgationem grauiſſimam excitent, ſed & inteſtina concutiant, vellicent, & vires proſternant, neceſſum

Acriter purgantibus non eſſe miſcenda adſtringentia.

ſit, plus damni afferre diuturna intus detentione per adſtringentia, qua omnis malitia reuiuiſcit, & ad operandum ſuſcitatur, quæ iiſdem nonnihil cohibita erat. Quæ ratio eſt, cur primarii quidam Practici pulueribus *hellebori* miſcent *diagridii* aliquot grana, videlicet, vt præpropere è corpore eiiciatur.

Cum quibus rite miſceatur & exhibeatur ſcammonium.

Inde liquido apparet, *ſucco & pulpa cydoniorum, granatorum, prunorum*, eorumque, quæ acrimoniam humiditate & frigiditate temperare poſſunt rectiſſime corrigi *ſcammonium*, & cum pulpis & ſuccis *caſſiæ, prunorum, ſebeſten, paſſularum, tamarindorum, roſarum, mucagine pſyllii, manna*, iiſque, quæ feruorem & acumen reſtinguűt, & ſimul eius in corpore detẽtionem non moliuntur, rite exhiberi. Ex quorum cenſu, quæ modice & leuiter adſtringunt, non ſunt expungenda, neque etiam cætera *ſuperius* memorata corrigentia, quatenus non violenter contrahunt. Vtiliſſime itaque datur cum his, quæ blande laxant, & ſimul quadam humiditate & frigiditate contemperant. Galenus cum ptiſana exhibet, vel cum ſero lactis *lib.* 14. *meth. med.*

Quomodo neoterici & chymiatri correctionem ſcammonii inſtituant.

Hactenus, quomodo veteres recta ratione *ſcammonii* malignitatem emẽdare conati ſunt, vidimus, reſtat, vt cognoſcamus, qua via recentiores & plerique ex Chymicorũ cenſu eiuſdem correctionem inſtituant. Hi per extractionem ſyncerioris eſſentiæ affuſo aliquo menſtruo id moliuntur. Verum de commodo & rite cõuenienti menſtruo inter illos non conuenit. Qui in chymicis laboribus poſt Paracelſum primi deſudarunt, ſpiritu vini purgantium pene omniũ, tum cæterarum rerum vegetabilium eſſentias educere, & extracta conficere annixi ſunt. Procedente tempore obſeruarunt, ſic præparata extracta ſæpe minus ipſis in ſubſtantia exhibitis pharmacis operari, vt compulſi fuerunt, alia, veluti *Rhabarbari, ſenæ*, cæterorumque mediocrium, *diagridij* quadam ſophiſticatione acuere. Quocirca aliam extrahendi viam inuenerunt, videlicet per *hydromel aquoſum, vinum canariæ, ſerum lactis, aquam pomorum redolentium, betonicæ, endiuiæ, aniſi, vlmariæ, carduibenedicti, fumariæ*, & ſimilium, quibus guttulæ aliquot *olei tartari* per deliquium cõcinnati admiſtæ fuerint. *Folia ſenæ, aqua vel ſucco pomorum redolentium, fumariæ*, aut *fœniculi, agaricum, aqua cinamomi, Rhabarbarum, endiuiæ aquis extrahunt*, & nulla fere purgantia recte ſpiritu vini extrahi, præterquam *ſcammonium, colocynthidem* & *elleborum*, quibus id peculiare, quod in hoctanquam adpropriatum menſtruum eſſentiam ſuam procliuius deponant, afferunt. Cuius rei rationem Chymicorum quidam non infimæ claſſis adſignat talem. Facultas purgantium hoſpitatur in ſale mercuriali, ea itaque deſiderat ſimile menſtruum, cuius ſymbolum eſt idem cum eo, quod extrahendum eſt.

De ratione conficiendi extracta purgantibus & cõmodo eorũ menſtruo.

Spiri-

Spiritus autem vini ſulphureus eſt naturamque ſulphuris retinet: ille itaque extrahit ex rebus id, quod ſuæ naturę eſt, nimirum ſulphur, ſales intactos relinquit. Is itaque ad eorum potius extractionem facit, quorum eſſentia conſiſtit in ſulphure; qualia ſunt diaphoretica, nō autem purgantium. Hoc ratiocinio inuento Chymici quidā ſibi mirifice placent, verum nec veræ ſolidæque philoſophiæ id conſonum eſt, neque cum multorum primariorum chymiatrorum ſententia conuenit. Si enim in ſale ſeu principio ſalino, vti eſt cuiuſlibet miſti elementum, vis purgandi conſiſtit, veluti Paracelſochymici eandem huic aſſignant, neceſſarium erit, rem quamlibet ex ſale, tanquam tertia ſui parte conſtantem ratione iſtius principii purgatiui aluum mouere. Atqui id falſum eſſe quis neſcit? quamobrem oportet, vt dicant, ſal, ſiquidem verum ſit in eo vim purgandi ineſſe, *Rhabarbari* aliorumque purgantiū id peculiare habere, quod aluum moueat, & electiue hunc illumue humorem educat. Cum vero à ſale quatenus tale & cōmune principium rerum exſiſtit, non proueniat hæc facultas, ſed quatenus ſit *Rhabarbari*, *ſenæ vel agarici* aut alterius pharmaci ſal, omnino ſequitur, illam oriri ab iſta cauſa, per quam *Rhabarbarum* cæteraq; purgantia ſint id, quod ſunt. Atqui *Rhabarbarum* per ſuam formam tale eſt, & modus operandi ſequitur modum eſſendi. Tria iſta chymicorū principia etſi concedere mus, nihilominus, virtutem illam *ſupra* naturæ eorum conditionem, formis vt adſignemus, recta ratio dictat. Et quamuis dicātur chymicis formalia, tamen ſubſtantiæ ratione nō habent ſuis naturis ſublimiores facultates, (ſunt enim cuiuslibet rei materia, in quam reſoluitur ipſis quodlibet mixtum) & ſi quæ talia in ipſis inueniuntur & inhærent ſolutis & vinculo mixtionis expeditis, à forma mixti ſupereſſe neceſſum eſt. *Qualitates enim à forma dependentes non ſtatim illa pereunte ab ipſis mixti partibus recedunt.* Sic piperis in ſanguine hærens ſub alienæ formæ dominio ſubiugata qualitas, permanet. Et quid demum opus eſſet, formis, à quibus potiſſimæ rerum operationes dependent, ſi his, vti faciūt chymici, principiis omnes tam manifeſtarum, quam occultarū virtutum actiones acceptæ ſunt referendæ? Imo forma, quæ maxime energeticum eſt principium & in materia qualitates conuenientes operatur, per quas tanquam inſtrumenta idonea agat, plane ocioſa foret. Hac via in abſurdas opiniones & errorum inexplicabiles labyrinthos incidere neceſſum eſt nouatores, qui *Paracelſi ſputa lingentes*, à venerandæ antiquitatis veritate veritatiſq; regulis & methodo deflexerunt. Neque tantum iſto modo nouæ opinionis falſitas demonſtratur, ſed ex ipſis eorundem fundamentis oſtendi poteſt. Quis enim Medicorum adeo puer eſt in chymicis

An purgātibus inſit facultas evacuandi ratione principii ſalini.

Nō à principio ſalino, ſed forma dependet purgandi facultas.

micis, vt ignoret, extracta, fieri per digeſtionem à calore tepido materiæ humidæ affuſæ, quæ vinculum rei adeo ſoluat, vt ſubſtantiam ſubtiliorem cõcipiat & imbibat, quam poſtea tincturam vocant, in qua tria adhuc inhærent indiſcreta principia, ſeparata à partibus craſſioribus. Extracta itaq; non conficiuntur ad vnum ſeorſim principium, ſed puriorem educendam rei ſubſtãtiam ſuis adhuc elementis conſtantem, in qua energia maior, quod à craſſamento liberata facilius in operationem excitetur, minuſque negotii naturæ faceſſat. Gluckradius chymicorum non infimus addere vetat ſalia extractis, (ſecus, quam vulgaris fert conſuetudo, quæ horum miſtura eadem acuere docet,) quod illa magis adſtringant, quam purgent. Quocirca ſi vis purgandi non eſt in ſale mercuriali volatico, neque in fixo, nequaquam erit in vllo ſale. Atqui in horum neutro ineſt, quia ipſi chymici aſſerunt, vim purgantium non tranſcendere alembicum, quod vtique fieri conueniret, ſi illa vis in ſale volatili & mercuriali hæreret; Et quia fixum coagulatumque adiicere vetent purgantibus, quod magis adſtringat, quam laxet. Et ſi ſpiritus vini naturæ potiſſimum ſulphureæ ea imprimis extrahit, quorũ eſſentia potior in ſulphurea parte conſiſtat, quo iure Quercetanus loco aquæ vel ſpiritus vini potius aſſumere iubet *hydromel* vel *aquas vlmariæ*, quibus aciditas *ſucco limonum* conciliata ſit, ad compendioſiorem extractionẽ *ligni ſancti*, & eorum, quæ ſulphureæ & aluminoſæ ſunt naturæ. Nunquid *aqua vitæ* (iuxta regulam chymicorum tritam) plus participãs *ſulphuris* ex ſulphurea potiſſimum eſſentia conſtantibus fælicius educeret ſubſtantiam diaphoreticam? Illa demum opinio reclamat communibus Paracelſicorum decretis, qui vim purgandi *mercurio*, diaphoreticam & diureticam *ſali* adſcribunt. Et quid ſi in & à ſale vis purgandi, cur non *ſal Rhabarbari, ſenæ*, aliorumue purgantium chymice præparatum, & ſynceriſſime eductũ in minima etiã quantitate, vtpote corporis vinculis & reliquorum principiorum, quibus eius vis retardabatur commercio ſolutũ, vbertim per aluum purgat? Chymici tribus principiis rerum efficaciam & operationem aſſignant eaque artificio chymico educunt, vt virtutem, quæ cuilibet ineſt, in illo ſeorſim cõſequantur, & liberam ſolutamque & ſynceram cum eodem exhibeant. Si virtus *Rhabarbari* à ſale, neceſſum eſt *Rhabarbari ſal* purgare idque in doſi quantilla, quantum enim ſalis ex integri *Rhabarbari* ℥ j. vel ʒ jſ. educitur, tantum rite purgare conſequens eſt. Atqui hic euentus contrarium docet. Cæterum cauſam reddant illi, cur ſpiritus vini ſulphureus non extrahens è pharmacis ſal catarcticum, nihilominus vim purgandi ex *colocinthide, hellebero & ſcãmoneo* educat, vt aſſerit Gluckradius, & confeciales.

Tandem

Extractio ſcammonei per ſpiritū vini malignitatem eius nō corrigit, ſed acuit.

Tandem, vt ad rem propoſitam reuertamur, non imus inficias, eſſentiam ſatis accurate educi per ſpiritum vini, ſed an iſta extractione ſufficienter emendetur malignitas, in dubio eſt. Vis enim acris, maligna, venas aperiens, inteſtina arrodens, viſcera quaſſans, ſpiritus humoreſque inflammans & exagitās, malignitatem in penitiora inſinuans, non tam mitigatur, quā intenditur menſtruo ſpiritus vini affuſo. Sola itaque extractio per ſpiritum vini ad correctionem malarum qualitatum *ſcammonij* ſufficere nō videtur. Quercetanus *in tract. de ſpagirica medicamentorum præparatione*, & Heurnius, *eſſentia* vel *oleo maſtichis* ſpiritu vini extracto infundunt & digerunt *ſcammonium*, quo ſeparato, affundunt denuo *ſpiritum vini corallisatum*, circulatione in balneo Mariæ per dies decem facta menſtruum educunt, & extracto in fundo relicto miſceantur *eſſentiæ corallorum, margaritarum, croci, olei, aniſi, cinamomi, fiat mixtura ad ignē, cui adde eſſentiam aloes* & *myrobalanorū*. Exhibetur cum *oleo amygdalarum dulcium*. Sed neque hæc præparatio propter feruide calidorum affuſionem & mixtionem ſatis tuta eſt. Hoc attendens, poſtea ipſemet Quercetanus *in Pharmacopœa dogmatica cap.* 14. *veram*, inquit, *ſcammoneæ fieri præparationē cum ſucco limonum depurato, in balneo M. feruenti diſſoluto*, & *per linteum tranſmiſſo, vel eam in phlegmate vitrioli toto ſuo ſpiritu impragnato*, ſitam eſſe, quod hoc ſpiritu vera illorum ſimplicium præparatio perficiatur, quæ exſuperāti calfaciendi facultate prædita ſint. Idem quoque verum *euphorbii*, cæterorumque gummatum corrigens eſſe aſſerit. In hunc modum *phlegmate vitrioli* integro ſuo ſpiritu impregnato, vel cum *ſucco citoniorum, pomorum curtipendulorum aquis, acido ſulphuris* vel *ipſius vitrioli ſpiritu tinctis & acore infectis*, optime præparatur *Euphorbium, ſcammonium*, & conſimilia. Crollius *ſcammonio pulueriſato* affundit *ſuccum roſarum depuratum, guttulis aliquot ſpiritus vitrioli tinctum, exſiccat, & denuo imbibit, idque vicies repetit.*

Vera ſcammonei præparatio, iuxta Chymicos.

Etiamſi vero *ſuperius* diximus, *ſcammonium* per ſpiritus vini affuſionem in eſſentiam limpidiorem redactum nondum ſatis præparatum, & à malignitate vindicatum eſſe, tamen eo ipſo exquiſitiſſimā fieri extractionem, non negamus, cui, ſi addantur illa, quæ ferociam & maliciam eius temperant, nuſquam vlla accuratior ad vſum inueniri, vel in mediū produci poterit. Proinde hoc modo rem aggredimur. *Scammonium affuſo ſpiritu vini extrahe, tinctum decanta & ſucco cydoniorum, ribium, berberorum, vel pomorum curtipendulorum cum ſaccharo ad talem coque ſpiſſitudinem, vt in ſcatulas more gelatinæ fundi poſſit.* Sic *diacydoniū, diaribium, diaberberorum purgans* gratiſſimi ſaporis bonæ ſine vlla violentia efficaciæ præparatur.

Optima ſcammonei in iucundiſſimam formā præparatio.

Ab hac præparatione non aliena

eſt

Elegans ſcammonii præparatio à Crollio tradita.

eſt illa Crollii, *qua ſcammonium per reiteratas imbibitiones & exſiccationes cum ſucco roſarum præparatum extrahitur ſpiritu vini optimo, qui eſſentia tinctus per balneum euocatur, remanente in fundo ſcammonii extracto, cuius ℥ j. adduntur ſucci Cydoniorum depurati ℥ iiij. ſucci roſarum rubearum ℥ j. quæ in vaſe conuenienti miſta ſpatulaque agitata lento calore ad ſuccorum exhalationem & conſiſtentiã talem, vt pilulæ inde formari poßint, coquuntur.* Ex his præparationum modis alii haut abſimiles inuenti ſunt.

℞. *Diagridii,*
Mechoacæ ana ℥ iij.
Sem. aniſi,
Spicæ,
Cinamomi,
Maſtichis ana ℈ſ.
Fiat extractio cum S.V.

Electuariũ diagridiatum ſuaue & innocens.

Coque cydnia ex aqua, expreßi iuris cape ℥ *viij. ſacchari ſemiſſem, lento igne ad conſiſtentiam redige, cola, & adde extractionis præcedentis, tot ſcrupulos, vt ſingulis vnciis reſpondeat extracti ſcriptulum vnum, coge in conſiſtentiam & typos*; doſis ℥ſ. vel ℥ iij.

Vel *per ſpiritum vini extrahe ſcammonii* ℥ j. *interim pulpam citrii mali vel pomorum dulcium præpara, vt ſit inſtar ſucci ſuauißimi, cape* ℥ x. *ſucci cydoniorum pure colati & ſaccharo miſti, ſolue aqua roſacea, colaturæ paulatim ſuper prunis miſce pulpam & extractum effunde in formas & ſine coagulare.* doſis ℥ ij. *Diagridium aqua vel ſucco roſarum extractum mite euadit purgans.*

De virtute extractorum purgantium non eadem omnium eſt opinio.

De virtute extractorũ purgãtium variæ opiniones.

Duncanus Liddelius *in arte medica lib. 5. cap.* 14. fatetur, per ſpagiricas extractiones inimicam vehementer purgantium qualitatem corrigi, ſed vim catarcticam minui & in benignis pene exſolui. Quamobrem requiri, vt cuiuslibet pharmaci extractum diligenter præparetur, & quomodo quaque doſi operetur, accurata habeatur ratio, quod conſtet, neque extractum *Hellebori nigri* Quercetani, nec *Rhabarbari* ſcrupuli vnius, vti vulgo perſuaſum eſt, pondere purgare, niſi *diagridii* aut *extracti ſcammonii* vel alterius validioris permiſtione adulteretur, vel exſtimuletur, & *ſcammonei extractum* pari pondere, quo *diagridium* aſſumptum, multo clementius & ex locis minus remotis bilẽ euacuare. Præterea ex *Rhabarbari* ſemuncia plus elici extracti, quam ex integra vncia *mechoacæ hermodactylorum*, vel ſeſquiuncia *agarici*, cum tamen *Rhabarbari. extr.* minori doſi, quam vllum cæterorum aluum ſubducat. Lobelius *in aduerſariis, thymeleæ, chameleæ braßicæ marinæ*, & *turpethi* extracta ſolitaria fere nullam purgandi vim habere aſſerit, cum alias quoque ſegniter naturam moueant; Horum vim purgatricem arbitrantur hærere in ſucco craſſo, qui niſi diluatur & attenuetur coniunctorum potentia, atque adeo exſtimuletur, ſit ignauus. Sunt enim veluti lenta venena, teſte Libauio, quæ tarde naturam ſtimulant, interim tacite virus ſuum imprimentia.

Eiuſmodi

Eiuſmodi extracta non oportet coagulare, ſed adiectis correctiuis in menſtruo ſuo aſſeruare, imo ſunt de numero eorum, quorum ante mentio facta eſt, quæ ſtimulo diagridiato indigent, vt præpropere è corpore eiiciantur, ne mora diuturniore virus quoddam imprimant.

Vt autem rite aſſequamur id, quod per extractiones purgantium molimur, videlic. vt ſynceriorem rei ſubſtantiam elicientes, vim, quæ alias in vnciæ quantitate hærebat, contrahamus ad dragmæ vnius portionem, neceſſum eſt, vt cuilibet extrahendæ rei idoneum & appropriatum affundamus menſtruum, talis efficaciæ, vt per omnia penitius penetrare eſſentiamque intimam elicere & dein ſine diſpēdio extracti commode viciſſim auocari poſſit. *Neque enim quodlibet menſtruum cuiuslibet purgantis appropriatum & adeo familiare eſt, vt eius ſubſtantiam ſubtiliorem, vi purgandi præditam, vti par erat, extrahat & attrahat, neque eundem omnia agendi proceſſum admittunt.* Rhabarbari enim vis purgandi cum in tenuiſſima eiuſdem ſubſtantia (ſecus, quam de *turpetho, mechoaca agarico* & *Thymelæa ante* dictum eſt) hæreat, ſola maceratione abſque vllo feruore caloris, & ſine forti expreſſione, qua craſſior ſimul & adſtringens exit ſubſtātia, educitur. De menſtruo alii aliter ſtatuunt. Nam *vino* & *aqua endiuiæ* miſtis extrahunt, cui, vt fælicius extractio fiat, guttulas aliquot *olei tartari* per deliquium facti addunt: quod iii omnis vegetabilis extracti præparatione obſeruari iubent. Vſu ipſo & experientia, quo menſtruo commodius cuiuſque eſſentia extrahatur, quodque magis adpropriatum ſit, ediſcitur. aquam *abſinthii*, *centaurei minoris* aut *chamædrios*, quia referuntur ad illa, quæ bilem purgant, magis ad educendam *Rhabarbari* ſubſtantiam, vel *decoctum herbæ* in aquis propriis in duplici vaſe comparatum hic appropriatum exiſtimarem. Quorum aquas habere poſſumus, his eorundem extractionem fieri commodiſſime arbitror. Alii *Rhabarbarum, ſenam* & ſimilia extrahunt per *aquam cinamomiſatam*; aut illa, per quam *oleum cinamomi* vel *aniſi* factum fuerit. Sunt, qui recipiant *aquam tartariſitam* hoc ritu præparatā.

De conuenientе cuiuslibet pharmaci menſtruo & extrahendi modo.

℞. *aquæ fumariæ, Endiuiæ, vel abſinthii* ℔. iiij. *pul. tartari albiſſimi & præparati* ℥ iiij. vel plures, *coque, donec tartarum ſoluatur; de coctione colatæ & cryſtallis ſegregatis, affunde pulueri ſenæ & coque in diplomate*, (*Rhabarbarum* coquendum non eſt, ſed macerandum duntaxat) *decoctionem exprime; expreſſionem affunde nouo pulueri, & procede, vt ante. Tandem coagula per deſtillationem.* Hac ratione *extractum eſulæ, turpethi, elleboriq́ue* conficere poteris. Conficiuntur & alio menſtruo. *Deſtilla aquam ex Guaiaci decocto, in hoc decoque helleborum, ſenam, aliaque, in clauſo vaſe digere* (*Rhabarbarum macera, exprime, cola*) *liquorem clarum à fecibus decanta, deſtilla ad mellis craſſitudinem.*

Elegans extractorū comparandorum ratio videlic. ſenæ, Rhabarbari, eſulæ, turpethi, hermodactylorum, ellebori & ſimilium.

Ii Rha-

Extractũ Rhabarb. iuxta Libauium.

Rhabarbari extractio Libauiana talis eſt, *Cape ligni Guaiaci vel ſaſſafras ſcobem, aquam endiuiæ fumariæ, centaur. minoris, abſinthii q. ſ. decoque iuxta artem, & in decocto ſolue tartari præparati quantitatem iuſtam, pone in cucurbitam, & cinamomum in receptaculo, deſtilla. Aquam deſtillatam cum cinamomo in ſuo vaſe aſſume, pone Rhabarbarum cultello conciſum & non tritum in cucurbitam, affunde deſtillatitia aqua ad tres vel quatuor digitos, digere, donec coloretur. Effuſa hac, adde aquam, donec non amplius tingatur. Tinctis menſtruis nouum immitte Rhabarb. & per ſex ſeptemue dies vaſe clauſo loco calente macera, tandem exprime, expreſſum liquorem leniſsimo balneo deſtilla ad mellis craſſitudinem.*

Error in panchymagorum præparatione vulgaris.

Ex his patet male ipſos procedere, qui polycreſta extracta & panchymagoga componentes ſupra diuerſi generis pharmaca confuſa & miſta, vnum idemque affundunt, menſtruũ, quod impoſſibile ſit, id omnibus ſimul adeo eſſe adpropriatum, vt cuiuſque ſigillatim eſſentiam rite educat; Proinde conſultius faciunt, qui cum cuiuſque extractionem proprio cuilibet menſtruo adornarunt, tincturas dein omnes confundunt, & per deſtillationem, liquores ſeparant, hunc in morem.

Deſcriptio panchymagogi rationalis.

R. *Mechoacæ opt.* ℥ iiij. *extrahe ſpiritu vini, Rhabarbari* ℥ j. *extrahe aqua cinamomi ſeorſim: alio vaſe per ſtillaticiũ liquorem guaiaci, extrahe agarici & ſenæ ana* ℥ ſ. *& eodem tempore infunde eſulæ, trochiſcorum alhandel. diagrid. ellebor. nigri ana* ʒ j. *aquæ aniſi, per quam ſit factum oleum, horum omnium extractiones confunde, digere in diplomate per dies aliquot, ſedimento facto clarum transfunde in cucurbitam: Relicto ſucco affunde S. V. miſce, digere, clarum coniunge præcedenti, repete id tertio, transfuſiones omnes deſtilla vſque ad ſyrupi conſiſtentiam.* Doſis eſt ℈ ſ. cum *vino abſinthij,* adiecta *maſtiche & cinamomi extracto, fac pilulam.* De cæteris ſimplicium purgantium extractis ſigillatim tractatur, vbi ſeorſim quodlibet deſcribitur.

CAP. XIV.

Hactenus de cholagogis, deuoluimur ad melanagoga. Fumaria atrabilarios humores & ſalſos modeſte educit. Contrariis prædita eſt ſubſtantiis. Quamobrem extergit, aperit & mundat viſcera, ſimulque roborat. Omnes ſanguinis impuritates exhaurit, morboſque ab iiſdem dependentes, veluti febres, ſcabiem, vitiliginem, cacochymiam, lepram ſanat. Hypochondriacis & ſcorbuticis opitulatur. Succus præcipue in vſum trahitur.

FVmaria Græcis καπνὸς & καπνιον, officinis fumus terræ, herba eſt vulgo cognita, ſed tantæ vtilitatis, quantæ notitiæ. Dicitur autem fumaria, quod ſuccus oculis, vt eos illuſtret, inditus, inſtar fumi mordeat.

Fuma-

Fumariam bulboſam, & non bulboſam vulgo faciunt; illa ariſtolochia nuncupatur, pluresque ſub ſe complectitur ſpecies. De non bulboſa, quæ in vſum potiſſimum trahitur, præteritis cæteris iſtis ſpeciebus, paucis diſquirere inſtituti noſtri ratio poſtulat.

uctorum iuerſa de umariæ ualitate piniones.

Hæc ſpecifica purgandi facultate, & manifeſtarum qualitatum temperie vtili inſignita eſt; de qua inter auctores ſolida nondum exſtat conſenſio, aliis ei calidam, aliis frigidam aſſignantibus. Auicenna, eumque ſequutus Dodonæus frigidam in primo, & ſiccam in ſecundo; Fernelius & Platearius calidam in primo, & ſiccam in ſecundo gradu ſtatuũt. Prorſus autem frigida cenſeri non poteſt, quod amaritudo cum acrimonia modica guſtu deprehenſa caloris argumenta & effectus ſint. Proinde Meſues diuerſæ illam ſubſtantiæ facit, cuius pars ſuperficialis amarore & acrimonia prædita caleat, interior vero acerba & adſtringens de frigore participet. Vnde præclarus eius vſus & vtilitas reſultat, quod viſcerum, lienis & epatis infarctus expediat, horumque laxam imbecillitatem & atoniam corrigat, maximopere eadem confirmet & roboret. Quamobrem Meſue porro inquit, *non modo aluum ſoluit, ſed & viſcera deobſtruit, roborat, contrahitque diſtentos eorum villos. Ineſt enim ipſi à ſubſtantia calida amaritudo, & acuitas pauca, quare facta eſt ſubtiliatiua, aperitiua obſtructorum, & ſolutiua naturæ, & à ſubſtantia frigida ſtipticitas, aggregatio & confortatio.*

ententia de ſua.

Ab hac ſententia nõ alienus eſt Galenus *lib.7. de ſimplic. facult.* vbi eam facit calidam, acri amã aque participare qualitate, & tamẽ acerba ſiue adſtringenti ſimul præditam aſſerit. Auicenna, quamuis propter ſtipticitatem pronunciauit frigidam, tamen propter amaritudinem caloris eſſe participem, concedit. Virtus eius formalis eſt, primo aduſtos & bilioſos, dein & ſalſos, cæteroſque acres, vt inquit Platearius, humores per aluum blande educere, & ſimul per vrinam bilioſa ſtrenue exigere, vnde ſanguinem proprie purgare dicitur. Confert ad omnes affectus à viſcerum debilitate; obſtructione horum, que & ſanguinis impuritate natos, quod ipſamet aperiat, eorum atoniam corrigat, robur reſtituat & impuritates, qua referta ſunt totamque ſanguinis maſſam infecerunt, per aluum & vrinas blande ſenſimque expellat. Eius enim virtus, qua bilem & aduſtos humores educit, non modo ad epar, ſed & ad venas explicatur & operatur. *Quacunque enim labe infecta ſunt viſcera, eandem humoribus ab ſe genitis imprimunt, & quocunque vitio corripiuntur humores, idem viciſſim viſceribus affricant.* Ad impetiginem, ſerpiginem, pruritum, ſcabiem, lichenes, aliaque cutanea mala ab aduſtis & bilioſis humoribus nata, carcinomata, cancros & fiſtulas ſanat; ad incipientem lepram conducit; eſt enim

Galen.

Auicenna.

Platearius.

Fumaria viſcera de obſtruit, purgat, roborat omnes ſanguinis impuritates exhaurit & morbos ab his dependentes ſanat.

Ad ſcabie magna & lepram.

Ad febres ab humoribus vſtis.

magna ſcabies parua lepra, & incipiens inchoanſque lepra magna ſcabies. Vtiliter vſurpatur ad febres ex bile, cum flaua, tum atra & aduſta natas, & à viſcerum obſtructione dependentes; ad chronicas item & quartanas ab Auicenna præcipue commendatur. Nec minus hypochondriacis affectibus ab iiſdem cauſis exortis, cum ſucceſſu adhibetur. Interim ventriculum, iecur, cæteraque interna viſcera mirifice roborat hypochondriacis, quos ſimul infeſtabat ſcorbutus, quique aliis remediis diutine exagitati eſſent, *ſuccum fumariæ & cochleariæ aquis portionibus ex ſero lactis caprilli* verno tempore proſpero euentu exhibui.

Ad hypochondriaca mala & ſcorbutum.

De correctione fumariæ non eſt, quod admodum ſolliciti ſimus, blande enim & modeſte officium facit, & ab operatione qualicunq; poſt ſe adſtrictionem relinquit, & teſte Meſue omni noxa caret, quo fit, vt vſurpantibus nullum pariat incommodum. Platearius propter frigidam, quam ſimul obtinet, partem, ventoſitatem aliquam excitare cenſet, quamobrem cum *ſemine fœniculi ſuccum eiuſdem* exhiberi iubet. Primario autem commendatur ſuccus, herbæque recentis, & adhuc virentis vſurpatio. Serapio tanto meliorem, quanto viridior ſit, exſiccatam vero nullius efficaciæ eſſe pronuntiat, forte, quod virtus eius in ſuperficiei teneriori ſubſtantia ſita, ſi non rite aſſeruetur, vel ſicceſſentis continuo aut paulo poſt exſpiret. Matthiolus tamen eandem ſiccata plebeium quendam, vti conſueuiſſe ad ſtomachum roborandum, ventremque ſimul lubricandum commemorat. Is herbam reſiccatam condebat, & ſubductionis alui gratia *melicrato* inſperſam, ſtomachi vero roborandi cauſa cum *vino diluto* aſſumpſerat. Vim itaque ſuperſtitem in herba, quamuis ſiccata remanere, neceſſum eſt, cuius etiam ſapor indicium facit. Et nota, trita, rationique conſona eſt ſententia, *herbas natura calidæ exſiccatas (niſi diuturnitate plane elanguerint) valentiores viridibus, eſt enim ſiccitas lima caloris; frigidas & humidas, quo viridiores, eo vegetiores,* eſſe. Proinde ab illa virtute, quam calore & ſpecifica qualitate exſerit, niſi vetuſtate exſoleſcat, parum remittit. Virtus eius intenditur *ſero lactis* vel *infuſione ſenæ* & ſimilibus. Tota herba cum floribus & ſemine in vſum venit; optimam vim poſſidet *ſuccus*, qui *cuiuſque plantæ anima dicitur*, eoq; veteres, vt apud Meſuen, Serapioné, Platearium, aliosq; videre eſt, vſos fuiſſe conſtat. Recentiores iuxta Meſuen ab ℥ſ. ad ℥ ij. exhibent, Serapio ad ℥ iiij. & vltra procedit. Puluis à ʒ iij. ad ʒ v. in catapotia redactus vel *iuri meliceratoue* inſperſus exhibetur.

Succus fumariæ potiſſimum valet & vſurpatur.

Succus animaplanta.

Doſis ſucci fumariæ.

Herba recte infunditur vel maceratur, cum decoctionem magnam non ferat. *Manipulus vnus vel ℥ ſſ. maceratur in ſeri lactis caprini* ℔. j *poſtea feruefit ad vnam alteramque leuem ebullitionem, colaturæ dantur* ℥ vj. Si epatis infartus expediendi & ſtomachus purgandus

gandus roborandusque, abſente febri vino infunditur. Verno tempore eius decoctum vel infuſum ex *ſero lactis* vel *ſuccus* menſis ſpatio vſurpatus vniuerſam totius ſanguineæ maſſæ impuritatem & cacochymiam tollit, emundat & emendat, & quia corpus humoreſque à putredine liberat, metuentibus lepram aut initia eiuſdem contrahentibus, eius vſus hoc pacto initus ſummopere prodeſt, quo ratiocinio permoti recentiores ad luis Gallicanæ infectionem ſimili modo ℥ iiij. cottidie iterato exhibent.

uomodo iccus fumaria vſurpatus niuerſam nguinis aſſam ab npuritate beret & itial pra morbum llicum met.

Quibus humorum frigidorum ineſt redundantia, eius ad ſanguinis emundationem datur eadem doſi totidem diebus ex *hydromelite*. Succi eiuſdem ℥ iij. ſanguinem coagulatum educūt, vermes necant, icteritiam cum *aqua ceterach*, vel *herbæ eiuſdem & abſinthii decoctum ex ſero lactis* perſanant.

Ad icteritiam, ſanguinem agulatū & vermes.

Vt exquiſitior fiat purgatio, *ſeri lactis*, in quo decocta ſit *fumaria* recipiunt ℥ v. quib. infundunt per noctem calide *fol. ſen. Alex. mund.* ℥ ſ. *Rhabarb.* ʒ j. *colaturæ expreſſæ miſcent ſyrupi roſarum ſolutiui aut mannæ* ℥ j.

Exquiſita ſanguinis purgatio.

Ad humorem melancholicum vti etiam pituitoſum in orificio ventriculi obhæreſcentem & nauſeam doloremque excitantem, & ad frigidas epatis lieniſq; obſtructiones ſeu ex frigidis cauſis Platearius *ſucci* ℥ ij. vel iij. cum *ſemine fæniculi & maſtiche* propinat. Idem *ſucci eiuſdem* ℥ ij. vel tres *cum* ʒ j. *pulueris radicis eſulæ præparata* exhibet ad hydropem & leucophlegmatiam, alii *aquam florum ſambuci & ſaccharum* addunt.

Ad hydropem & leucophlegmatiam.

Eodem auctore *Hermodactyl.* ℈ ij. *cum ſucco fumariæ* arthriticis dantur, & *herba ipſa in vino cocta* articulo dolenti, cataplaſmatis vice imponitur.

Ad arthritidem.

Succus aſſeruatur liquidus vel inſpiſſatus. Liquidus oleo infuſo, dictante Serapione perdurat. Inſpiſſati ad prædicta mala pleraque peropportunus eſt vſus. Solenander *ſect.* 3 *conſil.* 1. *ſuccum inſpiſſatum cum theriaca, ſpeciebus diarrhodon, ſyrupo de ſucco acetoſæ & de fumaria* ad ſudorem mouēdum, præmiſſis vniuerſalibus in curatione ſcabiei exhibet. Ibidem decoctum ex fumaria ſcabiei exigendæ conueniens proponitur. ℞. *Cichoreï cum toto: fumariæ, acetoſæ, lupuli, agrimoniæ, recentium ana M.* j. *abſinth. roſmarin. ana cymas duas vel tres, incoque in ſero recenter mulcti lactis ad quartæ partis conſumptionem, & inſtilla aceti ſambucini vel roſacei cochlearia duo vel tria*; huius ſeri ſynceri vel cum ℥ j. ſyrupi de cichoreo cum Rhabar. hauſtū mane & veſperi cottidie bibat ad aliquot dies: alibi addit *ſaſſafras cortic. frangulæ, fragariam, cuſcutam, epithymum, ſcabioſam.*

Succus fumaria inſpiſſatus prodeſt ad ſudorem mouendum in ſcabie.

Decoctum & Potio optima ad ſcabiem & viſcerum impuritates.

Ad viſcerum infartus & hypochondriacam affectionem, ſcorbutum & quartanarios decoctum Galli vetèris & ſyrupus conſequens conducunt.

Ad viſcerum infartus, hypochondriacā

℞. *Radic. turpeth. alb. gummoſ.* ʒ vj.
Hellebor. nigr. præpar.
Polypod. Quercin.

paſſionem & ſcorbutū decoctum galli veteris.

Aſari
Peucedani ana ℥ſ.
Acetoſæ,
Centaur.minor.ana ℥ij.
Herb.cochleariæ
Epithymi,
Fumariæ,
Scolopendriæ ana M.j.
Veronicæ,
Capillorum Veneris ana M.ſ.
Cort.frangulæ ℥ſ.
Radic.capparum,
Tamariſci ana ℥ij.
Fol.ſenæ Alexand.ſſ. ℥jſ.
Flor. borrag.
Bugloßi,
Anthos ana p.j.
Sambuci p.ij.
Sem.fraxini excorticati,
Paſtinacæ ana ℥ij.
Sem.aniſi ℥ſ.
Cremor.tartari ℥vj.
Paſſul. ℥jß.

Trita infartiantur gallo, coquantur & præparentur, vt moris eſt. Huius decocti ℥v. affundatur ℥j. ſyrupi ſequentis pro doſi cottidie vſurpanda.

℞. *Succor cochleariæ recent.* ℔.j.
Acetoſæ ℥x.
Naſturcii hortenſis,
Fumariæ,
Becabungæ ana ℔.ſ.
Vini Rhenani ℔.j.
Radic. Turpeth ℥j.
Rhabarb. ℥ſ.
Fol.ſenæ Alex.ſſ. ℥iij.
Cremor.tart. ℥ſ.
Zinzib. ℈iiij.
Sem. aniſi ℥ſ.
Spicæ ℈ij.

Infundantur, ebulliant leniter, exprimantur, colaturæ adde ſacchari q.ſ.f. ſyrupus.

Ex fumaria proſtant vſualia, conſerua florum, ſyrupus ſimplex ex ſucco, & compoſitus, & pilulæ de fumaria dictæ.

Cap. XV.

Polypodium melancholicos & pituitoſos humores clementer educit: ſtimulo indiget; inteſtina, lienē, articulos & pectus reſpicit. Proprietate quadam ad colicum dolorem valet. Eius ex iure Galli veteris, cum ſuffragantibus herbis decoctum, facit ad aſthma, hypochondriacam & colicam paſſionem.

Polypodium ſeu filicula præfertur, quæ quercuum radicibus & antiquis cæduiſque adnaſcitur ſalicibus; in muſcoſis vero petris, & muris ruderibuſque vetuſtis proueniens, excrementitia ſcatet humiditate, qua ventriculum grauat & ſubuertit.

Sunt, qui in tertio calidorum ſiccorumque ordine collocent; alii in actiuis temperatum ſtatuunt; Hali eumque ſequutus Fernelius ſecundum caliditatis & ſiccitatis gradum attingere voluit. Galenus *lib.8. de ſimplic. facult.* dulcem ſimul & auſteram vincentem habere qualitatem, vt faculta-

cultatis ſit admodū deſiccantis, ſine morſu tamen aſſeuerat. Meſuæ vehementer exſiccat, extenuat, abſtergit & ſoluit, ſed nauſeæ & ſubuerſionis aliquid, dummodo ſit incorrectum participat. Melancholiam potiſſimum & phlegmaticos, craſſos viſcoſoſque humores educit, ſed imbecilliter & clementer, idque ab inteſtinis, liene, & articulis. Fernelius etiam à pectore propter dulcedinem, euocare cenſet. Vt à remotioribus locis quicquam educat, eius iuuetur, & valde intendatur virtus, neceſſum eſt. Corrigitur his, quæ aromaticam vim habent, veluti *Zinzibere, cinamomo, ſemine fœniculi, dauci, aniſi, aqua mellis.* Exhibetur in ſubſtantia à ℥ ij. ad aureos quatuor, cum *aqua mellis* iuxta Ruffum Epheſium & Meſuen. Decoquitur vero commodiſſime (mediocrem enim, non nimiam coctionem ſuſtinet) in *iure Galli, vel gallinæ, cremore ptiſanæ, brodio paſſularū,* & cum ſeminibus *ſupra* dictis in *ſero lactis.*

...lypodiū ...elancho... ...os primo, in & ...legmati... ...s humo... ...purgat.

...us corre... ...is.

...oſis.

Etſi vero Manardus contra Meſuen dictitet, etiam per ſe exhibitum polypodium nullam ventriculo inferre iniuriam, tamē addere illa, quæ vim corrigendi habent, quod & hæc ſimul virtutem eius intendant, tutius eſt. Auerrhoes polypodium tutum eſſe remedium & *epithymo* præſtantius dictitat.

Meſue auctore educit choleram nigram cum facilitate, & phlegma craſſum mucilaginoſumque & materias iuncturarum, confert colicæ paſſioni ſecundum omnem modum adminiſtrationis, & duriciei ſplenis proprie cū *epithymo* & *ſale indo*, & ad Melancholicas febres cum *aqua mellis.* Platearius in *iure pulli vel galli vel ſero lactis* cum *prunis, violis, ſemine aniſi & cymini* coquit, & ſi intendere voles, *hermodactyl.* ſubtiliter tritorum ℈ ij. adiicere iubet.

...ires ex ...eſue.

Confert proprietate quadam colicæ paſſioni,

Ad duriciem, inflationem, & obſtructionem ſplenis, & hypochondriacas paſſiones, maxime probantur *decocta Galli veteris, cum polypodio, ſena, epithymo, thymo, ſatureia, cuſcuta radic. ſcorzoneræ, acori veri, aſari, ellebori nigri, bugloſſi, cremore tartari, ſale indo, ſem. aniſi, fœniculi, paſſulis.*

Et duriciei ſplenis. Decoctum polypodii ex iure Galli veteris ad hypochondriacam paſſionem.

Fernelius etiāſi *lib. 5. meth. med. c. 6.* polypodium præter id, quod craſſos lentoſque humores extergere, expedire, atramque bilem craſſiorem ſenſim expurgare & nimia etiam auſteritate præditum eſſe ſtatuat, tamen craſſam pituitam, quia lenis & dulcis ſit, è pectore & pulmonib. ſimul detrahere affirmat. Cum vero Galeno teſte auſteritas dulcedinem ſuperet, neceſſum erit *polypodio* in hunc vſum exhibendo, addere & dulcia & pectoralia, vti *ficus, paſſulas, enulam, baſiliconem, botryn, hyſſopum, capillum Veneris, marrubium, ſatureiam, origanum, ſemen carthami*, eaque *hydromeliti* incoquere. Et hoc pacto colicæ paſſioni ex cauſa frigida impendio quoque conuenire *polypodium*, ratio & experientia adſtruit.

Polypodii virtus quomodo pectori magis approprietur.

Decoctum polypodii ex iure veteris Galli ad hypochondriacam colicamque paſſionem & aſthma.

Ad lienis affectus morboſque ab atra

Syrupus polypodii ad lienis morbos.

attra bile oriundos,&ſanguinem à nigra vſtaque fæce purgandum extat ſyrupus de *polypodio* in diſpenſatriis, & alius item in Sholtzianis, *conſ.*229. R. *Fol. ſen. paſſullar. minor. ana* ℥ ſ. *capill. Vener. polypod. tartari alb. ana* ℥ iij. *aquæ fumariæ, carduibened. bugloſſi ana* ℥ ij. *miſce, & ſtent per noctem in infuſione, mane leuiter coquantur, exprimantur, colaturæ* ℥ iiij. *adde mellis roſati ſolutiui, vel mannæ* ℥ ij. *miſce* clementer purgat.

Dentifricium.

Vino affunde ſpiritum ſulphuris, vt aceſcat, huic immitte radiculam *polypodij* per xxiiij. horas, hanc ſicca, & vtere pro dentifricio. Firmat, mundat, emendat, & candorem inducit: ſingulare hoc eſt.

Emplaſtrū.

Emplaſtrum ex eodem iuxta Dioſcoridem & Serapionem confert luxatis, & neruorum attritionibus, rimiſque inter digitos, & hæmorrhoidibus.

Cap. XVI.

De Epithymo & herbis cognatis.

Epithymum atram bilem primo, dein etiam pituitam modeſte educit, è cerebro, corde, liene & præcordiis, prodeſt melancholiæ, epilepſiæ, ſyncopæ, quartanis, hypochondriacæ paſſioni, lienis obſtructioni, tumori, quartanis, cancro, elephantiaſi, lui Gallicæ. De cuſcuta & capillamentorum herbis adnaſcentium generibus agitur.

Quid ſit. pithym.

EPithymum verum, eſſe capillamētum inter ſe multiplicatum, & ſine radice thymo adnaſcens, eidemq; ſe circumuoluens, apud Græcos Arabeſque medicinæ magiſtros nullum eſt dubium. Quid de Dioſcoridis lectione eiuſque loci explicatione ſentiendum ſit, videatur Matthiolus *in commentar.*

Vires & qualitas.

Epithymum auctore Galeno *lib.6. de ſimplic. facult.* calfacit & ſiccat ordine tertio; conſtat partibus igneis, quibus ineſt acumen, & terreis ſubtilibus, vnde leuis ſtipticitas. Habet itaque vim interprete Meſue ſubtiliatiuam, reſolutiuam, aperitiuam, oppilationum, & confortatiuam viſcerum. Eandem, quam thymus, habet facultatem, ſed ad omnia efficaciorē. Ille quidem ſtrenue incidit, obſtructiones epatis & viſcerum ſoluit & expurgat, craſſam lentamque pituitam è pulmone & thorace, anheloſis & aſthmaticis, cum *melle* datus expectorat, menſes ciet, fœtumq; expellit, epithymū vero hęc omnia efficacius præſtat. Præterquā, q ſingulari ꝓprietate p̄ reliquis melanagogis humorē melācholicū attrahit, vt auctor eſt Meſue. Imbecilliter tamē & tarde purgat, & calidis ſicciſque naturis æſtum ſitimque creat immoderatam. Intenditur eius purgādi facultas adiecto *ſale nitri, gēma, zinzibere,* & ſimilib. quæ exſtimulandi vim habēt, vel acutius

Virtus thym.

Quomodo epithymũ mandatur, et validius purget. acutius purgantibus vt *hellebori nigri* modico. Ad remittendum calorem & ſiccitatem mitigandum, pro calidioribus temperamentis, infunditur, coquitur vel exhibetur cum *ſero lactis*, *decocto paſſularum, violarum, borraginis.* diuturnam ebullitionem vel coctura non fert. *Selectio.* Ad vſum eligenda ſunt folia & flores, qui in ſuperiore capſulæ parte, in qua aſſeruatur, reperiũtur, quæ n. in fundo ſunt capillamenta, nõ ita purgare creduntur. *Epithymũ creticum præfertur, ducit humores melancholicos à corde, cerebro, liene.* Eligitur & præfertur Creticum; etiamſi vero humorem melancholicum primario ducat, tamẽ ſecundario quoq; phlegma extrahit. Omnib. ab humore melãcholico & atrabilario oriundis affectibus præcipue in capite, corde, liene, & p̃cordiis conducit. Proinde ad melancholias, epilepſiam, diuturnos capitis dolores, vertiginẽ, cordis tremorem, animi deliquia aliaſq; ægritudines a- *Quibus morbis opitulentur.* trabilarias cõfert. Omnib. ſplenis infirmitatib. medetur, videl. inflationi, obſtructioni, ſcirrho: mirifice ꝓdeſt hypochõdriacis & quartanariis, & ad oppilationes renũ, ſcabiem, pſoram, leprã, elephantiaſin, vlcera maligna & atra, cancrum, carcinomata & luem venereã, ſanguinem ab humore aduſto, atro & terreſtri defæcat. Auicenna ad ſpaſmum commendat. Serapio cenſet, eius vſum pręcipue ſalutarem eſſe melancholicis, pluresque eorum percuratos cum *abſinthium* cõiunctum fuiſſet. Platearius decoctum *epithymi* cum *lapide lazuli* ad quartanã propinat, & contra ſyncopen ex fumoſitate (parcite manes Ciceroniani) melancholica ſyrupum ex *epithymo* & *ſena* præſcribit. Folia cataplaſmatis vice lieni impoſita eandem extenuant, cũ vino & oleo cocta pubique impoſita ſtranguriam ſoluunt. De *thymo* vero notat Aetius, quod pulueris eius ℥ ij. cum *oxymelite* exhibitę per aluum exigant pituitam, & calidos, acres, bilioſoſq; humores, & conueniat in eryſipelate & arthritide bilioſa. *Aetius.*

Hic animaduerſum duo eſſe genera capillamentorum herbis quibuſdam inſtar tenuium ſarmentorũ adnaſcentium, quorum omniũ hoc cõmune eſt, ꝙ nullis ex terra ortæ aut fruticatę nixęue radicib. adnaſcuntur aliis herbis, ac ſi nullam proprie herbam nullãmue rei certam ſpeciẽ conſtituerent. Vnum craſſiorib. maioribuſq; ſarmentis, alterum gracilib. filis conſtat, vtrumq; naturam & conſtitutionem herbæ, cui adnaſcitur, quodammodo æmulatur. Nã, quod *thymo* circumuoluitur, *epithymum* gracilius eſt, *thymi* naturam etiamſi valentius ſit, magnopere participat. Simili modo, quod *ſtabe, thymbræ, abſinthio, gramini, chamædri, eryngioq;* adnatũ *epiſtabe, epithymbra, epiſpartum,* ſeu *epigeniſtrum, epabſinthium, epagroſtis* nominatur. Hæc autem ſibi viribus adeo correſpondẽt, vt id, quod in *thymbra, ſtabe, ſatureia* natum ſit, pro vero *epithymo* ſi vſus exigat, ſubſtitui poſſe, affirmet Matthiolus. Quæ grandioribus adnaſcuntur herbis, conſtant maioribus filamentis, vti quod rubo *De variis capillamẽtorum herbis adnaſcentium generibus & viribus.*

epibalon, & *lupulo epibryon*, quod *lino* adnatum *epilinum*, *angina lini*, *linodeſmum*, & *podagra lini* dictum eſt. Hæc vero maiora craſſiore filo & ſtamine conſtantia omnia ſub *caſſutha* vel *cuſcuta* comprehenduntur.

Caſſutha qualitas & vires.

Caſſutha itaq; pro alia atq; alia, cui adnaſcitur, herba vel planta, aliam non tamen toto genere ab aliis facultatem diuerſam trahit. Eſt vero calida primo & ſicca ſecũdo ordine, aperit, abſtergit, nonnihil adſtringit, amaroris & adſtrictionis cuiuſdam ſimul particeps, vnde viſceribus, quorum infartus expedit, & tonum ſubſtantiæ vna conſeruat, firmatque, impendio ſalubris & vtilis eſt, obſtructum iecur & lienem aperit, humoris Melancholici craſſitiem herba, & ſemen incidit, morbum regium ſoluit, vrinam pellit, venas pituitoſis & bilioſis exonerat humoribus, bilem *abſinthio* miſta deiicit, ſi decocti ſelibra cum *ſacchari* ſemuncia bibatur, puerorum febribus medetur. Quod vero antea commemoratum de epithymo, idem de cuſcuta quoque verum eſt; nempe hanc eius, cui implicatur & adnaſcitur, herbæ facultatem quandam participare. Quæ enim lino impexa reperitur, ea cæteris ſuæ familiæ ſpeciebus humidior eſt, quæ *geniſtæ* adcreſcit vrinam aluumque promptius mouet. Vulgo ad lienis affectus ea præſcribitur, quæ è *lupulo* vel *eryca* colligitur: Rubo adnatam cæteris ad viſcerum infarctus expediendum & roborandum magis adpoſitam eſſe ferunt. *Iecur* quippe & lienem, & folliculum felleum, & renes aperire, & ex eis venoſo que genere pituitam bilemq; per aluum & vrinas exigere, icteritiæ mederi, diuturnas tertianarum & quartanarum perſanare, & inprimis puerorum febres auerruncare, Meſue auctor eſt.

Viſcera ab infartu liberat & roborat, icteritiæ medetur, atra & craſſa at. tenuat.

Epithymus tenuitate ſubſtantiæ & qualitatum, videlicet caloris & ſiccitatis valore præſtantior eſt, cuſcuta, adeo vt hæc epati, ille lieni conuenientior videatur, vt quod ille lieni, hæc epati præſtet. Debẽt enim, quæ lieni adhibentur remedia, maioris efficaciæ & penetrantiora propter ſucci, quam colligit craſſitiem, Epatica vero ob viſceris nobilitatem & ſubſtantiæ texturam (eſt enim quaſi ſanguis concretus) non peracuta & fortia, & ſemper quadam adſtringendi roborandique virtute & proprietate præditæ eſſe.

Cuſcuta epati, epithymus lieni conuenientior eſt.

Quomodo epatis & lienis remedia debeant eſſe cõparata.

Omnia vero *caſſutharum* genera, præſertim ſi cum *abſinthio* vſurpentur, quartanis cottidianis febribus, viſcerum noxis & ſanguinis impuritati mederi, in confeſſo eſt. Aquam eius, multis ordine diebus, ſex vnciarum pondere hauſtam morbum Gallicanum, ſi ab vſu eiuſdẽ quoties ſumſerit, ſudorẽ cieat æger, perſanare, imõ hac ratione omnes ſanguinis venarũque impuritates & febrium radices materiamque expelli & elidi, peritiorum fert aſſertio.

Caſſutharum virtus ad ſanguinis impuritates, quartanã, viſcerum mala, & morbum Gallicum.

CAP.

CAP. XVII.

Myrobalanorum diuerſa genera, diuerſos ſpecifice purgant humores: eorum præparatio debita: & extractio, quam tradit Meſue, qui primus ſynceriorũ è vegetabilib. eſſentiæ extrahendæ modum inueniſſe videtur. Myrobalani purgante & roborante ſubſtãtia conſtant, in qua eorum parte vis purgans inſit. Vtilia & ſpecifica ad dyſenteriam purgantium paradygmata traduntur.

Myrobalani quid. MYrobalani ſunt arborum diuerſarum fructus, in quinq; genera diſtincti, prunis, ac ſi de horum ſint familia, haut abſimiles. Quęlibet ſpecies peculiarem habet arborẽ, in qua ſuccreſcit, natalitiam. Magnitudine & colore, quo ad externa, potiſſimum diſtinguũtur. In eo cõueniunt, quod manifeſtam poſſideant qualitatẽ viſcera & naturam roborandi, & ſimul formali polleant facultate aluum ſoluendi, & ſupuacũa expurgandi. Sunt vero omnia myrobalanorum genera frigida in primo, & ſicca in ſecundo gradu, iuxta Meſuæ ſententiã, quamuis exigua maioris minoriſq; frigiditatis ratione differre velint. Salutaris eorum eſt vſus, quod vniuerſim intellectum acuunt, cor recreant, tremorem eius ſanent, ſpiritus reficiant, ſtomachum & inteſtina laxa corroborent, cõtrahantq; & emundent, æſtu eneruata refocillent, epar confirment, ſuperfluitates putridas conſumãt, anhelitum cõmendent, ſenectutem arceant, iuuentutẽ protrahant, colorem corpori concilient elegantiorem, odorem faciant iucundũ, hilaritatem generent, naturamq; totam mirifice fulciant. Bilis quin etiam feruorem reprimunt, & eos peculiariter iuuant, qui temperamento ſunt calidiore, quod flaui potiſſimum præſtant, & eandem bilem etiam proprie detrahunt. *Virtutes myrobalanorum.*

Formalis, quæ ipſis ineſt virtus & proprietas euacuandi humores & expurgandi corpus, admodum ſuauis & mitis eſt, nulla perturbatione naturã & viſcera, dum operatur, afficiens, & quia nobiliores, dum euacuant, partes, præcipue ventriculum, inteſtina & epar roborant, ſpecificum dyſenteriæ conſtituunt remedium. Myrobalani flaui magis bilem flauam, indi & nigri melancholiam & atrabilarios humores, chebuli vero Emblici & Bellirici pituitam ducunt. Vnde veterum, qui apud Platearium extant, verſus. *Specifica virtus purgandi, myrobalanorum.*

Myrobalanorum ſpecies ſunt quinq; bonorum,
Citrinus, Chebulus, Belliricus, Emblicus, Indus:
Primo trahit choleram citrinus, phlegma ſecundo,
Chebulus, è contra Belliricus Emblicus æque
Illud; & in nigram choleram niger imperat Indus.

Etiamſi vero abſq; omni corporis conquaſſatione & detrimento purgandi officium faciant, tamen illis, q viſcerum obſtructionib. obnoxii vel affecti ſunt, incõuenienter exhibentur, dein his, qui craſſis, viſcidis, impactis & alte incuneatis ſcatent humorib. Et quoniam adſtringentis ſiccantiſq; ſubſtantiæ ſunt, ſtomachi villis facile inhærent, atq; in eodem veſtigia corrugationis relinquunt. Obſtructionum diſcrimẽ vt declinetur, permiſtis iis, quæ tenuioris ſubtilioriſq; ſunt ſubſtantiæ & diureticæ facultatis exhibentur. Præſentib. infartib. nequaquam exhibendi ſunt. Proinde *ſero lactis* cõmode infunduntur, aut *ſucco fumariæ* vel *abſinthii* addita *ſpica, melle*, & ſimilibus. Ne vero ventriculi inteſtinorumq; fibris adhęreant & corrugationis poſt ſe veſtigia relinquant, cum *oleo amygdal. dulcium, violaceo*, aut *ſeſamino* ipſis ſubſtantiæ mollicies & lubricitas conciliatur. Macerãtur in *oleis* & ſubinde fricantur, hinc in vmbra ſiccantur. Meſue affundit *oleum amygdal. dulc.* in quo nutritos & ſubinde fricatos aliquãdiu in ſole vel lento calore ſiccat, id triduano temporis ſpacio aliquoties repetit, & ex hoc denuo triduum in *aqua ſaccharata* vel *ſero lactis* cum pauco *ſacchari* macerat, in quo trita, mitigata, & in pulpam redacta, trochiſcos conformat. Non abs re eſt, quod alii in iuſculo pinguiori maceratos exhibent, vel cum *paſſularum pulpa* aut *melle paſſulato*, quod ipſis iuxta Meſuen appropriatum eſt, & lenitatem conciliat, quo nomine etiam cum *manna, caſſia, conſerua & ſyrupo violato* propinatur. Quamobrem Platearius inquit, *ad purgandam choleram damus ex caſſia & tamarindis in aqua reſolutis & percolatis, cui mixtum ſit ſerum, in quo per noctem macerarit puluis myrobalanorum. Aut reſoluatur caſſia & tamarindorum pulpa cum manna in aqua, colaturæ addatur ſaccharum, & fiat ſyrupus, cui infundantur myrobalani, virides & maturi ſi ſint ad manus, vel in defectu horum ſiccati, in eoq; intumeſcentes & extenſi ſeruentur ad vſum, quorum vnus ſi deuoretur, ſuperbibitis aliquot ſyrupi iſtius cochlearibus, debilitate cordis laborantes & in ſyncopen procliues adprime iuuat.*

Quomodo vt rite purgandi actũ excerceant, myrobalani ſint præparandi.

Myrobolani Trochiſcati.

Penitius rem conſiderans Meſue accuratiorem inuenit myrobalanorum rectius ad vſum transferendorũ præparandi modum, quem ſic tradit. *Sunt quidam, qui ſeparant in eis, quod eſt ſecundum ſpeciem ab eo, quod eſt ſecundum materiã: & eſt modus ſolemnis: infundunt n. myrobalanorum partem vnam in decem partib. ſeri lactis caprilli, ponuntq; per dies octo in vaſe vitreo ſtricti orificii, poſtea vnica colatura cũ forti confricatione & expreſſione facta ſenſim aquã ſuperfluã exhalare permittunt: & ſic vel ſimpliciter aſſeruant, vel aliis pharmacis pro intẽtione & vſu adiectis inſpiſſari ſinunt.* Nũquid verus hic extrahendi vegetabilium virtutem & eſſentiam penitiorẽ modus deſcribitur? qd igitur eſt, ꝙ neoterici, & ex iis ſigillatim chymici nonnulli ſuum & huius ſeculi inuentum extractionum con-

Extracti Myrobalanorum faciendi modus à Meſue inuentus.

conficiendarum rationem eſſe gloriantur, & falſo clamitant?

Sed de vera ad vſum feliciorem præparatione quid ſentiendum ſit, vt aperiamus, tenendum, in myrobalanis diuerſarum ſubſtantiarum non vna & æquali virtute conſtātium eſſe compoſitionem. Cortex enim & ipſa eorundem ſubſtantiæ caro ſiccæ, frigidæ & adſtringentis eſt naturæ, quod vero ſubſtantiæ gummoſi inhæret, idipſum eſt, in quo humores pituitoſos bilioſoſque blande educendi virtus reſidet. Et hæc eſt cauſa, quamobrem, cum in liquore conuenienti non nimis feruenti, calide tamen macerantur myrobalani, dilutum vberius purget. Vnde Meſue ait, *infuſio eorum competit, quando ſolum quæritur ſolutio, & ſcito, quod decoctio eis acquirit vehementiorem oppilationem, quā ſola infuſio.* Quocirca ſcite ingerit Platearius, *myrobalanorum puluériſatorum ℥ iſ. ponimus in aqua calida non nimis feruente aut ebulliente, quia conſumeretur tota gummoſitas, per quam purgant.* Hactenus Platearius. Quos equidem miror, pleroſq; rei medicamentariæ ſcriptores adeo oſcitanter inſpexiſſe & excuſſiſſe. Sola enim maceratione calida gummi, quod ineſt, ſoluitur & colliqueſcit; accedente autem ebullitione & coctione pertinaciore vis adſtringētium corticum & temperies ſubſtantiæ carnulentæ frigidioris ſicciorisque in ipſum liquorem tranſire compellitur. Si vero in ſubſtantia exhibentur cum conuenientibus & *ſupra* memoratis vehiculis, modice purgant, nec parum adſtrictionis poſt ſe relinquunt, quamobrem eorum decoctum aut puluis conuenit in dyſenteria, & vbi acres, acutæ tenuiumq; humorū fluxiones infeſtant, quæ alioquin, niſi hoc modo tractentur, torrentius ꝑcipitantur. Hæc itaque rei ſumma eſt: *Infuſio ſola duntaxat purgat, coctio nonnullam cum purgandi vi importat adſtrictionem; pulvis exhibitus ſoluit & adſtringit, combuſtio vel aſſatio pure ſtringit.* Ex his etiam præclare liquet, illud myrobalanorum genus felicius vberiuſque purgare, in quo gummi copioſius ineſſe apparet. Huius vero maiorem vim contineri, & plus reperiri in *chebulis*, auctorum obſeruatione & autopſia demonſtratur.

Cum diuerſa in myrobalanis ſint ſubſtantiæ, quid ſit illud, in quo purgandi virtus conſiſtat.

Cæterum priuſquam ab hac materia recedamus, non præter rem erit, commonſtrare, quam inſcite faciant, qui adſtringendi & contrahendi vim in *myrobalanis* corrigere annituntur *tamarindis*, *Rhabarbaro* vel *agarico* adiectis, cū hic ventriculi villis æque adhæreat, & ſe inſinuet, illud ſubſtantiæ ſuæ parte craſſiore & potiore, per omnia eodem modo, quo *myrobalani* adſtringat; *Tamarindi* autem frigidæ ſiccæque temperiei, ſimilem pene atque myrobalani ad operationis ſuæ felicitatem requirant præparationem, & adminicula. Nec inutile erit diſquirere, num recte faciant, qui ſuadent, & commendant mixturas myrobalanorum cum *diagridio*,

gridio, ob id, quod illi huius acumen & ferociam retundant, hoc vero eorum ſegnitiem & imbecillitatem irritet acuatque. Qua in re, vt quod ad vſum ſaluberrime faciat, obtineamus, ſciendum, illis pharmacis, quæ maligna & immani qualitate, qua viſceribus inſultare poſſunt, prædita ſunt, nequaquam addenda corrigentia; quæ adſtringendo earum effrænem potentiam coerceant, quippe quod horum opera diutius in corpore permanere, furere, & malignitatem longius exſerere, altiuſque imprimere compellantur, ſed talia, quæ ex aduerſo qualitates acres & malignas mitigent & permulceant, & lubricando ſimul viam faciant, vt minore moleſtia celerius exeant & egerantur, de cuius argumenti genere ſuperius eſt actum vberius. Modeſtiorem autem *myrobalanorum* præparatorum vim, adiectis aliquot *diagridij* granis non inepte acui fatemur, illos vero ad huius correctionem rite & recte miſceri, adſeuerare non poſſumus.

Citrinorum virtus & operatio. In *flauis myrobalanis* illi præferuntur, qui in viridi plane & plene flaueſcunt, ponderoſa, fatta, gummis maxime intus reſperſa exiguum habentes oſſiculum. Hi bilis feruorem maxime reprimunt, eandemque peculiariter expurgant, ventriculum, cor & iecur roborant, hæmorrhoidibus proſunt, eiſque proprie conducunt, qui ſunt temperamenti calidioris. Fricantur cote ad oculorum collyria cum *vuæ acerbæ*, aut *roſarum aqua*, vel *fœniculi ſucco*, quod oculorum inflammationes reprimant, lacrumas ſiſtant, defluxioneſque cohibeant. Horũ puluere ſanantur vlcera addita *reſina*, *lentiſcina*, ſeu *maſtiche*,

Chebulorum electio & efficacia. E *Chebulorum* cenſu recipiuntur, qui reliquis craſſiores colore nigro, purpuraſcente, cortice craſſo, & qui in aquam proiecti continuo fundum petunt. Pituitam hi expurgant, intellectum acuunt, viſum faciunt illuſtriorem, præſertim *ſaccharo* aſſeruata ventriculum emundant & confirmant, vtiliterque exhibentur aqua intercute affectis & febribus diuturnis afflictis.

Emblicorum vtilitas. *Empelici* antecellunt, qui in maiora, craſſiora, denſiora, ponderoſioraque fruſta diuiduntur, quique minus oſſis, quam pulpæ habent. Extrahunt pituitam, cor & cerebrum roborant, intellectum augent, ventriculum à pituita aliiſque noxiis humoribus expurgant & confirmant, ſitim exſtinguunt, vomitiones cohibent, & ad cibi appetentiam inuitant.

Bellericorũ natura. Inter *Bellericos* excellunt ii, quibus cortex eſt craſſus, quique craſſi denſi & graues ſunt. Cum *emblicis* eandem obtinent facultatem, conferunt etiam iis, qui pus exſpuunt, & ad fluxum hæmorrhoidum ſuperfluum, & capillorum caſum, iiſque, ſi à lotione inſpergatur puluis, nigrorem conciliat.

Chebuli conditi, inquit Meſue, *minus purgant, plus corroborant, contrarium*

faciunt inconditi, modum condiendi vide ibidem.

Ad dyſenteriam

Remedia dyſenteriæ.

℞. *flor. roſar. rub.*
fol. plantag. ana p. j.
Radic. liquiritiæ ℥ j.
paſſul.
Tamarindor. ana ℥ vj.
myrobal. citrinor. ℥ ß.
coquantur in hydromelite
colaturæ infunde Rhabarb. ℥ j. ℈ j.
ſpicæ ℈ ſ.

Fiat expreſſio, & adde ſyrupi cydoniorum vel de roſis ℥ j. detur.

Felici cum ſucceſſu ſequentem vſurpaui.

℞. *Rhab.* ℥ ijſ.
agar. trochiſ. ℥ ij.
myrobalan. citrinor. ℥ ſ.
nuc. moſc. ℈ ij.
ſem. cymini torrefacti ℈ j.

Infunde in ſ. q. aquæ plantagin. abſinthij agrimon. ana p. æ. *calefac, cola, exprime.*

Colaturæ ℞. ℥ vj.
Quibus miſce
ſyrupi cydonior.
de abſinth. ana ℥ ſ.
Remiſce, fiat potio pro duabus vicibus.

℞. *myrobal. citrinor.* ℥ iij.
chebulorum ℥ ij.
paſſular. ℥ j.
ſpicæ ℈ ſ.

Bulliant in aqua plantaginis ad ℥ iij. *exprime fortiter, & adde puluer. Rhabarb.* ℈ ijſ. *ſacchari parum, fiat hauſtus.*

℞. *aquæ hordei* ℥ viij.
myrobal. citrin. ℥ iij.
chebulor. ℥ jſ.
Rhabarb. electi ℈ ijſ.
flor. violarum,
prunellorum,
roſarum ana p. j.
Infundantur horis tribus calide.
Colaturæ ℞. ℥ iij.
ſyrupi de myrobal. ℥ j.
pul. Rhabarb. ℈ j.
macis gr. v
Miſce pro hauſtu.

Chebulorum electio & efficacia.

Ingrediuntur vero *myrobalani* compoſitionem *confectionis Hamech* & magnam *pilul. Arabicarum* partem conſtituunt, miſcentur *aggregatiuis*, & *de Rhabarbaro*, & *de Eupatorio*, *Lucis*, *ſine quibus*, *ſtomachicis*, *alkindi*, *Meſuæ alephanginis* & de *opopanaco*. Peculiares de quinque generibus *myrobalanorum* conformauit pilulas Nicolaus, & cum hæmorrhoidibus maxime conferant, recipiuntur copioſe in compoſitionem earum, quæ de *bdellio* nuncupantur. Eximiæ quinetiam virtutis *ſyrupus de myrobalanis* magiſtralis exſtat ad dyſenteriam, qui *ſupra lib. 1. cap....* deſcribitur.

CAP. XVIII.

Sena primario humorem melancholicum, deinde craſſam pituitam è liene, meſenterio & viſceribus copioſe ſed benigne educit. Quo pacto corrigatur, præparetur, & rite vſurpetur. Coctionem non tolerat, omni ætati innoxium eſt pharmacum.

cum. Omnia ſenſuum organa roborat.

SEna veteribus incognita, vel ſaltem ab iiſdem ad poſteritatem nō deſcripta, nomen accepit à Mauritanis, quod poſteri ſeruarunt, Perſis *abalzemer*, ab Arabibus primum in vſum accerſita, calida & ſicca eſt, in initio ſecundi gradus. Vti *Rhabarbarum anima iecoris, agaricus medicina ſecuritatis, aloe fel naturæ*, ita *ſena omnium ſenſuum organa purgare & adprime roborare dicitur.* Euacuat autem primò & proprie humorem melancholicum & atrabilarium, dein pituitam craſſam, & conſequenter cæteros humores; vltra ſecundam corporis regionem vis eius non magnopere extenditur. Trahit autem ſingulariter à liene, meſenterio, hypochondriis atros, craſſos, viſcoſos, lentoſque humores, ſanguinem emundat & emendat; Eſt pharmacum ſenibus, pueris, grauidis, delicatis, imbecillibus, omnique pene ætati omnino conueniens, naturæ familiare & domeſticum; infenſæ cuiuſcunque qualitatis expers. Veteres obſtructiones, ſeſe in venas inſinuans expedit, obduratos tumores euacuat, vnde diuturnorum atque lentorum morborum, quos viſcerum impuritas aut vetus emphraxis genuit, quales ſunt febres chronicæ & pertinaces, melancholiæ, vitiligines, impetigines, ſcabies, epilepſiæ, ſingulare remedium eſt; ſenſuſque omnes exacuit.

Sena ſpecifica purgādi virtus.

Innoxiè operatur.

Quibus morbis conueniat.

Neque enim orificium ventriculi aut eius ſubſtantiam & inteſtina offendit, vt Meſue putauit, quod moderate calida & ſicca adſtrictionem & amariciem quandam guſtantib. repræſentet. Flatus & hos conſequentia tormina non excitat, niſi per accidens, videlicet frigidos viſcoſoſque humores verſando, & in flatus conuertendo, aut quod craſſos tenaceſque humores ad inteſtina deducat; qui ægre & vix ſine ſenſu doloris è gyris eorum protruduntur. Arabes obſeruarūt poſt ſe relinquere adſtrictionem, quocirca lubricantibus miſtam exhibuerunt. Vulgo, vt ſtomachus confirmetur, neque noxam, quę tamen, vti dictum, haut metuenda eſt, capiat, additur *zinziber*, *cinamomum*, *Garyophylli*, *ſemen aniſi*, & vt vis eius ſegnior exſtimuletur, *nitrum*, *ſal gemmæ*, vt leniendo ſine torſionibus craſſos educat humores, miſcentur ea, quę lubricādo exitum iuuant, quamobrem infunditur, maceratur, & exhibetur cum *ſero lactis caprilli, iure pinguiore galli vel capi*, cum *decocto prunorum, iniubarum, vuarum paſſarum, althea*, polypodii, florum violarum, borraginis, maluæ, vel cum manna, & caſſia. Ad morbos calidos ſero commode infunditur, ad frigidos aquæ fumariæ *vino* & ſimilibus.

Quomodo recte corrigatur & exhibeatur.

Vtrum folliculi cum ſemine; an vero folia maiore purgandi vi prædita rectius in vſum vocentur concertant auctores. Fernelius & Serapio primas tribuunt folliculis & ſemini, contra-

Folliculi, an folia ad vſum recipienda.

contrarium maxima pars auctorum tuetur. Matthiolus, vt componat litem, aſſeuerat, ſe experientia didiciſſe, *folliculos* & *ſemen* ante plenam maturitatem ſucculentos, nec in herba flacceſcentes, ſi decerpantur, atq; aſſeruentur, idem præſtare, quod folia, in proprio vero caule areſactos, omnem cum ſucco & virore virtutem amittere, vnde vſus obtinuit, quod folia recipiamus. Præſtat vero *ſena Alexandrina Ægypti*, vel quæ aduehitur Mecha. Rectius infunditur, quã coquitur, quod vis purgandi coctione facile euaneſcat. Braſſauol. id verum eſſe duntaxat, cum minore copia coquitur, maiori quantitate nihil virium diſperdere arbitratur. Sed cum partium homogenearũ eadem ſit natura, id, quod particulis accidit, cumulo earum inſolens eſſe nequit.

ena non olerat coctionem.

Doſis. Infunditur additis corrigentibus & ſeparatis ſtipitibus & impuritatibus, ab ℥ ß ad ʒ vj. pro vna, & pro duplici potione ad ℥ j. idq; commode in *iure carnis gallinæ, ſero lactis caprilli, aqua fumariæ* aut alio conuenienti liquore, vel decocto feruidis, vt per noctem in loco calido, vaſe arcte clauſo aſſeruetur, mane calfiat, & ſponte intepeſcens fortiter exprimatur. Huius colaturæ vulgo ℥ iij. vel iiij. cum *manna* vel *ſyrupo roſarum laxatiuo* aut electuariis lenientibus acuentibusve, ſi occaſio poſtulat, exhibent, vt aluum ſimpliciter laxet, ʒ ij. vel ʒ iij. linteolo laxiore exceptę parũ coquũtur & crebro exprimuntur in iure prunorum.

Sena infuſio in decocto guaiaci ſanat luem. Matthiolus *folia ſenæ* cum *Rhabarbaro & agarico* infundit *decocto guaiaci*, quo ad quadraginta dies poto, ſine ſudoris profuſione ſe curaſſe gallicana lue infectos, teſtatur.

Pulueris ſenæ ʒ ij. exhibentur cum iuribus *ſupra* nominatis, addito *zinzibere, cinamomo, ſale gemmæ*.

Pulverum ſenæ variorum auctorum materia. Hinc varie præparati pulueres cõpoſiti in vſu ſunt, qualis Montagnanæ, Braſſauoli, Wieri, Andernaci, Trincauelli, aliorumque, qui vulgo præparantur ex *ſena, epithymo, cinamomo, garyophyllis, Galanga, ſem. aniſi, tartaro, nitro, ſale gemmæ*, cum vel ſine *diagridio*. Proſtant inſuper ſyrupi *de ſena, & electuaria, pilulæ, extracta*. Talis eſt ſyrupus Matthioli ex ſena viridi compoſitus; & ſyrupus ſenæ Fioravanti, & Heurnii & Auguſtanorum, & Renodei *diaſenatum* ſeu *diabalzemer* à Perſica denominatione dictum, & *electuarium de ſena* Nicolai: eam quoque excipiunt, *electuaria diacathol. Nicol. de manna, Hamech, de pſyllio, diacidon. laxati. paſſulæ laxatiuæ, pilulæ Imperatoris, lucis maior., de quinque generibus myrobalanor. decoctum Gereonis, & Galli veteris, extractum Quercetani & Heurnij; vinum laxatiuum Quercetani.*

Extractum ſenæ quomodo paretur. *Extractum ſenæ* ſimplex rite præparatur affuſa *aqua vel ſucco pomorum redolẽtium*, quod huius & plurium vegetabilium menſtruum idoneum cenſent, ſi inſtillentur aliquot guttæ *olei Tartari* per deliquium facti. Cæterum, quia omnium ſenſuum organa confirmare

perhibetur *ſena*, lixiuiis cephalicis etiam miſcetur.

CAP. XIX.

Lapidum melanagogorum hiſtoria. Quomodo differat Armenius à lazulino. An ille huius ſit materia, quæ eorum differentia, & uter fortius purget, quo pacto uterque præparetur lotione, vt innoxie & ſine violentia operetur. Quibus morbis conducant. Lapis lazuli duplici virtute eſt inſtructus, melanagoga & cor vireſque confirmante ac reficiente. Ad vtramque operationem præſtandam diuerſa præparatione opus eſt.

LApis, qui Armenii appellatione indigitatur, quomodo id nominis indeptus ſit, auctores inexplicatũ reliquerunt. Nec enim hac tempeſtate copioſum eius in Armenia eſſe prouentum, nec antiquitus facultatem & vſum ibi primo inuentum cõſtat. Idem præterea nomen obtinuit, qui alibi & præſertim è Germaniæ metallifodinis vbertim eruitur, quod notis omnibus Armenium repræſentet, & pari facultate purgandi atrabilarios humores, teſte infallibili clariſſimorum virorum experientia donatus ſit, quamobrem eiuſdem eſſe generis, ſiquidem locus & regio eſſentiam rei non immutet, recte concluditur. Braſſauol. in examine purgantium teſtatur ſe expertum eſſe, *lapidem Armenum* ex Germania allatum, lotũ & præparatum, eoſdem edidiſſe effectus, quos ille, qui ex Armenia Venetias aſportatur vel aſportari dicitur.

Lapidi cyaneo ſeu *cæruleo*, quem *Lazulum* vulgo vocãt, cõgener cognatuſq; videtur, quod cum eodem in iiſdem non modo proueniat metallorũ mineris, ſed & adeo promiſcue ſimul oriantur, vt cærulei fruſtũ vel particula, nõ modicum *Armenij contineat, & è conuerſo*; Qua ratione ducti, clariſſimi quidam auctores cenſuerunt Armenium nil aliud eſſe, quam materiã cærulei nõdum à calore in viſcerib. terræ ad vltimam perfectionem elaborati, veluti *miſii*, *ſori & chalcitis*, nil aliud eſſe creduntur, quam *calchanti* materia. Diſcrepant aũt colore, conſiſtentia & agendi intenſione. Armenius ex viridi in cæruleum inclinat, maculis viridib. cæruleis, & ſæpe etiam nigris diſtinctus eſt. *Lapis lazuli* integre *cyaneus* ſeu *cæruleus* eſt, & nunc aureis, nunc argẽteis radiat punctis, vel ſtellis, pro ratione metalli, cui adhæret vel conraſcitur. *Lapis Armenius* friabilis eſt, quod ex *ſup.* allegata ratione liquere poteſt, nec ea, qua *Lazulus*, ſoliditate præditus; requirit n. Dioſcor. ad integritatem Armenii, vt ſit leuis, calculorum expers, æquabilis ſeu planiſſimus & friabilis. Demum virtutis intenſione ſiue ab aperta, ſiue occulta qualitate differunt. *Armenius* in principio ſecundi gradus calidus & ſiccus perhibetur à Meſue, *Lazuli* in tertio. Auicenna & Meſue maiorem purgãdi atrabilarios humores facultatem

Armenius creditur eſſe materia cærulei.

Differentia Armenii & cærulei lapidis.

Arme-

Armenio aſſignant, de qua ſententia nõnihil dubitationis recte rem ponderanti incidere poſſit. Si enim iſta pharmaca intenſioris ſunt ad purgandum virtutis, quæ cum ſpecifica formæ proprietate acriores ex elementorum communium ſyncriſi acutioreſq; poſſident qualitates, neceſſum eſt, lazulum Armenio prævalere. Deinde, cum operatio rei eſſentiam eſſentiæq; perfectionem ſequatur (*vti enim quodlibet ſe in eſſe, ita habet etiam in operari*) neceſſum erit, quod in genere perfectius eſt, id quoq; maiori efficacia & operandi poteſtate eſſe affectũ. Lapis Armenius vero lazuli materia, inchoatio & rudimentum non inepte ſtatuitur. Accedit & hoc, quod recẽtiores ratione & experientia ducti, minorem aſſignent doſin lapidi lazuli, quam Armenio. Quæ enim in minori doſi æqualiter vel plus operantur his, quæ maiore in eundem finem vſurpantur, ea intenſiori virtute prædita eſſe omnino par eſt. Nec obſcure affirmant, qui id obſeruarunt, lapidem lazuli fortius concitare vomitum, quam faciat Armenius. Cæterum non dictum ſcriptumve id velim, ac ſi ſummorum artis noſtræ architectorum auctoritatem conuellere induxerim, ſed quod ea, quæ in his relegendis inciderint dubia, lectorem celare noluerim.

...ter lapidũ ...rtius educ... it melan... olicos hu... ores.

...apis laxu... i fortius ... urgat, quã Armenius.

Armenii ... apidis hi... toria & ex... plicatio.

Lapis Armenius iuxta Meſuene ſt calidus & ſiccus in principio ſecundi gradus, reſoluit, abſtergit, turbat, & ſubuertit ſtomachum, educit per vomitionem & ſeceſſum. Collutione multoties reiterata qualitatem illam, qua nauſeam & anacatharſin concitat, deponit, & blande, ſed tamen ſufficienter educendi humores melancholicos poteſtatem retinet. Veteres Græci ante Alexandri & Aëtii ſecula id vel ignorarunt, vel haut commonſtratum poſteris, ſilẽtio prę teriuerunt. Auicenna recte ſubſtitui *Helleboro* cenſet, quod in eo æqualis vis, minore tamen violentia, ſi dextre præparetur, inſit educendi bilem atram. Idem *lib. de virtutibus cordis, tract. 2.* aſſerit, ſanguinem cordis purgare, & vapores à ſpiritibus vitalibus abſtergere.

Lotione vis inſolens miteſcit.

Atram à cerebro & corde educit bilem.

Aëtius *lib. 2. cap. 47.* craſſum ſanguinem habentibus exhiberi, & ex *decocto centaurei minoris*, morbo ſacro obnoxiis & furioſis dari iubet. Meſue electiue bilem nigram è cerebro efficaciter ducere, & ex hoc ad ægritudines præcipue melancholicas, videlicet maniam, melancholiam, vertiginem, capitis dolorẽ, epilepſiam, morbos item timoris & ſuſpicionis, ad lepram, vitia ſplenis, cancrum, morpheam nigram, & melancholicas febres conducere aſſerit. Lapidis Armenii virtutem in deiicienda atra bile & melancholicis affectibus curandis, præ cæteris exprimit Alexander Trallian. *lib. 1. cap. de melanchol.* vbi ſic inquit: *Quod ſi Hiera data nihilominus infeſtare videantur melancholicæ imaginationes, ſine vlla cunctatione lapidem Armenium dare feſtinato.* Noui enim

Quibus affectibus cõducat.

nim ex veteribus antiquiores ad veratrum album properaſſe, vbi affectum ab aliis purgantibus imminui nihil penitus conſpicerent. Verum ego lapidem Armenium veratro albo præfero, atque licet vtentem experientia ipſa cognoſcere, quomodo, præterquam efficaciter etiam ſine moleſtia & periculo purget, quorum nihil album veratrũ habere nouimus. Si igitur res poſtulat, non modo infra per aluum, ſed etiam per vomitum fieri purgationẽ, lapidem illotum exhibere conuenit. Sit autẽ modus ipſius ℈ iij. aut paulo amplius pro viriũ ſimul & noxij humoris ratione. At ſi æger purgatione per ſuperiora non admodum indigere videatur, ſed per imũ ventrem totum vitioſum humorẽ exire conducat, tunc lapidem eluere oportet vſq; ad duodenas (vetus legit quinquagenas) vices. Cum enim id fecerimus, neq; turbationem ſtomachi, aut compreſſionẽ lapis excitare poteſt. Quinetiam minori moleſtia nigrum terreſtremq; humorem vacuabit, vt paucis præteritis diebus adiumentum ex eo nobis acceſſiſſe percipiamus. Dato autẽ ex eo ℈ v. vel vj. vt plurimum ex aqua tepida, ſemper ex cognatis dictis coniectura deprehendes, an plus minuſve exhibere debeas. Quod ſi ægrum adhuc bis requirere ſuſpiceris, cum fiducia exhibeto, neq; enim calorẽ habet, aut ſiccantem admodum, aut aliam quãpiam ipſi inſidẽtem qualitatẽ amaram vel venenoſam, vt æger ideo medicamentum bibere detrectet. Si ſint, qui humidam remediũ formam auerſantur, in catapotia redigere oportet. Si vero libet etiam picræ aliquam inſignem partem admiſceto, aut etiã ex aliis quibuſdam, quæ purgationem magis promoueant. Et non renititur. Hactenus Alexãder. *Pilulæ de lapide Armenio* in vſitato noſtro diſpenſatorio Cordi deſcribuntur.

Vſus, vtilitas & ratio exhibẽdi lapidem lazuli.

Trallian. *lib.1. cap.16.* pilulas de lapide Armeno conſignat, quarum deſcriptionem illi, qui iuſta lance eam examinant, mendoſam eſſe arbitrantur. Quæ hodie extat talis eſt.

Pil. de lapide lazuli Tralliani.

℞. *Hieræ picræ*
Epithymi ana ʒ ſ.
Agarici
lapidis Armeni ana ℈ iiij.
Garyophyll. gr. xx.

Ab illa variat, quam ex Alexandro tradit Actuarius, & item Meſue *cap. de cephalalg.* Accedit, quod antiquus interpres pondera variat. Proinde cũ lectio corrupta & *ſcammonii* excedat quantitas, hoc ſtylo à medicinæ magiſtris correcta eſt.

℞. *Hieræ picræ*
Epithymi ana ℈ iiij.
agarici,
lapidis Armeni loti ana ℈ iiij.
ſcammonei ℈ ij. vel ʒ j.
Garyophillor. gr. xx.

Excipe ſucco citri vel Rhodomelite, doſis ℈ij. aut ʒj. Meſue etiam tradit pilulas de lapide Armenio ex Gabriele. *Diaſena* Nicolai etiam *lapidem Armenium & lazulum* recipit.

Recta vtriuſq; præparatio hæc eſt: *Teruntur in mortario, abluuntur aqua cõmuni, ſiccantur in ſole vel cineribus calidiuſculis, rurſuſq; abluũtur & ſiccantur, donec aq. limpida remaneat, idq; nõ modo decies, ſed & vigeſies, ſi op⁹ fuerit, iteratur.* Vnde Platear. inquit, *ſignũ perfectæ loturæ eſt,*

Lotione reiterata quomodo plene præparetur vterq; lapis.

cum

cum aqua non amplius inficitur; & alius addit, *ſi nec colorem vel ſaporem aliamue qualitatem ab ea ducat.* Tandem quinquies vel ſexies *aquis cordialibus, veluti borraginis, bugloſſi, roſarum abluuntur, aut eorum ſuccis imbuuntur.* Hoc modo præparatis lapidibus, ea, quæ virtutem incidunt & irritant, addi debent, vt *Garyophylli, hiera, diagridiũ, ſal nitri* &c. conſimilia. De trituratione plus ſuſtinet lapis lazuli, quam Armenius. Neque ſunt hi lapides, vti quidam ſiniſtre ſenſerunt, venenati aut maligna qualitate præditi, vt propterea vſus eorum reformidari debeat, plurimum enim, ſi dextre præparentur, morbis ex humore melancholico profectis conferre obſeruatum eſt.

De lapide Lazuli cyaneo. Lapis Lazuli optimus eſt, qui perfectiſſimum cyaneum colorem habet, & guttis aureis interlitus vel ſtellatus eſt, cui nullus alius adhæreat lapis, neque facile frangatur. Secundum locum obtinet, qui argenteis punctis coruſcat; & hic apud nos frequentior eſt. Iuxta Meſuen eſt calidus & ſicc⁹ in tertio gradu, abſtergit, incidit, adurit, vlcerat, eſt ſepticæ putrefacientiſq; facultatis. Proinde nõ lotus pſilothri vim habet, lotus vero pilos conſeruat, elongat & in palpebris generat. Galenus lapidem lazuli deiectoria facultate valere, non ignorauit, ſed quod ſpecialiter humores melancholicos ſeligat & euacuet, præteriuit id, quod magna ſedulitate Arabes explorarunt & poſteritati commendarunt.

Specifica vis in lapide lazuli duplex eſt, melanagoga & cor roborans. Formalis & ſpecifica vis in eo duplex eſt; alia, qua humorem melancholicum proprie educit, & alia, qua cor & ſpiritus vitales mirifice roborat & recreat, vnde lætificantibus, & ſpiritus humore, vapore vel malignitate atrabilaria vexatos ſerenantibus nniſcetur medicamentis, vt quoquo modo adhibitus, melancholicis affectibus mederi, & contra eoſdem naturæ gratificari videatur. Platearius ad melancholicas paſſiones, quartanam, vitia ſplenis, & hæmorrhoides exhibet cum *decoctione ſenæ & fœniculi.* *Educit humorem melancholicum & atrabilariũ.* Meſue docet, quod ſolutione educat melancholiam, & humores aduſtos, venas & ſanguinem ab iis emundet, & non lotus per vomitum & aluum humores craſſos & Melancholicos educat; præcellens auxilium ægritudinibus timoris & cordis conferat, pectus & pulmonem expurget, aſthmati à craſſis humoribus conducit, febres melancholicas pellat, hæmorrhoidibus recentibus medetur, à lepra præſeruet. Serapio addit, quod ſumptus & ſuppoſitus menſes prouocet. Platearius monet, non eſſe puluerem eius miſcendum potioni, ne fundum petat & ſumentẽ eludat, ideoq; è cochleari exhibendum, aut in pilulari vel electuarii forma dandum, optime vero purgare melancholiam, ſi præmiſſo *decocto ſenæ* poſt tertiam vel quartam ſedem exhibeatur lapis lazuli.

Virtus roborandi cor & reficiẽdi ſpiritus & vires. Altera virtute, qua proprie cor reſpicit, impendio illud roborat, eiuſq;

ægritudinibus præſenti remedio eſt, tremorem & ſyncopen ſanat, timores Melancholicos abigit, animam dilatat, & (vt Meſue loquitur) mineram gaudii in ea facit.

Ad ægritudines cordis & paſſiones melancholicas.

Platearius docet, quod contra cardiacam paſſionē detur cum *ſucco boraginis* & cum *puluere de corde cerui*, cōmendatque contra omnes paſſiones melancholicas. Meſue tradit, quod ex ſapientib. quidam ipſum poſt ablutionem poſuerint in confectionib. lætitiæ, & proprie dragmas octo vni libræ confectionis miſcuerint, & *cum ſucco bugloſſæ depurato & vino ſubtili antiquo* exhibuerint, pro præſenti & ſolenni remedio ad ęgritudines melancholicas.

Præparatio lapidis lazuli vt vel modeſte purget, aut poſita vi catarctica cor roboret, vires fulciat.

Vt autem pro cordiali rite vſurpetur medicamento, alia requiritur eiuſdem præparatio. Nam veluti lotio crebra poteſtatem ferociter vacuādi, & vomitus concitandi auffert, deorſum autem benigne purgandi conſeruat, ita vſtio eiuſdem omnem catarticam vim abolet, & virtutē, qua cordi inſeruit, ſeruat & acuit. Vritur autem in crucibulo, dein teritur & multoties in aqua, primum cōmuni, deinde cardiaca veluti *roſacea* aut alia conuenienti abluitur, ſiccatur, rurſuſque reiteratur ablutio & ſiccatio, donec aqua remaneat limpida.

Mirari hic ſubit magni nominis ſcriptores tradere modum extrahendi eſſentiam è lapide lazuli eiq; è crudo vel vſto; aut vtrolibet modo præparato indifferenter aſſignare virtutē purgandi. *Quidam n. in catino candefactum hunc lapidem ſexies reſtinguunt ſpiritu vini, conterunt, in marmore læuigant, eluunt aqua dulci, craſſamentum & innatantem alienam leuitatē reiiciunt. Exſiccato affundūt ſpiritum vini, eſſentiā extrahunt, coagulant, eamq; affuſa aqua meliſſæ per digeſtionem rectificant, & pro vlteriore correctione affundunt eſſentiā margaritarū, corallorū, croci, oleū cinamomi, Garyophyllorum.* Quemadmodum vero hæc præparatio vtiliſſima eſt, cum lapidē lazuli ad vires cordis reficiendas, & ſpiritus eiuſdem per animi deliquia & mœrores melancholicos afflictos conſolandū exhibemus, ita omnino inidonea eſt, ſi purgationē humoris melancholici moliamur, ꝙ vti lotio efferam vim purgandi tollit & benignā relinquit, ſic vſtio hanc penitus auferat, & virtutem, qua cor fulciat, eiuſq; ſpiritus ſerenet & recreet, non modo ſeruet, ſed promoueat. Qua ratione compulſus clariſſimus Renodæus lapidem lazuli vſtum recipit ad compoſitionem *confectionis alchermes*.

Neq; Meſue huius cōpoſitionis auctor & naturæ ſcrutator circūſpectus & argutus tantā huic confectioni doſin lapidis miſcuiſſet, ſi nuda lotione dūtaxat paratus, ſupſtite in eo vi purgatrice debuiſſet recipi, id, ꝙ ex Meſuei verbis & auctiore doſi coniectare licet; ait n. recipiendum non tantū lotum, ſed & ꝑparatum, noſtræ relinquens induſtriæ perpendendum, quod lotio nuda non ſufficiat tunc, cum remediis miſcetur pure roborantibus

Quomodo lapis lazuli recte præparetur vt confectioni Alchermes & cordialia medicamenta ingrediatur.

tibus

tibus ad fulciendum vires cordis, ſed quod alia quædam inſuper p̄paratio neceſſario requiratur, quæ vim purgandi adimat, & roborãdi cõfirmet. Quapropter doſin adeo amplam poſuit vt intelligamus inutilẽ fore confectionem ad roborandũ cor, niſi debite preparetur lazuli lapis, q vſtione demũ præſtamus. Id ſi penſiculatius expendiſſent, qui pondus lapidis lazuli præter mentem & intentionem auctoris adeo minuunt, aut nobiliſſimam compoſitionẽ ſuſpectam reddunt, vel omnino reiiciunt, q lapidẽ lazuli purgante adhuc inſtructũ virtute recipiendum exſiſtimarunt, aut, qui compoſitionem quidem retinẽt, cæterum nuda lotione præparatũ in eandẽ recipiunt, variiſq; hoc ipsũ rationib. palliare conantur, facile ex his ſeſe labirynthis explicare potuiſſent.

Vtrvero illi perperam faciunt, qui non vſtum pro medicamẽto cordiali ſimpliciter roborante exhibent, aut remediis cardiacis hoc nomine miſcent, ita viciſſim nõ leuiter ceſpitãt, qui vſtione eundem ad purgandum p̄parant. Quod animaduertẽs Quercetanus ad hunc vſum ſola cõtentus eſt lotione, & eloto *pulueri affũdit aquã meliſſæ vel bugloſſi, factaque digeſtione eius diuaporationẽ leni calore procurat exſiccato affundit ſpiritum vini & circulat in B. M. per dies viginti, quo ſeparato per lenem deſtillationem, eſſentiæ relictæ addit extractum margaritarum, corallorum, croci, ol. cinam. & Garyophyllorum.*

Meſue præſcribit pilulas de *lapide lazuli*; eundem quoq; recipiunt *Indæ & pil. lucis minores, & pil. Auicennæ ad dolorem capitis maiores & minores, & Hiera Abbatis, & electuarium Renodæi diabelzemer ſeu ſennatum.*

Neque expers eius eſt confectio Paracelſi ad hydropem & vrinæ mala, conducens.

Confectio Paracelſi de lapide lazuli ad hydropem.

℞. Serapini, ladani ana ℥ iſ. *Galbani, lapidis lazuli, hermodactylorum ana* ℥ ſ. *conſeruæ roſarum q. ſ.* doſis ℥ iſ. De reliquis conſule auctores.

CAP. XX.

De Helleboro nigro & albo. Niger humorẽ melancholicũ, craſſum, atrabilariam & pituitam viſcoſam, lentam è ſanguine viſceribuſque infuſam vel infartam & incuneatam educit. Quomodo, vt innoxie operetur, iuxta veteres & neotericos recte præparetur, infũdatur, extrahatur, ex eodẽ decocta, infuſa, extracta, ſyrupi, electuaria, pilulæ apozemata, & ſpecifica remedia ad cephalaam, hemicraniam, melancholiã, maniã, epilepſiam, hypochondriacam affectionem, lienis duritiem, quartanas erraticaſq. febres, hydropem, ſcabiẽ, lepram, cancros, vitiliginẽ, elephantiaſin, aliaq. deplorata mala proponuntur. Vti dæmones helleboro eiiciantur. De viroſa hellebori albi natura, & vomitoriis ex eo parandis, & ſecreto quodam ad aſthma.

Helle-

Nomina. HElleborum nigrum Dioſcoride auctore *melampodium* etiam nuncupatur, à Melampo caprarum paſtore, qui hoc ipſo Præti furentes filias curaſſe fertur: nominatur *veratrum*, quod mentem vertat. *Qualitas.* Ad tertium caliditatis & ſiccitatis gradum conſcendit.

Selectio. Dioſcorides præfert id, quod ex Anticyra aſportatur; vnde puerbio, quo parum prudentes Antycyram relegamus, factus eſt locus. Matthiolus ſepoſitis, qui albo, & altero, qui herbaceo eſt flore, vtpote exiguam purgandi vim habentibus, in vſum vocat Helleborum purpureo flore decoratum. Hoc in Auſtria, Styria & Carinthia copioſe prouenit.

In Germania paſſim ad vſum expetitur & præſcribitur Styriacum. Soli cælique Germanici clementior indoles mitiorem producit eo, qui in locis calidioribus & ſqualidis prouenit. Guſtu eſt acre & feruens, extergentis & calfacientis facultatis. In vſurpando meticuloſior fuit Meſue, qui tantum robuſtis corporib. & tempore verno pene exhibendum concedit. Fernelius in magnis morbis & naturis calidis eius duntaxat vſum admittit. *Vſus Hellebori reductus patrũ memoria.* Vnde Braſſauolus ſcribit, multis ad ſua vſque tempora ſeculis, neglectum eſſe elleborum, donec ipſe vſum eius viciſſim tentarit & ſalubriter reduxerit. Matthiolus ineptiam eorum ridet formidinem, qui elleboro vti verentur, ſeque vel ſexcentis hominibus eius dilutum abſque vllo incommodo exhibuiſſe, teſtatur, cuius etiam vnica exhibitione tempeſtiue & methodice adminiſtrata quartanarii percurati ſint. Hic aduertendum, Meſuen & Fernelium loqui potiſſimum de Helleboro in ſubſtantia dato, non de infuſo, & iis, quæ ex eodem per infuſionem artificioſe extrahuntur, pharmacis. Hoc *pacto* eius vehementia adeo cicurari poteſt, vt tuto pueris & imbecillibus in fælicem ſucceſſum detur. Puluis autem, vti ipſe fatetur Matthiolus, diluto longe fortior eſt, & naturis robuſtis potiſſimum, iiſque qui pertinacib. affliguntur malis, conuenit. Veteres, teſte Actuario, ita ppararunt, vt radicis fibras in aqua macerarint, & exempta medulla lignoſa, in vmbra reficcarint corticem, eiuſque ad ℥j. exhibuerint puluerem, cum ſeminibus odoratis ex *paſſo*, vel *aceto mulſo*. *Veterum præparandi & exhibendi modi.* Dioſcorides cum *diagridio & ſale exhibet*, qui modus Italis modernis vt plurimũ comprobatur, quod, ſi qua in eo recondita virulentia, quæ mora diuturniore intus viſceribus imprimeretur, ſtimuli adiecti præcipitantia celeriter cum ipſo puluere foras proiiciatur. Braſſauolus ℈ ij cum *Zinziberis, maſtichis, roſarum rubearum, aniſi, dauci, caphuræ ana gr.* iij. exhibet è iuſculo quodam & interdum integram dragmam cum *oxymelite*, aut *ſaccharo borraginato*, conuenientiſſime vero omnium cum *iuſculis, quo ſorbili*, aut iuxta veteres, cum *ptiſana*. Inter ſimplices corrigendi modos præ-

fertur

fertur ille, quo vel in malo cydonio excauato & paſta clauſo coquitur, vel reiterata affuſione & maceratione *ſucci cydoniorum* idẽtidem lente ſiccatur. Ille ſuccus ſeu vinum Cydoniorum ſpecificum eius co rigens prædicatur, iuxta Camerarium, Tabernæmontanum, & Auguſtanos.

Veteres in eo paſſim deſudarunt, vt ſine vlla difficultate tuto exhibere poſſent helleborata; Hic regula *ſupra* tradita iterum attendenda, quod *quorum vis in acuta, acri & penetrante ſit ſubſtantia, horum correctio perficiatur iis, quæ acrimoniam & feroces has qualitates mitigare, contemperare & retundere nata ſint*, qua de re vberius *cap. de diagridio* actum. Quocirca omnes iſtæ præparationes Hellebori, quæ fiunt per acria & acuta menſtrua, qualia *ſpiritus vini, aqua & ſpiritus aniſi, aromatum*, & horum olea, quæq; perficiuntur immiſſione in raphanum, vt hic deuoretur (niſi vomitorium & turbatoriũ ex albo vel nigro expetas remediũ) mirifice reprobantur. Siquidem tantum abſit, vt illa vim acutam & ferocientem hellebori coerceant, vel inhibeant, vt etiam inſolentior & vehementior horum additione mixtura, extractione vel qualicunque præparatione euadat. Quamobrem Auguſtani fideliter notant, extractum hellebori nigri per aquam calentem tinctura radicum prolecta, factum, mitius meliuſque operari, quam id, quod eductum ſit per menſtruum acrius, veluti *aquam aniſi* vel *ſpiritum vini* cum aromatica, q̃ pro ellebori correctione adiunguntur, malitiam eius acuant & exorbitantem purgandi vim intendant.

...niſtra ...llebori ...aparatio ...prehen- ...tur.

Extractio Hellebor. nigr.

Idem quoque clariſſimus Langius peruidit & obſeruauit, cum pilulas conformet ex *eſſentia ellebori* per aquæ calẽtis macerationem educta, quæ euaporante ſenſim humore ad mellis conſiſtentiam & adſperſo *maſtichis* demum *puluere* in maſſam redigatur.

Infuſio.

Infuſio rite fit in iuſculo *Galli, caponis vel decocto conuenienti*, additis *ſemine fœniculi, aniſi*, vel in *ſero lactis, decocto polypodii*, & *hydromelite.*

Crato *ſuccis borraginis, pomorum redolentiũ & meliſſæ* hoc pacto infundit.

Syrupus Cratonis iucundus & vtiliſſimus ad affectus melãcholicos.

℞. *Succi pomorum dulcium.* ℔. j ſ.
Borraginis,
Meliſſæ ana ℔. ſ.
Florum borraginis,
Violarum ana p. j.
Folior. ſenæ,
Epithymi Cretici,
Hellebori nigri ana ℥ ß.
Decoquantur lento igne ſecundum artem, & fiat ſyrupus, cui imponatur nodulus.

Ex *cynamomi,*
Garyophyllor.
Croci,
Specierum aromati. roſati,
Diamoſchi dulcis ana ℈ ſ.
Huius vnciis tribus adde mannæ ℥ j. & vtere ſecure in imbecillibus.

Qui ſequitur, meæ deſcriptionis eſt. ℞. *Succi florum. borraginis,*
pomorum redolentium ana ℔. j.

 Citri,

Syrupus de Helleboro ad atrabilarias ægritudines omnium præſtantiſſimus.

Citri,
Granatorum dulcium,
Aranciorum dulci ana ℥ iij.
Rubi Idei ℥ ij.
Ceraſiorum nigrorum ℔. ſ.
Syrupi de corticibus citri ℥ ij.
Florum Garophyll. ſeu tunicæ hortenſis, qui occelli vulgo nominantur,
Nymphea ana p. ſ.
Sem. citri,
Baſiliconis,
Cinamomi,
Croci ana ʒ jſ.
Pul. radic. Hellebor. nigri ſtiriaci præp. ℥ iiij.
Miſceantur liquores & efferueſcant ad ignẽ, feruidis infunde pulueres, & repone per triduum in loco mediocriter calido, vaſe optime clauſo, dein cola cum expreſſione, colaturã depuratã coque, adiecto ſacch. modico in formam ſyrupi, vel lenta exhalatione ex leniore calore redige in formam extracti.

Hac via extrahitur vel præparatur omnium rectiſſime, & eo potiſſimum dirigitur, vt ſit remedium aptũ morbis ex melancholia, & atra aduſtaque bile progenitis. Si vero ad cerebri & neruorum à pituitoſo humore profectos affectus dirigere eſt animus, addantur *ſucci meliſſæ, calendulæ, florum liliorum conuallium, primulæ veris ſeu herbæ paralyſis, ſuccus ceraſorum nigrorum, pæoniæ, cum floribus lauendulæ, ſtæchados, anthos & medico ligno ſaſſafras ſeminumque pæoniæ nigrorum.*

Aliæ Hellebori præparationes.

Alii cum *aqua aniſi* coquunt, *donec liquoris pars maxima ſit conſumpta, exprimunt, colant, colaturam cum ſyrupo roſaſarum ſolutiuo ad conſiſtentiam ſpiſſiorem ſuper igne moderato reducunt.* Sunt, qui *radices hellebori in aceto roſato macerant,* (recte nec ne, illi viderint) *& reſiccatas ſufficienter præparatas eſſe, confidunt, è quibus tincturam affuſis limonũ & pomorũ redolentiũ ſuccis extrahunt, quib. decantatis denuo roſarum pallidarũ ſucco inundant, eumque ſuperſtite eius vi imprægnatum cæteris miſcent, digerũt, & liquore ſuperfluo ad conſiſtentiam debitam euocato extractum parant.* cuius ℈ j. cum *extracti confec. Hamech* & *gr. aliquot diagridii* non inconcinue exhibetur.

Extractus Hellebori nigri.

Electuarium Herholdi tale eſt.

Extractus Heroldi.

℞. *Radic. ellebori nigri præparati* ℔. ſ.
Succi borraginis,
Bugloſſi ana ℔. j.
Radic. fœniculi,
Cichorei,
Aſparagi,
Petroſilini ana ℥ vj.
Sem. quatuor frigid. maior. ana ℥ j.
Iuiubarum,
Sebeſten ana ℥ ſ.
Affuſa ſufficienti quantitate ſeri lactis fiat decoctio in vaſe duplici, colatura exhalet ad conſiſtentiam electuarij vel extracti.

Vide inſuper *electuarium diahellehorum purgans Quercetani in pharmacopæa reſtituta,* & *ſyrupum* Helleboratũ *minorẽ, & maiorem,* qui proprie antiepilepticus fertur, & *vinũ Helleboratum,* & preparationem *quintæ eſſentiæ Helleb. nigr.* per ꝓpriam aquã ex viridi herba extractæ, & *confectionẽ Balſami Hellehorini,* quem mirifice euehit. His iunge *ſyrupum helleborinũ* Heurnii; *Oxymel Helleboratum* Iuliani tantopere à Geſnero

præ-

prædicatum notius eſt, quam vt hic recenſeri debeat.

Matthiolus cõmendat *Helleboriſmũ ſuum* ad affectus melanchol. & præcipue quartanam; Deſcriptio exſtat *lib. 3. epiſtolarum ad Georg. Hanſchium.*

Syrupus de Helleboro Heurnii.

Syrupus de Helleboro Heurnii.

℞. *Radic. ellebor nig.* ʒ j.
ſucci pomor. dulc. ʒ x.
Radic. bugloſſ.
borrag.
polypodii,
epithymi cret. ana ʒ j.
foll. cul. & foliorum ſenæ ana ʒ vj.
flor. borrag.
bugloſſi,
lupuli,
fumariæ ana p. j.
Herb. capill. Veneris,
agrimoniæ,
chamadr. ana M. j.
ſchænanti ʒ ſ. *cum liquore ſufficienti fiat decoctio ad* ℔. ij. *quib. adde, ſucci pomorum redolentium, ſacchari albi ana* ℔. ij. *f. ſyrupus.*

Vide ſyrupum roſatum laxatiuum compoſitum ſeu helleboratum Montani *in diſpenſatorio Auguſtano.*

Extractum ellebori compoſitũ.

Extractũ compoſitũ ellebori nigri.

℞. *fibrarum radic. ellebori nigri præparati* ʒ ij. *Fol. ſenæ* ʒ vj. *Turbith. myrobal. omn. ana* ʒ j. *Trochiſc. alhandel* ʒ vj. *florũ violarum, roſarum rubearum, epithymi ana p.* ij. *ſpecier. lætificantis Gal.* ʒ ij. *ſucci depurati fumariæ, pomorum redolentium, & ſeri lactis ana q. ſ. fiat digeſtio per octiduum, dein colentur, exprimantur, depurentur & in formam extracti redigantur.*

Specificum purgans ex helleboro Crollii.

Purgans ſpecificum Crollii ad Hydropem.

℞. *Radic. Helleb. nigr.* ʒ iij. *colocynth.* ʒ ij. *extrahatur eſſentia cum S. V. (inter extrahendum ſpuma ſecernatur ellebori venenata) dein ſeparetur ſpiritus relicta ad craßitudinem melleam maſſa, cuius* ℞. *gr.* iiij. *Mercur. per ol. præcipit. gr.* ij. *Miſce formentur pil.* Sed ita hoc vſurpare, magna & effrons audacia eſt, cum tutiora æquiualentia ſint ad manus, veluti infuſio & decoctum Auguſtanorum.

Auguſtanorum infuſio, decoctio & vſus.

℞. *Cortic. ellebor. nigri præpar.* ʒ ij.
Sem. aniſi,
fœniculi ana ʒ j.
Cinamomi,
Gariophyllor. ana gr. iij. *fiat infuſio,* doſis ʒ iij.

℞. *Cortic. Hellebor. nigr. præp.* ℈ iiij. *ſem. aniſi. citri, Gariophyl. ana* ʒ ſ. *f. decoctio l. a. Huius* ℞ ʒ iiij. *confect. Hamech* ʒ ſ. *ſyrup. de fumar. compoſiti* ʒ. ſ. Meſue meticuloſius vtitur *helleboro nigro. Fibras eius in tereniabin ſeu mannæ palpa macerat per horas octo. quib. exemptis illam per linteum colatam exhibet, vel in melle paſſulato, iure galli carniumue infundit, coquit & affuſa ptiſana propinat.* Optime inſuper miſceri cum *polypodio, epithymo,* & *ſale Indo* docet.

Haly conſignat prædicatque pilulas pro extremo ad cancrum, lepram & morpheam nigram præſidio.

Pilulæ Hali de Helleboro ad Cancrum & Lepram.

℞. *Hieræpicræ* ʒ xij. *Helleb. nigr. & polypod. ana* ʒ v. *Stæch. epithymi ana* ʒ vij. *agarici, lapidis lazuli, ſalis Indi, colocynth. ana* ʒ iij. doſis à ʒ j. ad ʒ ij. harum vehemen-

hem etiam mitigat hauſtus *aquæ hordei, decoctum paſſularum, mellis, Gallinæ carnium cum oleo amygdal. dulcium.*

An per propriam aquam rite & recte extrahatur eſſentia hellebori, nõ iniuria dubitatur, cum non tam fiat accurata correctio, quam exquiſita extractio.

Quomodo veteres *elleborum* præpararunt, vide apud Aetium *tetrab.1. ſerm.3.c.129.&130.*

Singulariter etiam commendatur *hellebori ex vino & melle decoctũ* in morbis pectoris à frigida cauſa, quale eſt aſthma.

Decoctum Galli veteris helleboratum tale vtiliter hypochondriacis & ſcorbuticis paratur.

Decoctum Galli veteris Helleboratum ad hypochondriacam affectionem & ſcorbutum.

℞. *Radic. ellebor. nigri præpar.*
aſari,
peucedani ana ℥ ſ.
Turpethi ℥ vj.
acetoſæ,
centaur. minor. ana ℥ ij.
Herbar. cochleariæ,
epithymi Cret.
fumariæ,
ſcolopendriæ ana M. j.
Veronicæ,
capillor. Vener. ana M. ſ.
Cort. frangul.
radic. cappar.
tamariſci ana ℥ ij.
Folior. ſenæ Alexand. mund. ℥ jſ.
flor. borrag.
bugloſſ.
anthos ana p. j.
ſambuci p. ij.
Sem. fraxini decort.
paſtinacæ ana ℥ ij.
aniſi ℥ ijſ.
Cremor. tartari ℥ j.
paſſul. corinth. conciſ. ℥ jſ.

Inciſa & tuſa miſce. quib. infarciatur venter Galli veteris mundati, coquatur ad carnis deliquium, ius expreſſum colatum exhibeatur cum *tartaro vitriolato, eſſentia chalybis, elixir vitæ Theophraſti, Trochiſc. de capparibus.*

Apozema Helleboratum anthypochondriacum.

Apozema Helleboratum ad Hypochondriacam affectionẽ.

℞. *Radic. Cichorei,*
Endiuiæ,
ſcorzoneræ,
eryngii ana ℥ ſ.
Rad. Petroſelini,
fæniculi ana ℥ iij.
Cortic. tamariſci
fraxini ana ℥ iijſ.
Rad. polypod. Quercin. ℥ vj.
liquiritiæ ℥ v.
Sem. dauci,
aquilegiæ,
aniſi ana ℥ ſ.
carthami conquaſſati ℥ j.
paſſularum corinthiac. ℥ jſ.
fol. ſenæ Alexand. mund. ℥ iij.
epithymi Cret. ℥ jſ.
Herb. cichorei,
ceterach,
Endiuiæ,
Veronicæ,
adianthi nigri ana M. j.
linguæ ceruinæ,
carduibenedicti ana M. ſ.

Coquantur

Coquantur addendo aceti ſquillitici ℥ ij. *in ſ. q. aquæ ad* ℔ iij. *colentur & ex æquo diuidantur, vni parti colaturæ infunde radicum ellebori nigri, ſtyriaci præparati* ℥ vj. *Garyophyl.* ℥ ſ. *coque ad dimidii conſumptionem, exprime & ſerua; alteri adde myrobal. chebul. Indor. præparat. ana* ℥ iij. *coque, & in fine decoctionis adde agaric. trochiſc.* ℥ vj. *Rhabarb.* ℥ iij. *ſpicæ* ℈ ſ. *in petia ligatorum, mane cor funde vtramque colaturam, bulliant parum, & exprimantur, dein miſce ſyrup. Bizantini, de ſcolopendr. ana* ℥ iij. *oxyſacch. ſquillit. ſyrup. violar. ana* ℥ jſ. *f. apozema.*

Ex variis hactenus recenſitis remediorum formulis & præparandi modis facile liquet, eleborum adaptari poſſe, vt omni ætati & naturæ commode exhibeatur, grauioribuſque morbis altas radices agentibus vtiliſſimum fiat remedium.

Virtus & formalis proprietas ellebori nigri. Propria vero eius eſt virtus humorem melancholicum, aduſtum, craſſum, atrabilarium, viſcoſamque pituitam, ſiue viſceribus viiſque internis firmiter incuneatam, ſiue in remotioribus partibus ſitam educere, & morbos inde natos, velut inſaniam, melancholiam, maniam, ſodam, epileſiam, hæmicraniam, hypochondriacoſque affectus perſanare. *Apozema Elleboratum ad Hypochondriacam affectionem.* Meſue ait, peculiarem eſſe antidotum & theriacam ad lepram, ſcabiem, vitiliginem, herpetem, ad duriciem & tumorem ſplenis, febres quartanas, antiquas & longas, confert ægritudinibus iuncturarum, earundem apoſtematibus, ſcrophulis, doloribus & reſolutis. Emendat cerebrum totumq; caput, inſtrumenta ſenſuum, neruos & viſcera aperit, vrinam menſeſque ciet. Ad hydropem fuiſſe eius vſum ſolennem, teſtantur verſus Propertii:

Helleborum fruſtra, cum iam cutis ægra tumeſcit:
Poſcentes videas; venienti occurrite morbo.

Virtus hellebori iuxta Actuarium. Actuarius *lib. de compoſit. medic.* inquit: *veratrum nigram flauamque bilem è toto corpore trahens, deorſum, nec tamen citra vllam difficultatem pellit. Ideo febribus circuitu redeuntibus & diuturnis obiicimus.* Datur inſanientibus altera caluariæ parte, & ſubter caput diutine cruciatis, commodiſſimum præſertim viſceribus, vtero & veſicæ deiectorium medicamentum poſtulantibus. Maxima eius vis eſt peculiariter educere, quicquid ſanguini cõmiſtum eundem corrumpit; ideo veteraſcentibus arquatis morbis vtile eſt, & quibus in ſuperficie aſperitates emerſere, vti lepræ & vitiligines; commodum quoque elephantia laborantibus, adeo vero ad maniam, quæ ſuprema furoris ſpecies eſt, & melancholiam confert, vt antiquitus in prouerbium abierit, *caput elleboro dignum.* Neq; præter rem eſt commemorare, multos adeo furioſos & & demẽtes, vt pro dæmoniacis vulgo ſint habiti, hoc ipſo perſanatos, vti ſua teſtatur Braſſauolus experientia. Et licet Diabolum a te humana & phyſicis remediis, haut eiici poſſe,

Helleborū extrahendo atrabilarium humorem, qui Diaboli balneum & ſedes, ipſum citius expelli facit, vnde fuga Dæmonum rectè vocetur.

probe ſciamus, tamen Langio in *Epiſtolis* aſſeuerante obſeruatum eſt; malo genio obſeſſis. quibus helleboro dato atra bilis extracta & expurgata eſſet, exorciſmo dein adhibito felicius Dæmonem vtpote balneo ſuo, quale fertur humor melancholicus eſſe, deſtitutum expelli & relegari. Vnde Eraſmus Roterodam. *in oratione de laude medicinæ* tantam huic arti vim tribuit, vt Dæmonia eiicere poſſit, quod an herbarum occulta virtute fiat, aut Diabolorum quorundam craſſior natura ſit, quæ harum facultatem non toleret, in medio relinquit; apparet tamen, *elleborum* rectius nominari *fugam Dæmonum*, quam hypericon, quod etſi non ipſum malum genium, tamen eius, in quo nidificat, ſtabulum & balneum & puluinar eiiciat. Peucerus enim teſtatur *lib. de Diuinat. generib.* à melancholicis, maniacis & multis epilepticis non procul abeſſe Diabolum.

Paracelſi ſpermologia de ellebori laudibus.

Paracelſus *Helleborum* ſupra omnes herbas commendat & euehit, vtilemq; tam ad preſeruationem, quam curationem multorum morborum aſſerit. Præſeruari enim cottidiano foliorum in vmbra ſiccatorum vſu cum modico *ſacchari* hominem ab omnibus morbis internis, vtpote inflammationibus, tumoribus, infectionibus, impuritatibus, vitam prolongari, & defenſiuum eſſe ſenectutis, ſi quiſpiam ab anno quinquageſimo cottidie mane & veſperi eius, quantum tribus digitis capere poteſt, aſſumat; à iugi huius vſu ſenium inſtar lunæ (ridete, quicquid eſt domi cachinnorum) decreſcere ad præfinitum mortis terminum. Hanc herbam reddere ætatem vegetam, conferre vitam diuturnam, præſeruare ab omnibus infectionibus, putredinibus, apoſtematibus & corruptionibus, & conſeruare hominem in eo ſtatu, quo ſit editus, proximeque ad naturam balſami accedere, idem auctor eſt. Quod ad virtutem curandi morbos arbitratur, quicquid per hāc radicem expurgari nequeat, id nulli alii cedere, & in ea deliteſcere verum fundamentum curationis quatuor morborum principalium, videlicet epilepſię, apoplexiæ, hydropis, & podagræ. Et cum epilepſia crudorum humorum expurgatione non abigatur, hæc radix duplici poteſtate pollet, vna, qua crudæ ſuperfluitates extrahantur; altera, qua ſpecificè ipſum epilepticum corpus educatur. Pari modo arthritidem ſanat, quod videlicet totius corporis fluxiones natiua vi extrahat & curet, atque in hoc caſu *acorus* & *Garyophyllata* addūtur. Nec minus vniuerſa in eadem ſita eſt apoplexiæ cura, ad quam nulla alia præparatione opus habet. Omnes enim angulos & meatus corporis percurrit, vt locum affectum inueniat, & cauſam læſionis exturbet. Genuinum quinetiam hydropis exſiſtit, eodem auctore, remedium vnice à natura ad tollendas aquas deſtinatum, quas ita euacuat, vt non redeant,

In elleboro ſita eſt iuxta Paracelſum curatio quatuor morborum principalium.

redeant, quod cętera hydragoga non poſſunt. Hactenus Paracelſus.

Internum hellebori vſum vidimus: ſupereſt, vt diſpiciamus, quomodo extus applicetur. Vti intus vſurpatum Helleborum, ad morbos cutaneos eximium præſtat auxilium, ſic foris medetur vitiligini, alphis, leucę, impetigini, ex aceto illitum Dioſcoride teſte, ſcabiem ſanat, & cum *lacruma pini, cera, thure & oleo cedrino* in fiſtulam callo induratam, demiſſum, extrahit callum, quo fine etiam puluis inſpergitur. In aurem demiſſum auditus grauitatem aufert, carnem vlcerum excreſcentem abſumit, menſes inditum trahit, partus necat. Decoctum ex aceto collutione dentium dolorem mitigat, oriſque mala perſanat. Tempore peſtis ſiue ſub anthrace cauterio, ſiue ſanis alibi cutis aperiatur, ſi radix ellebori nigri imponatur ad ſeſe extus è toto ſaniem peſtilentem pertrahit. Non minus recte, quam vtiliter Dioſcorides præſcribit cataplaſma ex *farina hordeacea, vino & Helleboro* hydropicorum ventri imponendum. Conficitur quoque ſternutamentum tam *ex nigri, quã albi radicis puluere*, cum *ciclamino, hyſſopo, ſemine nigellæ, naſturtij, pyrethro, mace, addito quandoque moſcho, vel, ſi acutius velis, modicis euphorbij granis.*

[E]xternus [He]llebori v[su]s ad ex[tr]ahēdum [ca]llum fi[stu]la.

Helleborum album.

Calidum & ſiccum in ordine tertio vehementiſſimum & ſtrangulatorium eſt medicamentum, terribilia inducit ſymptomata, vomitum indomitum, conulſionem, & ſyncopen, quamobrem ab eo, tanquam lethali pharmaco abſtinere ſuadet Meſue. Herophilus cõparat duci, quod bilem & pituitam vehemẽter & violenter educat.

Hellebori albi vis virosa & exitiosa humana natura.

Hippocratis autem ſeculo adeo celebre & vſitatum fuit, vt nullo fere frequentius vſi ſint pharmaco, ſed quomodo illud præpararint, atque innoxium reddiderint, nõ ſatis conſtat, niſi quod Galen. alibi tradat, *fibras hellebori raphano eſſe infigendas, & hunc per diem naturalem in oxymelite macerandum, poſtea ſuccum è raphano expreſſum vel oxymel, in quo infuſus fuerit raphanus confixus radiculis, aſſumendum.* Id autem vomitum vehementer concitare, vulgo notum eſt. Matthiolus etſi pulueris vſu interdicat, tamen dilutum quamplurimos abſq; incommodo ſumere refert.

Eius praeparatio ex Gal.

Heurnius ex eo conſtruit hoc pacto:

Vomitorium Heurnii.

℞. *radic. Bryoniæ,*
cyclamini ana ℥ iij.
ellebori albi ℥ j.

Pulueriſatis, affunde S. V. digere, deſtilla lente, ſiccato pulueri denuo affunde, idque ter repete. Plumæ apicem huic liquori immerge, eumque vino maluatico elue, quod propinatum ilico concitabit vomitum. Hoc *in methodo meden.* tradit, & quod ſequitur *in epiſtola ad Henricum à Bra* M.D.

℞. *radic. Hellebor. alb. craſſiuſcule tuſi* ʒ ſ.

Aliud eiuſdem.

℥ ſ. immitte in fio'am, & affunde vini Hiſpanici Petroſimeni ℔ j. expone ſolibus æſtiuis. Id cochlearis menſura exhibitum, valde mo iet vomitum, nec vehemēter affligit. Si ſemicochlear aliis laxantibus mixtum exhibeas, præclare alnum abſq; ue vomitu educit. Linctibus quinetiam additæ eius aliquot guttulæ empyematicis expectoratum copioſe mouent, qua intentione ad aſthmatis curationem ſequens adprime comparatum eſt.

Præſtantiſſimum ad aſthma & empyema remedium, ſecreti loco habendum.

℞. *paſſular. mundat.* ℥ iiij.
liquiritiæ raſæ ℥ j.
mellis deſpumati ℥ ij.
ſacchari candi ℥ v.
vini Hiſpanici ℥ vj.

Bulliant, vt fiant inſtar conditi, cui in vitreo vaſe miſce tantum ſpiritus ſulphuris, acidi per campanam præparati, vt gratum acorem acquirat. Huic aliquot guttulas vini maluatici macerationis Hellebori inſtilla. Teneat paſſulas *in ore maſticandas.* Vel quoties eaſdem in os recepturus es, guttulas duas tresve inſtilla.

Cæterum cū veteres tantopere virtutem ellebori albi commendarint, Petrus Salius *lib. de affect. partium, cap.* 19. eius vſum reuocare conatur, varioſque præparandi modos fuſe docet.

Cap. XXI.

Carthami ſemen purgat pituitam & ſeroſos humores; quo modo id veteres præpararint correxerint & vſurparint. Specificum eſt remedium ad dolorem colicum. Pectoris affectibus & hypochondriacis malis, viſcerum obſtructioni & ictericiæ, anaſarcæ & hydropi medetur. Electuarium diacarthami ſolidum, tabulatum, & emulſio ſuauiter purgās, aliaque ex eadem remedia proponuntur.

Seminis delectus.

SEmen & flos carthami in vſum duntaxat trahuntur. Melior plantæ huius pars eſt ſemen, cuius delectus eſt, vt ſit candidum, anguloſum, læui ac duro cortice, alba, plenum medulla, quæ oleoſa, pinguis, & non rancida ſit. Graue præterea eſſe debet, & per ſubmerſionem probari; quod fundum non petit, relegationem meretur. Calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu, quamuis Galenus in tertio calidorum ordine collo a- rit, qui fortaſſis aliquo ex æſtuātioribus locis profecto deceptus eſt. Noſtrate nullum tanti caloris argumentum ſenſui præbet. Extenuat, abſtergit, aperit, digerit, flatus pellit, ſed incorrectum parit nauſeam & vētriculum ſubuertendo vomitum cōcitat. Pituitam & aquoſos humores educit, quamobrē tuſſi, & aſthmati, colicæ paſſioni, & hydropi viſcerūque obſtructionibus & ictericiæ à craſſa pituita potiſſimum profectis medetur.

Facultates & temperies carthami.

Correctio.

Duabus porro noxis eſt præditū, vna, q; nauſeam & vomitū proritet; altera quod ſegnius humores educē-

dos promoueat. Prima emendatur iuxta Meſuen adiectione aromatum, & eorum, quæ ventriculum roborant, qualia ſunt *ſemen aniſi*, *fœniculi*, *galanga*, *cinamomum*; ſecunda corrigitur miſtione horum, quæ vim in craſſiore ſeminis ſubſtantia deliteſcentem & coercitam provocant, acuuntque, & ſunt vel purgãtia acriora, vel aromata tenuitate, & acrimonia incidentia, qualia *cardamomum*, *zinziber*, *ſal gemmæ*, & ſimilia.

[M]edicamẽ[ta] veterum [e] carthamo.

Dioſcorides *ſuccum contuſi ſeminis* cum *hydromelite* vel iure gallinacio exhibet, aut ex eodem cum *amygdalis*, *ſemine aniſi & melle cocto* placentulas conficit ad emolliendam aluum ante cœnam ſumendas.

Paulus ex *medullæ* ℥ x. *& cardamomi* ℈ iiij. pilulas format. Meſue ſuſpendit in oxymelite tam *ſimplici* q̃ *ſquilliti-co*, ꝙ rite & rectiſſime omniũ fieri aſſerit. Nec minus bene medulla decoquitur in *iure galli vel gallinæ* cum aromatibus. Idem præſcribit electuarium ex *medullæ aureis* xij. *penidiorum aur.* iiij. *cardamomi*, *zinziberis ana aur.* j. *formantur portiunculæ inſtar nucum iuglandium*, quæ exhibitæ, à pectore deorſum maxime educunt. Euacuant enim *carthami ſemen* pectus eductio-ctione pituitæ ſurſum & deorſum facta. Surſum egregiè euocat, quod iuxta Meſuen conficitur ex *medulla ſeminis carthami* adiecta tertia *amygdal.* & ſexta parte *pinearum*, & cum *melle cocto ſquillæque ſucco* in electuarii formam redigitur. Illud magni momenti eſt in aſthmate & orthopnæa. *Oleum è ſemine expreſſum* pectori & ad vocem emendandam conducere auctor eſt Meſue.

Carthamus à pectore optime educit pituitam ſurſum & deorſum.

Electuariũ ex carthamo Meſuæ expectorationem promouens.

Oleum expreſſ.

Dodonæus & Matthiolus ex *medulla ſeminis carthami & melle* ſimplicem linctum præſcribunt.

Semen carthami proprietate quadã valet ad colicam paſſionem.

Ad morbos pectoris vtiliter *iuri galli veteris oxymeliti, vel hydromeliti*; ad colicam paſſionem *decocto galli cum ſale nitro, vel hydromeliti*, rite infunditur. Valet enim proprietate quadam ad colicam ex pituita cum *decocto galli* aſſumptum, vel per clyſma iniectum.

Ad pectoris affectus, colicam & hypochondriacam paſſionem, viſcerumque obſtructiones ex *ſemine carthami, liquiritia, polypodio, elenio, ſena, agarico, hyſſopo, chamædri, epithymo, marrubio nitroque gallo veteri infarctis* paratur decoctum.

Decoctum Galli veteris ex ſem. carthami & aliis ad colicam, hypochondriacamque paſſionem, affectus pectoris & viſcerum infartus.

Oleum è cnico expreſſum cum *vino maluatico* ſumptum ſpecifice prodeſt ad dolorem colicum.

Olei ſem. carth. ℥ iij. *cum puluere aniſi & cinamomi ſufficienter* purgare pituitam, auctor eſt Braſſauolus.

Pharmacis hydragogis vtiliter miſcetur ad hydropis & anaſarcæ curationem.

Ad hydropem & anaſarcam.

Coctionem tolerat *medulla*, quæ cum expreſſione ita per ſetaceum adigenda eſt, vt potior eius pars liquori miſceatur, quo fœlicior ſuccedat operatio.

Ad icteritiam ℥ j. *medullæ* exhibe-

Ad icteritiam.

tur cum *ſyrupo de abſinthio*, flores pariter ad hanc eandem & ad epatis obſtructiones cum *hydromelite*. *Horum & calendulæ florum conſerua*, ſpecificum remedium cõſtituunt, characterem vtrinque, ſiquidem ei quidquam tribuendum, exhibentes.

Extractio. Extrahitur commode *aqua vel ſpiritu aniſi, corticum aranciorum vel cinamomi.*

Delicatulis & qui alioquin medicamenta reſpuunt iucunda confici poteſt emulſio ex decocto ſeminis fœniculi, aniſi, & cinamomi, cui miſceātur ſemina carthami ad formam lactis adiecto *ſaccharo & pauxillo aqua cinamomi trita.* emulſionem virtutis & efficaciæ maioris ſi deſideres.

Emulſio elegans ſuauiter purgans.

℞. *radic. mechoac.*
Turpeth. alb. opt. ana ℥ j.
Sem. aniſi,
fœniculi,
Cinamomi ana ℥ j.
Fiat decoctio, colaturæ ℥ xj. *miſce.*
medullæ ſem. carthami ℥ ij.
amygd. dulc. decort. ℥ ſ.
aq. cynamo. ℥ v.
fiat emulſio.

Elegans eſt compoſitio à carthamo nomen habentis electuarii *diacarthami* Arnoldi Nouocomenſis, quod podagricis, hemitritæo, aſthmate, & hydrope affectis, & ex bile, pituitaq; pariter prouenientibus morbis adprime conuenit, doſis ad ℥ vj. excurrit. Nec minus vtilis, quam iucundus eſt vſus *extracti diacarthami* vel *cnicopharmaci* Andernaci, cuius deſcriptio in Auguſtano aliiſque extat diſpenſatoriis. Diacarthamum in forma ſolida hoc modo comparatur.

Diacarthamum in forma ſolida.

℞. *Medull. ſem. carthami* ℥ iiij.
mannæ ℥ ij.
diagrid. opt. ℥ vj.
ſpecierum diatrag. frig.
carnis cydonior. ana ℥ j.
Turpeth ℥ jſ.
Zinziberis ℥ ſ.
ſacchari albiſſ. ℥ xx.
Fiat confectio in tabulis, quarum ſingulæ ſemunciæ pondus contineat.

vel:

Tabulæ diacarthami laxatiuæ.

℞. *diagrid.*
rad. turpethi ana ℥ j.
medul. ſem. carthami ʒ ſ.
Cinamomi,
Zinzib.
ſpecier. diatrag. frigid. ana ℥ ij.
Cort. citri,
carnis cydon. condit. ana ℥ j.
ſacchari albiſſ. ℥ jx.
candi ℥ j.

Fiant tabulæ, quarum doſis à ℥ jſ. ad ℥ iij. Imbecillibus, delicatis aut obſtructionibus alui obnoxiis vtile eſt *ficus ſex vel ſeptem medulla ſeminis carthami repletos deuorare*, commaſticatis aliquot *cinamomi* fruſtulis aut pauxillo *cardamomi*. Si aluus ſit obſtructa, ſumantur hora vna ante cibum, & capiantur ſub initium menſæ cibi liquidiores.

Purgatio ſenum.

Galen. *lib. 5. de ſanit. tuend. c. 8.* ſenib. alui pigritia vel conſtipatione laborantibus preſcribit *cnicum cum ptiſana*, aut *ficus pingues cum ſemine cnici detra-*

ctis

tis vtrinque cuticulis & paripondere miſtis. Medulla ſeminis datur in ſubſtantia à ℨ j. ad ℨ ij. *ſemen ipſum cum corticibus tritū in iure pulli vel mulſa ab* ℥ ſ. ad ℥ jſ. infunditur & coquitur, cuius colaturæ dantur ℥ vj. doſis florum eſt à ℨ. j. ad aureos duos. *Iſis & vſurpatio.*

Pſittaci pro alimento vſurpāt ſemina cnici, & nihilo plus mouētur circa aluum, quam ſi alio ſibi conſueto veſcantur pabulo.

CAP. XXII.

De ariſtolochia vera & notha. Rotunda vera, pituitam primo, & deinde bilem purgat. Ex hac adferuntur præſtantiſſima remedia ad epilepſiam, orthopnæam, aſthma, pleuritidem, laterum dolorem, catarrhos, dolorem ex ventriculi aut lienis inflatione, menſes reſtitantes, ſecundas fætumque mortuum expellendum, arthritidem & febrium rigores.

Ariſtolochia genera. ARiſtolochia eſt vera vel ſpuria. Veræ apud Dioſcoridē tres ſunt ſpecies, rotunda, longa, & clematitis. Spuria vulgo apud noſtrates ariſtolochiæ nomen obtinuit, quæ tamen eſt de genere fumariæ bulboſæ. Veræ autē ariſtolochiæ in vſum debent recipi, eaque potiſſimum, quæ rotunda eſt, & dicitur. Ariſtolochiæ nomē obtinuit, quod ἀρίστη τοῖς λοχοῖς, id eſt, optima & conuenientiſſima ſit puerperis, quia hærentes ſecundas, lochia, & reliquias à partu propellere valeat. Ariſtolochiæ calent in tertio gradu, & ſiccæ ſunt in ſecundo. *Qualitas.* Rotunda minus terreæ materiæ poſſidet, & ſubtilioris eſt ſubſtantiæ, ideoque ad obſtructiones, viſcerumq; infartus paratior & penetrantior, q̄ longa eſt, quamuis vtraque aperitiua obſtructionum reſolutiua & attractiua virtute valeat. Longa videtur plus caloris in ſubſtantia magis terreſtri & craſſiore obtinere, vnde minus, quam rotunda abſtergit, digerit, proinde commodior eius eſt vſus, vbi modica indigemus abſterſione, vti in carnis exulcerationibus.

Purgandi vim in rotunda præſertim obſeruarunt Arabes Medici, & quod pituitoſos humores primario, & dein billioſas ſuperfluitates educat, pondere dragmæ vnius vel ℈ iiij. idque ſine omni moleſtia & commotione, relicto poſt ſe in viſceribus robore cum ſit omnis malignitatis expers. Nulla proinde indiget correctione, niſi quiſpiam pro ſtimulo grana aliquot *ſalis gemmæ* aut *nitri præparati* vel ſimilium quippiam adiicere velit. Quia vero craſſam pituitam potiſſimum incidit, attenuat, & purgat, flatuſque mirifice digerit, ad quoslibet ex iiſdem natos morbos adprime conducit. Vnde affectibus cerebri, neruorum, pectoris, ventriculi, inteſtinorum, lienis, viſcerum & matricis, quales epilepſia, ſpaſmus, con- *Rotunda pituitam & bilem purgat.* *Quibus morbis conducat.*

cõuulſio, neruorum cõtuſio, ruptio, aſthma, orthopnæa, laterũ dolor, ſingultus, cardialgia, colica vẽtoſa & pituitoſa, lienis inflatio, dolor & obſtructio, menſes remorãtes, ſecundæ detentæ, vteri impuritates, primario conducit. Arthriticis vtiliter adhibetur, vlceribus putridis, malignis, fiſtulis; cõtuſioni lacertorũ, medetur. facit contra venena, abigit rigores febrium, & contra diuturnas lentaſque earundem ægrimonias à contumacibus humoribus & obſtructionib. ex lenta craſſaque cauſa prognatis recte exhibetur. Id etiam peculiare habet, quod ſpinas & ſurculos extrahat.

Ad epilepſiam puluis componitur ex

Puluis ad epilepſiam.

Ariſtolochiæ rotundæ veræ ℥ vj.
ſem. pæoniæ nigr. ℥ ij.
ſacch. alb. ℥ j.

Alii eum auctiorem faciunt adiectis *ſuccino albiſſimo, vngula alcis, viſco quercino, radice pæoniæ, dictamno, craneo microcoſmi, cornu cerui præparato.* Sequens mixtura ad epilepſiam valde probatur.

Medicamentum præclarum ad epilepſiam.

℞. *oxymellis ſquillitici* ℥ j.
mellis roſati colati,
ſyrupi de corticibus citri ana ℥ jſ.
extract. carduiben.
corticum citri ana ℈ j.
extract. calam. aromat. ʒ ſ.
Ariſtolochiæ rotund. veræ ℈ ij.
ſpiritus cornu cerui,
liquoris viſci Quercini,
extracti Theriacalis ana ℈ j.
ſpiritus vitrioli ℈ ſ.
mixturæ vitriolatæ ℈ j.
aqu. Ceraſorum nigrorum,
pæoniæ,
florum tiliæ ana ℥ j.
aquæ epilept. Langii ℥ ſ.
ſpiritus Theriacæ ʒ ſ. *Miſce.*

Pari ratione ad conuulſionem, paralyſin, neruorumque atoniam vſurpari poteſt. Exhibetur puluis ad neruorum & capitum muſculorum vti & lacertorum contuſionem & ſpaſmum cum *oxymelite*, vel *hydromelite*. Pectori & pulmonibus, auctore Meſue, conuenit ſecundum omnem modum adminiſtrationis, quod craſſam & viſcidam pituitam putredineſque ibi deliteſcentes accurate educat, & commendatur in hanc rem extractũ præcipue in aſthmate, cum *oxymelite ſquillitico* exhibitum, quod nec in orthopnæa & pleuritide crudiore inconueniens eſſe queat. Platearius ad aſthma ſingulariter commẽdat mixturam ex *ariſtolochiæ partibus duabus & dimidia gentianæ cum melle.*

Ad orthopnæam & aſthma & pleuritidẽ.

Ad laterum dolorem commode bibitur cum puluere *mirrhæ aqua mellis & caduibenedicti.*

Ad dolorẽ laterum.

Meſue vt pectus repurget, iniungit ſuffitum *ex ſandarachæ & ariſtolochiæ æquis partibus* per embotum recipiendum.

Ad cerebri humiditates exſorbendas roburque conciliandum & fluxiones à pectore ad partes inferiores auertendas, à Cratone pilulæ *de ſuccino cum ariſtolochia* compoſitæ ſunt.

℞. *ſuccini*

Pilula Cratonis e ſuccino ad Catarrhos & vitia pectoris.

℞. ſuccini albi,
maſtichis elect. ana ℥ ij.
Aloes roſatæ ℥ v.
agari. trochiſcat. ℥ jß.
Ariſtolochiæ rotund. ℥ ß.
ol. fœniculi gutt. v.
ol. nuc. muſc. expreſſi ℈ ß.
Cum ſyrupo de betonica f. pil.

Ad dolorē & inflationem ſtomachi.

Contra dolorem ſtomachi ſeu Cardialgiam, inflationem, ſingultum & paſſionem colicam, commode exhibetur puluis vel *extractum Ariſtolochiæ rotundæ* cum *decocto florum camomillæ Romanæ*.

Aetius *Tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *c.* 27. inquit, *Ariſtolochia longa ſiue rotunda dragmæ pondere pota inflationem ventriculi ſoluit, & tarde concoquentes iuuat ex ouo ſorbili puluis aſſumptus mirifice ad recurrētes ſtomachi dolores facit.* In hanc rem ſequens comparatur potio.

Potio ad inflationē & dolorem ventriculi.

℞. Ariſtolochiæ rotund. ℥ iiij.
ſem. aniſi,
carui ana ℥ v.
agarici trochiſc. ℥ ijß.
flor camomill. Rom.
centaur. minor. ana M. ij.
croci gr. vj.
Coquantur in iuſculo carnium, fiat potio addendo ſacchari parum; vel

Remedia ad dolorem ventriculi ex inflatione. Pilula.

℞. Ariſtolochiæ rotund.
ſem. ameos,
cimini ana ℥ ß.
cinamom. ℈ j.
zinziber. condit. ℥ ij.
caſtorei ʒ j.
Terebinth. q. ſ. fiant pilulæ:

Potio.

Aut ℞. Theriac. Andromach ℈ ij.
Mithridat. ℈ j
pul. ariſtoloch. rotund. ℥ ß.
vini generoſi vel maluat. q. ſ.
Fiat potio.

Ad dolorē ex inflatione ſplenis.

Ad dolorem ex inflatione ſplenis datur pulueris ℥ j. vel extracti ℥ ß. cum *oxymelite acorato* aut *aqua cardui-benedicti*. Ad obſtructionem eiuſdem, ex *pulueribus* vel *extractis ariſtolochiæ, gentianæ, centaurei minoris* cum *ammoniaco*, *trochiſcis de capparibus & tartaro vitriolato* fiant pilulæ, quæ & in diuturnis febribus ſeu quartanis & tertianis nothis conueniunt. Ad paroxyſmum inflationis & doloris lienis.

Pilula.

℞. Oxymellis ex acoro Mattholi vel oxymel. ſimpl. ℥ viij.
extract. acori veri,
ariſtolochiæ rotund. ana ℥ ß.
extract. elenij,
cichorei ana ℈ j.
abſinth. gr. vj.
aq. ſcolopendriæ,
cuſcutæ ana ℥ ij.
cinamom. ℥ ß.
Miſce.

Commode dolenti & tumenti lieni extus applicatur cum conueniētibus. Ictericiam, epatis, lieniſque obſtructiones cum *rubia, ſquilla, Anchuſa*, & *cyclamino* iuxta Aetium rite propellit.

Fernelius *lib.* 7. *meth. meden.* ex ariſtolochia pilulas, quæ ſummam incidendi & detergendi facultatem habeant, epilepſiæ, paralyſi, aſthmati, tuſſi veteri, iecoris renumque incipienti ſcirrho, ſuppreſſis menſibus &

fœtui, ſecundiſque excludendis, hyeme naturiſque pituitoſis conuenientes præſcribit,

Pilulæ.

℞. *Ariſtolochiæ rotund. veræ* ℨ j.
radic. Gentianæ,
mirrhæ electæ ana ℨ iij.
aloes,
cinamomi ana ℨ ſ.
zinzib. ℨ j.

Cum oleo amygdal. dulcium fiunt pilulæ.

Doſis ℨ jſ.

Ad menſes, ſecundas & fœtum mortuum expellendũ.

Ad expurgandum vterum eiuſque impuritias extergendum, menſes, ſecundas & fœtum mortuum expellendum cum *pipere & mirrha*, exhibetur, quo modo grauidis lochia ſubſiſtentibus, dictatore Dioſcoride impendio promouet, quod & ſuppoſita peſſi forma etiam grauiter facit.

Ad arthritidis curationem ariſtolochia à Meſue, Auicenna, Serapione, aliiſque ſapientiæ noſtræ architectis valde commendatur, vnde ſequaces hanc compoſuere tragæam;

Ad arthritidem Tragea.

℞. *chamædr.*
chamæpyt.
centaur. minor.
ſaluiæ,
betonicæ,
Gentianæ,
ariſtolochiæ rotund. ana ℨ j.
Guaiaci optimi duplum ad pondus reliquorum omnium. Sunt, qui non inſcite *oſſium microcoſmi puluerem* adiiciant. Datur cottidie ℨ j. cum *aqua mellis* per aliquot menſes.

Crato in eundem finem paulo aliter componit.

℞. *Ariſtoloch. rotund.* ℨ j.
centaur. ℨ iij.
Gentian. ℨ vj.
Mei ℨ v.
Hyperici ℨ vj.
petroſelini Macedon. ℨ ſ.
agar. albiſſ ℨ ij.
Rhapontici vel eius loco Rhabarb. veri ℨ j.

Miſce: alii aliter deſcribunt. Hic vero etiam febrium rigores paulo ante paroxyſmi inſultum cum *oxymelite ſquillitico* hauſtus mitigat vel arcet.

Ad febrium rigores & paroxyſmos inhibẽdos.

Contra morſus & aſſumpta venena.

Contra ſerpentum & venenatorũ animalium morſus & aſſumpta venena datur ℨ j. cum vino, iiſque plagis vtiliter imponitur. In externis tantum valet, vt, ſi hac radice carendum ſit chyrurgis minore auſpicio & fælicitate artem ſuam exerceant. Antiquis, putridis malignis & fraudulentis vlcerib. remedium præbet vtiliſſimum, fiſtularum ſanationi decoctum & puluis cum *herba fiſtulari perforata, vinca peruinca, hormino, ſabina, ſaluia, hedera terreſtri, origano* aliiſque appropriatis conducit, cuius generis potiones vulgo parantur à generoſis & nobilibus noſtræ gentis matronis, quæ & ariſtolochia longa ad dracuntios communiter die vären dictos experientia non fallaci cum herbis cõmemoratis & inſuper *tanaceto lumbriciſque terreſtribus & vermiculis in ſpongiis cynoſbyti repertis* vtuntur.

Ad vlcera putrida & maligna.

Potiones ad fiſtulas & dracuntios.

Serapio ad vlcera fraudulenta & ſordida commendat ariſtolochiam, eaque

eamque purgare & carne replere ait, ſi cum *Ireos puluere & mellè* miſceatur. Dentibus mobilibus affrictus puluis confirmat, & tollit ſordes. Accuratius id præſtat *acetum decoctionis cum eodem puluere. Mixta hydromelli* perſanat aurium vlcera, & confirmat auditum. Appoſita cum *melle & ſale* pauco, confert podagricis, & contuſioni lacertorum, ſpicula; ſurculos, & oſſium ſquamas illita vel pro cataplaſmate admota educit, cum *cypero & melle* narium interiorum cancrum perſanat.

Ad dentes mobiles, & aurium vlcera.

Mirabile eſt, quod ſcribit Dodonæus, fumo foliorum *ariſtolochiæ* recreari & refici febricitantes, pueros flentes accipere recreationem, & fugari diſpellique Dæmones. Qui volet, credat, vel experiatur.

De ariſtolochia notha ſeu fumaria vernali

Tantum de Ariſtolochia vera, ſequitur notha, quę ſpecies eſt fumariæ vernalis, duumque exſtat generum. Vna maior eſt, ſemperque cauam, altera minor, ſolidam habet radicem, & magnitudinem nucis muſcatæ non adæquat. In eorum genere ſolidior & minor præfertur. Ambæ in tertio calidorum, & ſecundo ſiccorum ſunt ordine, habentq; vim abſtergendi cum moderata adſtrictione, quæ foliis & radici pariter ineſt, vnde ad epatis imbecillitatem & obſtructionem vtiliſſima earum eſt vſurpatio. A ʒ j. ad ʒ. ſſ. aſſumptus puluis radicis ex iuſculo quopiam purgat pituitam.

Cum vino hauſtus prolicit ſudorē, & vrinas, pollet contra venena & venenatorum animalium morſus, ſuppreſſos fœminarum menſes promouet, & fœtum mortuū expellit, ictericiæ medetur, inſtar veræ fumariæ ſanguinem purgat, vermes enecat, abigitque.

Herba & radicis cum melle decoctum eiuſque *puluis* aſſumptus ad multos ordine dies cancrum curat, fiſtulas & vlcera interiora exterioraque perſanat, commodumque præſtat vulneribus quibuſcunque auxilium. Et cum characterem vel ſignaturam, vti recentiores vocant & volunt, virtutis ſuâ cauitate oſtendat radix, experientia compertum eſt, eam ſolutionibus continui, fiſtulis & vulneribus tam recentibus, quam antiquis, ſeu vlceribus putridis & cauernoſis, & hæmorrhoidibus apertis (cauam) & clauſis tumentibuſque (minorem) ferre præſentiſſimam opem. Proinde emplaſtris appoſite miſcetur. Decoctum eius ex vino, ſi vlcera partium ſecretarum & alia putrida, fiſtulæque lauentur, rite perſanantur, præſertim ſi puluis à lotione quacunque inſpergatur, carnes putridas conſumit, & nouam generat. *Decoctum ex vino & aqua*, gingiuarum & faucium vlcera conſolidat. Vtiliter ad tumores earundē gargarizando vſurpatur, ſi *dianucum* miſceatur. Cum *aceto* elixa radix dentes & gingiuas firmat.

Ad cancrū fiſtulas, vlcera & vulnera.

Ad hæmorrhoides apertas & tumentes.

Fiſtulæ lotæ decocto, & puluere reſperſæ ſanantur, ſi æger bibat cereuiſiam, vinumve, in quo eadem radix

dix ſuſpenſa & macerata ſit. Cum *vnguento populeo* puluis rite applicatur tumentibus & dolentibus hæmorrhoidibus. *Melle* remiſta & emplaſtri modo appoſita omnes continui ſolutiones ſanat, carnemque generat. Ex *pulueris* ℥ ſ. *aloes epaticæ & calcis viuæ ana* ℥ ij. cum *melle factum linimentum* tollit cancrum narium & polypum.

Ad vulnera neruorũ & quacunque alia vnguentũ.

Ad vlcera & vulnera emplaſtrum conueniens paratur, ſi *oleo lumbricorum* incoquatur *radix, & colaturæ adatur terebinthina* cum *puluere ariſtolochiæ longæ, veræ, cauæ & nothæ, aloe epatica, puluere lumbricor. terreſtr. & modico croci.* Hoc ipſo omnis generis continui ſolutiones & neruorum etiam vulnera ſanantur. Cũ itaq; hæc radix adeo ſit æmula virtutum ariſtolochiæ veræ, neque multum abludat externa ſpecie, haut inſcite vel immerito Germani noſtri eidem aſſignarunt nomen ariſtolochiæ nothæ, & in defectu veræ hanc bona cum ratione ſurrogant ſubſtituuntque, quicquid contra clariſſimum & immortali laude digniſſimum Fuchſium renaſcentis iſto ſeculo medicinæ reſtauratorem ſuo more dicat Matthiolus.

Cap. XXIII.

Serapinum extrahit craſſam viſcidamque pituitam, & hydropicorum aquas. Reſpicit cerebrum, neruos, veſicam, vterum, inteſtina & neruoſas partes. Pertinaces viſcerum & pectoris infartus expedit. Medicamẽta proinde ad dyſpnæam, paralyſin, epilepſiam, hæmicraniam, cephalæam, hydropem, vteri motus, & menſes mouendos, quartanam, dolores articulorum, aliaque mala, proponuntur, & quomodo extrinſecus adhibeatur, docetur.

Serapinum cum cæteris cognatis gummatibus, videlicet *ammoniaco, ſarcocolla & opopanace* vim quandam purgandi craſſos viſcoſoſque humores à cerebro, neruis, articulis, vtero & inteſtinis obtinere non eſt, quod putemus ignoraſſe Græcos, ſed vel conticuiſſe, aut ſcripta, quibus id commemorarint, ad poſteritatem intercidiſſe, cenſendum eſt. Mauritani Arabes in hac parte auctores non vani, quo minus in Græcorum monumentis proditum inuenere, eo luculentius eorum vires, tam apertas, q̃ occultas, & ſola experientia d gnoſcẽdas expreſſerũt. Neque eſt, quod illis fidem inuideamus, cum id, quod ſcribunt, experientiæ teſtimonio medicinam facientibus cottidie confirmetur. Et ſane magna pilularum ab Arabibus traditarum farrago ab vſu medico exterminanda foret, ſi in eo falſi eſſent. Cum cognatæ ſint naturæ obſeruamus pari modo, quo nos vſitate quinque herbas aperientes, Paracelſum quinque gummata ſimul nominare & præſcribere. Conueniunt in

in eo, quod omnia ſint calidæ ſiccæq; naturæ, & pro ſuâ quodlibet indole magis minusq; digerat, emolliat, reſoluat & cerebro, vtero, neruis neruoſis partibus, inteſtinis, articulis, pectori, veſicæ & eorum morbis ex frigida intemperie conducat, quodq; omnibus viſcerum obſtructionibus & ſcirrhis, & ad omnes tumores induratos externos quarumcunq; partium, præcipue iuncturarum & eorum dolores conferant.

Differentia gummatũ.

Differunt primo iuxta gradus temperaturæ, deinde quod *ſerapinum* ſeu *ſagapenum, & ammoniacum, galbanumq́;* ſint ſucci plantæ ferulaceę, ſed *ſerapinum* ferulæ in Media, *ammoniacum* ferulæ iuxta Cyrenê Africę prope Ammonis oraculum, vnde etiam nomen contraxiſſe videtur, *galbanum* ferulæ in Syria naſcentis, *opopanax* autem *panacis herbæ ſuccus*, & *ſarcocolla* arboris in Perſide prouenientis. Quidam ſunt in illa opinione, è ferulis ſtillantes ſuccos vnius eiuſdemq; eſſe generis, & ex eo differre, quod diuerſo cælo ſoloque ſuccreuerint vnius quidem ſpeciei plantæ, ex quibus profluxere, quo nomine & illæ nonnihil varietatis repræſentent. Hinc nata eſt ſententia, qua cum Auicenna multi ſtatuunt, *galbanum* verti demum in *ſagapenum* ac ſi illud ſola imperfectione ab hoc diſtet & diſcrepet.

Serapini qualitas.

Sagapenum, quod officinis ſerapinum nuncupatur, calidum in tertio & ſiccum in ſecundo gradu, particeps amaritudinis & porraceæ acrimoniæ compoſitum ex ſubſtantia ſubtili, ignea & terrea, in qua ſubtilitas dominatur. Eſt, vt loquitur Meſue, reſolutiuum, carminatiuum, ventoſitatum groſſarum ſubtiliatiuum, extenuatiuum, ſolutiuum & prouocatiuum. Craſſam & viſcoſam pituitam à neruis & iuncturis ſimulque bilem & hydropicorum aquas dragmæ vnius pondere potum educit.

Sagapenũ craſſam pituitam & aquas ducit.

Cerebro, neruis, & neruoſis partibus, vtero, veſicæ, iuncturis & pectori cumprimis operam ſuam dicauit, quarum partium morbis ex cauſa frigida ortis impendio opitulatur.

Quas reſpiciat partes & quibus proſit morbis.

Proinde peculiari virtute cerebrum neruosq; emundat, craſſa & viſcoſa excrementa ab his extrahit, & hac ratione cephaleæ, hemicraniæ, epilepſiæ, paralyſi, oris diſtorſioni, conuulſionibus & vertigini confert, neruorumque dolori & ſpaſmo medetur. Affectibus inueteratis à craſſa & pertinaci cauſa opitulatur. Siquidem viſcoſi & tenaces humores vi gummatis demum ſoluantur, fundantur, attenuentur & diſcutiantur, doſis à ℈ij. ad ℈iiij. vel v. & vltra. Ad materiam craſſam è pectore euacuandam (validiſſime autem illud purgat) & dolores laterum dantur ℈ij. ex *decocto elenij* vel *rutæ*, concinnius horum *ſucco* nutritum & imbutum datur.

Ad expectorandum craſſam pituitam.

Galenus ℔ vij. *de compoſit. med. ſec. loca* c. 3. ad dyſpnæam & tuſſim tale refert ex Antipatro:

℞ *Styracis* ℥vj.
Terebinth ℥ß.

Ad dyſpnæam & tuſſim Antipatri.

opopanacis,
ſagapeni,
galbani,
Iridis Illiricæ,
mirrhæ ana ʒ ij.
ſem. hyoſcyami albi obolos iiij.
opii obulos v.

Ad tuſſim. Ibidem ad omnem tuſſim expertũ:

℞. *aniſi* ʒ j.
coſti obol. iij.
mirrhæ ʒ j.
caſtorei,
galbani,
ſagapeni,
piperis albi,
ſem. hyoſciami,
opii,
ſucci liquiritiæ ana ʒ j.

Cum paſſo redige in pilulas ciceris magnitudine ſub noctem dandas.

Ad phthiſin. Idem ibidem ad phthiſin:

℞. *ſuc. hypociſtid.*
mirrhæ ana ʒ viij.
caſtorei ʒ vj.
ſucci Rhois ʒ ix.
ſagapeni ʒ vj.
ſucci papauer. ʒ viij.
aniſi ʒ ix.
ſem. hyoſciami ʒ viij.
ſtyracis ʒ vij.
croci ʒ x.
liquoris Cyreniaci ʒ j.
ſem. dauci ʒ viij.
marrubij ʒ j.
cortic. mandragoræ ʒ x.
piperis longi ʒ viij.
albi ʒ v. ſ.
verbenacæ ſupinæ ʒ j.
mellis cocti q. ſ.

Serapionis ad pectoris obſtructiones. Serapio ad oppilationem pectoris, pulmonis & tuſſim præſcribit ſequens:

℞. *aloes* ʒ ſ.
ſucci liquiritiæ ʒ iij.
ſarcocollæ,
aniſi,
apii ana ʒ ij.
Rhabarb. ʒ j.
ariſtolochiæ longæ,
caſtorei ana ʒ v.
ſem. harmel ʒ j.
ſcammon. ʒ ij.
agarici,
ſerapini ana ʒ iij.
papauer. ʒ j.
granorum pini ʒ ij.

Cum mucilagine pſillii f. pilulæ. Doſis aur. ij.

Ex *decocto betonicæ* datur ʒ j. ſerapini ad hemicraniam, paralyſin, epilepſiam & vertiginem.

Ad paralyſin pilulæ. Serapio ad paralyſin conformat pilulas.

℞. *ammoniaci,*
bdellij,
ſerapini,
aloes,
caſtorei,
ſem. harmel ana ʒ iiij.
euphorb. ʒ iij.
colocinth. ʒ vj.

Fiant pilulæ cum aqua porri. Doſis ʒ j.

In epatis ſcirrho & lienis vterique obſtructionibus, & menſibus ſuppreſſis pilulæ fœtidæ & de ſagapeno maximopere conueniunt, prætérquam

quam quod ab articulis & ſpina & coxarum commiſſuris & à cerebro valide educunt. De pilulis ex ſagapeno ad iliacam à Rhaſe & contra colicam paſſionem à Paracelſo traditis *in cap. de colocynthide* videbimus. Rhaſes prẹter has *lib. de antidot.* ad colicam ſequentes præſcribit:

Pilula Rhaſis ad colicā paſſionem.

℞ *aloes* ℥ x.
ſcammonii ℥ iiſ.
colocynth. interior ℥ iij.
ſalis gemmæ ℥ ij.
ſerapini,
ſebram ana ℥ iij.

Sunt doſes decem.

Potum, vel clyſteribus inditum *ſagapenum* coli doloribus à frigiditate & flatibus mirifice auxiliatur. Ad Iliacam & colicam paſſionem ſequẽs mixtura apprime commendatur.

Ad colicā & iliacam paſſionem.

℞. *pul. radic. panacis* ℥ ij.
mirrhæ,
ſerapini,
ſpondilii,
galbani,
piperis,
pyrethri,
croci ana ℥ j.

Cum melle fiat mixtura. Plerique *nigellam, ſal gemmæ vel nitri & cinamomum* addunt.

Variarum de ſerapio pilularum deſcriptionem & paradigmata, quas vel ingreditur, vel quarum baſin conſtituit, vide apud Auicen. *lib. 5. tractatu primo cap. 9.*

Ad paralyſin hæ impendio commendantur.

Pilulæ ad paralyſin ſpecifica.

℞. *Gummi ſerapini,*
opopanacis,
rutæ,
caſtorei,
mirrhæ,
extracti vel ſucci leuiſtici ana p.æ.
Cum ſucco iuæ arthetica vel herbæ paralyſis f. pilulæ.

Pro curatione hydropis ſequentes præſcribit Peucerus.

Contra hydropem ſecretiora.

℞. *ſucci elenii* ℥ xvj. *cui infundantur ſpicæ maſtichis ana* ℥ iiij. *bulliant ad conſumptionem medietatis, in decocto colato nutriatur ſagapenum, f. pilul.* harum compoſitio ex Meſue *cap. de ſerapino* ſumpta eſt, qui *ibidem* aliud etiam ad hydropem remedium formare docet; *colocynthidem euacuare iubet & implere aqua cum pauca ſpica & maſtiche, & dein coquere ad conſumptionem tertiæ partis; & hoc liquore nutrire & inſuccare galbanum, atq; cum decocto myrobalanorum* exhibere, quod præſtans ſit auxilium & de medicinis magnis aduerſus hydropem. Vel

Pilula ad hydropem.

℞. *ſagapeni ſucco elenii nutriti* ℈ ij.
Trochiſc. alhandel ℈ j.
diagrid. gr. v.
ſalis gemmæ gr. iij.

Cum ſyrupo roſarum ſolutiuo fiant pilulæ pro duabus doſibus. Ad obſtructiones ſplenis, epatis, & hydropem pilulæ Serapionis

Aliæ ad obſtructiones epatis & lienis.

℞. *Rhabarb.,*
mirrhæ,
bdellii,
ammoniaci,
ſerapini,

maſtichis,
Thuris,
aloes,
caſtorei ana ʒ j.
radic. rubiæ,
gentianæ,
coſti,
laccæ ana ʒ iij.
cinamomi,
ſpicæ,
croci,
piperis ana ʒ ij.
ſem. apii, aniſi ana ʒ j. *terantur cum ſucco caulis.*

Vel:

℞. *centaur. minor.*
chamad. polii,
ſem. aniſi, maſtichis,
cinamom. ſquinanthi,
aſari, croci,
caſſiæ ligneæ ana ʒ v.
ſerapini, bdellii, ſalis Indi ana ʒ ij.
Fiant pilulæ, quas, ſi acuere velis, adde
epithymi ʒ j.
agarici ʒ ij.
aloes ʒ iij.
colocynth. ʒ ij.

Ad hydropem,

Ad hydropem & flatus craſſos,

℞. *ſem. apii, maſtichis, cinamom. ana* ʒ ij.
radic. ariſtolochiæ long.
acori,
gentianæ ana ʒ j.
ſalis Indi.
ſerapini ana ʒ j. ℈ j.

Aliæ eiuſdem Serapionis fortius ſoluentes;

℞. *æris vſti, laccæ mundæ,*
epithymi, ſalis Indi ana ʒ vij.
mezereon,
ſucci epithymi,
eupatorii,
bdellii, ſerapini ana ʒ v.
euphorbii,
cymarum ſquinanth. centaur. min.
chamadr. ſem. apii, petroſelini,
aſari,
maſtichis, ſpicæ, cinamom. croci,
caſſiæ fiſtulæ, ariſtolochiæ rotund.
Gentianæ ana ʒ iiij.
Aloes ʒ viij. *polii, agarici ana* ʒ vj.
rad. lilii cœleſtis, liquiritiæ,
myrobal. citrin. ana ʒ ix.
Rhabarb. ʒ v. *f. pil.* Doſis cuicunque ʒ ſ.

Ad vteri impuritates & motus.

Ad vterum impurum & inquietum.

℞. *pilul. maſtich.* ʒ iß.
agarici trochiſc. ʒ ß.
ſerapini ℈ ij.
caſtorei ℈ j.
Cum ſucco rutæ, fiat maſſa, cui inſtillentur olei ſuccini guttæ vj. vel
℞. *ſerapini puri* ʒ j.
caſtorei pinguis ʒ ß.
cum ſucco rutæ f. pil.

Pilulæ ad mouendos menſes ſiſtentes meæ deſcriptionis.

Ad promouendos menſes has mihi comparaui & compoſui, quibus quæ methodus exigit, debite præmiſſis, iuſtoq; tempore, fœliciſſime vtor.

℞. *Galbani,*
ſagapeni,
ammoniaci in oxymelite ſquillitico ſolutorum ana ʒ j.
pul. mirrhæ, piperis,
boracis,
ſauinæ,

ſauinæ, vel ſucci inſpiſſati, vel baccarum eius ana ℈ ij.
Extractorum ſplenis bouis ℈ ii ß.
Gentianæ
centaur. minor:
Croci ana ℈ ij.
Extracti Theriacal.
Tartari vitriolati ana ℥ ß.
Cum ſ. q. mellis anacardini f. maſſa, cui inſtillæ olei ſuccini deſtill.
olei lauend. deſtill. ana gutt. viiij.
formentur pil.

Serapinum, inquit Meſue bibitum & ſuppoſitum prouocat menſtrua, ſed fœtum interficit, confert, dolori matricis & præfocationi eius; ad tumorem obſtructionemq; lienis ℥ j. datur cum *oxymelite ſimplice vel ſquillitico*, ad ſubuerſionem vteri tantundem cum *aqua abſinthij*, ad promouendos menſes cum *hydromelite*: ad vrinæ ſuppreſſionem & contra venena aſſumpta aut morſus ſerpentum animalculorumque venenatorum cum *aqua rutæ, ſcordij*, vel *tanaceti*.

Mirifice itaque viſcerum, videlicet epatis, lienis, pectoris, renum, vterique obſtructiones & contumaces inf.r.us expedit, & à craſſis viſcoſisque humoribus morbos diuturnos imprimentibus vindicat, vnde in febribus quartanis aliisque chronicis affectibus auſpicato vtimur, ſi cum *oxymelite, extracto gentianæ, centaurei minor. tartaro vitriolato*, aliisque id genus debite componatur. Hinc Quercetanus conſignat *pilulas Camilli* ad quartanam.

Pilula ad quartanā.

℞. *ſagapeni* ℥ vj.
ammoniaci ℥ iij.
Extract. trochiſc. alhandel ℥ j.
ſcammon. præpar. ℥ ß.
ſalis gemmæ ℥ i ß.

Ad dolorem iuncturarum pil. Serapionis.

Contra arthritidem.

℞. *Hieræ picræ.*
Turbith ana ℥ ß.
Rad. ſatyrion.
Hermodact.
Meizabaran.
bdellij ana ℥ ij.
ſalis Indi ℈ iiij.
Serapini
ſem. apij ana ℈ ij.
ſeitargi,
origani perſici
Zinzib. ana ℈ iiij. *cum ſucco caul. f. pil.*

Antipodagricum.

Antidotum podagricam præſtantiſſimam Aetius *Tetrab* iij. *ſermon.* 4. *c.* 47. deſcribit, conſtantem *centaurio Rhapon. ſabina, galbano, ſagapeno, Terebinth. trochiſcis de vipera, trifolio bituminoſo, cardamomo, thymo. origano, ſtœchade, calamentha, oſſibus bubalis vſtis*, & ſimilibus.

Plures id genus deſcriptiones & formas remediorum venerandæ antiquitatis ex ſerapino vſu probatiſſimas tam ad articulorum, neruorum & cerebri, quam vteri cæterorumq; viſcerum vitia vide apud Serapion. *tractatu* vij. *de antidotis c.* 17.

Quandoquidem vero ipſe Meſue fateatur, *ſerapinum* indigere correctione, quod epar & ventriculum non-

Correctio ſagapeni.

nihil offendat, neceſſum eſt, vt de modo emendandi diſpiciamus. Meſue *decocto myrobalanorum* vel *ſucco enulæ* nutrit & imbibit, ſed eius virtutem decocto *colocynthidis* intendit. Recentiores ex Paracelſo arbitrantur, *ſagapenum* cæteraq; affinia gummata ſatis corrigi, ſi in aceto ſoluta per ſetaceum exprimantur & affuſa dein aqua roſacea aceti qualitas eluatur, fiatq; extractio eſſentiæ per ſpiritum vini. alii extracta puriore parte per vini ſpiritum lente eundem exhalare permittunt, & cum *modico ſacchari* ad conſiſtentiam coquunt. Rectiſſime omniū præparatur ad morbos cerebri, neruorum, pectoris, articulorum, & vteri à frigidis humoribus obortos, ſi vino ſolutum & purgatum extrahatur aquis cephalicis vel apoplecticis Langii, Brucei vel noſtra nobis vſitata & experta matricocephalica.

Aqua matricocephalica expertiſſima ad cerebri neruorum & vteri affectus.

℞. *Herb. ſaluiæ recent.* ℥ xij.
meliſſæ,
matricariæ,
rutæ recentium ana ℥ j ß.
menthæ criſpæ ℥ ß.
Roſmarini ℥ iij.
maioranæ ℥ ß.
Cinamo. ℥ j.
Garyophyllor.
granor. paradyſ.
nucis condit.
Zinzib. ana ℥ vij.
Cortic. citri ℥ ß.
caſtorei ℥ ß. ℈ ij.
olei laurini per expreſ. ℥ iß.
ſpicæ ℥ iß.
ſpiritus vini Rhenani opt. ℔ 12. *fiat digeſtio debita & deſtillatio in B. M.*

Vſus externus.

Extrinſecus eius quoque multiuarius eſt vſus. In *vino* ſolutum & emplaſtri ritu impoſitum dolores lateris mitigat, confert tuſſi & anhelitus difficultati, vti hauſtum, ſic & illitum. Conuenit etiam in pleuritide. Contuſionibus medetur in *aceto & ſucco* rutæ ſolutum, cum *oleo rutæ* pellit dolores dorſi, ex *aceto ſquillitico* vti ſumptum, ita & admotum lienis duritiės perſanat, ſcrophulas pariter & membrorum duriciem; nodos oculorumque hordeolos *aceto* ſolutum ſoluit & diſſipat. Articulorum compaginibus quomodolibet admotum, dolores mirifice ſedat, eosque præſertim, qui à craſſis humoribus etiamſi in coxendicum profundarumque partium abditis locis, ſtabulentur. Potum vel clyſteribus inditum coli doloribus ſuccurrit, peſſulari forma ſuppoſitum ſecundas & menſes euocat.

Oleum ſagapeni quomodocunq; vſurpatū, ſiſtit ſuffocationes ab vtero.

Oleum ſagapeni deſtillatum ſumptum, impoſitum ſuffitum matricis eleuationem & inquietudinem reprimit, & ad neruorum articulorumq; dolores & ægrimonias exquiſita eſt antidotus. Emplaſtrum ad hydropem, quo ſolo Archigenes ſe percuraſſe hydropicos teſtatur, exſtat apud Aetium *Tetrabil.* iij. *ſermon.* 2. *c.* 23.

℞. *coccognidij* ℥ x.
colocynth. ℥ viij.
ſucci cyclam. ſiccat. ℥ xvj.
ſammon.

ſcammon.
elaterii,
piperis albi, mirrhæ ana ℥ iiij.
polypod. ℥ viij. *abſinthii* ℥ xvj. *fellis tauri* ℥ xv.
ſagapeni ℥ viij. *olei cyprini q.ſ.* Fiat emplaſtrum.

Cap. XXIV.

Galbanum quoquo modo vſurpatum intus extuſve adhibitum vteri mala & inteſtinorum dolores à frigida cauſa placat. Cõuulſionibus ominis generis medetur. Epilepticos & ex vtero ſuffocatas excitat, lienis dolorem, tumorem & ſcirrhum remouet. Vermium, venenorum & beſtiolarum venenatarum eſt antidotus. Galbani deſcriptio & vſus ad paræſin & colicum dolorem.

GAlbani, quia multis imperfectum videtur Serapinum, & magna cum gummatibus purgantibus ſit cognatio, hiſtoriam breuiter intexemus, quamuis ad pharmaca ſelectiue purgantia, de quibus hoc opere pertractare decretum eſt, proprie referri non debeat.

Qualitas galbani. Calidum eſt in gradu ſecundo cõpleto, vel principio tertii & ſiccum in initio ſecundi. Conſpicuam emolliendi, diſcutiendi, attrahendi, flatuſque diſcutiendi facultatem poſſidet. Conuenit vtero, pectori, lieni, neruis, tumoribus induratis, miſceturq; vnguentis vulneratiis. Vtero conuenit aſcendenti vel deorſum præcipitato ſuffitum, admotum, vel ſumptum. *Vteri malis præcipue conuenit.* Vtero ſuffocatas & paroxyſmo epileptico correptos ſuffitus per nares excitat. Sæuiente vtriuſque affectus paroxyſmo dentur *olei galbani deſtillati* guttulæ vj. vel vij. cum *aqua theriacali*, *pulegii* vel *matricocephalica* proxime *antecedenti cap.* conſignata. *Ad excitandũ ſuffocatas ex vtero, & paroxyſmũ epilepticum ſedandum.* Si fortius incitamentum deſideres, adde guttulam vnam vel alteram *olei ſuccini.* Verumenimuero, quod ex galbano prolectum eſt, hiſtericis quã proprie conducit. Quibus degluriendi ſupereſt facultas inſtante vel ſæuiente paroxyſmo aut ringente vteri dolore, quinq; vel ſex pilulas ſequentis formulæ deuorent.

℞. *ſerapini* ℈ j. *Pilulæ ad ſuffocationem uteri.*
Galbani ℈ ij.
aſæ fœtidæ ℈ j.
olei ſuccini gutt. iiij. *miſce f. pil.*

Mulierculæ inferioris Saxoniæ ex *Galbano*, *aſa fœtida*, *caſtoreo*, *ſcordio*, *allio cum ſucco rutæ* nodulum in vſu familiari habent, quem exigente neceſſitate naribus obiiciunt, & ſimul ex *galbano*, *aſaque fœtida cum oleo de caſtoreo inſperſis modicis olei ſuccini guttulis* emplaſtrum vmbilico & vtero apponunt, quo aſcenſum & irruptionem ad ſuperiora eiuſque dolorem & inquietudinem compeſcunt. Vti fumus & nidor *galbani* naribus immiſſus vterum aſcendentem deorſum fugat, ita præcipitatum ſubtus inuolans, & in muliebria penetrans ſurſum contendere impellit.

impellit; quomodo & menſes & ſecundæ & partus etiam euocantur.

Mirum autem videri cuipiam poſſit; cũ aromatica iucunditate allicientia & penetrantia vteri penetralia menſes euocent, quod fœtida, quorum nidore & tetro halitu in ſeſe contrahitur & refugit, venaſque arctius adducere & claudere compellitur, eoſdem non ſiſtant. Sed cum experientia teſtetur, his etiam duci mēſes, vterumque reſolui arbitrandum, quod quemadmodum aduoluatur & ſeſe explicet, gratam aromaticitatem auide ſectetur & attrahat, oraque venarum eo relaxet, ita fœtidis irritetur ad ſoluendum venas & excutiēdum ſecundas & fœtum, vtrobique halitu penetrantiore calido & acri acriter iuuante & ſtimulante.

Quomodo fœtida, quibus fugatur vterus mēſes euocent.

Ad exigendum menſes, ſecundas, partū & vrinas.

Ad promouendum menſes inſuper & partum exhibent ſolum *galbanum*, vel cum *mirrha* & *ammoniaco*, quibus & ſecundas & fœtum mortuum molamque educere conantur. Hæc autem ſoluuntur cum *vino*, vel *aqua*, *pulegii*, *rutæ*, *aut ſucco fœniculi*. Conuenientius exhibetur cum *oleo amygdalarum dulcium* addito *croco*, quo modo etiam ad vrinæ ſuppreſſionem conducit.

Ad aſthma.

Ad tuſſim veterem, aſthma, & ſpirandi difficultatem optime facit, ſi in pilulas conformatũ detur, vel cũ *terebinthina* & *melle* lingatur. Si vero tuſſis oriatur ex humore tenui confertim irruente, qui pectoris ſummam anguſtiam creet, ex *galbano purgato*, *ſtyrace*, *mirrha* & *opio ana* p. æ. *aſperſis vini maluatici guttulis* formantur pilulæ, piſi minoris magnitudine, quarum tres ſub ingreſſum lecti ſumptæ, tuſſim ſedant & fluxionis torrentem inhibent.

Ad catarrhum ſuffocatiuum.

Ad lienis dolorem, tumorem & ſcirrh.

Ad lienis dolorem, tumorem, & ſcirrhum ex frigiditate, flatu craſſisue humoribus natum datur ʒj. *galbani* ex *oxymelite atorato vel ſquillitico* præſentanea ope, ego *ariſtolochiæ rotundæ veræ vel radicis gentianæ puluerem* adiicere ſoleo, extus applicatum perinde operatur.

Ad conuulſiones.

Ad omnis generis conuulſiones hauritur cum aquis cephalicis, & ad tendinum articulorumq; contracturas ex hoc vel alio liquore. Cum *ſacchara penidij* ſumptum enecat vermes, ſolutum cum vino. Et ſumptum reſiſtit veneno, infringit toxici vires. Et qui virulentia infectis telis percuſſi ſunt, medetur, ad viroſarum beſtiarum morſus facit; & ſingularis iuxta Auicennam fertur theriaca aduerſus venenata, quo nomine ingreditur ampla doſi confectionem Diaſcordii Fracaſt. minoris tamen ad ea efficaciæ, quam ſerapinum, nidore ſerpentes fugat, nec peruncti punguntur, cauo denti immiſſum, vti & auribus infuſum, dolorem ſedat. Ad hæmicraniam & vicini dentis dolorem auribus infunditur vel inſeritur pilula ex *galbani* gr. vj. *ladani opiat.* gr. ij. vel tribus conformata. Vtiliſſimũ vero tam intus ſumptum, quam extus applicatum eſt remedium aduerſus Iliacam

Ad vermes & venena ſingulare eſt.

Colicam & iliacam.

iliacam & colicam paſſionem & præſertim illam, quæ eo deuenit vt paræſin generet. Pilulis ad ſopiendum hos cruciatus & ſimul remouendam eorum cauſam, his vti ſoleo.

[...]ula ex[...]tiſſima [...]l inteſti[...]rum do[...]rem in[...]pugnabi[...]m.

℞. *Serapini in vino maluatico ſoluti* ʒ iij.
Galbani ℈ ij.
mirrhæ ℈ iß.
piperis ℈ j.
ſtyrac. calamit.
Euphorbij ana ʒ ß.
Caſtorei ℈ j.
Extracti panchymag. Croll.
Trochiſc. alhandel.
diagrid. ana ℈ ij.
opij Thebaici parum torrefacti ℈ ij. gr. v.
ol. nuc. muſc. expreſſ. ʒ ß.
ſpiritus nitri gut. vij.
ol. cort. citri deſtillat. gut. v.

fiant pilulæ, ex qualibet dragma num. xv. datur ʒ ß. vel ℈ ij. optimo cum ſucceſſu mihi ſæpius probato, ſi velis, ſuperbibe *olei amygd. dulcium* ℥ ij. *vel* iij. Illę dolorem compeſcunt & vitream pituitam inteſtinorum tunicis inuiſcatam, perq; eorum anfractus & meſenterii corpus diffuſam copioſe abſque vlla moleſtia ſimul educunt. Ad colicam ex vitrea pituita obortam vixdum præſtantius obſeruaui remedium. Aetius deſcribit antidotum Nicolai Iſotheani aduerſus colicos cruciatus.

Antidotū ad colicam.

Ad cruciatum colicū antidotus Nicolai.

℞. *croci* ʒ jß.
mirrhæ
ſpicæ nardi ana ʒ ij.
coſti,
piperis albi,
longi,
galbani ana ʒ j.
cinamomi,
ſucci mandragoræ,
caſtorei ana ʒ ij.
ſem. dauci ʒ iß.
opobalſami vel ſuccedanei ʒ iiij.
ſagapeni ʒ iij.
caſsiæ ʒ iij.

Cum melle deſpumato miſceatur, detur fabæ magnitudine ex *hydromelite*, cui incocta ſit *ruta*, ex eiuſdem relatu ſequentia ſunt Archigenis:

℞. *mirrhæ ſtactæ,*
opoponacis
ſucci Cyreniaci,
croci,
pyrethri,
galbani,
ſagapeni ana ʒ viij.
olei picini ℥ j.
mellis deſpumati q. ſ. doſis ʒ j. cum

cretico calide compoſito dolore exhibe *Theriacam*, vel

℞. *ſagapeni,*
mirrhæ,
galbani
pyrethri,
croci,
ſpondilii ana ʒ .
rad. panacis viij. *excipe melle cocto,*

datur cum *vino decoctionis chamæpyteos.*

Aetius *Tetrab.* iij. *ſer.* 1. *c.* 28. vulvoſis, colicis, anheloſis, ſplenicis, vrinæ difficultati, comitialibus & tre- *Polychreſton Aetii.*

more affectis vtero ſtrangulatis commendat, quod ſequitur.

Pilulæ.

℞. *medullæ ſcillæ crudæ,*
Ammoniaci
Iridis ana ℥ I.
Galbani ʒ xxv.
opopanacis ʒ xij.

Gummata ſolue in aceto, & ex omnibus miſtis fiant catapotia, quorum doſis ſit ℈j. è *vino vel aceto mulſo*, vide id generis, *loco citato*, plura.

Vtiliter *galbanum* extrinſecus vmbilico imponitur ad dolorem colicum & viſcerum intemperiem. Mercat. lib. 3. *de intern. morbi. curat. c. de colico* aff. *Galbani* ℥ ß. *ſoluit in olei rutacei* ℥iij. & addit *galliæ muſchat. Zibetti ana* ʒ ß. *moſchi* gr. v. Crato in *Epiſt.* 141. *Galbanum* ſoluit in q. v. eſſent. Et addito *caſtoreo & colocynthide* vmbilico imponit, ventri autem toti fomentum ex *melle & lacte caprino* inducit, ſimulque *theriaces* ℥ ſ. cum *calami aromat.* ℈ ſ. exhibet. Idem ex *Galban. Elemi & Ederæ gummi oleique laurin. ana* p. æ. Oleum vmbilico illinendum deſtillat, quod alii hoc pacto accuratius ſe parare arbitrantur.

Eximia ad colicos cruciatus linimenta & remedia.

℞. *Oleorum Galbani* ℔ ſ.
hederæ ℥ iij
Terebinth. ℔ j. *Mixta denuo deſtillentur ad vſum.* Illud cum priori membris paræſi conceptis & inteſtinis intemperatis tuto imponitur. Præſtantior euadit balſamus, ſi ex *galbani* ℔ ſ. & *olei terebinth. clari mixtura deſtilletur oleum, cui deinde affundatur olei lauend.* ℥ j. *& repetatur deſtillatio*, vnde balſamus emergit generoſus, qui affuſo *ſpiritu vini* aliquamdiu circulatus, euadit penetrantiſſimus, & præſtantiſſimum ad dolores colicos, ſi cũ *oleo ſaponis Veneti*, mixtis & pauculis *ſpiritus caphuræ* guttulis vmbilico illinatur.

Galbaneti prima inuentio, etſi Cratoni doctiſſimo, & infallibilis experientiæ viro adſcribatur, tamen ex Arnoldi Villanouani Breuiario *cap. de paralyſi* paucis mutatis deprompta videtur.

Galbaneti inuentio.

Galbanum emplaſtri modo applicatum, hemicraniam mitigat, oſſium fragmenta & ſquamas vulneribus extrahit, ictus ſcorpionum ſanat. Vt capitis dolori efficacius medeatur, *mirrham & ladanum* admiſcent.

Ad capitis dolorem.

Apoſtemata cruda, dura, & incocta impoſitum maturat.

Ad dolorẽ iſchiadicũ paratur emplaſtrũ ex galbani ℥ xij. *viſci aucupũ, & terebinth. ana* ℥ viij. *cum puluere cimini*, quibus aliquando *mirrham & radic. ireos* addunt.

Ad iſchiadicum dolorem.

Ex aceto impoſitum nodos tophaceos articulorum & arthriticorum tumores tollit. Strumas inchoantes delet, p ſe, vel cum *reſina pini & cinere vitis miſtũ* emplaſtriq; ritu impoſitũ. Panos præterea ſanat, & cum nitro & fermento impoſitum carbunculos extirpat. Ad teſticulorũ tumorẽ

Ad tumores teſticulorum.

℞. *Galbani,*
Ladani ana ℥ ſ.
olei lilior.
camomelini ana ℥ j. *pulueris cimini & ceræ ana* ℥ ſ.

Peſſus

…ſus ex galbano ad …s & …um mor…m ex-…hendũ.

Peſſus ex ſolo *galbano* vel ſuffitus eius cum *caſtoreo* & *blatta Bizantia* vel cum *helleboro* & *caſtoreo* exceptus per embotum in vterum extrahit fœtum mortuum, molam & ſi quæ eius cauitati internæ ſint adnatæ maſſæ carnulentæ.

Vlcera vulne-… …pturas-

Conficiuntur præterea vnguenta & emplaſtra ad vulnera & vlcera ex *galbano, ammoniaco, bdellio ſerapino, terebinthina, mirrha, maſtiche, thure, ſanguine draconis, lithargiro & oleis.* Emplaſtrum ex *galbano in vino rubro cocto cum puluere nucum cupreſſi permixto* valet ad rupturas & hernias. Tali & pedum rimas perſanat, quod conſtat ex *galbano, tragacantha, axungia caprilla & oleo violarum.*

Cæterum cum ad cerebri, neruorum, vteri & neruoſarum partium ſpiritu prægnantium refectionem maxime faciant odorata, quandoquidem his & os ventriculi & cerebrum eiusque ſpiritus affatim recreentur, eaque vterus adeo auide aucupetur, vt cum violentia ad impreſſionem diaphragmatis iis occurrat, dum naribus obiiciantur, & impendio delectetur cum in congreſſu virili virgæ illinantur, adeo vt & ſemen exploſum promptius hauriat & citius fæcundetur, fœtida ex aduerſo ventriculum offendant, nauſeam pariant, ſubuertant, cerebrum percellant, vterum repellant, & quaſi horrore perculſum fugent, quomodo gummata hæc odoris teterrimi cerebro, neruis, vtero, ſtomacho & inteſtinis adeo fidelem operam præſtare poſſunt? præſtare autem hanc cottidie experimur.

CAP. XXV.

Ammoniacum pituitam craſſam ex meſenterio, viſceribus, cerebro, neruis & articulis ducit, obſtructiones ad miraculum reſerat. Abſolutiſſima ad aſthma, orthopnæam & morbos pectoris ex craſſa pituita recenſentur remedia. Nec minus præſtantia ad inueteratas pertinacesq; iecoris & lienis obſtructiones & ſcirrhos proponuntur ex eodem præſidia, menſes ſuppreſſos & remorantem vrinam pellit, embryonem eijcit, arthriticis opitulatur, extrinſecus adhibitum viſcerum & partium apoſtemata duricies & tumores ſoluit ſuffitu & peſſo menſes ſecundasq; euocat, valet ad dolorem arthriticum & iſchiadicum, vlcera purgat & conſolidat.

Ammoniaci temperies & vires.

AMmoniacum calidum in fine & ſiccum in principio ſecundi gradus, mollit, calfacit, extrahit tubercula, duriciesque diſcutit. Qui hactenus dixerunt Græcos ignoraſſe vel ſubticuiſſe vim purgandi horum gũmatum, illi Dioſcoridem inſpiciant *lib. 3. cap. 28.* diſertis verbis profitentem, quod ammoniacum potum ſoluat aluum.

Studet autem cerebro, neruis articulis, & cumprimis pectori, lieni, vtero, viarumq; & viſcerum obſtructionibus operam ſuam legauit. In his craſſam viſcoſamque pituitam digerit, & extrahit, dragmæ vnius vel ℈ iiij. pondere potum. In anhelitus difficultate & obſtructione brõchiorum pulmonis ſeu aſthmate & orthopnæa apprime cõuenit. Exhibetur cũ *aqua vel ſyrupo de hyſſopo, decocto helenii, oxymelite ſimplici aut ſquillitico*, vel cum *melle ſimplici* linctum. Platearius monet, vtile eſſe, vt prius emolliatur pectus, *ſyrupo vel decocto althee, butyro, ſemine lini, branca vrſina.* In hunc vſum confectum eſt electuarium Oribaſii diabutyrum ex *melle* & *butyro*; vel ex *ſaccharo, butyro & terebinthina.* Præparato pectore datur ammoniacum vtiliter cum ſupradictis vel ex ouo ſorbili. Hæc cumprimis commendantur pilulæ.

Ammonia cum ſingulare & ſpecificum eſt in aſthmate & orthopnæa.

Pilulæ præſtantiſſimæ ad aſthma & orthopnæa.

℞. *Gummi ammoniac. puriſſ.* ʒ ij.
Terebinth. Venet. ʒ vj.
extracti croci ʒ ſ.
ſpecierum diahyſſopi
diambræ ana q. ſ.
f. pil.

Non minus vtiliter conficiuntur eædem *ex ammoniaco, terebinthina, agarico & melle.*

Franciſc. Ioel orthopnoicos multos ſe hoc ipſo curaſſe teſtatur, quod

℞. *Zedoariæ* ʒ ſ.
Gummi Ammoniac. ʒ ij.
flor. ſulph. ʒ iij.
croci ℈ j.

Coque in ℔. j. *hydromelitis ad medias*, detur crebro cochlear vnum.

Aliud.

℞. *ammoniaci* ℥ j.
oxymellis ſquillit. ℥ j.
ſyrupi de hyſſopo ℥ jſ.
ol. ſulph. per campa. præp. gutt. viij.
miſce.

In paroxyſmo aſthmatico.

Syrupus. Ad paroxyſmum aſthmaticum ſuffocatiuum.

℞. *extracti Croci,*
Elenii ana ℈ j.
diſſolue aqua vitæ, & adde
oxymellis ſquillitici. ℥ iij.
ſucci liquiritiæ inſpiſſa. ʒ vj.
agarici trochiſc. ʒ jſ.
ammoniaci ℈ iiij.
olei aniſi ℈ ſ.
Remiſce in formam ſyrupi.

In eodem caſu ℞. *oxymell. ſquillit.* ℥ ij. *ammonia.* ℈ j. *Croci* ℈ iij *miſce.* Vel *olei ammoniaci gutt* vij. *cum grano moſchi* propina ex vino Tabacino hoc pacto parato.

Vinum Tabacinũ.

℞. *vini dulcis, Hiſpan. vel maluat.*
melicrati cocti ana ℔. viij.
fol. Tabac. ſiccat. ℥ jſ.
Radic. Elen. ℥ iiij.
polypod. ℥ iij.

Affligente aſthmatico paroxyſmo vtiliter datur pilula, vel ſolutum *ammoniaci*, vel eiuſdem *oleum* cum mixtura ſequenti.

℞. *aquæ vitæ pectoral. vel aq. aniſi* ℔. ſ.
oxymellis ſquillit. ℥ j.
ſyrup. de cinamo. ℥ ſ.
extracti croci ℈ j.
ſpiritus ſulph. acidi ʒ j.
moſchi gr. vj.

Exper-

Expertum eſt Cardani remedium.
℞. ſem baſiliconis ʒiij. coque in aqua ſcabioſæ ℥iiij. donec dehiſcant, fiat colatura, cui miſceantur moſchi gr. iiij. attrahatur vapor faucibus, exhibita prius mixtura commemorata cum oleo ammoniaci. Interea recte applicatur ſequens pectori emplaſtrum.

Emplaſtrū ad aſthma- applicā- dū pectori.

℞. Emplaſtri oxycrocei ℥ij.
ammoniaci,
carannæ ana ʒ iß.
Euphorb. ʒ ß.
piperis,
aronis,
ſalis nitri ana ℈ ij.
ol. Garyophyll deſtillat. ℈ ß.
diacolocynth Quercetan. ʒ ß.
ol ſuccini alb. deſtill. ℈ ß.

Ad orthopnæam expertum.

Expertum ad ortho- pnæam.

℞. Ammoniaci in oxymelite ſquilliti- co ſoluti ʒ iij. pul. radic. Zedoar.
Ariſtoloch. rotundæ veræ,
mirrhæ ana ʒ iij.
ſem. naſturtii,
ſinapi ana ʒ iß.
aquæ theriacal. opt.
ſyrup. de cinamo. ana ℥ ß.
lohob ſani & experti,
ſyrup. de ſucco Nicotian. ana ℥ iij.
extracti croci ℈ j.
lohob ex aro ʒ jß.
ſpiritus ſulph. acid. ʒ ß. Miſce.

Admodum probatur balſamus ſulphuris terebinthinatus cum oleo ammoniaci, & ſequentes etiam pilulæ.

Pilulæ.

℞. ammoniaci puri,
ſem. rutæ ſylueſtr,
fol. abrotani,
rad. Ariſtoloch. rotund.
florum ſulph. cum aloe, mirrha & croco ſublimat. ana ʒ j.
cardamo ʒ iß.
canellæ.
radic. angelic.
Iridis Florent. ana ℈ ij.
cum oxymelite f. pilulæ.

Ad purgandum è pectore.

Pilulæ craſſam pituitam è pectore purgantes.

℞. maſſæ pill. de agarico ℈ ij.
ammon. boni ℈ ß.
Trochiſc. alhandel. gr. ij.
extracti cinamo. gr. iij.
fiant pilulæ, conſpergantur cinamomi pul. & dentur ex brodio Zinziberis.

Galen. lib. 7. de comp. med. ſecund. locac. 3. ad tuſſim humidam.

Ad tuſſim humidam.

℞. ſtyracis,
Galbani,
ammoniaci,
caſtorei,
opij ana p. æ. f. pil.
erui magnitudine.
vel ℞. ſtyracis ʒ j.
ſucci liquirit. inſpiſſ. ʒ ij.
opij,
croci,
mirrhæ, ana obolos tres, excipe paſſo & fiant pilulæ.

Ad lienis & epatis affectus præſtantiſſima ex ammoniaco componuntur remedia. Hieronymus Montuus in anaſceue morborum cap. 31. inquit, ad obſtructionem epatis & lienis ammoniaci ℈ ij. tribus diebus exhibiti ad miraculum iuuant; ſemper enim vitioſos humores per ventrem ducit, & hydropiſin arcet.

Ad epatis & lienis obſtructiones miraculoſe iuuat ammoniacum.

Ad dolorem lienis ex inflatione ℈ ij, cum

ij.cum modicis olei *aniſi vel anethi deſtill.* guttulis exhibentur. Scirrho eiuſdem medetur, quod ex *foliis capparum ſummitat, tamariſci* & *ſale nitro cum ammoniaco remiſtis* componitur.

Ad dolorē lienis ex inflatione & ſcirrhū eiuſdem.

Epatis lieniſque ſcirrhum incipiētem ſoluunt, & cachexiam hydropiſque initium ſanant pilulæ, quæ

Pilulæ ad epatis lieniſque ſcirrhum incipientem.

℞. *ſpecier. dialacc.*
diacurcum. ana ℥ jſ.
Troch. de eupatorio,
de Rhabarb. ana ℥ j.
Gummi ammoniac. in aceto ſquillitico ſoluti ℥ ij.
ſagapeni ℥ ſ.
chalyb. præp. ℥ j.
pul. marrub.
cymar. abſinth. pont. ana ℥ ſ.
Terebinth. q. ſ. f. pilulæ.

Vel;

Aliæ.

℞. *Troch. de abſinth.*
de capparib.
ſpecier. diacurcum.
diarrhodon Ab. ana ℈ ij.
ſalis abſinth.
cichorei,
geniſtæ ana ℈ j.
ammoniaci in aceto rutaceo ſoluti ℥ j.
Tincturæ chalyb. & *ſyrup. de eupator. q. ſ. f. pilulæ.*

Vel:

Aliæ.

℞. *ammoniaci in aceto ſquillitico ſoluti* ℥ ij.
Trochiſ. de eupatorio,
de Rhabarb.
de cappar. ana ℥ j.
Etract. centaur. minor. ℈ ij.
gentianæ ℈ j.
chalyb. præpar. ℥ ſ.
ſpecier. diarrhod. ℥ j.
Diamb. ℥ ſ. *cum ſ. q. ſyru. de cich. cū Rhabarb. f. pilulæ.*

Pilulæ meæ compoſitionis expertæ.

℞. *Ammoniaci in oxymel. ſquil. ſolut.* ℥ j.
ſagapeni ℈ ijſ.
pul. mirrhæ ℥ iij.
nitri prap. ℥ ſ.
Tartari vitriolati ℈ j.
fœcul. Aronis,
bryoniæ ana ℥ j.
Extract. Gentian.
centaur. minor.
abſinth, ana ℈ ij.
tincturæ chalyb. ℈ j.
Cum ſ. q. ſyrupi de abſinth. f. pilulæ.

Huc faciunt, quæ ex *ammoniaco* compoſitæ à Quercetano deſcribuntur.

Pilulæ ex ammoniaco Quercetani.

℞. *aloes præp.* ℥ iiij.
Gummi ammon. in aceto ſquillit. ſoluti,
mirrhæ præp. ana ℥ ſ.
maſtichis,
ſpecier. diatrionſant. ana ʒ jſ.
croci ℈ ij.
ſalis fraxini,
abſinth. ana ℈ iiij.
Cum ſyrup. de ſucco roſar. pallid. f. pill.

Veneranda antiquitatis remedia ad lienis pertinaces affectus.

Ad lienis affectus priſci æui ſapientes pilulas vel trochiſcos formarunt ex *ceterach, cort. capp. baccis hederæ, ſem. & radic. periclymini, cyclamino, ſem hyperici, ſynapi, vrticæ, naſturc. rubiæ, gentiana. ariſtolochia, aro, ſquilla, panace, aſaro, dictamno, ſtruthio, mirrha, cum ammoniaco, galbano, ſagapeno, opoponace.*

Ad incipientem cachexiam, ventriculi,

triculi, iecoris & lienis imbecillitatem, obſtructionem & impuritatem vſu probatiſſimæ ſunt, quæ

R. *aloes prepar.* ℥ ſ.

pul. Rhabarb. ℥ ij.

ammoniaci ℈ iiij.

mirrhæ ℥ j.

croci ℈ ij.

Cum ſ.q. ſyrupi de abſinth. f. pil.

Pilula pe-ſtilentiales. Ad peſtilentis aeris infectiones conformantur pilulæ vulgo Ruffo adſcriptæ, ex *aloes & ammoniaci partib. duabus; mirrhæ parte vna.* Neminem harum effectu vnquam fruſtratum fuiſſe teſtatur Paul. Aegineta. Si quis efficaciores velit, ad virus cauendum & vt tempore dyſenteriæ epidemicæ etiam proſint, addatur *ſuccinum, bolus & corall. rub.* cottidie vſurpentur.

Vrinam hydropicorum confertim ducit, quod *Id mouẽ-dum vrinam.*

♃. *ariſtolochi.*

mirrhæ,

abſinth.

ſem. abrotani,

Iridis,

cenchrios ana ℥ iiij.

aniſi,

cedridum,

rad. panacis,

pyrethri,

ammoniaci,

cardamomi ana ℥ j.

Cymini ℥ ij. *& obol.* j. *miſce.*

Id præterquam, quod lotium ſtrenue promouet lumborum dolori & articulorum affectibus, pleuriticis, peripneumonicis, tetanicis, quartanariis cum *aceto mulſo* medetur iuxta Aetium *Tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *c.* 24.

Ad dolorem colicum Gal. lib. 9. *de comp. med. ſ. l. c.* 3. *Ad colicũ dolorem.*

♃. *ſucci centaur.*

caſtorei,

ſquillæ aſſat.

piperis alb.

longi,

mirrhæ,

rutæ hortenſ.

hyſſopi,

Iridis Illyr. ana ℥ ij.

Croci,

ammoniaci,

rad. acori,

phu pontici,

Zinzib.

Veratri alb. ana ℥ j. *excipe aceto mulſo.*

Cerebri, neruorum articulorumque affectibus etiam mirifice opitulatur *ammoniacum.* Auicenna ait cum *melle* aut *aqua hordei potum* cõferre dolori iuncturarum & ſciaticæ, promouere vrinam ad ſanguinis vſq; excretionem, mederi iſchuriæ, interficere & educere aſcarides, menſtrua ciere, embryonem ſeu viuum ſeu mortuum educere.

Serapio aſſerit, conducere epilepſiæ, purgare viſcidam pituitam & aquas citrinas, corrigere medicinas laxatiuas. Ad Iſchiadicum dolorem.

Pilula ad Iſchiadicũ dolorem.

♃. *ſerapini* ℈ ij.

ammoniaci ℈ iß.

guttæ gummi gr. vij. *vel* viij.

cum ſucco enulæ vel Iuæ f. pilulæ.

In

Externa ex ammoniaco remedia. In externis *ammoniacum* ad ſolutiones cōtinui & inueterati prēſtās fertur remedium, vt emplaſtris pene omnibus merito miſceri debeat, carnes quippe ſanioſas conſumit, & ſanas gignit.

Sarcoticū eſt. Clauos, nodos & tophos emollit, diſcutit, educit, ſpinas & tela impreſſa extrahit, vino acetoue ſolutum, ſed efficacius cum *melle, ariſtolochia rotunda, & croco.*

Strumas conſumit, & omnis generis apoſtemata incocta maturat cum lana ſuccida impoſitū. Soluit, diſcutit vel maturat mammillarum mulierum tumores, & cum aceto illitum lactis abundantiam minuit: poſt illitum ſi folia lactucæ imponas, plane conſumit & auffert. *Ad Tumoris mammillar.*

Cum melle faucibus interioribus perunctum anginam ſanat, foris appoſitum dolores gutturis & colli ſanat.

Ad apoſtemata ventriculi, inteſtinorum & lienis.

Ad viſcerū apoſtemata & ſcirrhos.

℞. *ammoniaci* ʒ ijß.
bdelli ʒ jß.
olei ſeſamini ʒ iij.
thuris,
croci,
maſtichis.
caſtorei ana q ß. Miſ. f. emplaſtrum.

Cum *galbano* ſolutum in *aceto roſato vel ſambucino* confert indurato iecori.

Ad induratum lienem. Ad induratum lenem prodeſt linimentum ex *opopanace, ammoniaco, vnguento de althea, Agrippa & oleo capparorum,* vel emplaſt. ex *ammoniaco in aceto ſquillitico ſoluto* cum *terebinth. galbano, fermēto, ficubus, fructibus tamariſci, ruta, nitro, & ol. capparorum,* quod ex Rhaſe tranſtulit Hieron. Montuus. *Ammoniacum emplaſtrum efficax.*

Linimentum ad lienis ſcirrhum Foreſti valde ſolenne & celebre. *Ad lienis ſcirrhum.*

℞ *ammoniaci* ʒ vj.
bdellii ʒ ij.
pingued. anſeris
gallinæ ana ʒ ij.
radic. cyclamini,
furfurum frumenti ana ʒ jſ.
ceterach,
agni caſti,
cort. rad. cappar.
Tamariſci ana ℈ ij.
ol. capparum,
amygdal. amar. ana ʒ iij.
ſucci radi. bryon.
vel. cyclam. ʒ ſ.

Diſſoluantur gummata in aceto ſquillitico, & olea cum pinguedinibus bulliant vna cum ſucco ad huius conſumptionem, tādem adde pulueres & modicum ceræ ad conſiſtentiam linimenti. Emplaſtrum ſequēs idem pro ſecreto habuit ad ſcirrhoſam lienis duritiem.

℞. *ammoniaci diſſoluti in aceto* ʒ j.
vng. de althea,
empl. de meliloto ʒ ſ.
furfurum frumenti opt. cribrat. ʒ j. *Emplaſt. ad idem.*
pul. radic. bryoniæ ſiccæ,
Ireos ſicc. ana ʒ ſ.
pinguedinis anatis,
anſeris,
gallinæ ana ʒ iij.
bdellii,

bdellij,
Galbani,
ol. Irini ana ʒ iſ.

Bulliant leuiter in mucilag. lini & fœnugr. vt ad formam debitam coeant, adde ceræ ʒ iij. *Terebinth. & reſinæ pini ana* ʒ ſ. *f. ceratum.*

Aliud, quo tumorem & ſcirrhum monſtroſum ſcroti perſanaui.

Expertiſſimum in caſu admodum dubio & periculoſo.
Ad tumorē ſcroti.

℞. *Limacum cum teſtis contuſ. nu.* xv.
ſtercoris capril. p. j.
mellis ʒ ij.
acet. ʒ iij.
Radic. bryoniæ ʒ iij.
cyclam. ʒ iſ.
altheæ ʒ j.
ariſtoloch. rotund. veræ ʒ ſ.
herb. parietariæ,
abſinth.
abrotani,
rutæ ana M. iſ.
furfurum tritici p. j.
flor. camomill. Rom. p. ij.
pul. Lupinor. ʒ ij.
fœnugr. ʒ iſ.
baccarum lauri ʒ j.
ſem. cimini ʒ ſ.
aluminis ʒ iij.
nitri prap. ℈ ij.
Ammoniaci,
Galbani in aceto ſolutor. ana ʒ v.

Coque in ſ. q. lixiuii & aquæ fabrorum ferratæ ad formam cataplaſmatis, addendo
ol. abſinth.
rutacei,
anethini ana ʒ j.
roſacei ʒ ſ.

Hoc cataplaſma noctu impoſitum fuit, de die geſtabat emplaſtrum, quod

Obſeruatio notabilis.

℞. *ammoniaci,*
galbani ana ʒ ſ.
carannæ,
Tacamahac. ana ʒ ij.
aloes,
mirrhæ ana ʒ j.
Terebinth. ʒ iſ.
ſtyracis ʒ ij.
nitri prap. ʒ j.
flor. ſulphur. ʒ iſ.
ſpirit. Terebinth. ℈ j.
ol. rutæ deſtill.
carui ana gutt. vj.

Mellis roſati q. ſ. ante vſum cataplaſmatis & emplaſtri recipiat vaporem aceti ex lapide candenti vel recrementis carbonum fabrorum ignitis.

Ad tumores bubonesq; peſtilentiales.

Ad tumores bubonesq; peſtilentiales.

℞. *ammoniaci* ʒ iß.
ſerapini,
bdellij ana ʒ vj.
fermenti acris ʒ j.
ficuum num. xij.
ſem. ſinap.
radic. pyrethri ana ʒ ij.
Euphorb. ℈ ij.
Gummata cum fermento ſolue in aceto & f. emplaſtrum.

Suffumigium ad menſes & fœtum mortuum educendū. Et ſuppoſitoria.

Suffumigium ex *ammoniaco, galbano & aſa fœtida* educit menſes, idem facit peſſus ex *theriaca, galbano ſerapino & ammoniaco,* ad partus difficultatem paratur ex *ammon. opopan. Helleb. ariſtoloch. long. & rotunda, pulpa colocynth.*

ana p.æ.cum ſucco cucum. aſinini, rutæ & felle bubalo. Ad promouendum ſecundas vtiliter conficitur ex *opopanace, galbano, ammon. & ſucco maluæ.* Ad dorſi dolorem ſoluitur cum *oleo rutæ*, ad tendinum cruciatus applicatur cũ *diachylo, thure & maſtiche.*

Ad dolorẽ dorſi.

Iſchiadicũ.

Ad Iſchiadica tormenta ex *ammoniaco, opopanace, bdellio, radice narciſsi, nitro, oleo ſyconio* ſeu *cucum. aſinini & ℈ iiij. pul. vitrioli* formatur emplaſtrum.

Balſamus Cratonis ad dolorem arthriticum.

Balſamus Cratonis ad arthriticum dolorem.

℞. *maſtichis.*
thuris,
mirrhæ,
ammoniaci,
opopanacis,
bdellii,
mumiæ ana ℥ ij.
vitrioli ℔. j.
mellis ℔. ij.
Tartari ℥ iſ.
ſpiritus vini ℔. iiij.

Fiat mixtura, digeſtio & deſtillatio, illinatur pluma.

Ad Iſchiadicum dolorem veteribus metaſyncrita probantur.

Ad Iſchiadicum dolorem metaſyncrita & rubrificantia veterib. admodum probantur. Aetius ex *ammoniaco, Terebinth. euphorbio, nitro, pyrethro, opopanace, galbano, thure, ſynapi, mirrha, iride, fænugræc. colocynth. ſem. rutæ, ſulphure, alumine ſiſcili, cardamomo, pipere, viſco, medulla cerui, adipe, ſtyrace, oleo ſyconio, pice arida, vel ex cineribus caulium braſsicæ, ligni ficulnei, ſarmentis vitis, pice, ſulphure, & axungiis*, conficit.

Materia remediorũ ad Ichiadicum cruciatum.

Ad podagricos hoc Philagrii ſumme commendatur ab Aetio.

℞. *Galbani* ℥ xxxij.
croci ℥ xvj.
ammoniaci ℥ xl.
thuris ℥ xx.
ceræ ℥ lxxxviiij.
picis aridæ ℥ lxxv.
ol. roſati ℥ xlvij.

Emplaſtrũ ad podagrã.

Galbanum, ammoniacum, & thus cum aceto terito; f. emplaſtr. quo inſtante & compoſito dolore vtimur, quod repulſoriam vim paucam propter *acetum & crocum* habeat, concoctoriam, diſcuſſoriam, & moderate reſiccantem ob *crocum, galbanum, thus, ammoniacum, picem.* Fluxum itaque moderate pellit, digerit, coquit & contenta diſcutit, vt podagricis, inflammationibus ſit aptiſſimum. Ad leniendum dolorem, vel inſtante paroxyſmo, alii addunt *opii* ℥ j. Paſtillus ex *acacia* frequenter ſufficit ad inflammationes, præcipue ſi non adſit humorum nimia multitudo.

℞. *acaciæ nigræ,*
flauæ,
glutinis piſcium ana ℥ xxxij.
ammoniaci,
glaucii ana ℥ xvj.
aloes ℥ xv.
thuris ℥ viij.
veratri nigri,
albi ana ℥ vij.

Trita in aceto ſquillitico redige in paſtillos, quos tempore vſus ſolue in ſuccis plantaginis, polygoni, oxylapathi, agreſtæ, & in mortario plumbeo agita, donec craſſeſcant.

Huc

Huc refer emplaſtrum diachalciteos, & quod ſequitur

Emplaſtrũ. Ad dolores articulorũ.

℞. *calcis viuæ,*
thuris ana ℥ iij.
Terebinth. ℥ iiij.
ammoniaci,
ſpumæ nitri ana ℥ iij.
floris lapid. aſii ℥ ij.
ceræ,
olei ana q.ſ. hoc ſorbet collectiones & dolores circa articulum.

Ammoniacum delet oculorum maculas č lacte muliebri, ex vino illitum, clarificat viſum, cum *galbano* tollit hordeolum, faciei puſtulas perſanat cum *thure, maſtiche, nitro ſapone Veneto*, vtiliter vmbilici rupturæ eiusq; procidentiæ & tumori imponitur.

Ad inueterata vlcera paratur emplaſtrum ex *ammoniaco, bdellio, galbano, opopanace, ſeuo ceruino, vrſino, pice græca, thure, maſtiche, lapide calaminari, mirrha, ariſtolochia rotunda*, *batitura cupri, lithargiro.*

Vt excidãt dentes. Vt excidant dentes conficitur illitus ex *ammoniaco in aceto ſquillitico ſoluto & adipe ranæ arboreæ*; quidam addunt *euphorbium.*

Cap. XXVI.

Opopanax craſſos & frigidos humores à cerebro, oculis, neruis & articulis ducit. Conuenit paralyſi & ad ſpaſmũ totius; neruorumq;, & muſculorum contuſionem, & aſthma pectoris & laterum dolorem conſopit. Specifice medetur oculis, gonagræ & iſchiadico affectui quoquo modo adhibitum ſuccurrit. Vermes pellit, venenatorum animalium & canum rabidorum morſus ſanat, febrium imminentes inſultus reſtinguit, ad dyſuriam, iſchuriam & lac in ventre coagulatum facit, nodos, tophos & apoſtemata digerit, aperitue.

Opopanax quid. OPopanax eſt *ſuccus concretus radicis Panacis Heraclei*, ex qua tempeſtiue vulnerata ꝓfluit & colligitur. *Temperies.* Galeno calidus in tertio, & ſiccus in ſecundo gradu, Meſuæ calidus ſiccuſq; in tertio, Serapioni in ſecundo. Per omnia æmulatur & conuenit cum ſerapini qualitate & viribus, eundemque corrigendi modum recipit. Sunt, qui *hydromelite, decocto rutæ*, vel *vino* præparant & exhibent. *Virtus & efficacia.* Etiamſi à longinquiorib. ducat partib. craſſos humores, tamen ſegnior eius vis incitamento & ſtimulo quodam indiget rei irritantis manifeſta qualitate, vel occulta purgandi virtute. Extenuat, reſoluit, abſtergit, emundat, craſſorum flatuum eſt, vt loquũtur, carminatiuum, conducit oculis, cerebro, neruis, articulis, ſeu iuncturis, pectori, lieni, inteſtinis, matrici, veſicæ. *Quibus partibus & affectibus conducat.* Ab his partib. ſpecifica purgãdi ꝓprietate craſſos, viſcoſos, pituitoſos humores educit, & peculiari virtute tẽperaturę diſcutit, cõſumitq;, vt affectib. frigidis ab humorib. lẽtis, fa-

miliare dicatumque ſit remedium.

Oculis ſpecifice conducit. Opopanacum quoquo modo vſurpatum conducit oculis, nebulas diſcutit, & viſum illuſtrat, collyriis miſtum. Pari ratione, cerebro, neruis, & iuncturis ſtudet. Proinde epilepſię, paralyſi, ſpaſmo, & conſimilibus malis opitulatur.

Ad paralyſin commendantur pilulæ, quæ

Ad paralyſin pilulæ. ℞. *Opopanacis,*
rutæ,
ſerapini,
caſtorei,
piperis,
ſucci vel extracti leuiſtici,
mirrhæ ana ℥ j.

Ad ſpaſmũ totius. *Cum ſucco herbæ paralyſis fiat maſſa, ex qua conformantur pilulæ.* Doſes ℥ j. cum *hydromelite* alternis vel tertia nocte. Ad ſpaſmum totius iniiciuntur ℥ ij. cum *oleo rutacei* ℥ xij.

In paroxyſmo arthritici doloris Aetius *Tetrab.* 3. *ſer.* 4. *cap.* 4. exhibet ℈ j. vel obolos tres *opopanacis*, *cum* ℥ j. *caſtorei ex hydromelite vel vino, aut ſuccum Cyreniacum erui magnitudine.*

Ad Iſchiadis & gonagra dolorẽ. Meſue & Serapio aureum vnum ſeu ℈ iiij. exhibent ad podagræ, gonagræ, & proprie iſchiadis dolorem.

Pilularum de opopanaco virtus & vſus eſt ad reſolutionẽ & incõtinentiam neruorum, ſpaſmum, cynicum, gonagram, podagram, articulorum dolores, morboſq; neruoſarum partium frigidos. Deſcriptio paſſim extat in diſpenſatoriis.

Alia eiuſdem Meſue extat *tract.* 7. *de antidot. cap.* 17.

℞. *ammoniaci,*
bdellii,
ſerapini,
opopanacis,
aloes,
caſtorei
ſeminis harmel, id eſt, rutæ ſylueſtris ana ℥ iiij.
euphorbii ℥ iij.
colocynth. ℥ vj.
terantur & f. pil. cum ſucco porri.
doſis ℥ j.

Ad neruorum muſculorumq; contuſionẽ. Ad neruorum muſculorumque contuſionem datur cottidie ʒ ſ. vel ℈ j. *opopa. ex vini & aquæ vermium terreſtrium æquis partibus.*

Ad pectoris dolores & veterem tuſſim. Pectus emundat à craſſis & viſcoſis humoribus, confert tuſſi veteri & difficultati anhelitus & laterum pectoriſque doloribus. Platearius adſtruit pilulas ex *gutta opopanacis* compoſitas valere contra aſthma frigidũ ſimpliciter datas, vel cum *ouo ſorbili.* *Ad aſthma.* Optimum ad idem eſt, ſi in *ſucco marrubii* per noctem reſoluatur & colatum cum *melle* exhibeatur.

Ad hydropem. Ad hydropem & ſplenis magnitudinem exhibet Meſue ex muſto, in quo per tres menſes macerarit. Alioquin vti *ſerapinum ſucco enulæ* nutritũ vel imbutum rite ꝓpinari poteſt. Platearius per noctem in *ſucco ſambuci* maceratum cum *ſaccharo* præſcribit, vel in *ſucco fœniculi* noctu maceratum & ſolutum mane cum *ſaccharo* ad colicam & iliacam paſſionem vſurpat. Lactis in ventre coagulum ſoluit. *Ad dyſſuriam & iſchuriam & lactis in ventre coagulum.*

Cum

Cum *melicrato* datur ad dyſuriam, iſchuriam, veſicæ ſcabiem & contuſionem. Ad Iſchuriam fiunt pilulæ

ex *opoponacis* ℥ v.
ſtyracis,
auellanarum ana ℈ iiij.
piperis gr. vij.

Menſes, ſecundas, fœtum viuum & mortuum & molam educit cum *melle* ſolutum & ſuppoſitum. Suffocationi ex vtero auxiliatur & eius inflationem duriciemque abigit, Fumus eiuſdem *galbanique & fellis tauri* per inferiora exceptus fœtum extrahit mortuum. Venenis aſſumptis aduerſatur & ad venenatorum animalium videlicet ſerpentum, canumq; rabidorum morſus cum puluere ariſtolochiæ rotundæ confert, & vtiliter extus inflictis eorundem vulneribus imponitur.

Ad morſus venenatorum animalium & canum rabidorum.

Cum *melle & abſinthio* datum necat interraneorum vermes, ad inſultum paroxyſmi febrilis ſiſtendum datur ℥ ß. cum *aceto* hora vna ante inuaſionis articulum, quod ſi vniuerſalibus prius rite adhibitis, aliquoties ordine fiat febris demum diſparet. Meſue eodem *in ſucco apij ſoluto* dorſum ſimul perungi iubet.

Ad vermes.

Ad febriũ inſultum reprimendum & abolẽdum.

Aceto decoctionis opopanacis ſi colluatur os, dentium mitigatur dolor, quo fine etiam horum cauitatibus ex ipſo facta immittitur turundula.

Cum *aceto & ſucco apij* impoſitum ſoluit duritiem lienis; emplaſtri vero ritu admotum ſcrophulas & nodos iuncturarum diſcutit.

Gonagræ, podagræ, & proprie iſchiadico dolori quoquo modo adhibitum, extrinſecusue emplaſtri ritu impoſitum, in eundem vſum vulgo ex *ſucco caulium, melle, ſale & opopanaco* conficitur emplaſtrum. Imponitur & ſolum cum *pulpa paſſularum.*

Iſchiadico dolori quoque adhibitũ prodeſt

Ad morbum coxendicum inueteratum, diſtorſiones & reſolutiones paralyticorum, Aetius.

℞. *ol. veter.* ℔. ij.
ſtyracini,
laurini,
Irini ana ſexuncem:
Terebinthinæ,
Euphorbij,
ammoniaci,
caſtorei,
piperis,
opopanacis,
galbani ana ſextantem:
medullæ ceruinæ trientem, Miſce.

Acopon Aetii ad podagricos, arthriticos & Iſchiadicos expertum & confidenter vſurpandum.

Ad gonagra, podagra & Iſchiadicos dolores.

℞. *Phu,*
mannæ,
œſypi ana ℥ ß.
ammoniaci,
Thymiamat. ana ſextantem:
alum. ſciſſi ℥ v.
æruginis ℥ iiij ß.
Terebinth. quincuncem.
ſpumæ nitri alb. trientem:
opopanac. ℥ v.
galbani ℥ ij.
medullæ ceruinæ ℥ v.
olei cyprini,
olei melini ana trientem:

ceræ,
mellis ana quincuncem.
ol.veter. ℔ j.

Aliud eiuſdem.

℞. *opopanac.quadrantem &* ℥ iiij.
Terebinth. ℥ iiij.
ammoniaci ℈ xv.
œſypi ℈ xviij.
ærug. ℈ xvj.
propolis ℈ xv.
alum. ſciſſi,
ladani,
ariſtoloch.rotund.veræ,
lacrumæ hederæ ana ℈ v.
ſpumæ argenti ℥ j.
ſalis ammoniac. ℈ ij.
caphuræ ℥ j.
colophoniæ, olei, ceræ, ana quadrantem.

Ad arthritidem & paralyſin Aetius vnguēta parat ex *ammoniaco, galbano ſerapino, bdellio, opopanaco, euphorbio, terebinthina, melle, nitro, rad.cucum.ſylueſtr.bryoniæ, veratro albo, caſtoreo, pipere, ſabina, pulegio, fol.& bacc.lauri, roremarino, ariſtoloch. cypero, ærugine, aloe, agarico, hermodact. verbena, ſquillæ medulla, ſtyrace, ladano, nardo coſto, ſapone, ruta, cardamomo, panace, ſale, alumine, axungia leonis, vulpis, vrſi, oleiſq; conuenientibus. Horum miſtione debita fiunt linimenta,* quibus humores admodum digeruntur. Et per mediam cutem attrahuntur.

Ad membrorum diſtorſiones & nodos.

℞. *opopanacis in aceto triti,*
Terebinth ana ℥ j.
propolis teneræ quadrantem.
vel picis totidem.

Opopanax prætérea omnes tumores & apoſtemata etiam peſtilentialia aperit.

Emplaſtrum ex Gummatibus D. Wolffii ad ſcrophulas & ſcirrhoſos tumores emolliendum, reſoluendum & diſcutiendum.

Emplaſtrum D. VVolffii ad ſcrophulas & ſcirrhoſos tumores.

℞. *radic. bryoniæ,*
Cyclaminis,
Elenii,
cucum agreſtis ana ℥ j.
coquantur in aceti & vini ana p. æ. dein piſtentur, & per ſetaceum traiiciantur, tunc adde
pul.rad.Iridis,
mirrhæ,
olibani,
maſtichis,
croci,
ariſtoloch.rotund.ana ℥ i ß.
florum camomill. Rom.
ſambuci,
meliloti ana p.j.
opopanacis,
ſagapeni,
ammoniaci,
galbani in aqua vitæ diſſolutorum ana ℥ ß.
gummi hederæ,
ſtyracis calamit. ana ℥ iij.
euphorbii ℥ v.
ſem ſtaphiſagr. ℥ iß.
argenti viui ſaliua ieiuni hominis exſtincti ℥ ij.
ol.lilior.
de vitell.ouor.
œſypi ana ℥ v.

adipis

adipis anſerini,
anatis,
ſuilli,
medull. cruris vituli ana ℥ j.
mucilag. ſem. lini,
fænugræci
rad. altheæ ana ℥ j.
miſce cum terebinth. & cera f. emplaſtrum.

Opoponacum demum antiquis vlcerib. & fiſtulis maximopere conducit, carnem generat, eamque nudis oſſibus ſuperinducit quadam, vti ferunt, peculiari virtute. Putrida, antiqua, diſepulotica & fraudulenta vlcera perſanat; Meſue deſcribit ad hæc mala vnguentum de lino.

uem liari ute is oſſib. rindu- an- afrau- nta ra ſa- uentū mo.

℞. *opopanacis,*
mellis,
olei roſacei,
vini ana ℥ iiß.
lithargiri,
aloes epaticæ,
ſarcocollæ, raſuræ linei panni veteris ana ℥ j.

Miſce fiat vnguentum.

Cap. XXVII.

Sarcocolla pituitam à cerebro, oculis & neruis ducit. Specifice oculis quoquo modo ſumpta vel adhibita medetur. Ophthalmiam, lippitudinem & epiphoram ſanat. Vulnera & recentia veteraque vlcera optime glutinat.

d. litas SArcocolla eſt lacruma arboris Perſicæ, calida in ſecundo, & ſicca in fine primi gradus; pollet ſpecifica virtute à forma dependente, & manifeſta ab elementariis qualitatibus materiæque conditione promanante.

Illa purgat cruditates pituitoſas & craſſos viſcoſosque humores, à cerebro, neruis, articulorum & coxendicum cauitatibus, à pectore, pulmone & oculis. Elementarium qualitatum vi, & materiæ diſpoſitione, emplaſticam habet ſubſtantiam, nonnihil amaricantem, teſte Galeno *libro* 8. *de ſimplic. facult.* vt citra morſum exſiccet, & vulnera glutinare valeat. Meſue docet, ei ineſſe vim maturatiuam, reſolutiuam, conglutinatiuam, mundicatiuam, & incarnatiuam. Quia emplaſtica eſt, & adiunctam caliditatem poſſidet, idcirco maturat, digerit & reſoluit apoſtemata, & propter eandem terreſtrem emplaſticam ſubſtantiam, dummodo ſequenti modo præparetur, videlicet, ſi acrimonia in qualicunque amarore hærens temperetur, oculorum fluxiones ſiſtit, lippitudines & ophthalmias perſanat. Et cum ſit calida & ſicca ſimulque vi emplaſtica prædita, glutinat vulnera, vlcus enim omne curatur ſiccatione. Cum vero amara pariter ſit, putridas carnes, & veterum vlcerum ſordes, putrilaginem, ſaniemque conſumit, & recentes carnes ſuccreſcere facit.

Facultas ſpecifica manifeſta.

Prodeſt itaque oculis, auribus, cerebro, neruis, articulis, pectori, pulmonibus, vulneribus recentibus, & anti-

Quibus partibus proſit.

antiquis vlceribus, quamuis ſanioſis & putridis.

A cerebro, neruis, articulis, pectore & pulmonibus craſſos, vti dictum, humores educit, pectus & pulmones purgat & emundat. Verum cum formalis vis materiæ glutinoſitate & craſſitie nonnihil impediatur, nec apertis in ea tam iuuetur, quam cohibeatur, qualitatibus (quę enim tenuis calidę & acris ſunt ſubſtantiæ, fortius purgant, apertarum qualitatum acumine formalem vim iuuante) fit, vt ſegnius trahat aluumq; moueat. Recte itaque Meſue hanc noxam corrigit, & alacritatem operationi addit *zinzibere* & *cardamomo* miſtis. *Correctio.* Interim calidum & bile refertum ſtomachum habẽtibus & picrocholis, quos valde conturbet, non exhibendum eſſe, monet.

Noxa. Serapio aliam ei tribuit noxam, videlicet, quod glutinoſitate ſua adhærendo inteſtinis, ea demum erodat & exulceret, quamobrem cum *oleo nucum* vel *amygdalarum dulcium* iuuenibus, cum *oleo de Kerua* ſenibus propinat, nec enim ſolam eſſe dandam cenſet, ſed cum *ſerapino*, *myrobalanis*, *turpetho*, *aloe*, *ammoniaco*, *bdellio*, *ſem. ameos*. Verum inanem hunc eſſe metum, facile cognoſcit, qui ex anatomia eius intelligit, emplaſticam vim præualere abſterſiuæ, adeo vt ſine morſu ſiccet, quodque ſecundum caliditatis, & primum ſiccitatis gradum non excedat, quem erodentia tranſcendere oportet. Ex vſu *ſarcocollæ* iuuenibus cum tempore, ſenibus vero celerius caluitiem oboriri, non vani auctores tradunt. *Ex vſu ſ[arco]cocollæ caluities*

Ad oculorum albugines, nubeculas, & cicatrices delendas, quatriduo vel quintiduo nutritur *lacte aſinæ* vel *muliebri*, cottidie affuſo recenti, dein ſiccatur & inſpergitur per ſe, vel cum *ſaccharo* aut liquore conuenienti. Serapio cum *lacte & oui albumine* præparat. Plateariuѕ affundit *aquam roſarum*, & ſoli expoſitam exſiccat, atque id quartum repetit. *Ad oculorum albugines & nebulas.* Cum *albumine oui* & *lacte* vel *aqua roſacea* præparata & commiſta *amylo*, ad lippitudinem atq; ophthalmiam ſingulariter commendatur, fluxioneſque in oculos ſiſtere fertur. *Ad lippi[tu]dinem, o[ph]thalm[iam] & epi[pho]ram.* Proinde contra lacrumarum profluuium, & narium hæmorrhagiam, tempora & frontem *oui albumine* illita, Platearius *puluere ſarcocollæ* aſpergit. Hauſtam ad laxandũ, proprietate quadam oculos iuuare, notat Serapio. *Propriet[ate] oculos iuuat ſiſt[i]matur laxand[o].* Vulneraria penicilla *hydromelite* intincta & *ſarcocollæ puluere* circumlita auribus exulceratis & ſanie circumfluentibus vtiliter imponuntur. *Aurium vlcera ſ[a]nat.* Quia ſine morſu ſiccat & emplaſticam vim poſſidet, recentia vulnera ſine acrimonia euidenti extergit, pus, ſaniem & ichores vlcerum abſorbet, clementerque expurgat, & ſecure, forma pulueris inſpergitur. Vlceribus putridis ſanioſis, corrupta carne fœdatis, pari modo prodeſt & adhuc accuratius, ſi cum *melle* illinatur. A ſanię enim & putore vindicat, expurgat, carnes putridas conſumit,

&

& nouas generat. Fumus per embotum receptus, teneſmum, Plateario auctore, curat. *Sarcocollam* vim habere ſaginandi corpus, & augendi genitale ſemen, veterum auctoritate docemur. Doſis purgandi gratia ſumenda eſt ab aureo vno ſeu ℈ iiij. ad ʒ ij.

ſis.

Pilularum de ſarcocolla deſcriptionem, quam tradit Meſue ab Haly mutuatam, pleraque diſpenſatoria exhibent. Pituitam ſolam, quod *ſarcocolla, turpetho, colocynthide, zinZibere* & *ſale gemma* conſtant, à cerebro, neruis, iuncturis & pectore potiſſimum educunt. Harum vſum alii antiquandum cenſent, quod accommodatiores ſint ad manum.

CAP. XXVIII.

Agaricus fœmina pharmacum ſecurum & domeſticum purgat pituitam primario à pectore, meſenterio, & ventriculo, & porro à locis diſtantioribus. Pectori operam ſuam potiſſimum dicauit, quod ſurſum deorſumque vi formalis & apertæ qualitatis emundat, vnde inuenta compoſitio oxymellis agaricati Cratonis, & decocti Galli veteris agaricati. Quomodo ſit vomitorium, & vti ad affectas partes eius vis dirigatur.

AGaricus laricis arboris fungus duum eſt generum, quorum vnum maſculi, alterum fœminæ nomen eſt indeptum. Ille niger, grauis, denſus, liquoſus, venisque pluribus interlitus, venenatus eſt, & ab vſu medico merito proſcribitur; hic (fœmina) eſt albus læuis & raræ ſubſtantiæ, cuius vſus internus eſt ſalubris adeoque familiaris, vt Democrito medicamentum domeſticum nominetur. Calidus eſt in primo, & ſiccus in ſecundo gradu, compoſitus ex ſubſtantia aërea in ſuperficie, cuius merito palatui primo dulceſcit; & ex partibus terreis ſubtilibus, in quibus vis eſt adſtrictiua, & adhuc ignea quædam natura cum amaritudine. Galenus initio dulcedinem, & paulo poſt amarorem cũ quadam acritudine, quam leuicula ſubſequatur adſtrictio, in eo notat, vnde ſubſtantia aerea & terrea calore extenuata, conſtare, vimque habere incidendi, attenuandi, aperiendi & diſcutiendi, aſſerit. Pollet facultatibus formę ſpecificam naturam, aut materiæ diſpoſitionem & qualitates ſequentibus. His viſcera obſtructa, lienem, epar, vterum, renes, veſicam, aperit, emundat, vnde ictericis, lienoſis, difficulter lotium reddentibus, menſibus obſtructis confert, contuſis & ex alto lapſis medetur, amaritie vermes necat, vterosque inſurgentes reprimit, adſtrictione ſanguinis reiectiones ſiſtit. Illis vero ſeu ſpecifica formæ proprietate primo craſſam pituitam, deinde bilem vtramq; ex ventriculo præcipue & meſenterio, & conſequenter epate, liene, renibus, vtero, educit,

Species & differentia agarici.

Virtus & efficacia agarici ratione formalis proprietatis & manifeſtarum qualitatum.

omnibuſque medetur morbis, quorum cauſa obſtructioni imputatur; ipſam humorum craſſitiem attenuando, incidendo, ſimulque eoſdem euacuando.

Meſue etiam à neruis, capite, ſpina, & iuncturis educere, adeoque cephaleæ, vertigini, epilepſiæ, apoſtematibus cerebri, maniæ, melancholiæ paralyſi, iſchiadico & juncturarum dolori, conferre auctor eſt, quamuis, niſi valde iuuetur, eius ſeſe eo haut extendere virtutem recentiores affirment, quod vltra ſecundã regionem purgatrix ex illo virtus non proferatur.

Agaricus ſurſum vel deorſum educit. Humorem vacuandum ducit per ſuperiora vel inferiora à quibus partibus deorſum trahat, vidimus. Surſum ducit è ventriculo, vel pectore, idque operatione potiſſimum manifeſtæ qualitatis.

Agaricus in pulueris forma duorum, vel trium ſcrupulorum pondere cum vncia vna *ſucci raphani* & *oxymelitis*, vel *ſyrup. acetoſi ſimplicis* aliquot vnciis eo quod ſuperna et, adhæreat, vellicet & ingrati ſit ſaporis os vẽtriculi irritando vomitum prouocat. Pectus autem & pulmones peculiari quadem virtute à viſcoſis, craſſis & putridis humoribus emundat. Hic vſurpatur correctus, & vel *hydromeliti* aut *oxymeliti* infuſus, aut *vino maluatico* & *Zinzibere in trochiſcos conformatus*. Ad morbos itaque pectoris à craſſis & viſcoſis humoribus, quales aſthma & orthopnæa *oxymel agaricatum* commendatur, quod Crato ſequenti modo comparat. *Oxymel agaricatum Cratonis ad aſthma & orthopnoeam.*

℞. *Herb. hyſſopi,*
veronicæ,
ſcabioſæ,
marrubii,
origani,
pulegii,
carduobenedicti ana M. j.
Rad. *Ireos inciſæ* ℥ vj.
Zinzib. ℥ iß.
agar. albiſſ. ℥ ß.

Infunde in aceti ℔ iß. *aquæ veronicæ & carduibenedicti ana* ℔ iß. *ſtent in vaſe vitreo obturato loco calido per triduum, poſt lento igne decoquantur & exprimantur. Expreſſi* ℞. ℔. jß. *mellis opt.* ℔ ß. *coque in formam ſyrupi, in quo ſuſpendatur petia cum cinamo. garyophil. & calamo aromatico.*

Nec minus ad pectoris memoratos affectus commendant *decoctum galli veteris agaricatum ex ſemine carthami, aniſi, anethi, radi. enulæ, liquiritiæ, polypodio, paſſulis, ficubus, tuſſilagine, marrubio, hyſſopo, tartaro, agarico, infartis* ventri galli veteris, & ad oſſium ſeparationem cocti, cuius iuris ℥ v. cum *oxymell. ſquillitici* ℥ ß. exhibent. *Decoctum Galli veteris agaricatum morbos pectoris craſſa pituita.*

Huc ſpectant *pilulæ de agarico Meſuæ cum ammoniaco ex oxymelite* datæ.

Pilulæ Serapionis pectus abſtergentes. *Pilulæ Serapionis pectus euacuantes.*

℞. *agarici,*
Turbith,
mirrhæ ana ℥ iij.
rad. lilii caleſtis,
praſſii ana ℥ j.

hieræ

hiera ℥ iiij.
colocynth.
ſarcocollæ ana ℥ iij. *f. pilulæ cum melle.*

Euacuans à pectore per ſolutionem ventris & expectorationem ſimul:

℞. *paſſul.minor.p* j.
ficuum num. x.
agar.albiſſ. ℥ ij.
zinzib. ℈ ß.
decoq. in aqua pura.
decocti R. ℥ iiij.
ſyrupi roſar. ſolutiui,
mannæ calabrinæ ana ℥ j. *miſc.*

Mixtio euacuans pectus ſurſum & deorſum.

Sequens mixtura ex *agarico* ad morbos pectoris frigidos valde probatur.

℞. *conſer. flor. hyſſopi.*
veronicæ ana ℥ j.
betonicæ,
radic. pimpinellæ incruſtatæ,
Enulæ conditæ ana ℥ ß.
agarici tenuiſſimè triti ℥ j.
pulu. aſellor præparat.
florum ſulphuris ana ℈ ij.
vel huius loco rubini aut tincturæ, ſulphuris totidem.
extracti calami aromatici ℈ j.
extract. croci ℈ ß.
olei angelicæ gut. v.
cum ſyrupo de pulmonaria & melle ſquillitico ana q. ſ. f. lambile.

Elegans mixtura ducens è pectore pituitam craſſam.

Agaricus nunquam, quin ſit correctus, exhiberi debet, niſi vomitũ mouere ſtudeamus. Corrigitur ideo quod per ſe ad vacuandum ignauior ſtimulo egeat, quod leuis & fungoſus ſupernatando in orificio ventriculi permanens, adhæreſcens, & vellicans tunicas (*quo nomine Auicenna colicis dare vetat, ne lævitate inteſtinis obhærens nouos dolores procreet*) laceſſat, quod ingrato ſapore ventriculum, qui iucundis & aroma ſpirantibus delectatur, offendat.

Correctio & incitatio agarici.

Proinde *ſalem gemmæ* veteres addiderunt, vt pigriorem eius virtutem incitarent & acuerent, & ex ore ventriculi ad fundum deprimerent, ſimulque craſſorum humorum abſterſionem & emundationem promouerent, qua de cauſa *veteres pene omnibus pharmacis purgantibus ſal immiſcuere, oxymelite* præterea, ne inteſtinis obhæreſceret & abſtergatur, præpararunt, alii *ſemine dauci*, *leuiſtici & zinzibere* correxerunt, quod hæc tenacem fundant ſecentque pituitam, interiora roborent, & *agarici* vim penitius introducant. Hinc orta eſt trochiſcatio

Cur veteres pene omnibus purgantib. ſal addiderint.

ex *agarici* ℥ iij.
ſalis gemmæ ℥ ſ.
zinziber. ℥ iij.
cum oxymel. ſimplici.

Meſue pariter corrigit & exhibet cum *hydromelite, oxymelite ſimplici*, vel *ſcillitico*, aut format trochiſcos cum *ſale gemmæ, ſem. dauci & viſcoſitate polypodii*, vel *vino infuſionis zinziberis*, aut macerat in *ſero lactis cum ſpica*, Idem decoctionem & trituram moderatã ſuſtinere docet.

Fallopius ℥ jſ. *agarici cum* ℈ j. *ſalis gemmæ &* ℥ j. *mellis roſati ex decocto florum*

rum & fructuum cordial. exhibet.

Doſis agarici. Braſſauolus pueris ʒ ſ. puberibus ℈ ij. maioribus ʒ j. conſiſtentibus ʒ j ſ. cum *ſemine aniſi, amyli ana* ℈ ſ. *vel* ℈ j. *ſalis gemmæ, vel nitri gr.* vj. *aut* ℈ ſ. *ex hydromelitis* ℥ iij. *vel* iiij. propinat.

Quomodo agarici vis ad partes ducatur affectas. à capite, pectore, iecore, liene, renibus, Vtero, Veſica, Vt fœlicius à capite ducat, addit, *ſtæchad. nuc. myriſtic. hyſſop. ſpicam, lign. aloes,* vt à pectore, *capillum Vener. paſſulas, iridem, naſturtium, mirrham, ariſtolochiam, praſſ. hyſſop. ſquillam, cardamomũ;* vt ab epate, *eupatorium, abſinth. amygd. amaras, ſchœnant. Endiui. ſantal. Cichor.* vt à iuncturis, *opoponac. chamædr. chamapyt. amomum, cubebas,* à Liene, *tamariſc. cort. ſalicis, agnum caſt. daucum, ſcyllam, ſcordium, ceterach, aſarum, ſal gemmæ, marrub. abſinth. calaminth.* à veſica & renibus, *quinque radic. aperient. ſem. maioranæ, ſem fœnicul. milii;* ab vtero, *pimpinellam, rubiam, calaminth, ſabin. rutam, matricariam, iuniper, mirrhã. Semper adiiciendã, quæ os ventriculi confirmant.* *Ad caſum.* Lapſis ex alto datur cum *oxymelite* xel *hydromelite;* ad morbos pectoris cum *maluatico vel Hippocratico vino.* *Ad venena* Aduerſus venena & morſus & compunctiones beſtiarum virulentarum exhibetur ʒ j. cum *vino*, ſimulque parti læſæ imponitur. *Ad febriũ horrores.* Horrores ſoluit, ſi ante febrium acceſſionem detur. Decoct' s cephalicis ad frigidos capitis morbos miſcent, & foris, dum caput lauant, pro ſapone vtuntur. Ad dolorem dentium vtuntur fruſtulo intincto *ol. Gariophyll. caphuræ, ſpicæ, iuniperi, fœniculi*, quod apponunt.

Cum ad purgandum ſimpliciter adhibetur, doſis à ʒ j. ad ʒ ij. in infuſo à ℥ ij. ad ℥ v.

Extractũ agarici. Extractum agarici commode præparatur *affuſione hydromelitis*, cui *affuſæ ſint aliquot guttulæ olei tartari:* vel *aqua liquore, aut decocto tartariſato,* cui modicum *ſpiritus mellis* affuſum; aut *vino maluatico*, in quod pauculæ ſpiritus ſulphuris guttulæ ſtillarunt; aut pauxillum *ſucci limoniorum* remixtum, aut *aqua betulæ cinamomiſata.*

Cap. XXIX.

De Rhabarbaro albo & nigro ſiue de mechoaca, & Iallappio, quod & Iallappa nuncupatur. Mechoaca omnis aduerſæ qualitatis expers, pituitam craſſam & ſeroſos humores ſine omni virium quaſſatione educit. Rectius in forma pulueris, quam infuſum eius datur. Quibus conueniat morbis. Tabulæ ex Mechoaca laxatiuæ. De Iallappy viribus, efficacia, & doſi.

SVnt, qui triplex conſtituant Rhabarbarum, ſubflauum, album, & nigrum. De priore *ſuperius* inter illa, quæ bilem educunt, vidimus; album vulgo mechoacam, nigrum Iallappium ſeu Iallappam vocãt. Mechoacæ primum, dein Iallappe examen inſtituemus.

Mechoacæ hiſtoria. Mechoaca, proximo maiorum ſeculo innotuit noſtratibus, cuius vſum

ſum Manardus inter primos literis diuulgauit. Nomen habet ab inſula, quæ Hiſpanis Mechoacan, indigenis Chinucila nominatur, ſupra Mexico quadraginta milliarib. ſita, aliis Rhabarbarum Indicum, vulgo Rhabarbarum album nuncupatur. Quidam non ſine errore bryoniam eſſe opinati ſunt, ſed hos foliorum, & radicis tranſuerſim ſectæ, figura, color & ſapor manifeſte confutat. Radix potiſſimum in vſum medicum accerſitur, cuius bonitatem oſtendunt ſubſtantiæ mediocris grauitas, ſpiſſitudo & compacta ſoliditas, color albicans, ſapor farinaceus vel inſipidus. Medulla prorſus caret, & omnis alienæ qualitatis eſt expers. Quæ vetuſta (triennium vix perdurat efficacia) & nigricans & teredinoſa, ea inutilis eſt. Calida fertur in primo, & ſicca in ſecundo gradu, conſtat aereis & ſubtilibus partibus: & etiam terreſtri quadam portione. Omnis expers eſt alienæ, inutilis, & naturæ aduerſæ qualitatis, tam, quo ad apertas, quam occultas, quæ in rerum ſubſtantiis ſæpe latenter & penitius hærent, & in vſu demum erumpunt, ſeſeque manifeſtant. Quocirca omni ætati, videlicet ſenibus, pueris imbecillibus & grauidis innoxius eſt eius vſus. Cum vero manifeſtarum qualitatum vehementia, quæ vim purgantium promouere, virtutem inſtigare, & naturam ad expellendum id, quod ſpecifice attractum eſt, irritare ſolent, deſtituta ſit, doſi maiore ſiue in forma pulueris,

Duratio.

Qualitas.

ſiue ex infuſo propinanda eſt, vt doſis eius à ℥ ſ. quæ pueris tuto datur, ad ℥ ij. extendatur, in infuſione ad ℥ ſ. ſi ſtimulum, qualis *guttæ gummi*, *diagridium elateriumve*, ex ordine acriter purgantium, vel *ſal nitrium*, *gemmeum*, aliave ex eorum numero, quæ ſimpliciter vim ſopitam incitent, & excretionem à medicamenti inſipidi benignitate non magnopere impulſam irritent, adieceris minore doſi, videlicet dragmæ vnius vel ℈ iiij pondere exhibere poteris. Optime operationem ſuam perficit in forma pulueris. Quemadmodum enim *agaricus* & *folia ſenæ* in infuſo, ſic mechoaca forma pulueris data feliciter effectus edit. Rite puluis ad exquiſitiorem purgationem moliendam pridie, antequam ſumitur, liquori (commodiſſimum eſt *vinum*, *aqua fœniculi*, *aniſi*, *cinamomi*, vel *iuſculū* adaptatum) infunditur, & cum illo, in quo macerarit per noctem hauritur. Quandoquidem vero aereis cōſtet partibus, & ſimulac terreſtri quadam portione, non ſolum purgat, & viſcerum obſtructiones amolitur, ſed euacuādi actu finito eadem roborat, & debilia confirmat. Vt penitius epar, lienemque deobſtruat, vtimur infuſo, in quod aereæ & ſubtiliores partes potiſſimam infarctus reſerandi vim habentes tranſeunt. Qui interiorum roborationem ſimul quærit, is puluerem accipiat. Vnde eliquet, *ſola maceratione vim in ſubtiliore parte conſiſtentem debite extrahi, eamque coctione diſperdi &* *euane-*

Mechoaca in forma pulueris fælicius operatur.

Quomodo vt feliciter operetur, rite adhibeatur.

euaneſcere. Obſeruatione etiam conſtat, ſimplicem puluerem prædicto modo rectius exhiberi, quam ſyruporum aliarumq; rerum multifaria miſtura.

In hydrope tamen non inutiliter cum ℥ ij. *ſyrupi roſarum ſolutiui* vtimur.

Purgans pharmacum conuenientius, quod minori diſturbio maiorique benignitate corpus euacuet, & omnis aduerſæ qualitatis ſit minus particeps, non daretur, ſi ratio modusque inueniri queat, qua interior eius ſubſtantia vim potiorem continens, in minorem quantitatem contrahi & perduci poſſet.

Hoc per modum extrahendi affuſo ſpiritu vini, quo quidem eſſentia non inſcite educitur, tentatum eſt, ſed extracti conſiſtentia adeo viſcida & tenax reſultat, vt in conueniente liquore pene ſolui nequeat. Commodus tamen eſt vſus in bolo & pilulis. Mechoacæ eſſentia rite extrahitur *vino canariæ* vel *Rhenano generoſo*, cui inſtillatæ fuerint aliquot guttulæ *olei tartari* per deliquium parati. *Vinum tinctura impregnatum leni euaporatione inſenſibiliter educendum* (facile enim calore paulo intenſiore vis purgandi vna exhalat) *donec ſyrupi faciem acquirat, dein addito ſacharo ad electuarii liquidioris conſiſtentiam perducenda eſſentia.*

Pro pueris & delicatulis ex *puluere mechoacæ, amygdalis decorticatis & ſubactis liquore decoctionis turpethi, vel alterius purgantis cum ſaccaro conficiuntur panes martii laxatiui:*

Panes martii laxatiui ex mechoaca.

℞. *mechoacæ* ʒ j ß.
diagrid. gr. iij.
Cum ſacch. f. tabella pro doſi.

Vel: ℞. *pul. ſenæ.*
mechoacæ ana ℈ ij.
Zinzib.
ſpecierum diagalang. ana gr. iij.
diagrid. gr. ij. *miſce.*

Purgat pituitam craſſam & aquoſos humores.

Conuenit potiſſimum morbis à frigida & humida intemperie cum materia dependentibus. educit proprie pituiatam craſſam, aquoſam, & ſeroſos humores, dein & flauam bilem, tandemque, ſed rarenter atram, rectius pituitam trahit à ventriculo, inteſtinis, pectore, renibus, capite, neruis, articulis, vnde in cephalæa, iuncturarum, renum & matricis doloribus, epilepſia, catarrhis, affectibus pectoris, tuſſi veteri, & aſthmate, in icteritia & epatis lienisq; obſtructionibus, propter vim, qua ſimulac pollet, aperientem conuenit. Hydropicis nec mitius, nec vtilius quod minori moleſtia maioriq; conferentia aquas, & pituitoſos humores copioſe educat, viſcera deobſtruat, & finito purgandi actu eadem roboret, teſte experientia, pharmacum offerri poteſt. Commendatur porro in morbo gallico veteri, ſcrophulis & ſtrumis frequenter exhibita, vti & in ſcorbuto & affectibus ex aere marino vel locorum mutatione contractis.

Quibus morbis conducat.

Etiamſi vero in febribus ex humorum pituitoſorum & bilioſorum miſcella eius concedatur vſus, tamen in tertianis exquiſitioribus & morbis calidis

calidis cum partiũ internarum phlogoſis quædam infeſtat, eius vſum non tantum inutilem, ſed & noxium eſſe prædicant. *Noxa.* Ambroſius Paræus teſtatur, tertiana ad legitimam proxime accedente laborantem huius radicis vſu incidiſſe in duplicem: Cauſam allegat calorem mechoacæ ſed friuole & fruſtra. Temperatius quippe & irritatricium acriumque qualitatum magis expers vix datur pharmacum, primum ſiquidem caloris ordinem duntaxat compilet, eſtque inſipida vel farinacei potius ſaporis, & nihil apertæ vel reconditæ poſſidet malignitatis, adeo vt non ipſa radix per ſe calidis affectibus noceat, ſed ſi quid detrimenti ex eius vſu ſequatur in febribus (in quibus tamẽ ego illam ſemper fęliciter vſurpaui) id euenire oportet, quod extractis, pituitoſis & aqueis, quos primario educit, humoribus, tanquam fræno ablato, bilis inſoleſcat & efferatur. Sequitur confectio mechoacæ purgans.

℞. *pul. mechoac. ſelectiſ.* ℥ ij ß.
diagrid. ʒ ij ß.
ſantal. rubei,
flaui,
albi,
flor. violar. purp. ana ℈ j ß.
Garyophyll.
cinamo.
macis ana ℈ j.
ſacch. albiſſ. ℥ x.
Cum aqua cinamomi f. rotulæ pond. ʒ ß.

Alia confectio purgans.

℞. *conſer. violar.* ℥ j.
ſpecier. diatrag. frigidi ʒ j ß.
Turbith gummoſi,
Mechoacæ albiſſ. ana ʒ ß.
diagryd. cum ol. fœnic. præpar. ʒ ij.
ſacchari in aqua fœniculi ſolut. ℥ xiv. *Rotulæ.*
ol. cinamo. gut. vj.
aniſi gut. iiij.
fiat confectio in morſulis.

Mechoacæ ſylueſtris, quæ ab illa, cuius naturam deſcripſimus, ſapore acriore, foliorum & radicis quantitate minore differt, quia fumentibus moleſta & noxia eſt, quapropter nec in vſum venit, hiſtoriam præteribimus, & ad Ialappii conſiderationem deuoluemur, q̃ & Iullappæ & Ialappæ & Rhabarb. nigri nomen inuenit.

Eſt vero Ialappium radix teſſelatim inciſa, rotunda, exterius nigricans, interius rufeſceas, ob copioſam gummoſitatem, ſi igni vel carbonibus admoueatur, flammam concipiens. *Ialappii Hiſtoria.* Inodora pariter eſt & inſipida, niſi quod acriculam quandam aperientem & inciſoriam vim linguæ prodat, validius, q̃ mechoacanna, humores ſeroſos, bilioſos, & pituitoſos atque etiam melancholicos (ꝙ in Mechocaca deſideratur) ducit, epar, lienem & ventriculum ſimul purgat, dragma vna cum ℈ j. *cremoris tartari* vel *vtriuſque* ℈ ij. cum modico *cinamomi* & *aniſi* melancholicorum & hypochondriacorum atram bilem; *Doſis & vſus Ialapii.* ſeroſos humores, ichores & flatus, quibus vbertim redundant, copioſe euacuant. Inter hydra-

goga

g ga vti *ſupra* dictum, non eſt excellentius mechoaca, & vbi admixta ſit bilis, Ialappa. Ex puluere Ialappæ cum *ſyrupo roſarum ſolutiuo* additis modicis *olei cinamom. guttulis* vite fiũt pilulæ. Si vſus flagitat, acuitur *diagridio*. Elegans ex eadem conficitur extractum.

Cap. XXX.

Turpethum craſſos & pituitoſos humores ab inteſtinis, pectore, & iuncturis educit. Quomodo noxæ eius, vt rite in vſum vocetur, corrigantur. Cauſa compoſitionis pulueris turpethi Meſuæ, & qua ratione Montagnana cætera adyciendo vtiliſſimam ſpecierum diaturbith cum Rhabarbaro confectionem conformarit.

De Turpetho, cuius generis ſit planta, inter rei botanicæ ſcrutatores non conuenit, aliis atque aliis Tripolium Dioſcoridis, vel pitiuſæ, alypiæ aut Thapſiæ radicem eſſe, cõtendentibus; quorum omnium opinionem refellit Garcias ab Orto *lib. 1. hiſt. aromat. c. 36.* aſſeuerans, verum, quo vtimur, aut vti debeamus, Turpethum eſſe corticem caulis arundineæ proxime radicem (quæ ipſamet in vſum non venit,) terra exporrectæ prouenientis apud Indos copioſe, & potiſſimum in Cambia, vbi præſtantiſſimum naſcitur. Cortex iſte ſatis craſſus, arundinaceus, ſubcinericius vel albicans, fractu facilis, non rugoſus, ſed læuis & planus, vt plurimum gummoſus eſt, proinde ad vſum recipi debet, non carioſus, non niger, ſed, qui recens ſit, notasque commemoratas poſſideat. Turpethum calidum & ſiccum eſt in ſecundo gradu, craſſos, viſcidos, & pituitoſos humores à ventriculo, venis, iuncturis, neruis, & pectore ducit; hydropicorum quinetiam aquas ſtrenue educit. Vtiliter datur in febribus longis à craſſis & lentis humoribus, & morbis à viſcida pituita oriundis; & pectore eius copia grauato. Auicenna cenſet, primario educere pituitam, & dein etiam aliquid aduſti humoris, proinde hodie in lue gallicana & ad elephantiaſin, lepram, morpheamq; non inauſpicato vtuntur.

Turpethũ quid.

Delectus.

Virtus turpethi.

Quod non extrahit agaricus, educit turpethum, quod turphetum non promobnet illud eii it colocynthis. Sed quo *turpethum* fœlicius & promptius operationem ſuam perficiat, neceſſum eſt vt impedimenta & noxæ, quibus quodammodo ea inhibetur, debita correctione tollatur.

Tres ineſſe noxas in turpetho ferunt ſapientes. Prima eſt, quod ſit debilis & pigrioris operationis & niſi ſtimulo iuuetur, tenuia ſaltem phlegmata, craſſis relictis, ſegniter educar. Secunda in hoc conſiſtit, quod ſtomachum offendat eumq; ſubuertat, & nauſeam, demumq; vomitum cauſetur, vti elt in veteri verſu.

Triplices turpethi noxæ.
1.
2.

Nolo

Nolo damnoſum turbith mea viſcera turbet.

3\. Tertia, quod corpus in rabitudinem & extenuationem perducat.

Externa correctio conſiſtit in hoc, vt cortex exterior (debet vero eligi planus, non rugoſus) abradatur, donec ad albicantem ſubſtantiam peruentum ſit. Deinde vt prima edometur noxa, ea ſunt addenda, quæ ſubtili quadam ſubſtantiæ penetratione & acrimonia vim turpethi in craſſo & paulo denſiore corpore, & ex hoc ignauiorem incitare, eleuare, & in actum deducere poſſint.

Turpethū quomodo corrigatur.

Vt enim illa pharmaca, quæ ſubtilioris ſunt materię, ob id violentius purgant, quod manifeſtas qualitates admodū acres poſſident, & ideo harum cicuratione & acuminis retuſione, vt mitius agant indigent, ita turpethum ſubſtantia duriore & denſiore conſtans qualitatibus apertis non admodum intenſis & acutis præditum ea requirit, quæ ſubtili & penetrabili acrimonia reconditam & ſopitam vim in craſſiore materia excitare valeant, quod peculiariter *zinziber, ſal gemmæ, aniſum, cinamomumque* præſtare poſſunt. Hac ratione puluis ille Turpethi Meſuæ factus eſt ex

Puluis de turpetho Meſuæ.

Turpethi ℥ x.
zinzib. ℥ v.
ſacchari ℥ xx.
maſtichis ℥ iij.

In qua compoſitione *zinziber* acuit vim reconditam, vt non tantum ſeroſam, ſed & craſſam pituitam educat, *maſtiche* ſtomachum roborat, *ſaccharum* demulcet ſqualorem. Ille puluis ſi ex iuſculo quopiam vel cum *decocto paſſularum ficuum, dactylorum* exhibetur, tertia ſqualoris noxa validius eluitur.

Quomodo rite corrigatur & exhibeatur turpethū.

Braſſauolus recipit *Turbith. opt.* ʒj.

Braſſauoli.

zinzib.
piperis nigri,
aniſi,
cinamomi ana gr. vj.
ſacchari duplum, detur cum iure pulli, vel gallinæ.

His ſimplicibus de *turpetho* pulueribus alii vt virtutem intenderent, addiderunt *hermodactylos*, & *diagridium* pluraque corrigentia, veluti *ſantala, violas, gariophyllos, galangam, macin.* Montagnana demum *Rhabarbarum* appoſuit, vnde inſignis illa & vtiliſſima compoſitio electuarii vel ſpecierum *diaturbith cum Rhabarbaro* nata eſt.

Ne ventriculum ſubuertat, quæ vim illius aromaticitate, & fragranti quadam virtute, ſtomacho cum primis amica, promouent, qualia *zinziber, cinamomum, ſemen aniſi, miſcentur*, eaque magis probantur, quā *maſtiche*, quæ craſſiore adſtringentiq; corpore virtutem eius non excitat ſed potius coercet, licet corroboret. Tertia correctio in ſqualore mitigando, cuius merito difficilius operatur, & corpori inducit extenuationem, conſiſtit.

Perficitur his, quæ læuore & lubri-

citate ſiccitatem eius mitigare viamque lubricando, vt ſine ſtomachi, & inteſtinorum offenſione & torminibus tranſeat, comparare nata ſunt. Sic arefaciendi vis demulcetur, & ne corpus madore naturali ſpoliatum exareſcat, cauetur, craſſa pituita, quæ & in flatus verti, doloresq; in deſcenſu excitare ſolet, facilius & impune elabitur. Quo nomine Auicenna & Meſue puluerem turpethi cortice exteriore nigro prius ademto in *oleo amygdalarum dulcium* macerant, & exemptum cum cæteris acuentibus aromaticis exhibent, verum ſufficit, eundem additis corrigentibus commemoratis exhibere cum *iuſculo pulli, paſſularum, dactylorum, ficuum, florum & fructuum* cordial. adiecto, ſi placet, *hydromelite*.

In *electuario diaphanic. turpethi* ſqualor, & *diagridii* acrimonia corrigitur *dactylis & penidiis*, efficacia Turpethi intenditur *pipere, zinzibere, dauco*, aliisque aromatibus & *melle*, quod cum *ſacchara* corrigit & noxam impreſſam eluit.

Extractum turpethi parandi ratio.

Extractum turpethi recte paratur affuſione *aquæ cinamomi*, *aniſi* vel *hydromelitis*, cui *olei tartari* vel *ſpiritus vini* nonnihil affuſum ſit. Virtus in denſiore hærens ſubſtantia & altius recondita menſtruo indiget penetrantiori, & vt vis eius ſubuertens ſtomachum emẽdetur, aromatico. Quemadmodum enim *elleborus* & *colocynthis* & ea, quorum vehemens acriſque exſiſtit poteſtatis inſolentia, in ſubtili materia, requirunt menſtruum mite & blãdum, ita turpethum, cuius ſubſtantia craſſior & vis remiſſior, magiſque recondita penetrantius & acutius.

Quomodo turpethum fiat ſummum iuncturarum remedium.

Meſue notat, *turpethum abraſo cortice ſucco cucumeris aſinini infuſum & ſiccatum*, eſſe ſupremum ad iũcturarum ægritudines præſidium.

Mediocrem ſuſtinet decoctionem, & infuſo decoctũ fœlicius operatur. Fallopius contrarium, ſed male ſtatuit. Doſis pulueris à ℈ ij. ad ʒ j. in infuſione ad ʒ ß. Non ſatis tuto pueris, ſenibus, grauidis, & natura vel morbo valde imbecillibus datur, ab eius vſu piſcium eſus & ventus auſtrinus vitandus. *Doſis.*

CAP. XXXI.

Aſarum pituitam craſſam & bilem omnis generis fortiter per ſuperiora & inferiora ducit, viſcerũ & internarum partium obſtructiones ſoluit, menſes, vrinas, & ſudores promouet, quocirca, febribus non vna ratione prodeſt, cum lentis & pertinacibus, tum malignis, & hydropi, & iſchiadicis & ictericis, aſthmaticis, iſchuria & ſtranguria affectis. Aſarinæ breuis hiſtoria annectitur.

ASarum, quod & nardus ſylueſtris & Vulgago nuncupatur, radice aroma ſpirat, mordicantis eſt ſaporis,

calidum

calidum in ſecundo, & ſiccum in tertio gradu fertur, attenuantis, aperiétis, reſoluentis & prouocantis eſt facultatis, cui modica adſtrictio iuncta ſit. Formali vi pituitam primo, dein bilem, cum flauam, tum æruginoſam, ſupra infraque copioſe & fortiter educit, abſque omni malignitatis indole; coxendicum & iuncturarũ dolore vexatis prodeſt, veſiculæ fellis, lienis & epatis obſtructiones ſcirroſque expedit, tertianis nothis & quartanis, febribus lentis & longis, ictero aliiſque affectibus à viſcerum obturatu & induratione pendentibus peculiariter medetur. Proinde hydropi valde ſuccurrit, menſes vrinasque pellit, ſtranguriam tollit, tuſſi veteri & aſthmati opitulatur, ſudores intus extrùsque vſurpatum prolicit, veneno & venenatorum morſibus reſiſtit.

maior in foliis radice. Quamuis Meſue eiuſque ſequaces potiorem vim & vſum radicis eſſe affirment, tamen non ignorãdum, in foliis viridibus liquore conueniẽti affuſo tritis, vehementiorem purgãdi facultatem præcipue vomitum, dein & aluum concitandi ineſſe. Maior vis reſerandi viſcerum infartus, & & intima penetrandi eſt in radice, quæ foliis ſiccior calidiorque eſt, & quo magis tenuiusque teritur, eo efficacius vomitum, vrinas, menſesque, craſſiore autem puluere, ſeu minus trita aluum ſine vehementi ſtomachi concuſſione mouere, quod pollent ſubtilior ventriculi fibris ſeſe penitius inſinuans mordicansque motum ad ſuperiora incitet, & velocius etiam ſubſtantiæ tenuitate ad renes, veſicã, & vterũ penetret, qua ratione etiam hydroticam poteſtatẽ exercet. Dioſcorides pulueris dragmas ſenas ex *hydromelite* datas ducere mẽſes & *veratri albi* more purgare, docuit, verum iſta doſis modum excedit. Vtiliter cum *ſero lactis* vel *hydromelite* exhibetur, aut eiſdem infunditur.

Folia viridia numero quinque, ſex, ſeptem vel octo, affuſo liquore conuenienti, vel alio decocto leniente trita, vomitus cient, & aluum ducunt. Puluis ex iiſdem liquoribus exhibetur à ʒ ſ. ad ℈ iiij. in forma craſſiore, ſi aluum duntaxat mouere; in ſubtiliore, ſi vomitum concitare propoſitum fuerit. Vt menſes vrinaſq; exigat maiore doſi & ſubtiliori trituratione opus eſt, infũditur, & maceratur prædictis liquoribus à ʒ iſ. ad tres vel quatuor. Coctione, huius, vti plerorumque vomitoriorum, vis euaneſcit. Febribus chronicis duplici ratione in auxilium venit, nimirum quod vomitu è ventriculo & penitioribus receſſibus pituitam craſſam, bilemque flauam & æruginoſam exturbet, quodque viſcerum infartus diuturnitatis febriũ cauſam demoliatur, & ſudores ciendi potentiam exerceat, quod innotuiſſe Germaniæ ruſticis, refert Matthiolus, qui decocto aſari ex *vino* cum *melle*, *mace*, *cinamomo* & id genus aromatibus diuturnas febres à valida viſcerum obſtru- *Doſis foliorum & pulueris radicis.* *Duplici ratione medetur febribus.*

ctione dependentes, præcipue tertianas nothas, & quartanas abigunt. Huius decocti cyathum vnum, alii cottidie, alii alternis diebus aſſumũt, atque ita ſubducunt aluum, & quandoque bilem aut pituitam vomitionibus reddunt. Imminente paroxyſmo dorſalem ſpinam & plantas pedum inungunt oleo calido, in quo aſarum diu fuit inſolatum (Meſue *ladanum* admiſcet) & lecto ſe committunt, quo modo horror minuitur, & ſudor copioſius profunditur. Non ſine ratione noſtrates paulo ante inunctionem, præmiſſis tamen vniuerſalibus, hora vna, priuſquam inſiliat paroxyſmus, propinant puluerem ex

Puluis antifebrificus expertus. *carduobenedicto, radice aſari, aronis, acori vulgaris, tormentillæ, pimpinellæ præparatæ, ariſtolochiæ rotund. veræ, oculis cancrorum, ſem. naſturcii, carduibenedicti, cardui Mariæ, cornu cerui, ſuccino, terra ſigillata, ſale nitri præparati, abſinthii, calendulæ,* & ſimilibus. Vel formantur pilulæ

Pilulæ antifebrificæ. ex *ammoniaco, tartaro vitriolato, mirrha, extracto gentianæ, centaurei minoris, trochiſcis de eupatorio, abſinthio, capparibus.*

Ad febres malignas. Si febribus malignitas vel peſtilitas ſubſit, adduntur *radix diptamni, petaſitidis, zedoariæ, folia ſcordii, Trochiſci de caphura, cortices laureolæ præparatæ*, vel *puluis Saxonicus Meiobani.* Eiuſmodi tragea exhibetur cum *aceto, aqua carduibenedicti vel oxymelite ſquillitico.*

Vomitorium ex aſari foliis viridibus. Quidam inſtante paroxyſmo vomitorium conficiunt ex *aſari ſex vel ſeptem foliis conciſis, quæ leniter ebulliant in iuſculo pulli vel decocto hordei, tepideq;* propinantur vel *macerantur* ℥ ij *in eadem iure aut decocto leniente, addito modico vini,* colatura expreſſa datur.

Electuarium Diaſari vom. i. Fernelii. Fernelius electuarium diaſaru ad omnis generis humores circa ventriculum & præcordia reſtagnantes vomitu educendos, quod non continuato, ſed ex interuallis facto impetu operetur, ſenibus & prægnantibus tutum ſit, conſcripſit hoc modo.

℞. ſyrupi menthæ,
violarum ana ℥ viij.
Coquantur in craſſitiem mellis, ſub finem igne ſubducto inſperge.
radic. peponis areſactæ,
ſem. raphani,
vrticæ macerat. in aq. roſar.
& tritorum ana ℥ j.
radicis aſari tritæ & cribellatæ ℥ ij.
cinamo.
ſem. fœniculi ana ℥ iij.
confice electuarium liquidum. doſis ℥ iij. ex *aqua hordei, mulſa vel ſero lactis.*

Puluis e aſaro vrinas mouens. Puluis Rondeletii ex aſaro, vrinas mouens.

℞. gummi prunorum,
Carabæ,
Ciceris,
ocul. *cancrorum ana* ℥ j.
ſem. apij,
petroſelini,
alkekengi ana ℥ ß.
cinamomi,
ſquinanthi,
aſari ana ℈ ij.
Miſce fiat puluis tenniſſimus.

Sumat

Sumat mane cochlear vnum, ſuperbibendo cyathum vini albi vel *aquam aſparagi, graminis &c.*

Eiuſdem ad menſium prouocationem:

Ad menſium prouocationẽ.

℞. *myrrhæ,*
cinamomi ana ℥ j.
ſabinæ ℥ ß.
ſem. apij,
petroſelini,
ſpicæ Nardi,
aſari,
ſquinanthi ana ℈ j.
Miſce f. puluis, doſis ℥ j. *cum ſucco eryngij.*

Ad vteri dolores, Rondeletii.

Ad vterinos dolores.

℞. *caſtorei,*
mirrhæ,
croci,
ſtyracis ana ℥ ij.
rad. Ireos,
ſpicæ Nardi,
folij ſem. malabatri,
aſari ana ℥ j.
opij ℥ j ß.

Cum ſyrupo de artemiſia f. Electuarium, cuius ℥ j. capiat, ſuperbibendo parum vini albi diluti *aqua ex floribus citri.*

Ad membrorum contracturam, aſthma & venena.

Decoctum radicis aſari menſes ſecundaſque exigit, ad membrorum contracturam commendatur à Dodonæo, cõducit ſtranguriæ, tuſſi & aſthmati, reſiſtit omnis generis veneno, venenatorumque animalium morſus ſanat. Folia extus impoſita ſanant

Externus aſari vſus.

ſerpentia & cancroſa vlcera, tumoreſque eorum, & incrementũ inhibent, vulnera mundant. Lixiuio decoctionis aſari ſi lauetur caput, cerebrum roborat ex frigore languidum & memoriam acuit.

Succus & aqua aſari cum *pompholyge*, oculorum angulis illita, caliganti viſui medetur. Folia capitis doloribus oculorum inflammationibus, ęgilopis incipientibus, mammis à partu tumentibus, ignibuſque ſacris medentur.

Eleganti carmine Marcus Æmylius aſari vires expreſſit.

Eſt aſaron græcè, vulgago dicta latine,
Hæc calida & ſiccæ virtutis dicitur eſſe,
Tertius eſt illi gradus vt dicunt in vtroque.
Prouocat vrinam, potataque menſtrua ducit,
Hocque modo iecoris medicatur ſumpta dolori,
Hydropicoſque iuuat, ſciaſin fugat hauſta frequenter,
Et vuluæ morbis decoctio ſubuenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum,
Elleborique modo vomitu præcordia purgat,
Sed non eſt huius purgatio tam violenta,
Nec metuenda quidem, ſi fiat taliter illa:
De foliis eius triginta recentia tollens,
Adde meri tantum, quo poßint cuncta recondi,

Tota nocte mero facias, macerentur in iſto,
Mane terens vino, quo ſunt macerata, reſolue.
Tunc olus excoctum cum pingui carne recenti,
Porcina prius ægroto da ſufficienter,
Et ſumat vini, quantum vult, fortis & albi,
Sic aſari ſuccum colatum trade bibendum,
Fortibus & magnis hic eſt numerus foliorum,
Sufficiens, reliquis, vt diximus, eſt minuendus
Iuxta, quod vires ætas & cætera poſcunt.

Aſarina hiſtoria. Aſarina cum aſaro planta affinis vel eiuſdem eſſe familiæ ex forma viribuſque videatur, vires ex Matthiolo paucis attexemus. Calidæ & ſiccæ eſt temperaturæ, vim habet abſtergendi modicam, ſed attenuandi, incidendi, aperiendiq; magis præſtantem. Herba ipſa cum radicibus pota dragmæ pondere, ex *mulſa* ſiue *oxymelite* aluum exſoluit, ducitque craſſam pituitam, & atros humores.

Quamobrem recentes rei herbariæ ſcriptores ad morbi gallici dolores & articularios morbos præferãt. Datur vtiliter hydropicis, & regio morbo laborantibus. Sunt, qui ad comitiales & reſolutos eam propinandam conſulant, nempe aut herbam per ſeſe, aut eius decoctum, cit vrinam & menſes, inteſtinorum vermes necat.

CAP. XXXII.

De hermodactylo eiuſque ſpeciebus & differentiis. Contra Matthiolum ſolidis rationibus demonſtratur, officinarum hermodactylũ non eſſe colchicum, aut venenatum, ſed innoxie ſumi, & cum primis cõducere doloribus arthriticis tota ſua indole, intus extuſque vſurpatum, & optima ex eodem à veteribus & neotericis eſſe compoſita remedia.

PRopter auctorum diuerſas opiniones de hermodactylo ex ſimilitudine cũ ephemero colchico Dioſcoridis ortas, vera eiuſdem cognitio admodum obſcurata & in tenebras coniecta eſt.

Matthiolus hermodactylum officinarum ob radicis, quam cum colchico habere videtur, ſimilitudinem, ab vſu medico ſequeſtrandum eſſe dictitat, ſecus facienti & vſurpanti capitale diſcrimen minatur, & ipſum veterum colchicũ eſſe contendit. Admodum etiã liberalis eſt in vellicãdo Fuchſio, ſui ſeculi medicinæ è tenebris, & barbarorum lacunis vindicatæ, reſtauratore fœliciſſimo, cum nõ deceret, quacunque ſaltem occaſione ſcintillante, in illos ſtylum acuere, qui ſapientiæ fundamenta primitus nobis iecerunt, aut eadem collapſa, vel antiquata poſtliminio erexerunt. *An hermodactylus, quo vtuntur moderni, ſit verũ colchicum.* Facilius eſt Fuchſium cum Meſue, Sera-

Serapione, Auicenna, & Dodonæo erroris inſimulare, quam conuincere. Etſi enim, vti obiicit Matthiolus, vno eodéq; capite de colchico & hermodactylo tractet Serapio, quo nomine ab illo acriter flagellatur, tamen ſatis luculēter hermodactyli radicem à colchico diſtinguit. Idem Meſue & Auicenna fecit, & tamen vterque ſatis diſtincte.

Ad rationes Matthioli reſpondetur.

Et licet Paulus diuerſis agat de hermodactylis & Colchico capitibus, & item ſeorſim de ephemero, ſeu Iride Dioſcoridis, tamen id nihil importat dubitationis, rem rectè ponderanti & aduertenti, quod Serapio & Meſue vno eodemque capite ſatis diſtincte de diuerſis iis pertractent. Sed contemplemur argumenta, quibus pugnat Matthiolus.

1. Primum deducitur à ſimilitudine hermodactyli cum colchico, ad quod reſpondemus, negari non poſſe, radicem colchici aliquam habere formæ exterioris congruentiam ad hermodactylum officinarum, ſed ex hoc non ſequi, protenus idem cum ipſo, vel eiuſdem generis aut earundem eſſe virium; hac ratione enim been vtrumq; hermodactyli vel colchici ſpecies foret, & linaria de familia eſularum, ſed vulgo dicitur:

Eſula lacteſcit, ſine lacte linaria creſcit.

2. Deinde Matthiolus radicem duntaxat hermodactylorum cum colchico conuenire demonſtrat, herbam floremq; nec ille, nec alius quiſpiam hactenus quod ſciam, depinxit, vt dubium ſit, an illis etiam conueniant, quod omnino fieri par eſſet, ſi ſpecie conuenire debeant, cum quæ radice ſimilia ſunt, non ſemper eadem ſint, nec herbis floribusq; conueniant.

Tertio mirum eſt, aculeatum & oculatum æſtimatorem inſpectoremque tam rerum, quam ſcriptorum noluiſſe videre, aut voluiſſe præterire Meſuei, Auicennæ, Serapioniſque diſtinctionem & notas, quibus hermodactylum officinarum in vſum medicum accerſitum, ab ephemero colchico diſcriminent. Illum tam extus, quam intus candicantem & album; hoc vero nigrum & ruſeſcens, extus quo ad corticem, vel etiam aliquando per vniuerſam ſuam ſubſtantiam illum ſolidum, denſum, planum, glabrum, & ſi ſiccetur, fractu facilem, hoc flaccidum aut rugoſum tradunt. Et quamuis Dioſcorides colchicum ſuum intus albeſcere & lacteſcere ſcribat, tamen etiam exterius nigricare & prope interna quodam modo erubeſcere aſſerit, quod hermodactylis conuenire non poteſt. Audiamus loquentes ipſoſmet auctores. 3.

Quomodo Auicenna, Serapio & Meſue diſcriminent hermodactylum à colchico.

Meſue.

Meſue ait, *hermodactylus eſt radix herbæ montanæ, & alius eſt longus ſicut digitus, & alius rotundus. Ille, de quo hic loquimur eſt rotundus, & eius alius eſt albus, alius rubeus, alius niger. Melior ex his eſt habens tres proprietates bonas, ſcilic. qui eſt albus & vera albedinis intus & extus, &*

quæ

qui eſt groſſus & duriciei mediocris. Rarus, laxus, & leuis debilis eſt. Rubeus vero & niger ambo mali ſunt.

Serapio. Serapio lib. *de ſimpl. c.* 194. inquit, *hermodactylus eſt calidus & ſiccus in principio ſecundi gradus; habet proprietatem ſedandi dolorem iuncturarum & podagra, & conferre variolis, & melior ex eo eſt ille, qui interius & exterius eſt albus, & quando frangitur, eſt confractio eius facilis. Niger vero & rubeus ſunt ambo interficientes.*

Auicenna. Auicenna lib. 2. *Tract.* 2. *Hermodactylus melior eſt albus exterius & interius, durus ad frangendum, rubeus vero & niger retinent medicinas ſolutiuas in ſtomacho, & attrahunt nocumentum maximum & ſunt ambo venena.*

Nec eſt, quod ex notatione nominis hermodactyli digitum Hermetis ſignificantis, aut ex forma herbæ digitum referen: is de genere aut virtute ſtatuere animum inducat. Nam complures harum ab inuentoribus nomen obtinuerunt, vti *Melampodium, artemiſia, circæa, valeriana*, quędam à notoria virtute *vt ſana ſancta, fuga dæmonum, febrifuga, euphraſia, herniaria*, aliæ à forma, vt *pentaphyllon, caput monachi.* Neque quiſquam, niſi Paracelſice inſulſus ſtatuet, quamlibet herbam exprimere characterem eius morbi, cui opitulatur, vti de rerum ſignaturis & herbis characteriſticis multi multa inepturiunt.

Rationes immobiles quib. conuincitur hermodactylumq; vtimur, nec colchicum, ne venenum ſed vtile pharmacum eſſe

Pro noſtro officinarum hermodactylo militat, quod longiſſimo vbiuis gentium & multiplici vſu, effectus, quos Meſue, Serapio, & Auicenna deſignant, reſponderint, omneſque facultates & notas, quas ipſi aſſignant, poſſideat. Deinde quod ſiue ſeorſim, ſiue cum aliis ſumatur, ſine vitæ diſcrimine, & abſq; omni virium ſtomachiq; commotione, ſi corrigētia debita adiicias, vſurpetur. Et cum à Meſue ad ʒ iiij. hodie autem vnius duntaxat dragmæ pondere exhibeatur, quomodo in illa quantitate non enecaret, ſi deleterium & lethale venenum foret, Quis vnquam ex puluere hermodactylorum vel ſolo aut aliis mixto ea vidit accidentia mota, quæ Dioſcorides, & inter cæteros prolixius Paulus Aegineta ab vſu colchici excitari commemorat, videlicet quod inſtar cantharidum fauces ſtomachumq; inflammet, interiora exulceret, cruentas cum ſtrigmentis excretiones moueat, pruritum vniuerſi excitet, & vnius diei ſpacio ſtrangulando iugulet. Quas deleterias & inſolentes ardentiſſimæ & virulentæ acrimoniæ qualitates, ſi obtineret hermodactylus officinarum, nequaquam ſecundus duntaxat caloris & ſiccitatis ei foret aſſignandꝰ gradus, ſtatimque in ore prima maſticatione eius inimica & acuta facultas, vti cantharidum, vel ſaltem acris quidam veluti in *pipere, cardamomo*, vel intenſior, qualis in *euphorbio* deprehenderetur feruor. Quin imo *Zinziber, cuminum*, & alia calidiora eidem pro corrigentibus abſque ratione & ſucceſſu adderen-

derentur, qualia tamen, ſi miſceantur, omnem ipſi, qua ſtomachum offendat, noxam adimunt. Scite proinde decernit Cordus his verbis: *canis largam eius copiam depaſtus & multorum tuto hac radice purgatorum experientia cottidiana facit, vt credam, hermodactylum hunc (videlicet officinarum) eſſe Meſue, & neotericorum veteribus indictum, vel ſaltem non eſſe colchicum.*

uricii rdi vetr & prænda ſentia.

Si vero quiſpiam ex Colchici genere eſſe hermodactylum recentiorum aſſerere velit, & ideo eius vſum innoxium, (quamuis, qui in Colchide naſcitur, veneni particeps ſit, quia pleraque ibi tanquam venenis fœcunda regione viroſa proueniant,) quod Soli cœliq; natura virulentiam depoſuerit, non vero perſonam aut ſpeciem, veluti Perſica malus in Europam trãslata, vel quod vnius generis alia ſpecies queat eſſe venenata, vt *agaricus niger*; alia ſalutaris vſurpationis, velut *albus*, quomodo etiam *hermodactylus albus* à *rubro & nigro* diſtinguatur, ſiue quidcunq; prætexat, vel prætendat, nil moramur, liberum cuilibet iudicium relinquentes, dum vſum noſtri hermodactyli innocentis omnino non explodant, vel antiquent.

Recentiores in primis Cluſius & Lobbelius plurimas Colchici differentias recenſent, veterib. haut ſatis cognitas. Tenendum vero, quatuor potiſſimum diſcriminanda, primo, Colchicum illud Dioſcoridis, cortice nigro & rubeſcente, quod ſtrangulatorium; & nigrum ephemerum ſeu hermodactylum nigrum Meſuei, Serapionis & Auicennæ; dein ephemeron Dioſcoridis & Galeni non lethale, quod Irin ſylueſtrem nuncupant, & à Fuchſio ad lilia conuallium refertur; tertio Colchicum noſtrum, quod alii facultatis purgatoriæ expers, Braſſauolus autem hermodactylum noſtratem eſſe affirmat, eũq; recens è terra euulſum, ſi abſque aromatibus copioſe ingeratur, eſt enim eſculentus, guttur ſtringere, & ſuffocationis periculum inducere, vnde ſeruorum tyrannidem Dominorum ſuorum effugere cupientium refugium, & capiſtrum ſtrangulare nominatum ſit, cum aromatibus vero, vti *zinzibere, maſtiche, pipere, garyophyllis*, tam in ſubſtantia, quam decocto tuto & impune aſſumi.

Colchicum noſtrate ſeruorum refugium & capiſtrũ ſtrangulare dictum.

Recipit vero *radic. Colchici noſtratis contuſi* ℥ ß.
zinzib.
garyophyll.
cinamomi,
maſtichis ana ℈ ß.

Electuarium.

Additaque ſufficienti quantitate ſyrupi de corticibus citri conficit electuarium, cuius doſis ℥ iß.

Vel crudi ℥ j. cum pulueribus corrigentibus exhibet, vel *Hermodactyl.* ℥ ij. *zinzib. piper. Garyophyll. maſtichis ana* ℈ ß. *terit & coquit in aqua maioranæ, ſaluiæ, vel iure aliquo*, quod ab ℥ ij. ad ℥ iij. ꝓpinat. Craſſã hoc modo pituitam ſe eduxiſſe teſtatur. Matthiolus illũ, qui in Italia ꝓuenit pſeudohermodactylum nominat, eumque vul-

Pſeudohermodactyl. Italicus.

go ad omnia illa mala, quibus condu- cit, virus, vulgo vſurpari tradit. Maxima itaque Medicorum manus ſtatuit, ephemerum vel hermodactylum noſtratem non adeo viroſum aut ſtrangulatorium eſſe.

Quarta ſpecies. Quarta Colchici ephemeri ſeu hermodactylorum, prout nominare libet, ſpecies eſt, quam vulgo officinarum vocãt, is ex Syria affertur, omnino que innoxie vſurpatur, vſu & experientia felici probatiſſimus, innocens, & à veneni fraude alienus; Appellatur vulgo Syriacus, & omnia illa ſine corporis & valetudinis labe, recte vſurpatus, rite perficit, quæ Serapio, Meſue, Auicenna, & horum poſteri pollicentur atque obſeruarunt.

Ex *ſupra* dictis liquet, hermodactylum recipiendum eſſe, qui intus & extus, albus, leuis, ſolidus & æqualis *Vires hermodactyli.* ſit. Collocatur in principio ſecundi ordinis calidorum & ſiccorum. Craſſam pituitam ab articulis proprie vacuat, ſed languide, ideoque non datur ſeorſim vel ſolus, ſed aliis promptioribus miſtis, aut addito ſtimulo *Hermodactylus Theriaca arthritidis.* auxiliante. Adeo ſtudet articulis ipſiſque dicatus eſt, vt interno & externo pariter vſu eorum languoribus ſubueniat. Vnde *articularium dolorum theriaca* nominatur ab Auicenna. Excrementitia quadam ſcatet humiditate, qua ventriculum offendit, excrementorum congregationi occaſionem præbet, inflationem parit & nauſeam concitat.

Duo proinde in hermodactylo, vt *Correct.* commode vſurpetur, ſunt reſpicienda: primum eſt, vt corrigatur noxa, 1. quam ſtomacho imprimit, flatus craſſos excitando, & excrementitios humores congregando; illa tollitur permiſtione *cumini, maſtichis, zinZiberis, piperis longi, menthæ criſpæ, cinamomi,* aut *paucis guttulis olei, aniſi, cinamomi, Garyophyll. macis, menthæ, deſtillatis.* Al- 2. terum eſt, vt operationis tarditas ſtimuletur acutioribus. Quorum enim purgantium vis in denſiore hæret ſubſtantia, eorum tarditas irritante quodam ſtimulo incitanda aut fortiorum adiectione extollenda. Meſue docet, *ſquillam* proprie virtutem *hermodactyli* acuere, ſi ex ea aſſata vel eius ſucco cum puluere hermodactylorum formentur trochiſci cum pauco *zinzibere* & *ſale gemmæ.* Nec minus vtile fore ad hanc intentionem, ſi ex eodem cum *zinzibere & ſucco raphani* formentur trochiſci. Vt muniatur aduerſus incurſum & influxum humorum ventriculus, idem cum *myrobalanis* exhibet, quæ ſimul deſcenſum eius promouere exſiſtimat. Si ab articulis educere ſit intentio, commode vis purgan- *Quomodo ſegnior v. hermodactylorum intẽdatur.* di iuuatur ſimulque ſtimulatur granis aliquot *euphorbii correcti.* Recte extrahitur eſſentia eius *ſpiritu vel aqua aniſi, iuniperi, cinamomi, ſpiritu vini maluatici.* Articulorum morbis dicatum *Ad morbos articulares.* eorum peculiarem antidotum eſſe, ſedula priſcorum Medicorum notauit obſeruatio. Moderni in curatione

luis.

luis venereæ, inſignem eius depre-henderunt vſum, hac primo ratione ducti, quod artubus ſtudeat, quibus iſta lues magna dolorum diritate negotium faceſſit. Miſcent itaque ſingulari cum ſucceſſu *hermodactylum* potionibus hydroticis, quo ipſo celerius meliuſque curationem perfici comprobatum eſt. Proprie etiam ad oris fluxus ab Auicenna commendatur. Ad incitandam Venerem probatur Meſuæ, Auicennæ, & Serapioni forte, quod flatus & humiditates colem erigentes tranſmittat. Actuarius & Nicolaus hermodactylos rubicundos & albicantes purgatricis facultatis expertes ad amplexum venereum concitandum facere tradunt; verum eos de veris hermodactylis haut loqui (rubri enim inter venena referuntur,) ſed vtrumque been potius intelligendum eſſe veriſimilius eſt.

luem veneream.

Vti intus ita & extus operam opemque ſuam articulariis doloribus dicarunt hermodactyli.

Meſue, Serapio, & Auicenna ex *farina hordei vel mica panis triticei, vitellis ouorum & hermodactylis* (vulgo cum *lacte & croco*) præſtantiſſimum cataplaſma parant, nimio tamen vſu indurari muſculos & articulos monet. Vulnerum præterea ſordes abſtergere, carnes putridas in ijs conſumere, vlcera antiqua ſanare, his ipſis auctoribus credimus.

Cataplaſma ex hermodactylis articulorum dolori.

Inter compoſita purgantium extant præſtantiſſima ex hermodactylis remedia. In horum numero eſt, puluis arthericus vel articularis Paracelſi, quem ex eiuſdem de morbis tartareis tractatu in Baſilicam ſuam tranſtulit Crollius: Et

Puluis articularis Paracelſi.

Conſtat *hermodactyl.*
Turpeth.
diagrid.
raſur. cran. microcoſ.
vel oſſ. microcoſ. ana ℨ j.
Doſis ℨ ß. vel ℈ ij.

Huc pertinet inuentione & vſu Bayri celebre, & à Solenandro *in conſiliis* tantopore comprobatum remedium caryocoſtinum,

Conſtans *hermodactyl.*
diagrid. ana ℨ ij.
coſti,
cumini,
zinzib.
garyophyll. ana ℨ j.

Trita & cribellata conficiantur cum ſyrupo ex melle & vino coctis, doſis ℨ ij. iij. vel iiij. vſum vide apud auctorẽ Bairum & Solenandrum *in conſiliis.* Nec minus vtilis eſt aliorum caryocoſtini talis compoſitio.

Elegans recentior caryocoſtini compoſitio.

℞. *Hermodactyl.* ℨ iiij.
ſem. ebul. recent. ℨ iij.
diagrid. ℨ ij.
cimini,
zinzib.
Gariophyll.
galangæ ana ℨ ß.

Electuarium.

Fiat electuarium cum ſequenti ſyrupo.
℞. *myrob. chebulor. ol. amygd. dulc. confricat.* ℨ ß.
ſem. carthami excortic. ℨ ß.

 aniſi

aniſi ℥ ß.

coque cum vino & aqua betonicæ & melle roſato ad formam ſyrupi.

Eodem pene ſcopo compoſita eſt confectio *diaturbith cum Rhabarbara* Montagnanæ. Simplicem enim Meſue compoſitionē *diaturbith* cognominatā ex *turpethi* ℥ x. *zinzib.* ℥ v. *maſtich* ℥ iij. *ſacchari* ℥ xx. conſtantem, alii púrgantiorem effecere adiectione *diagridii & hermodactylorum*. Montagnana vero *Rhei optimi* ℥ x. alii ſex *addidere*. Correctionis gratia pro *diagridio ſantala & violas*, pro ſtimulo & correctione *hermodactylorum turpethique*, *gariophyllos*, *cinamomum*, *galangam*, *macim & crocum* addidere.

Occaſio conſtruēdi compoſitionem ſpecierum diaturbith cū Rhabarb.

Examen & vires ſpecierum diaturbith cū Rhab.

Hac ratione ab articulis & diſtantiorib. locis peculiariter purgat, vermibus exigendis eſt aptiſſimū, quod *Rhabarb.* eos necet & *turbith* pituitam ipſorum fomitem proiiciat. Italis ad hunc affectum valde inſeruit.

Hermodactylos quoque recipit *Benedicta laxatiua* Arnoldi, ab articulis & inteſtinis, in colica præcipue, & ab vtero renibuſque craſſos educens humores; doſi ℥ vj. Et eiuſdem *diacarthamum* mixtis podagris, hæmitritæo & cephalalgiæ conducens pari pondere.

Cum vero pilularis forma attractionem à diſtantioribus iuuet partibus, medicinæ proceres ad articulorum dolores ex *hermodactylis* compoſuere pilulas, quas artheticas, & alias item, quas de *hermodactylis* cognominarunt. Illæ à Nicolao ſine *dragidio* deſcribuntur, cuius tamen in Auguſtano diſpenſatorio ℥ ß. recipiunt, hæ à Meſue conſignatæ ſunt maiores & minores, & vtræque artheticis valentiores. Vniuerſim arthridi conueniunt, & ducunt aqueos bilioſoſque humores. *Pilulæ fœtidæ* violenter purgantes, & non niſi in declinationibus morborum pene vſurpandæ, etiam inter cætera rigide purgantia cōplectuntur *hermodactylos*; ducunt craſſos viſcidos humores à cerebro & articulis, podagræ, gonagræ, neruorum incontinentiæ proſunt, ventrem pituita exonerant, colico dolori ſuccurrunt. Doſis ad ℥ j. vix per ſe dantur.

Pilulæ de hermodactylis.

Pilulæ de opopanaco iiſdem ſeruientes ægrimoniis etiam ſtipatæ ſunt hermodactylis. Plures ex iiſdem confectiones vide apud Paulum, Actium, Trallianum. Aetius *Tetrab.* 3. *ſerm.* 4. *cap.* 46. Tales conficit;

℞. *Hermodactyl* ℥ j.
aniſi,
cumini,
piperis nigri,
croci,
piper. long.
ſem. cnici ana ℈ ij.
mirrhæ ℥ j.
euphorb. ℈ iiij.
maſtich. ℈ vj.
caſſ. ℈ j.
moſchi ſiliquam vnam.

Vinum antipodagricum ex *hermodactylis*, *turpetho* & *foliis ſenæ*, vide in Scholtzianis *conſil.* 238.

CAP.

Cap. XXXIII.

Colocynthidis qualitas, & purgandi violentia deſignatur. Siniſtra & incorrecti vſurpatio non vacat periculo. Non tamen ab vſu Medico omnino releganda. Qua ratione veteres & moderni eam præparârint, & correxerint. Veram maturationem, præparationem, & correctionem conſiſtere in diutina ad ſolutionem maceratione. Ab articulis & abdomine potiſſimum craſſa & ſeroſa educit. Elegans de colocynthide ſyrupus, & pomum odore ſolo purgans, eiuſque ad interna & externa vſus deſcribitur.

…omina.

COlocynthidis, quæ Arabibus *Handel*, Meſue *fel terræ*, & mors plantarum, quod vicinas in ambitu ſtirpes necet, cognominatur, fructus in tertio gradu ſunt calidi & ſicci, amaritudinis ſummę participes, igneis & terreis aduſtis conſtant partibus, quocirca præter ſpecificam, quam obtinent, purgandi virtutem incidunt, attenuant, detergunt, reſoluũt. Eliguntur leuiores, albicantes & maturi. Pituitoſos, craſſos & viſcoſos humores, primo, dein vtramque bilem & aquas citrinas magna violentia; viſcerum turbatione & torminorum diritate educunt, adeo vt ea, quæ vim *agarici* & *turpethi* eluſerunt, ab his attrahantur & exturbentur. Extrahunt vero à diſtantioribus corporis partibus, vtpote cerebro & eius membranis, à neruis, muſculis, articulis, thorace, pulmone, vnde conducunt cephalalgiæ, cephaleæ, hemicraniæ, apoplexiæ, epilepſiæ, paralyſi, vertigini, oculorum fluxioni, aſthmati, dyſpnææ, pectoris anguſtiæ, coxendicum & articulorum dolori ex vitrea viſcidaque pituita & hydropi.

…mperamentum & …res colocynthidis. …ectio.

Paulus.

Paulus cenſet colocynthidem ſpecifice ab articulis, neruis & muſculis ducere pituitam, quemadmodum *Helleborum* & *diagridium* è venis bilem flauam & atram ſanguinemque emundant.

Ab articulis ſpecialiter purgat.

Sunt, qui propter ſummam vehementiam cum malignitate coniunctam ab vſu medico eliminandam & proſcribendam eſſe dictitent *colocynthidem*. Dodonæus ex vnius dragmæ per clyſterem infuſione virum quendam robuſtum exhalaſſe animam, cuius ſecto cadauere magna ſãguinis copia in inteſtinis inuẽta ſit, teſtatur in *obſeruationibus*. Idem pene, cuidam Iohanni Gambaro ex hauſtu aquæ macerationis colocynthidis, niſi ope medica liberatus fuiſſet, accidiſſe, memorat Braſſauolus.

Quæ diſcrimina ex colocynthidis intempeſtiuo & ſiniſtro vſu ſequantur.

Solenander *in poſtremo ſuorum conſiliorum* fructus colocynthidis Deuffels Apffel (poma Diaboli) appellat. Etſi vero *colocynthis* vehementiſſima purgandi & turbandi vi ꝑdita ſit, vt nunq̃ ſincera & incorrecta vti, correctã vero ſolam vſurpare vixdum liceat, tamen cum præſtantiſſimorum & vtiliſſi-

Colocynthidem, nõ omnino ab vſu medico relegandã propter vehementiã.

liſſimorum remediorũ fabricas multifariam ingrediatur, & correctione exſuperans vis malignitasque admodum retundi & cicurari queat, adeo vt ſæpe vel ſola, ſed correcta, vicem baſeos ſuſtinens, vel vt cæterorum vim acuat, aliis addita, tuto exhiberi queat, non erit prorſus è Republica medica in exilium releganda.

Colocynthidis violentia & virulẽtia.

Sed vt ad vſum ſecuriorem exquiſite corrigatur, inſpiciendæ qualitates noxiæ, quibus naturæ noſtræ infenſa & infeſta ſit. Obſeruatione cõſtat ventriculo, iecori, & cordi admodum nocere, hoc malignitate ſua oppugnare, omniaq; viſcera mirifice diſturbare, ſtomachũ valde concutere; eiusque & inteſtinorum parietes vellicare, arrodere & eradere, vaſorum & venarum oſcula reſerare, cruentos alui fluxus, dyſenterias & tormina concitare, concitataque copioſe deiiciendi præcipitantia ſæpe grauiſſimi & vltimi periculi eſſe cauſam. Hæ itaque maculæ, vt ſecure in vſum veniat, erunt eluendæ, quod aliter atque aliter à veteris & recentioris ſeculi ingeniis tentatum præſtitumque eſt.

Præparatio & correctio.

Cum trituratio correctionis aliquam vim ſæpe importet primo in tenuem puluerem terenda eſt, ne fruſtilla eius hincinde in inteſtinorum labyrinthis obhærentia, vellicent, erodant, & neruoſo genere in conſenſum tracto conuulſiones operentur, vt inhibeatur malignitas, qua cor oppugnat, additur *moſchus, ambra, ſantala, gallia moſchata*; ne epati nimis inſultet, *epatica*. In cæteris *ſupius* frequẽter allegata regula attẽdẽda, videlicet, apertas qualitates purgandi ferociam valde intendentes, eſſe cicurandas & retundendas, vbi accurate diſpiciendum ne *ad hoc perficiendum recipiantur, quæ adſtringendi vi ſunt prædita*, quod vim *colocynthidis* cohibeant, vt à calore natiuo ſerius in actum ducatur, difficilius euincatur, tardius, ſed fortius & violentius operetur, diutius detineatur, & longiore in corpore mora violentiam & virulentiam magis exſerere & imprimere poſſit.

Notandũ

Quamobrem ea, quæ mucilaginoſa lubricitate, & pingui quodam læuore, acerrimam amaritudinem remittere & infringere, inteſtinorum parietes & venarum oſcilla aduerſus eroſiones glutine ſuo munire, & lubricitate ſua ſimul exitum ei promouere poſſunt, in hunc vſum accerſuntur, qualia ſunt *olea roſarum, amygdalarum dulcium, tragacanthum, gummi Arabicum*. Dodonæus *bdellium & maſtichen* propter adſtrictionem, corrigentium cenſu excludit, quod, etſi hæc ventriculum roboret, plus tamen detentione pharmaci violenti noceat, quam corroboratione proſit: *Sagapenum* vero optimũ eſſe eorũ, q̃ *colocynthidis* violẽtiam emendent, arbitratur, quod oblinendi & lentore læuoreque ſuo inteſtina aduerſus eroſiones violenti pharmaci muniendi poteſtate valeat, inteſtinis ſit gratum, nec intus cohibeat, ſed quia mediocri etiam purgandi vi polleat, exitum eius iuuet.

Sagapenũ eſſe appropriatum corrigens colocynthidis.

Pro

Pro exemplo & teſtimonio adducit *pilulas Iliacas* Rhaſis, quæ *diagridio*, *colocynthide*, & *ſagapeno* conſtant, quorum etiamſi ex violentiſſimis parentur pharmacis, exorbitans vis ita à *ſagapeno* refrænatur & corrigitur, vt minori moleſtia ac maiore benignitate operationem ſuam edant quam alterius generis pilulæ, quæ non adeo acuta purgantia, neque in tanta doſi contineant, ſed maſtichen & alia adſtringentia pro correctione recipiãt. Mercurialis ait, *colocynthidem* additis, vt corrigatur adſtringentibus, furioſam vim acquirere: *quod omnibus vehementer purgantibus accidere veriſimile eſt*. Pilularum Rhaſis deſcriptio *libro 9. ad Almanſ. capite* 71. talis exſtat.

Pilulæ Iliacæ Rhaſis.

℞. *colocynth.*
ſagapeni ana ℥ x.
ſcammonei ℥ iij. *Fiant pilulæ.*

Paracelſus in conſilio ad arcendam colicam ſuas hinc videtur mutuatus.

Pilulæ ad colicos dolores Paracelſi.

℞. *ſerapini* ℥ ß. *diſſoluatur per acetum, coletur, inſpiſſetur in modum tenacitatis, & adde*
Troch. alhandel ℥ iß.
ſpecier. hieræ picræ ℥ j.
lithontribon ℈ j.
diagrid. ℈ j. gr. vj.
ſalis gemmæ ℈ ß. Miſce.

Meſue poſt fricationem cum *oleo roſato, in quo maſtiche ſoluta ſit, addita æquali parte laudani format pilulas*, aut *mucilagine tragacanthi imbutam exſiccat, denuoq; comminutã, & cum oleo roſarum, in quo maſtiche ſoluta ſit, effigiat trochiſcos*; idem *aquæ mellis* infundit.

Infuſum pomi colocynthidis ex Aetio.

Aetius *Tetrabil. 3. ſerm. 2. c. 8. pomum colocynthidis perforat, ſuperne, eiectoque ſemine, id quod tomentoſum eſt, retinet, vinum vetus dulce per noctem infundit, mane colatum* exhibet icterico aut flaua bile abundanti. *Serm. 4. cap. 1.* ad curationem iſchiadis idem repetit, & *diagridii elleborive* grana adiicit. Ibidem quoque ex *pomo colocynth. euacuato & per noctem oleo repleto, quo effuſo, cum aqua & oleo in ollam confundit, coquit, dum flacceſcat, liquorem excolat, & oleo feruido micaque panis additis pilulas præparat.*

Aetii præparatio.

Fallopius grana decem *pulpæ colocynth.* exhibet cum *cinamom. ſeſel. amyli ana* gr. iij. *moſchi* gr. 1. acuta iſta aromata addere, non ſuaderem, vel amyli pondus augerem. Alii exhibent & corrigunt cum *decocto paſſularum* vel *oleo amygdalarum dulcium*, vel *iure pingui*, quibus etiã labem, ſi qua impreſſa eſt, eluunt. Quidam tenuiter tritam & *oleo amygdalarum* dilutam cum *tragacantha* in trohiſcos redigunt. Recentiores *pulpam triduo fricatam oleo roſato, ſubinde affuſo, cum mucilagine tragacanthi, gummi Arab. bdellioque, aqua roſarũ, extracta, formãt trochiſcos, quos ſiccatos & comminutos eadem mucagine adiecta denuo reformant.* Hactenus veterum potiſſimum præparandi modũ inſpeximus, neoterici, & in his Chymici ad extractiones menſtruorũ affuſione procedunt. Verum vt fatear, ꝙ vidi, & obſeruaui, *nulla colocynthidis melior præparatio, quam qua amaritudinẽ*

Quomodo neoterici & chymici corrigant & præparent colocynthidem.

exuit,

Qua ratione colocynthis conuenienter purgandi ſeruata virtute, omnẽ violentiam & virulentiam deponat, & pulſa amaricie dulcedinem acquirat.

exuit, & cum ea omnem pene violentam & naturæ inimicam vim deponit, ſeruata nihilominus virtute *à diſtantiſſimis partibus craſſa & glutinoſa ſine omni moleſtia expurgandi, & hydropicorum aquas ſecure extrahendi: hæc autem perficitur diuturna infuſione pomi colocynthidis in fruſta diſcerpti, donec colliqueſcat & quaſi putreſcat, qua ratione videtur* non tantum corrigi, ſed veram ſuam & ad vſum idoneam maturitatem acquirere. Vti enim meſpila, acerbitatem deponunt, & eſculenta fiunt, cum putreſcunt, ita *colocynthidis* ſubſtantia, ſi affuſa aqua, vel vino, vel vtriuſque æquis partibus diuturna maceratione colliqueſcat, ſoluatur, & quaſi putreſcat, eam induit naturæ benignitatem, vt exuto amarore dulceſcat, & ſeruata vi purgandi innoxia, ſatiſque forti, omnem naturæ inimicam qualitatem deponat, veramque ad vſum maturitatem acquirat. Immatura *colocynthis* vim veneni & furioſam purgandi facultatem poſſidet, maturior & ſole magis percocta miteſcit, tandem infuſa & diuturna maceratione ſoluta intenſiſſimam acerbitatem cum dulcedine permutat, & ad vſum ſecuriorem vere matureſcit. Illud obſeruare cœpit Quercetanus; ait enim trium ſeptimanarum maceratione & digeſtione *colocynthidem* amittere totam acrimoniam, & protracta longius digeſtione dulceſcere.

Verum enim vero vti *ſuperius* annotatum, ea, quorum vis in acri & ignea conſiſtit ſubſtantia, nec corrigenda, nec extrahenda *ſpiritu vini*; & iis menſtruis, quæ ſimili vi prædita, eorum potius effrænatam vim & malignitatem intendere & exaſperare, quam remittere valeant. Quamobrem *colocynthis*, quæ ignea & aduſta terreaque ſubſtantia conſtat, nequaquam *ſpiritu vini* extrahenda, nec *oleo cinamomi* corrigenda, etiamſi *oleum nucis muſcatæ expreſſ. vel maſtichis* non inepte addatur. Rectius maceratione prolixiore in æquis *aquæ & vini Rhenani* partibus, vel *ſero lactis, decocto paſſularum*, aut *maluatico* tabefacta, ſoluta, colliquata & iam dulceſcens exprimitur, & liquor expreſſus depuratus, in formam ſyrupi paulatina coctione redigitur, vel appoſito alembico in leni balneo ad liquidioris extracti conſiſtentiam euocatur menſtruum affuſum. Atq; hæc vera eſt *colocynthidis* præparatio, quæ cum primum à Medico quodam mihi ſanguine iuncto communicaretur, vidi ipſum liquoris, in quo infuſa & expreſſa erat *colocynthis* vnum vel ſeſqui cochlear, aut duo cum *hydromelite* vel *iure pulli*, cui macis & *aniſum* incocta erant, optimo cum ſucceſſu hydropicis propinare.

Colocynthis nequaquam ſpiritu vini extrahẽda.

Vera colocynthidis præparatio & correctio.

Neque hic grauabor communicare deſcriptionem ſyrupi diacolocynthidos, cuius vſus eſt probatiſſimus in Iſchiade & articulorum doloribus, & hydropicorum aquis educendis, & cerebri neruorumq; malis pertinacioribus.

Syrupi diacolocynthidos deſcriptio & vſus ad arthritidem & hydropem alioſq; pertinaces morbos.

℞. turpethi gummoſi,

pulpa

pulpæ colocynthidos ana ℥ jß.
fol. ſinæ Alexand, mundat. ℥ ijß.
epithymi,
fumariæ,
ſcabioſæ ana p. jß.
Cinamo. interior.
Zinzib. ana ℥ jß.
Garyophyllor. ℥ j.
maſtichis ℈ ij.

Affunde aquæ fumariæ partes duas, cinamomi partem vnã, macerentur horis viginti quatuor in calid. B. M. dein colentur ſine forti expreſſione, & ſpeciebus nouas affunde aquas, donec omnem tincturam extraxerit, tincturas miſce & per chartam tranſcola, donec fæces & viſcoſitas omnis ſeparata ſit, dein adde ſacchari albiſſimi p. ij. *ſyrupi roſarum ſolutiui vncias aliquot, coque in leni balneo, & deſtillando dein ſepara liquorem ad conſiſtentiam ſyrupi,* cuius doſis ab ℥ j. ad ℥ ij. vel in robuſtis ad ℥ ijß.

Vſus ſeminum colocynthidis. Magna Medicorum pars opinatur, pulpam duntaxat ſecure in vſum recipi, verum Lobbelius teſtatur, ſe *ſemina colocynthidis* maiore exhibuiſſe doſi, quam *pulpam*, ex quibus operatio melior, minori cum moleſtia & maiore vtilitate ſubſecuta ſit.

Extractum ſemin. colocynthidos.

♃. *granor. colocynthi. tuſorum.* ℥ iiij.
aq. vitæ rectificatæ ℔. j.
Aloes ℥ ij.
ſcammon. ℥ j.

Macerentur grana in aq. vitæ trib. diebus, fiat fortis expreſſio, imponatur lento igne, donec ferme euaporarit: dein adde cæteros pulueres, ſemper agitando, donec fiat maſſa. doſis gran. x. ad xv.

Tabernæmontanus adſtruit, *Colocynthidem*, quæ in Germania naſcitur, propter cœli ſolique temperiem, minus violentæ eſſe naturæ, eiuſque vſum ſecuriorem, cuius pulpam vino infundi iubet per horas quinque & expreſſum aſſumi.

Clyſteria ex colocynthide quib. morbis proſint. *Colocynthis* commendatur clyſterum iuſculis incocta, ſi inter coquendum duplici linteo incluſa fuerit, additis dein oleis, ne exulcerare queat, atque ſic recte vſurpatur in morbis cerebri frigidis, vt apoplexia, & ſoporiferis affectibus, in dolore coxendico, paralyſi, neruorum reſolutionibus, dolore colico ex vitrea craſſaque pituita & in hydrope.

Coxarum & articulorum affectibus ſecundum omnem vſurpandi modum prodeſt. Secundum omnem vſurpandi modum in podragricis affectibus & coxarum doloribus, videlicet infuſam, exhibitam, & applicatam prodeſſe docet Meſue.

Pomum colocynthidis ſolo odore purgans. Inueniuntur, qui peculiari naturæ proprietate aut teneritudine & facilitate ſolo odore *colocynthidis* aut cõtrectatione aut verſatione in manuũ volis diuturniore, ſufficienter purgantur, quibus inſeruit pomum à Rhaſe hoc nomine concinnatum.

♃. *aloes,*
mirrhæ ana ℥ j.
eſulæ,
colocynthid. ana ℥ jß.

excepta ſucco coriandri fiant poma duo, quæ manibus tractantur vt calefiant & halitus excipiatur naribus. *Oleum colocynthidis* capillis caneſcentibus ni-

Vu grorem

grorem inducit, auribus inſtillatum tinnitus diſcutit, doloreſq; permulcet vmbilico cum *felle bubalo* illitum interaneorum vermes necat. Decocto ex aceto ſi colluantur dentes dolorem componit. Scabiei cum aceto affricta morpheæ, lepræ & elephantiaſi medetur. Balneum pedum ex *colocynthide* additis matricalibus & aromaticis herbis menſes ſuppreſſos reuocat.

Externus colocynthidis vſus.

Balneum pedum menſes prouocans.

Superſtitioſa videtur eſſe curatio, qua aſſerunt, tria grana *ſeminis colocynthidis* à collo ſuſpenſa curare tertianam, quatuor vero quartanam.

Olei diacolocynthidos ad colicum cruciatum à vitrea pituita, & eius, quod verminationem extirpat, deſcriptionem vide apud Quercetanum *in pharmacopœa dogmat. cap. 17. de clyſteribus.*

CAP. XXXIV.

Euphorbii qualitas, vires, & correctio; cerebro neruoſo generi, eorumque affectibus frigidis operam ſuam dicauit. Craſſam inde pituitam, vti & ab articulis trahit; ad colicum dolorem, peſtem & paralyſin mirificæ virtutis præſidia ex eodem conformantur. Cephaleæ iuxta Aetium ſpecifice medetur.

Quid ſit Euphorbium.

EVphorbiũ iuxta Dioſcoridẽ *eſt liquor concretus & gummoſus ex arbore Lybiæ, ſpeciem ferulæ referentis*, vel vt Plinii fi des habet, ex *herba ferulacea profluus, cuius folia eminus vulnerata torrentius effundunt lacteum liquorem, halitum eructantem acerrimum, dum effluit, à quo lectores ſibi ſtudioſe cauent.* Herba vero, an planta ſit, & an ferulaceã referat formam (ſiquidem non conuenit cum illa traditus auctorum icon) item quo Africæ loco proueniat, diſpiciendum relinquo apud rei herbariæ ſcriptores vide Scaliger. *excert*, 181. Dodonæum, Lobbelium, Matthiolum & cæteros.

Nomen ab Euphorbio Medico Iubæ, regis Lybiæ, patris Ptolomæi primi, vtriuſque Mauritaniæ regis, inuentore obtinuit. Vulgus cereum Peruuianum nuncupauit. Inter cæteros concretos gummoſos & reſinoſos liquores omnium calidiſſimũ & penetrantiſſimum eſt, adeo, vt quartum calliditatis & ſiccitatis gradum plene attingat, & cauſticę ſit potentiæ. Non niſi annotinum, aut quod ætatem vnius anni ſuperarit, intus vſurpandum. Totis quatuor annis conſiſtere integris viribus, & ex hoc ſenſim elangueſcere putatur. Alii virtutem eius ad annos quadraginta & plures perdurare aſſerunt, quod experientia comprobat. Quo vero annoſius, eo ad vſum tutius. Vetuſti omnem vim demum reſolui, cenſet Galenus *lib. 3. de compoſ. medic. ſecund. gene. c. 4.*

Euphorbii qualitas & vires.

Virtus eius eſt penetrare, rubefacere, abſtergere, inflammare, vrere, vlcerare, vſus eſt internus vel externus. Hauſtum craſſam pituitam lentamque

urgandi cultas in phorbio enua. tamque validiſſime trahit ab articulorum commiſſuris & interſtitiis, compaginumq; cauitatibus, & ipſis artubus, à cerebro & neruoſo genere, quod ab infarctu & abundantia frigidarum & viſcoſarum ſuperfluitatum fundendo, exſorbendo & conſumendo ſi vllum aliud, potenter & proprie liberat. Stomachum & ventriculum à tenaci phlegmate rite purgat. *uibus ectibus uſit.* Proinde in apoplexia, comate, caro, catoche, veterno, paralyſi omnisq; generis ſoporiferis & frigidis cerebri neruorumque reſolutionibus, conuulſionibus & tremoribus intus & extus exhibitum, & adhibitum eſt remedium præſentiſſimum. *d cerebri neruorũ ſopori- ros affe- us.* Et quia ab articulis craſſos ducit humores, multus & probatiſſimus eius in morbo gallico eſt vſus. *d luem ener.* In articulorum nodis doloriferis & apoſtematibus (vti vulgus nuncupat) ambulatiuis præſentaneum eſt. *Ad morbos ticulorũ.* Ad colicum cruciatum à craſſa & vitrea pituita euidenter & celeriter iuuat, *Ad coli- um dol.* potiſſimum cum ventriculi & inteſtinorum tunicæ & interſtitia ſint oblita & inuiſcata. *Ad hydro- m.* Hydropicorum quinetiam aquas ſtrenue & vehementer educit. *Ad peſtem.* Peſtis virus certo modo præparatum expellere creditur, cuius inuentionem Paracelſici in ſuum magiſtrum referunt.

Noxa eius. Circumſpecte per omnia eius vſus eſt ineundus, quod fauces inflamet, interiora vellicet, vrat & arrodat, ſtomachum & epar mirifice laceſſat, adeo vt ſudorem frigidum, ſummam cordis anguſtiam, & demum ſyncopen concitet, vti fauces ſuperiores ita & inferiores ſeu podicem, transeundo adurit, omnesque, per quos dilabitur, inteſtinorum anfractus, igniculat, verrit, & demum exulcerat. Proinde vt hæc mala declinentur, eiusque cum ſecuritate & ſucceſſu non infœlici vſurpatio fiat, de variis correctionum modis cogitatum eſt, quorum plerisq; id aſſecuti ſunt, vt bonis ægrorum rebus rite exhiberi queat. Primam correctionem in comminutione & trituratione ponit Meſue. Non in pollinem, ſed fruſtula ſaltem puluerulenta redigi debet, ne nimis inſinuetur & penetrantius ſeſe in villas inteſtinorum & viſcerum meatus ingerat. *Præparatio & correctio euphorbii.*

Quidam ſimpliciter cum *oleo amygdal. dulcium* in paſtam redigunt, quam in furno coquunt, alii eandem in *aceto* inſuper ſoluunt & per manicam exprimunt. Manardus *euphorbij, maſtichis, tragacanthi ana p. a. obducit paſta & coquit in fornace, & ex ea format pilulas.*

Serapio inquit, *rectificatio eius eſt, vt non teratur multum & miſceatur bdellio, aut ſucco liquiritiæ & illinatur oleo roſarum vel amygdalino.*

Meſue rectiſſime omnium aſſerit, eius correctionem conſiſtere in his, quæ acrimoniam obtundunt, inflammationem exſtinguunt, & lubricitatem ei conciliant. Proinde in *oleo amygdalarum maceratum fruſtis citri inuoluit, ac paſta inſuper obductum in*

Vu 2 clybano

Euphorbiũ ſpiritu vini non eſſe extrahẽdum.

clybano coquit. Atq̃ue illa optima eſt euphorbium præparandi ratio, vt mirari ſubeat, qua fatuitate quidam magni nominis Medici, & nonnulli inter chymicos, qui de horum primatu ſunt anxii, intenſiſſime calidam rem calidis corrigere, & menſtruo calido acutoque extrahere ſatagant. Etſi n. *euphorbium* Heurnio dictatore in *aceto* ſolutũ trãſcolatum & aqua roſarum lotum fuerit, nihilominus ſi affundatur ſpiritus vini ad extractionem, quicquid per *acetum & aquam roſarum* edomitum ſit ignis, id per eius affuſionem neceſſario reſuſcitatur.

Quocirca Quercetanus cum hunc per Spiritum vini extrahendi modũ *in lib. de ſpagirica medicamentorum præparatione tradidiſſet*, & poſtea veterum decreta rectius excuteret, in *pharmacopæa ſua dogmatica* illum omittendo, & hac antiquitatis via inſiſtendo ſententiam corrigit.

Chymicorum laudes.

Interim *chymici hoc vnice annituntur, vt videantur nouos ſomniare Parnaſſos, ea, quæ ex veteribus hinc inde fruſtillatim emendicarunt, pro ſuis aut Paracelſi inuentis depræconiantes.* Hanc enim præparandi rationem, qua *euphorbium citri pulpæ miſtum, & paſtæ farinacea obductum in clybano coquitur, ipſamque corrigendi regulam, iuxta quam præterea innumeri coctionum modi proferri poſſunt, non ipſe ſed Meſue & veteris ſeculi ſapientia prodidit, & neq; Quercetanus, nec chymicorum quiſquam demum inuenit.* Proinde ad amuſſim *ſuperius* adductam præparatum recte ſoluitur in *ſucco limonum* [non in ſpiritu vini, vti volebat & tradebat in *lib. de ſpagirica præparatione*] vel *granatorum acidorum, cydoniorum, pomorum acidulorum ſpiritu vitrioli tinctorum, & percolatum euaporatione inſpiſſatur.*

Natura corrigens euphorb.

Et adhuc magis admirandum, mirandosq́ naturæ penitioris ſcrutatores, quales ſeſe Paracelſi ſputa lingẽtes iactitant, non in ipſo antieuphorbio, eam, quam natura vniuerſalis produxit, correctionem inquiſiuiſſe & inueniſſe. Vti enim eo Peruuiani & locorum, quibus prouenit, indigenæ noxas ab *euphorbio* impreſſas tollunt & ſanant, ita reuera ad eius præparationem nihil vtilius proferri vel excogitari poteſt, quippe quod natura ipſa ſine doctore docta, edidit & prodidit. Et quamuis hoc deſtituamur, tamen cum *portulaca* ipſum *antieuphorbium* qualitate & viribus maxime æmuletur, & proxime cum eo cõueniat, cur non *euphorbium* prius *oleo roſarum vel amygdalino maceratum paſte. Dein citriata inuolutum & percoctum cõmode aliquo temporis ſpacio ſucco portulacæ infundatur*, & *percolatum inſpiſſetur in trochiſcos.* Cur non rectius cum *ſucco portulacæ inſpiſſato*, q̃ cum re alia exhibetur? Neque eſt, quod tantopere formidemus, vſum *euphorbii* intrinſecum, quod etſi prioris anni menſibus ſit veneni loco, tamẽ iſte feruor cum tempore exſpiret, & in noſtris officinis aſſeruatum, non ſit adeo recens, neque nouum ſemper ad nos deportetur. Vidi ipſius vſum ſatis innoxie frequen-

frequentatum, & ruſticis robuſtisque corpoıibus puluerem eius ℈j. pondere cum euidenti ſucceſſu, cæteris nihil proficientibus ſæpius exhibitũ fuiſſe. Notum pręterea eſt, vehementer acria, &, quæ exterius quidem rubrificandi & veſicandi vim habent, nō ſtatim aſſumpta interius eandem exſerere poſſe, cuius rei exemplum in *ſinapi*, aliisque ſimili poteſtate, ſi exterius interiusque adhibeantur & ſumantur, videre eſt. Sumpta enim calore natiuo intus robuſtiore ſubigũtur, aliisque benignioribus remiſta minus operantur ad læſionem, vt docet Galen. *lib.3. de temp.*

Euphorbium itaque annoſum cum ſola peccet acrimonia, & occulta formaliq; veneni proprietate non ſit affectum, tuto aſſumi poteſt, maxime ſi præparetur. Etſi enim duabus vel tribus dragmis enecet, nunquid & *piperis* magna quantitas aliorumque tertii gradus calidorum copia ſumpta idem patrabit? Incorrectum neutiquam aſſumi velim, quamuis cum *aqua hordei* & *ſyrupo violarum*, aut *iure ſimplici*, abſque vlla præparatione alia frequenter robuſtioribus naturis bono rerum euentu exhiberi viderim.

Pilularum de euphorbio virtus. Ex euphorbio formantur pilulæ auctore Meſue, quæ neruorum reſolutioni, tremori, ſpaſmo, paralyſi, articulorũ dolori, iſchiadi & podagræ atque hydropi conueniunt, ſed caute & non niſi viribus conſtantibus exhibendæ. Harum pilularum vehementiam, qui reformidant, *Electuarium euphorbio.* electuarium parant ex *euphorbio*, *oleo amygdalarum macerato* & *cum ſucco liquiritia & manna permixto*, addito *Rob ſambuci* vel alterius generis. Tale deſcribit Manard. *lib.16. epiſt.5.* ad tumores artuum in lue Venerea erumpentes. Recentiores enim euidentem eius virtutem in curatione luis Gallicanæ obſeruarunt, & Braſſauolus teſtatur, quod aſſumptum magnam pituitæ copiam per ſaliuationem euehat. Auicenna duum generum pilulas ex *euphorbio* præparat *lib.5.c. de pil.* vnum ꝓprio nomine, alterum *pil. de ſcythargi* maiores nuncupat. Ingreditur etiã cōpoſitionem *pilularum fœtidarum maiorum & Alkindi* apud Auicennã *loco cit.* Aetius ſequens pharmacum arthriticis exhibet, ℞. *euphorbii* ℈ iß. *caſiæ* ℈ j. *chamæleont. nigr. chamæleæ, radic. pæoniæ ana* ℈ iij. *aniſi, zinzib. cumini, maſtichis, floris cnici, piperis ana* ℈ viij. *hermodactylor. ana ſextantem.*

Rondeletius in *meth. curand. morb.* ad dolorem colicum elegantes præparat pil. ℞. *ſpecier. diagalang.* *Pilulæ dolorem colicum præſtantes.*

aromat. roſat. ana ʒ ij.
caſtorei ʒ ß.
euphorb. gr. x.
opii diligentiſſime contuſi cum piſtillo ferreo calido diſſolutique in vino maluatico ʒ iß.
piperis,
croci,
mirrhæ ana ℈ ß.

Formentur pilul. 10. ex ʒ j. dentur ſex aſcendendo ad ix. vel x. ſimile electuarium eiuſdem ad colicum dolorem

ſem reperire eſt *lib. de medic. intern.* vbi de colicis & arteriacis agit.

Quercetanus in pharmacopœa reſtituta pilulas ex *euphorbio* contra omnis generis febres chronicas, quartanas, cachexiam, hydropem, paralyſin & colicos dolores præſcribit conſtantes *euphorb. ſpica, maſtiche, opopanaco, ſagapeno, bdellio, agar. trochiſcat. Trochiſc. albandel. cum ſyrup. violar.*

Paracelſici fures.

Sunt, qui ad peſtem ex eodem remedium non contemnendum præparent. Et *hic Paracelſici ſe tanquam noui inuentores furtiuis ornant plumis*, quod iam dudum commendatum & adornatum id ſit contra huius virulentiam à Gentile. Georgii Phædronis Antidotus circumfertur talis

Electuariũ ex euphorbio contra peſtem.

℞. *euphorbii,*
mirrhæ elect.
thuris candidi ana ℥ ij.
Tragacanthi ℥ j.

Trita inuoluantur maſſæ panis, & coquantur in furno, donec panis perfecte coctus ſit, refrigerato pane iterum comminuantur, eisque admiſceantur

corall. rub. præparat.
ſuccini præpar. ana ʒ ß.
vnicornu veri gr. vij.
opii ℈ iß.
moſchi gr. iij.
croci ℈ ß.

Contra paralyſin hydroticum ex euphorbio.

Cum ſ. q. ſyrupi de acetoſitate citri fiat maſſa electuarii, cuius doſis pueris ℈. j. adultioribus ℈ iß. cum aqua conuenienti; quo ſumpto, eliciatur ſudor. Si omittatur *opium & ſyrupus citri*, quid ni appoſitum ſit hydroticũ ad paralyſin. Quercetanus eodem ſtylo & filo ductus pil. de euphorbio contra peſtem deſcribit in *Pharmacopœa dogmatica.*

Antidotus podagrica Aetii *Tetrab. 3. ſerm. 4. c. 47.*

Antidotus podagrica Aetii ex euphorbio.

℞. *aniſi,*
cumini Æthiop.
piperis commun.
longi,
ſem. cnici interior. ana ℥ ij.
euphorb. ℥ iiij.
maſtich. ℥ vj.
mirrhæ ℥ iiij.
moſchi ſiliquam vnam,
caudæ ſtinci extremum,

Ex hoc præterea & ariſtolochia, chamæd. centaur. gentiana, cinere cancrorum, thure, hyperici coma, phu agarico, & myrrha ſimilia fiunt.

Quod philoniis pro *opÿ* correctorio miſceatur, notius eſt, quam vt hic referri debeat.

Naribus immiſſum violenter & ad hæmorrhagiam prolicit pituitam, & ſternutationes indeſinentes excitat, quamobrem ſyncere & incorrectum ad hoc vſurpari non debet. Sequens commendatur.

Errhinon efficax.

℞. *lapid. magnet.*
carabe ana ℥ j.
hæmatit. ℥ ß.
ſucci nicotianæ veræ ℥ iij.
maioranæ ℥ ij.
betæ rubeæ ℥ jß.
pul. euphorb. ʒ ß.
miſce pro errhino.

Aetius naturali quadam proprie-

tate

ꝓprieta- quadam ducit hemi- niam.

tate cõducere ad hemicraniã,docet, ſi ex *euphorb.* ℥ j. *ol.dul.* ℔. j. *& cerà quadrantes. vnguentũ*, quo frons & latus dolens illinitur, & ſimul *oleum tepidum cum modico euphorbii* in aurem inſtilletur. Tritum cum *aceto* ſi dextrum tempus dolet, ſiniſtrum illinatur. Prodeſt magnopere in cephalea à cauſa frigida.

In omnibus neruorum neruoſarumque partium vitiis, à frigida cauſa oriundis, vti cõuulſione, tremore, paralyſi, artuum doloribus, in morbo gallico & Iſchiade optimum eſt remedium, ex alto quippe trahit neruiſque imbibitas humiditates conſumit. In his & comatoſis affectibus nuchæ cum *oleo ſpicæ* affricatur. Auicenna dictatore ſi vterus grauidæ illinatur, adeo arctè clauditur, vt haut facile abortum committat. Collyriis ad oculorum fluxiones & ſuffuſiones & pelliculas remouendum miſcetur, ſed ſumma hic opus cautione. Aurium tinnitus & dolores tollit.

fluxio- oculo- rum.

Quia neruis ſuam operam dicauit, eorum contuſioni, inciſioni & vulneribus adprime prodeſt.

neruo- inci- es, pun- ras & lnera.

Ad punctiones neruorum Galen. commendat *terebinthinam cum modico euphorbii vel ſagapeno* & vſitatum refert eſſe emplaſtrum, quod fit ex *reſina, euphorbio, cera & pice lib. 6. meth. cap. 2.* de cuius recta & rationali compoſitione vide Gal. *lib. 3. de compoſ. med. per genera c. 4.*

alope- m. ſcabiẽ lignam.

Euphorbium alopeciam ſanat, & menti glabritiem in ſyluam vertit, ex *aceto* illitum morphæã & capitis ſcabiem malignam perſanat. Oſſium ſquamas vno die extrahit, à vipera demorſis ſi inciſa capitis cute ad os vſq; inſuatur, perſanari & liberari ægrum tradit Serapio.

Cap. XXXV.

De vulgari Braſſica & marina, quæ ſoldanella dicitur: de huius natura & viribus, veteres perperam illi vehementis & virulentæ facultatis exorbitantiam aſſuerunt, moderna ætas benignam experta eſt. Et fiunt ex illa præſtantiſſima ad ſeroſos humores euacuandum remedia.

VEteres, qui malignum & naturæ humanæ aduerſum genium aſſignarunt braſſicæ marinæ, quam hodie vulgo ſoldanellam vel ſoldanam nuncupamus, braſſicæ vero cuiuscunque generis eſculentę, ſeu criſpę, capitatæ, albæ, vel nigræ vim ſalutarem qua incolumitas noſtra muniatur, & morbi pene omnes arceantur, adſcripſerunt, & in eduliorum maxime ſalubrium claſſe vna cenſuerunt, videntur aut pro ſolis ſoliq; ſui indole tale earum experimẽtum percepiſſe, aut ſeculi errore nondum vlteriore experientia donati ſic ſenſiſſe & ſcripſiſſe. Quid enim eſt, quod Chryſippus Medicus de *braſſica* ad omnia corporis mala, vſu, tanquam

panacæa

panacæa, & ſalutis noſtræ vniuerſali præſidio & propugnaculo integrum conſarcinarit volumen, aut enim iſta huius plantæ vis exoleuit, aut noſtra eiuſdem turpis proſtat ignorantia. Multis ob id annis Medici Roma exſulaſſe dicuntur, quod

antiqua caperent ſimplicitatis olus,

Et ſola braſſica ſibi ad omnes morbos medicinam facerent. Miſeranda fuit iſtius ſeculi conditio, & immanis barbaries, quæ ſalutarium totius naturæ ſtirpium, & remediorum repudiato theatro & theſauro, ex vna eaque præ cæteris viliore planta victum & incolumitatem quæſiuit. Quod priſci, antequā ad fruges peruentum eſſet, glandibus victitarunt, id nos relictis melioribus obſoniis, vt ad porcorum pabula redeamus, compellere, aut iis vim alimentalem vel nutritiuam, dapibus noſtris meliorem adſcribamus, adducere non debet.

Lipſius Weſtphalis iniuriā & immerito contumeliam fecit.

Splendidam videtur iniuriam Lipſius feciſſe Weſtphalis, qui cum ignotus hominumque locorumque forte fortuna caſa gentis ruſticanæ, pro hoſpitio vſus, quod braſſica nigra confecta agreſtium edulium ſeu olus iurulentum (virulentum putarat) appoſitum eſſet, toti nationi barbariei & inhumanitatis notam affricare, cuius tamen eum poſtea pænituit, non veritus eſt. Diuertiſſet præterita aurigarum, lixarum & calonum taberna, vel neglecto pauperum tuguriolo, in hoſpitium viatoribus nuncupatum ſolenne, quo & magnates, & de plebe digniores confluunt, quali nec regio, nec Oldenburgenſe oppidum deſtituuntur, & ſplendidiore apparatu ciuiliusq; exceptus habitusque eſſet. Hi cum Philemone & Baucide pauperculi, quod ſuæ fuit fortunæ, tanto Deo appoſuerunt, ad quos cum dii gentium (liceat vti fabulis in re fabulis haut multo digniore) ingrederentur, & illa

-- Quod coniunx riguo collegerat horto *Ovid. Meth.*
Truncat olus foliis: furca leuat ille bicorni
Arida terga ſuis nigro pendentia tigno,
Seruatoque diu reſecat de tergore partem
Exiguam, ſectamque domat feruentibus vndis.

Non inique & pauperum voluntatem & rei anguſtiam tolerarunt moresue agreſtium inconditos odioſius traduxerunt. Tantum ſi cognouiſſent virum, apud quos noctem duriter trahebat Lipſius, anſerem hoſtiam in obſonium cum Philemone & Baucide, quam tamen

Superi vetuere necari,

quippe quod tantum

vnicus anſer erat minimæ cuſtodia villæ,

ipſi immolaſſent. Quid ſi Romam veniſſet Lipſius ea tempeſtate, qua pro Panacæa & Ambroſia, ſeu pro remedio & alimento ſaluberrimo ipſis veniret braſſica, fame viro pereundum fuiſſet, aut ſi cum bono Deo euaſiſſet, quomodo ſuæ literaturæ armamentarium

tarium aduerſus Auſoniorum ſimplicitatem & agreſtia obſonia aperuiſſet? Quod olim Romanis frugalitati laudique datum, id blandientis, moderni ſeculi, gulæ laſciuia, etiam ruſticanis & agreſtibus noſtræ oræ hominibus inuerecundius exprobrare nō veretur. Sed vt eo, vnde præter opinionem excideram, reuertar, nō poſſum, quin braſſicam antiquitatis epulum, & remedium ſummum, hoc ſeculo tantum non valere denuo inculcem. Galen. ad cibos melancholicum ſuccum generantes relegauit *li. 4. de loc. aff.*

[D]e natura [br]aſſica [vul]garis.

Simeon Sethi malum & melancholicum ſuccum procreare, viſum hebetare, inſomniis ſomnum diſturbare; Auicenna, craſſi eſſe nutrimenti, ingroſſare ſanguinem, inflare partes ad ſuperna vſque, nec facile à natura ſuperari, replere corpus dolore, & malum procreare ſanguinem docuit. Et quamuis ſuperiorib. ſeculis vulgus noſtrate cenſuit, quod, quę tunc fuerit Medicorum in iſta regione raritas & agreſtium robur, Medici præſidii raro indigens, ex ſolenni & populari olerum braſſicæ vſu, cauſam traxerit, quamobrē in commune abierit dicterium, *ad frugem opes & honorem nullum peruenturum Medicum*, vbi *vulgi & agreſtium ventres tantis olerum centonibus iugiter ſaginarentur, & ceu vallo omnibus morbis obiecto munirentur*, tamen quotquot medicinam in patria hoc ſeculo facimus, experimur, nullam gentis noſtræ claſſem magis ob-

[...]tor bi Veſtphalorum.

noxiam quartanis, hydropi, cachexiæ, ſcorbuto, hypochondriacis & melancholicis malis, imo dracuntiis, membrorum vagis, & vti vocant, ambulatiuis doloribus, adeoque praua circumfluere cacochymia, quam populi fæcem, iſta fæce toto anni decurſu, ſeu de recepta & auita conſuetudine & frugalitatis amore, ſeu inopia ſæpe, hoc præſertim graſſante belli incendio, victitantem.

Atque vt veteres in braſſicæ laude immodici, nimiis eam virtutibus donatam depræconiarunt, ita viciſſim plus, quam iniurii fuerunt in ſoldanellam ſeu braſſicam marinam, quod eam neminem impune aſſumere, & ex eius vſu plus detrimenti, quam vtilitatis redundare, guſtu amaram eſſe, ſalſuginem præ ſe ferre, præcellenti acrimonia ventriculum & viſcera lancinare, eorumque virtutem & robur depeculari, cum maximo totius diſturbio operationem moliri, vehementiſſime aluum mouere, poſteritati reliquerunt, præterquam quod in tertium caliditatis & ſiccitatis ordinem eorum ſequaces eam retulere.

Veterum erronea de braſſica marina ſententia.

Dioſcorides ait, herbam eſſe ſtomacho prorſus inimicam, acrem, vehementiſſime aluum ciere in cibo coctam, & propter acrimoniam cum pinguiore carne elixari.

Poſt Dioſcoridem, Plinius, Auicenna, & Serapio braſſicæ marinæ meminere, eique vim purgandi aſſignarunt; ſed neuter hydragogæ virtutis meminit; Serapio vermes cæte-

ris braſſicis acrius expellere & necare tradidit.

Soldanella benignum & ſalutare eſt remedium.

Soldanellam vero, quam maiorum,proximorum & moderna vſurpatætas tali carere malignitate, nec corpus tantopere affligere & ſalubriter ad hydropicorum aquas exigendas adhiberi,adeo,vt pueris & imbecillibus tuto exhibeatur, cottidiana teſtatur experientia. Veteribus præterquam quod aluum ſoluat,nihil de hydragoga virtute,quantum quidem liquet ex iis,quæ ad poſteritatē tranſmiſerunt, innotuit. Forte ipſorū ſoldanella ob cœli poſitum & terræ genium eius fuit inſolentiæ, vt per experientiam momentoſius in virtutem illius inquirere veriti fuerint.

Quare fidem ſolertiſſimis artis magiſtris & venerandæ antiqtati nō derogamus. Noſtra vero,cuius in finitimis Holandiæ,Flandriæ, & Zelandiæ inſulis copioſus eſt prouentus,& vſus apud nos frequentiſſimus, benigne & ſine naturæ quaſſatione per aluum hydropicorum aquas, & pituitam educit, proinde eam Braſſauolus Ferrarienſis herbam optimam & mille laudibus dignam eſſe dicit,& Eraſtus in *tom. 4. Antiparacelſico* nunquam in hydropis curatione omittendam, Fernelius eam ſalubriter aquas educere, Foreſtus ſe commode ſemper vſurpaſſe, eaque præceptorem ſuum Elidæum de Paduanis in noſocomio vitæ Bononiæ magna cum experientia & felicitate vſum eſſe prædicat. Pereda braſſicam marinam citra moleſtiam purgare aquas, & epar corroborare (quę duo maxime ſunt neceſſaria ad hydropis curationem) ſua confirmat experientia,quicquid Donatus vel eluſus,vel deceptus,aut veterum credulus contra ingerat.

Gatinaria *cap. 43. prax. med.* inquit, *ſoldanella duas habet proprietates; prima eſt,quod mirabiliter educit aquas; altera, quod corroborat epar à tota proprietate; in quibus vniuerſa hydropis curatio conſiſtit.* Eandem Rhaſes *ſeptimo continentis*,& Nicolaus Florentinus maxime laudant eiuſque ſuccum ad ℥ iij. vel ℥ iij ß. propinant.

Proinde nec tanta violentia formalis proprietatis affecta eſt, nec vltra ſecundum caloris & ſiccitatis gradum aſcendit, quamuis amareſcat, & acrimoniam cum ſalſedine quadam imprimat. In vſum vero trahuntur foliorum puluis, ſuccus recens expreſſus,& ſemen. Sunt,qui ſuccum recens expreſſum commode aſſeruari & citrinas hydropicorum aquas pituitamque egregie ſubducere,teſtantur. Nec rectius,nec accuratius, ſiue pulueris forma, ſiue ſuccum,ſeu è decocto propines, quā *Rhabarbaro* iunctum quod mira proprietate eius conſortio gaudeat, & ſi quid inſolentius inſit, quod tamen omnino exiguum eſſe neceſſe ſit, prorſus coerceat & refrænet,virtutemque ducendi aquas,viſcera roborandi reſerandique dirigat, & moderetur.

Solda… gaude… conſortio Rh. ab…

Decoctione virium non patitur deli-

deliquium. Inter neotericos, qui ad vehementer purgantia ſoldanellam perperam retulerunt, fatentur, cum *aniſo, cinamomo, zinzibere & modico maſtichis, ſaccaro* copioſe remiſto exhibitam abſque omni diſturbio officium facere. Fernelius pulueris exhibet dragmã, & ſucci ſemunciam. Heurnius eadem doſi, ſed cum *Rhabarbaro*, quod ipſum & Matthiolus facere iubet.

Pro decocto M. j. vel M j ß. recipitur, adiunctis *paſſulis & aniſo*, finita coctione exhibetur admiſto *Rhabarbaro* vel *Speciebus diaturbith*, *cum Rhabarbaro*. Platerus *Soldanellæ puluerem* à ℥ j ß. ad ℥ ij. præ cæteris vſitatum eſſe remedium dictitat. Braſſauolus puluerẽ cum *iure* vel *ſaccaro* à ℥ ij. ad ℥ iiij. ſucci vero ipſius ſemunciam, propinat nec veritus fuit pueris ad ternos quaternosue ſcrupulos, vel in pilulas redactam ad ℥ ij. exhibere.

Pereda etiam ſupra ℥ ij. pondus ſe aſcendiſſe affeuerat.

Leonhartus Iacchinus *in comm.* lib. 9. Rhaſis *cap.* 52. pulueris ℥ ij. cum vino vel mulſa exhibet, ſuccum vero ab ℥ iiij. ad ℥ vj. quæ doſis iuſtam videtur excedere menſuram, qua decoctum tutius vſurpari arbitrarer.

Peucerus in praxi medica ſequentem producit puluerem.

℞. *abſinthii*,
eupatorij Græcor.
ſoldanellæ ana ℥ ij.
ſpicæ ℈ ij.

Miſce: datur dragma vna cum aqua Sambuci vel ebuli. Eandem formulam ſe accepiſſe à præcaptore ſuo Benedicto Fauentino ſcribit Foreſtus.

Puluerià

℞. *ſoldanellæ* ℥ j ß.
turbith ℥ j.
Rhabarb. ℥ ß.
zinzib. ℈ j.
ſacchari ℥ j.

Fiat puluis ſi *eſulæ præparatæ* tantillum adiicias, validum fiet, vel:

℞. *ſoldanellæ* ℥ ß.
cicadarum ℈ j.

Miſce: detur cum iure quodam, efficaciſſimum eſt.

℞. *ſoldanellæ* M. j.
paſſularum mundatarum ℥ j.
aniſi ℥ j *fiat decoctio in iuſculo galli*, *colaturæ adde ſyrupi de fumaria* ℥ j.
electuarii diaturbith ℥ ij. *fiat potio.*

℞. *ſoldanellæ* ℥ j ß.
Mezereon ℥ ß.
ſem. aniſi,
carui,
fœniculi ana ℥ j ß.

Bulliant in vino Rhenenſi, ſtent per noctem infuſa, mane colaturæ fortiter expreſſæ.

recipe ℥ iiij.
ſucci ireos ℥ vj.
miſce f. hauſtus.

Wierus hoc vſurpare ſolitus eſt, quod ſequitur.

Eximia ad hydropem remedia ex ſoldanella.

℞. *fol gratiolæ* ℥ ß.
ſoldanellæ ℥ j.
ſem. aniſi ℥ ij.
paſſul. enucleatarum ℥ ß.

Potiones. *Bulliant cum vino ad remanentiam ℥v. liquor expreſſus detur.*

℞. *ſoldanellæ ſplendidiſſimæ ℈ iiij.*
Gratiolæ ℥ iij.
paſſul. enucleatar. ℨij.
cinamomi,
aniſi ana ℨ ß.
ſchænanti ℈ j.
ſpicæ ℈ ß.

Coquantur in vini & aquæ ana ℥ iij ß. ad medietatem colaturæ adde ſyrupi de ſucco ſcordei ℥ j.
olei carui gut. iij.
f. hauſtus.

Syrupus. Syrupus Hieronymi Montui.

℞. *ſoldanellæ ℥ j.*
ſucci Ireos ℥ x.
ſyrup. de quinq; radicib. ℔ j.

Cum aqua endiuiæ & fœniculi fiat ſyrupus longus. doſis ab ℥ ij. ad ℥ iij.

Electuarium. Electuarium Reſeri.

℞. *braſſicæ marinæ ſubtiliter tritæ ℥ ß.*
Rhabarb. electi ℨij.
ſpecierum dialaccæ,
diacurcumæ ana ℨj.
epatis lupi præpar.
limaturæ chalybis cum aceto ſquillit.
pluries lotæ ana ℥ ß. mellis deſpumati q. ſ.

Fiat electuarium, cuius cochlear vnum duabus horis ante prandium & cœnam perinde exhibetur.

Aliud de Soldanella electuar.

℞. *ſucci Ireos ℥ x iij.*
Rad. Galang.
Zedoariæ ana ℥ j.
Garyophyll.
nuc. muſc. ana ℥ ß.
ſoldanellæ ℥ iiij ß.

Terenda pulueriſentur ſubtiliter, & cum ſ. q. mellis deſpumati f. electuarium.

Pilulæ. Pilulæ de ſoldan. Valleriolæ.

℞. *maſ. pil. aggregati maior. Meſ. ℨ ij.*
de Rhabarb. ℨj ß.
pul. ſoldanellæ ℈ iiij.
abſinth. ſicc.
Trochiſc. de Rhabarb. ana ℈ ij.
cinamomi,
aniſi,
ſchœnanti,
maratri ana ℈ j.

Miſce & cum ſucco Ireos recenti f. maſſa.

Tabulæ. ℞. *ſpecierum dialaccæ ℈ ij.*
Iecoris lupi præpar. ℈ j.
ſoldanellæ ℨ ß.
ſpongiar. ſambuci ℈ ß.
Rhabarb. electi ℈ j.
fiſticor. prap. ℈ ß.
rad. rubiæ tinctor. ℈ j.
cinamo. ℈ ij.
ſpodii ℈ ij.

Miſce & cum ſacchari in aqua fœniculi diſſoluti ℥ iiij. fiant rotulæ, quæ epar aperiunt, & ſeroſos humores educunt.

Paſſulæ laxatiuæ

℞. *ſoldanellæ ſplendidæ ℥ j ß. Ireos Illyric. ℥ j.*
Gratiolæ ℨ vj.
cort. median. ſambuci ℨ ß.
aniſi,
cinamomi ana ℨ iij ß.
cort. arantior. ℨ iij.
cumini,
carui ana ℈ ij.

ſchæ-

ſchenanti ʒ ß.
ſpica ℈ ß.
coque in vini & aq. ana ℔. j. *ad medietatem, colatura adde aqua cinam.* ʒ ß. *infunde paſſularum corinth.* ℔. j. *totum imbiberint liquorem in vaſe fictili, repone cum ſaccharo faciendo ſtratum ſuper ſtratum.* datur cochlear vnum.

Extractū ſoldanellæ. Soldanella commode extrahitur *hydromelite* aut *vino Hiſpanico*, *ſero lactis*, vel *aqua agerati*, *& ſimilib.*

Electuarium, quod hydragogum eximium auctor nuncupat, cum *ſemine ſoldanellæ præparatum* vide apud Renodæum *in antidotario lib. 2. ſectione 1. cap. 12.*

Deſſenius Croneburgius *libro 4. de compoſitione medicamentorum* tradit electuarium de ſoldanella, quod ad hydropis curationem plurimum facere ſcribit.

CAP. XXXVI.

Geniſtæ vires & temperies. Seminis ad purgandum potiſſima vis eſt, pituitam & ſeroſos humores extrahit. Lienis obſtructioni, morbo articulari, renum, veſicæque affectibus medetur. Succurrit hydropicis, ſanat ſcrophulas. Eximia ad calculum & arcana proponuntur remedia.

GEniſtam & Spartium vnam eandemque eſſe plantam, putat Dalecampius, ſed negat Matthiolus, & admodum cognatas eſſe ſpecies, forma viribusque haut multum differre concedit.

Vnde habeat nomē. Geniſta dicitur ex eo, *quod facile generet, ſpeciemque propaget.* Flos, caulis, radix, & ſemen ingrediuntur vſum medicum, è quibus illa in ſecundo calidorum & ſiccantium ſtatuuntur ordine, quem hoc excedere, & cæteris omnibus valentius eſſe putatur. *Geniſtæ temperies.*

Vires. Incidit, attenuat, prouocat, pellit, turbat, vomitum citat, & ſurſum deorſumque expurgat. Quocirca ſtomacho & cordi obeſſe fertur, quæ noxa corrigitur, ſi exhibeatur cū *melle roſato*, aut *aqua mellis roſati*, vel *miſtis roſis*, *maſtiche*, aut *ſemine aniſi*, *fœniculi*, *dauci*, & ſimilibus.

Semen habet purgātem vim. Semen, vt plurimum & flores in vſum veniunt. Illud educit pituitam craſſam & bilem, & aquas per vomitum, & ſeceſſum, cum quadam vehementia, quapropter veteribus hellebori vicem ſine periculo ſupplere dicitur, quod tamen peculiariter de ſpartio Dioſcoridis vel Hiſpanica geniſta intelligendum eſſe cenſeo, cum noſtras abſq; magna ſtomachi & viſcerum quaſſatione aut naturæ violenta ad ſuperna turbatione operationem edat, & ſi quem forte vomitum mouet, is benigne procēdat. Flores recentes in acetariis & etiam capparum inſtar conditi, magna copia hinc inde apud nos ſine vlla vētriculi ſubuerſione cum voluptate eſitantur. Semen educit ab inteſtinis, ventriculo, liene, articulis, & peculiari-

Quibus o-pituletur morbis. ter à renibus & veſica, quo nomine Iſchiadi, podagræ, & iuncturarum malis, lienis obſtructioni, renum veſicæq; affectib. & calculo, quē valide tam in veſica, quam renibus frangere fertur, medetur; vrinas adeo vrget, vt nullam colluuiem & ſabuli materiam vel rudimentum obhæreſcere aut coagmentari patiatur. Aſſumptum, ſi frequenter vomitus mouerit, ſummopere iſchiadicis, podagricis, nephriticis, & renum dolore afflictis gratificatur valide reuellendo & educendo. Flores cum melle triti & comeſti reſoluunt ſcrophulas.

Ad lienis obſtructiones ad calculum.

Ad arthritidem.

Ad ſcrophulas.

Flores conditi. Iidem priuſquam grandeſcant & & aperiantur inſtar capparum muria condiuntur, & loti *ex aceto cum ſaccharo & ſem. fœniculi* ad exigendum calculum lieniſque infartus expediendum vtiliter eſitantur. Flores recentes ℥ vj. vel ℥j. pondere ex acetario aſſumútur vel infunduntur ad ℥ iij. in *mulſa, iuſculo* vel commodo aliquo liquore. *Succus florum* ad ℥ ij. vel iij. puluis ſiccatorū ad ℥ iij. *cum mulſa, ſuccus caulium* ad ℥ ß. Puluis ſiccatæ radicis à ℥ ij. ad ℥ iiij. è iure quopiam; & ſi pituita craſſa incidenda & educenda cum *oxymelite*: Succus radicis ad ʒ iiij. cum *melicrato* datur.

Meſue exhibet ſemen à ℥ ij. ad ℥ iiij. Moderni ℥ ij. vt plurimum ſufficere arbitrãtur, quas cũ *iure gallinaceo melicrato vel oxymelite* propinant. Ad decoctum capiuntur ſem. ℥ vj. flores coctionem non ſuſtinent.

Ad podagram & arthritidem Franciſci Ioelis.

℞. *ſem. geniſtæ* ℥ j ß.
maſtichis,
roſarum,
cinamomi ana ℈ ß.

Trita miſce & cum iuſculo propina, quod pituitoſos humores ex longinquo trahit, perque inferiora & ſuperiora propellit. Aliud eiuſdem.

℞. *ſem. geniſtæ* ℥ iij.
roſarum,
maſtich. ana ℈ j. *redigantur in puluerē,* cuius ʒ j. cum *hydromelite* exhibita infra ſupraque pituitam valide expurgat & arthritidis, podagræq; materiam ſubtrahit.

Ad hydropem:

Ad hydropem.

℞. *radic. Cichorei.*
aſari,
vincetoxici,
aſparagi,
chelidon. maior.
liquiritiæ ana ℥ iij.
cort. interior frangulæ,
aranciorum,
radic. galangæ,
fibrarum, rad. eupator Auicennæ ana ℥ ii ß.
Herb. cuſcutæ,
agrimoniæ,
carduibened.
agerati ana M. j.
ſem. aniſi,
fœniculi ana ℥ j ß.
ſem. geniſtæ ℥ vj.
baccarum alkekengi num. v.
Fiat decoctio, ex vino albo ad tertia partis

tis conſumptionem, colatura R. ℔. j. *cui miſce*

ſyrup. de cichor. cum Rhabar. ℥ij.
diaſereos,
de quinq. radic. ana ℥ j ß.
aqua cinamo. ℥ j.

Miſce f. apozema, cuius cottidie aliquot cochlearia vſurpet.

℞. *florum geniſtæ M* j ß.
Ericæ albæ M. ij.
Garyophil. ℥ ij.
cinam. ℥ j.
macis ℥ ß.
nuc. muſc. ℈ j. *coque in vino.*

Ex cineribus virgultorum geniſtæ cum ſaccharo & canella vtile hydropicis ad mouendum vrinas, cum viſcera ſupra modum frigida craſſaque pituita ſunt obſita paratur lixiuium: exſiſtente autem in abdomine acri & putrida colluuie ſeroſa, vti plerumque euenit, continuam ſitim cum febricula excitante, & viſcera diuexante, præſtat *ſalia iuniperi, geniſtæ, gratiolæ cum rob vel extracto ebulino aut ſambucino* mixta vſurpare. Pro ſecreto quidam vſurpant, quod

℞. *cinerum geniſtæ* ℥ j.
volubilis maior. ℥ j ß.
Hermodactyl.
ſtercoris canin. alb.
rad. bryoniæ,
Valerianæ,
Ireos noſtrat.
aſari ana ℥ ij.
Specier. dialaccæ,
diacurcumæ ana ℈ ij.
fiat petia.

Ad promouendum vrinas, materiam calculoſam & ſabulum obhæreſcens, ſoluendumque & exigendum calculum:

Eximiæ facultatis pilula ad calculum.

℞. *Terebinth. venetæ* ʒ iij.
ammoniaci in oxymel ſquilli. ſolut. ℈ iiij.
ſpermat. cete ℈ j ß.
coagul. lepor. ℈ j.
pul. ſem. geniſtæ ʒ ß.
aſellorum ſpiritu vitrioli iuxta Augenium præparat. ʒ ij.
Tartari vitriolati ʒ j.
boracis ʒ ß.
nitri præparati ℈ j.
Cum ſ. q. ſyrupi nephrocatarctici & ſpecierum lithontripon f. pilulæ

Arcanum ad calculū.

Vel: ℞. *ſem. geniſtæ* ʒ j. ß.
ſpermat. cete ℈ j.
milliped. præparat, cum ſpir. vitrioli ℈ ij.
ſuccorum raphani ℥ ß.
limonum ℥ j.
vini maluatici ℥ ij.
Miſce, & ſi in promptu ſit, adde
olei ludi,
liquoris cryſtall. ana gutt. iiij.
ſpiritus vitrioli gutt. v. *f. potio.*

Aliud.

Tragea.

℞. *millipedum ſpir. vitrioli immerſorum & ſiccatorum* ʒ ij ß.
nitri præpar. ℈ v.
lapid. precarum,
boracis ana ʒ j ß.
ſem. aſari,
raphani maior. ana ʒ ij ß.
geniſtæ ʒ vj.

radic.cucume. aſinini ℨ ij.
pul.cort.ouorum combuſtor. ℨ ij.
ſalis ſuccini ℈ iß.
ſacch. manus Chriſti perlati ℨ j.
Miſce, fiat tragæa.
℞. *ſem. geniſtæ,*
zinzib ana ℨ j.
ſpecier. lithontrib. ℨ ij.
boracis ℈ j.
Tartari vitriolati ℨ ß. Miſce pro tribus doſibus.

Eodem fine exhibent *coagulum leporis*, cum *aqua florum geniſtæ & ſucco limonum*, vel *ſemen geniſtæ cum ſucco porri* certo experimento.

Aqua contra calculum.

℞. *nucleor. perſicor.*
ceraſorum,
prunor. ſylueſtr.
amygd. amarar. ana ℨ j.
dulcium ℨ jß.
ſem. aniſi,
fœniculi ana ℨ j.
milii Solis,
ſaxifrag.
geniſtæ ana ℨ ß.
cynosbati,
radic. ononidis,
liquirit. ana ℨ ß. ℨ ij.
petroſel. ſicc. ℨ ijß.
maluæ,
biſmaluæ ana ℨ ß.
aſparagi ℨ iij
limonum decortic. num. iij.
gummi ceraſorum ℨ iii ß.
baccar. iuniper. ℨ ß.
ruſci,
halicacabi ana ℨ v.
lignaturæ ligni nephritici ℨ iß.

Macerentur in ſ. q. vini generoſi, & f. deſtillatio in arena.

Electuarium nephriticum, antarcticum.

℞. *rad. ononid. condit.*
Ireos condit. ana ℨ ß.
conſer. flor. geniſtæ ℨ vij.
capill. Vener. ℨ iij.
pul. ſem. geniſtæ,
nigellæ,
naſturtii,
ocymi,
maluæ ana ℨ iß.
nucleorum perſicor. concis. ℨ ß.
Cum ſyrupo de ſucco limonum, fiat mixtura.

Ex radice & ſemine deſtillatur oleum vtile ad calculum, quod & extrinſecus illitum maculas faciei eluere volunt. Quidam expreſſione è ſemine ad eoſdem vſus idem eliciunt, quod & cicatricum næuos minuere dicitur.

Vſus germinum florum ad hydropem.

Germina tenuiora primulum erumpentia, flores, folia, & ſemina in vino cocta, hydropicorum aquas extrahunt, epatis, lienis, renum & veſicæ infartus expediunt, vrinas admodum promouent; ſuccus è tenerioribus ſurculis aqua maceratis expreſſus, ſumitur rite contra iſchiadicos, & arthriticos dolores. Radix vino cocta dolores renum veſicæque aufert, infartus expedit, ſabulum pellit.

Vſus radicis ad renum veſicæque dolores & ſabulum.

Flores & germina trita vtiliter ſerpentum morſibus applicantur, mixta cum axungia quapiam tumores diſcutiunt, & dolores articulorum ex frigida cauſa tollunt.

Succus radicis recentia vulnera & vlcera

viſcera putrida perſanat. Quidam ſuccum per ſe vel cum *melle* inſpiſſant ad vlcerum putridorum curationem.

Succus geniſtæ exceptus *oleo ſinapino* vel *omphacino* tutiſſimum eſt, auctore Camerario in horto medico, aduerſus phthiriaſin & pediculos remedium.

CAP. XXXVII.

Bryonia ſeroſos humores ducit: cerebro, neruis, & vtero ſpecifice medetur: venenatarum beſtiolarū in humano corpore profſatarum, peculiare alexipharmacum. Varia aduerſus cerebri, vteri, lieniſque affectus remedia, & duo electuaria de bryonia, quorum alterum exquiſite purgat, alterum ſpecifice roborat: duæque memorabiles de venenatis intus natis ſuperatis & eiectis animalculus obſeruationes recitantur.

VItis alba, Dioſcoridi Bryonia, quod ex eius acinis coria depilentur, & ad vſum præparentur, pſilothrum nominatur. Conſtat partibus igneis, & terreis aduſtis, calida eſt in ſecnndo gradu completo, & ſicca in initio ordinis tertii. Acris, amara & mordicans eſt, incidit, attenuat, abſtergit, ex alto trahit, rubrificat, formali virtute aluum ciet, & quamuis Dioſcorides, Meſue, & Plinius pituitam craſſam duntaxat trahere notent, tamen & bilem & hydropicorum aquas vehementer educere obſeruatione conſtat. Specifica proinde virtute aluum ducit, cerebrum, neruos, vterum & lienem maxime reſpicit & venenis aduerſatur, manifeſta vero qualitate viſcera aperit, obſtructiones tollit, craſſos humores incidit, quapropter lienis infarctus expedit, vrinas menſeſque mouet, vterum purgat, ſed fœtum necat, ſanguinem coagulatum ſoluit, renes deobſtruit, ſpiritalium partium craſſa pituita obſeſſarum vias liberat, ſcrophulas abigit.

Pituitam bilem & aquas ducit.

conuenit cerebro, neruis, vtero, lieni,

Aduerſatur venenis.

Quocirca aluum, menſes & vrinas ducit, morbis cerebri & neruorum medetur, craſſamque pituitam inde educit, & ſpecifice conuenit apoplexiæ, epilepſiæ, paralyſi & vertigini: Lienis duricem, obſtructionem & tumorem ſanat, muliebria mouet, matricem mundat, ſed fœtum interimit ſumpta ſubdita, inſeſſu peſſo, vel balneo adhibita.

In vſum vocantur germina teneriora primitus erumpentia, ſeu *aſparagi ſuccus* & *puluis radicis*, quæ tamen caute nec temere, nec ſyncere exhibenda. Id enim, quod non annotarunt auctores, experientia cognouimus eius vſu capitis dolores concitari præterquam quod cum aliqua vehementia & diſturbio, ventriculique ſubuerſione operationem ſuam excerceat; quapropter, vbi virium ſit defectus & conſtitutio delicatior, non erit exhibenda. *Noxa.*

Non immerito in quæſtionem

Bryoniæ ſingulariter & ſpecifice affectibus cerebri conducit.

venit, cur in affectibus cerebri tantopere commendetur, & epilepticis, mente motis prodeſſe & ſenſus purgare credatur, cum tamen Dioſcorides mentem turbare & Meſue ſpiritus confundere, doceant, vbi ex ſuperioribus notandum, bryoniam ſpecifica virtute cerebrum reſpicere, eoque peculiariter operationem ſuam dirigere, cum itaque non tam ad capitis, quam cæterorum, quibus etiam ſuam dicauit operam, partium affectus, videlicet, pectoris, lienis, renum, vteri vel ad ſeroſos abdominis humores, & pituitam vacuandam adhibetur, neque ſuperne inueniat, quod aggrediatur, neceſſario tamen ex innata vi (*agens enim naturale actionem non ſuſpendit*) eo feratur, fit, vt quibus ſit ſenſile cerebrum, vel dolor, vel ſpirituum turbatio, ſenſuumque hallucinatio quædam accidat.

Doſis.

Exhibetur iuxta Meſuen ſuccus radicis à ℥ j. ad ℥ ij. Dioſcorides aſparagos, qui prima germinatione exeunt, in cibo coctos aluum & vrinam ciere docet. Succus extrahitur primo vere, antequam acini matureſcant. Idem radicem vel ſuccum propinat cum aqua mulſa, vt pituitam extrahat, vrinam remorantem ducat, cerebrum mundet, neruos pectusque à putridis pituitoſisque recrementis liberet, viſcerum obſtructiones aperiat, calculos renum pellat, lienis induratos tumores & partium corporis hinc inde ſcrophulas ſoluat, menſtrua proliciat, vterum purget, vertiginoſis, comitialibus & tuſſientibus opituletur.

Ad hæc omnia etiam non inutiliter vſurpatur radicis decoctum, quod niſi cum debite corrigentibus præparetur, ſatis vehementer, & etiam ad ventriculi ſubuerſionem operatur.

Ad cerebri neruorumque affectus, videlicet epilepſiam paralyſin, vertiginem & horum frigida mala annotat Meſue confectionem diabryonias, cuius inuentionem acceptam refert Democrito.

Confect. diabryonias.

℞. radic. bryoniæ mundatæ & tritæ ℔ j.
mellis paſſulat. ℔ iiij.
ſquillæ aſſatæ,
pinearum mundat. ana ℥ j ß.
nuc. muſcat.
cardamom.
macis,
zinzib. ana ʒ ij.
Gariophyllor.
piperis longi ana ʒ j ß.
ſem. ſeſeleos
ſalis gemmæ,
galliæ moſchatæ ana ʒ j.
ſpicæ ʒ ß.
agarici ʒ iij.
ſtœchad. Arab. ʒ iß.

Poſt ſex menſium fermentationẽ datur à ʒ ij. ad ʒ v. Quamuis autem Dioſcorides cottidie totius anni decurſu dandam ʒ j. pulueris bryoniæ comitialibus, attonitis & vertiginoſis, doceat, tamen nequaquam id tentandum,

dum, neque ſine periculo vel robuſtiores id per vnum ſubſtineant menſem propter inſolentem eius vim, qua naturam depeculatur. *Ex ſucco vel radicis puluere & melle paſſulato* Dioſcorides præparat lambile ad tuſſim difficilem, aſthma, & ſtrangulato pene oppreſſos, quod & ruptis, vulſis, laterumque dolore afflictis, aut ſanguinem coagulatum intus habentibus admodum quoque prodeſſe affirmant.

Aſthma. *Sanguinem coagulatum.*

Ad lienis affectus exhibetur, & extus applicatur ex ea cum *ficubus* emplaſtrum. Dioſcorides pulueris tres obolos ex *aceto* triginta dieb. ad conſumendum lienem preſcribit. Meſue *oxymel* è *bryonia* conficit ratione & ſucceſſu meliore.

Emplaſtrū ſplenicū. *Oxymel via ad ...*

Ad ſcrophulas ſoluendas & abigendas ſuccum *bryoniæ* cum æqualibus partibus *mellis & vini* certo experimento idem propinat, ſimulque emplaſtrum ex radice & melle applicat.

Scrophulas.

Aliud electuarium diabryoniæ exquiſite purgans.

℞. *radic. bryoniæ* ℥ iiij
Turbith ℥ iij.
agarici ℥ j.
pul. *zinzib.*
maſtichis,
ſem. leuiſtici ana ℥ iij.

Macerentur in ℔ ij. *aquæ vitæ per dies tres. Coquantur ad* ℔ j. *colaturæ expreſſæ adde mellis deſpumati, pulpæ prunorum ana* ℔ j. *ſacchari* ℔ .iß. *Coq. ad mellis conſiſtentiam: ſub finem inſperge guttæ gummi pulueriſati* ℥ j.
diagridii ℥ vj.
ſem. aniſi,
fœniculi ana ℥ ij.
Garyophyll. ℥ ß.
Fiat electuarium. Doſis ab ℥ ß. ad ℥ vj.

Etiamſi veteres non annotarint vim hydragogam bryoniæ, tamen recentiores adeo præſentaneam hanc obſeruarunt, vt etiam, cum ſit vulgaris notitiæ, empirici olfecerint, qui intempeſtiuo eius vſu, prout Fortuna ignaris caſum fingit, ſæpe quoſdam inſperato iuuant, plures autem trucidant.

Interim obſeruatione conſtat, hydropicos, quorum vires nec omnino peſſundatæ, neque viſcera plane corrupta fuerint, vſu ſucci vel pulueris conualuiſſe: nequaquam vero debilibus, & teneris, neque incorrecte aut ſincere propter operationis vehementiam & periculum, quod ex eo creari poſſet, exhiberi debet. Dioſcorides cum *melle paſſulato & ſpeciebus alephanginis* vehementiam mitigare docet, alii adiiciunt *maſtichen, cinamomum & zinziber.*

Recte in vſum vocatur ſyrupus bryoniæ, cuius tam ſimplicis, quam compoſiti extat deſcriptio. Simplex tali modo comparatur. ℞. *ſucci radicis bryoniæ menſe maio extracti, antequam ſucculentia & virtus in herbam ſit transfuſa, mellis hiſpanici vino generoſo deſpumati ana p. æ. coquantur leniter in vaſe terreo vitreato, donec fluxilis ſyrupi*

Syrupi bryoniæ ſimplicis & compoſiti deſcriptio.

conſiſtentiam acquiſiuerit, iugiter deſpumando.

Compoſitum ex auctoritate Democriti talem recitat Meſue.

℞. *ſucci radic. bryoniæ* ℥ v.
aceti ſquillitici ℔.j.
aquæ decoctionis origani,
byſſopi ſiccæ,
leuiſtici,
ſeſeleos,
cardamomi,
ſtæchados ℔.jß.
mellis ℔.ij. *fiat ſyrupus.*

Cuius doſis ℥ ij. vti antiquiſſima, ita ſane optima ſyrupi huius eſt compoſitio & vſus conueniens.

Solertiores peculiari modo ſuccum acquirunt. Præcidunt enim radicis in terra adhuc fixæ & hærentis caput ad formam operculi, ipſum vero inhærentem truncum excauant & operculo impoſito terra viciſſim obruunt, & ex hoc alternis diebus ſuccum in cauitate confluxum excipiũt, atque ad vſus reſeruant. Hunc acquirendi modum ad Plinium referunt. Hic ſuccus expreſſo mitior eſt, & commode ad ℥ ij. cum *hydromelite* vel *ſyrupo roſaceo* ſolutiuo aſſumitur. Alii huius ſucci ℔.ß. adiiciunt *olei vitrioli* ℥ j. & *olei macis* ℥ j. & huius mixturæ ℥ ß. exhibent.

Extractũ.

Experientia docuit, extractum radicis bryoniæ recte præparatum pituitam & hydropicorum aquas & cerebri neruorumque ſuperfluitates rite educere. Id concinnatur cum *hydromelite* ex melle paſſulato facto adiecto modico *ſpiritus aniſi & olei tartari* aliquot aſperſis guttulis, nec minus concinne paratur affuſo *vino maluatico*, *Hiſpanico* vel *ſucco pomorum dulcium* & *aqua carduibenedict.* additis guttulis *olei cinamomi*. Huiuſmodi pilulæ de bryonia extant.

Pilula.

℞. *pul. rad bryoniæ* ℈ iiij.
mirobalan. citrin.
agar. trochiſc.
Rhabarb. electi,
aſari ana ℥ j.
diagrid. ℈ j.
maſtichis ℥ j.
aloes ℥ iij.
cum ſucco abſinthii f. pil.

Ad vteri impuritates & menſes remorantes.

Bryoniæ ſuccus vel radix exhibita, ſuppoſita, fotu, inſeſſu vel balneo admota, menſes aperit, vterum emundat, fœtum enecat & expellit, aborſus cauſatur, ſecundas morantes eiicit, vrinas exigit. Matthiolus obſeruauit, vnciæ vnius radicis ex vino decoctum, aliquo temporis ſpacio vſurpatum, mulieres hyſtericis ſuffocationibus obnoxias plane liberare, neque id ipſum inſtante vel præſente paroxyſmo inconuenienter exhibetur. Nodulus in hunc vſum vino macerandus.

Ad vteri ſuffocationes.

Nodulus ad impuritates & ſuffocationes vterinas.

℞. *radic. bryoniæ* ℥ vj.
petaſitid.
leuiſtici,
valerianæ,
angelicæ ana ℥ ij.
fol. meliſſæ p.j.
artemiſiæ p. ß.
matricariæ p.j.

ſem

ſem dauci ℥ iß.
conciſa & tuſa ligentur in nodulum.

Pilula ex fecula bryoniæ ad hystericas. In eundem vſum Quercetanus fœculam bryoniæ conficit, & ex eadem cum modico caſtorei vel aſæ fœtidæ format pilulas.

Pedilotium menſtrua prouocans.

Balneum pedum ad menſes irritantes. ℞. *radic. bryoniæ,*
Ireos noſtrat. ana ℥ v.
calami arom. noſtrat. ℥ ij.
rubiæ maioris ℥ jß.
althea,
cyclamin.
raphani ana ℥ ij.
Herb. artemiſiæ,
Nepitæ,
matricariæ,
origani,
Mercurial. ana M. iiij.
fol. lauri M. ij.
baccarum lauri,
Iuniperi,
ſem. lini ana p. j.
ſabinæ p. iij.
pomor. colocynth. num. iij.

Coquantur in aqua & tertia parte lixiuii, pro pedum balneo & inferioris ventris fotu.

Cocta radix ſolo vapore & odore ſerpentes & glires fugat. Non incongrue à Dioſcoride aduerſus viperarum morſus exhibetur hæc radix, ſiquidem igne vel ſub cineribus toſta, & conciſa vel tuſa, ſolo nidore glires ſerpentesque fugat & expellit, eo enim percepto feruntur ſubito concidere vel deliquium pati. Quandoquidem autem in noſtra præſertim regione frequenter inueniantur, qui non tantum lumbricis & variegatæ formæ vermibus ſcatét, ſed & quorum in interioribus viua & venenata animalcula, veluti ſtelliones, lacertæ, bufones ſerpentiumq; genimina creuerint & oberrent, mirifice miſeros homunciones lancinantia, & niſi debite pellantur, interimentia, nihil efficacius ad horum expulſum, eiectionemq; expertum, quam ſuccus vel puluis radicis bryoniæ, qui continuo eadem enecat & expellit.

Duæ memorabiles obſeruationes. Nuperrime vir quidam robuſtus & ſtaturæ quadratæ in vicino quodam pago cuſtos templarius me conuenit, de torminibus ventriculi & inteſtinorum, diſcurſantibusque doloribus & anguſtiis inde natis conqueritur, ei, nihil tale ſuſpicans, exhibeo *infuſum ſenæ, agarici* , *tartari ex decocto abſinthii, bryoniæ, agerati, marrubii, &c.* mediocri & conuenienti doſi , ex qua ille vltra quã centies aluum violenter depoſuit , vomuitque tanta anxietate & conatu , vt reiiciens in Medicum , & medicamentum culpam , amenter me diris deuoueret, omniaque mala imprecaretur, donec animalculum iam recens extinctum, longitudine cubiti, forma ſerpentis, digiti craſſitie geminos ad finem gulæ & ventris initium oſtentans pedes , horum ſymptomatum cauſam vomitu exploderet, quo edito fœtu, continuo melius habere cæpit, nec dira amplius , ſed gratiam Medico vouere, ſancte affirmans, niſi

 beſti-

beſtiolam vomitu exturbando conualuiſſet, ſe huius agonis & ſubſequentis interitus cauſam medico & medicamento imputaturum fuiſſe.

Secunda obſeruatio notabilis.

Non multo poſt puellam ſedecennem probam, & honeſto loco ortam recepi curandam, cui, cum animaduerterem ex vſu purgãtium pharmacorum crebro eiectos admirandæ formæ, & varii coloris lumbricos & vermes ſuſpicari cœpi, huius familiæ plures beſtiolas intus nidificaré, quãobrem ad vſum radicis *bryoniæ*, *vincetoxici*, *anthoræ*, *abſinthij*, *rutæ*, *ſcordij*, *tanaceti*, *agerati*, & ſimilium confugi, quo primũ ea animalcula ſic agitata ſunt, vt extus pateret, quam furioſe intus diſcurrerent, & mouerentur. Cumque pro potu nihil aliud, quam vinum vel cereuiſiam, cui abſinthiũ, tanacetum, ſcordium, ruta, & ſimilia infuſa eſſent, ex præſcripto medico vſurparet, demum cæteris conueniéter adhibitis intus enecta eſt beſtiola quædam grandis, cuius oſſa & artus fruſtillatim; poſtea aliquot ordine diebus vel ſponte, vel medicamentis aluo mora, reiiciebantur. Eo nondum enecto, quotieſcunque vtebatur pharmaco purgante ex prædictorum decocto, in formidabiles anguſtias & torſiones cõiiciebatur, & frequenter nunc limaces, nunc variegati coloris, aut alterius ſpeciei vermes egerebat, miſto ſemper glutine pituitoſo, variis ſeminibns, quæ piſcium minorum oculos referebant, ex quibus cottidie noui haut dubie generarentur, vndiquaque reſperſi. Illa demum his magna parte eiectis, & veneno euicto, conualuit, ſuperſtite virulentia in articulos & artus diffuſa, adeo vt membrorum impotentia & contractione corriperetur, à quo malo commodis perinde remediis per Dei gratiam liberata eſt.

Vſus bryoniæ externus.

Extrinſecus vſurpatur, vt tumores induratos reſoluat, ſuppurantes aperiat. Cum vino & melle applicata oſſium fragmenta, aculeos, ſpinas, & clauos extrahit. Radix in oleo cocta, dum colliqueſcat ſugillata, & liuores delet. Vlceribus phagedænicis, chyroniis, gangrænis, & putrentium tibiarum tædio vtiliter ex ſale illinitur. Apte miſcetur medicamento, quod carnem exeſt. Ad pſoras & lepras ſemen efficaciter illinitur. Radix corpus abſtergit, cutem erugat, vitia in facie, varos, lentigenes, & cicatrices nigras emẽdat, cum *eruo*, *creta*, *chia*, & *fœnugræco*. Idem facit *ſuccus farinæ fabarum* aut *cicerum* exceptus. Trochiſci Meſuæ ad cutem emaculandam næuos & vitia delenda, coloremq; bonum inducendum.

Fucus ex bryonia, ſeu trochiſci ad emaculandam faciem.

℞. *farinæ ſimilagineæ*,
hordei,
ciceris albi,
fabarum,
amygdalar. dulc.
Tragacanth. ana ℥ ij.
radic. bryoniæ ſiccat. ℥ iß.

Forma trochiſcos cum albumine oui, & illine ex *aqua hordei*, elapſis duabus horis

Ad Iſchiadicum dolorem ad paronichiam. horis cum *decocto furfurum* ablue. Reſolutis applicatur, dolorem iſchiadum mitigat, paronichiæ, aut panaritio vtiliter adhibetur, cum ficubus. Aqua ſeu pota ſeu applicata ad præ-dicta omnia valet, gargarizata ſuperfluitates educit, & incipientes faucium tumores diſcutit, podagricos dolores lenit. Empirici *corticem radicis bryoniæ* tritum, & ſacculo paruo incluſum macerant in ſ. v. & calide applicant ad ſiſtendum odontalgiam.

Cap. XXXVIII.

De natura, & viribus ebuli & ſambuci. Pituitam & ſeroſos humores, tenuemque & acrem bilem potiſſimum ab articulis & è ventre ducunt. Germinum, foliorum corticis, radicis ſucci, fæculæ, Rob baccarum, granorum, horumque pulueris & extracti, aquæ deſtillatæ vſus deſignatur. Ex illis remedia ſimplicia & compoſita, abſoluta & ſpecifica interna & externa ad arthritidem, eryſipelas, combuſtiones, & hydropem, & alia ad dyſenteriam & hyſtericos affectus proponuntur.

Dioſcorides ſambucum & ebulum propter vniformes, quibus pollent virtutes, ad vnum idemque refert gen⁹, quamuis illa arboreſcat, & hæc in cenſu herbarum ſubſiſtat. Ebulum chamæacten ſeu minorem & humiliorem ſambucum nominat. *Nomina.*

Sambuci & ebuli vires & qualitates. Vtraque ſambucus maior & minor calet & ſiccat. Ordine ſecundo proinde deſiccandi, glutinandi & modice digerendi facultatem obtinent. Certum eſt, ebulum ſambuco paulo calidiorem eſſe, hanc vero purgandi virtute intenſiore & magis violenta præditam. In vſum recipiuntur foliorum vtriuſque primitus erumpentia germina, folia ipſa, & flos, radix eiuſdemque & ſtipitis vel ramorum cortex, baccæ & harum ſemen, atque ex his omnibus expreſſus liquor, fæcula & aqua deſtillata. Conueniunt hydropi, arthritidi, febribus, eryſipelati, lieni tumenti & obſtructo, calculis renum, matricis affectibus, faucium oculorumq; malis & ambuſtis. *Quibus morbis cōducant.*

Noxa. Ad purgandum adhibita violenter aggrediuntur naturā, & aliquando ventriculum ſubuertendo, vomitus concitant, epar imbecille magis eneruant, viresque conuellunt. Pituitam & cumprimis hydropicorū aquas, deinde etiam bilem extrahunt. Ad extrahendum aquas teneritates & primo vtriusque erumpentia germina & folia confecta ſola vel cum aliis vt *cherefolio*, *petroſelino* vel *anetho* coquuntur, aſſumuntur & cum iure ſorbentur, quomodo hydropicis & ſcorbuticis mirifice proſunt, non inepte ex foliis maturioribus ſimile edulium comparatur. Vnde Serapio mandat, folia ebuli in aqua coqui & inſtar oleris comedi ad laxandum phlegma, *Pituitam & hydropicorum aquas potiſſimum ducunt.* *Vſus germinum & foliorum confectorū.*

phlegma, & in eundem finem ſummitates ramulorum elixari. Commodiſſime ad purgandum ſeroſos humores exprimitur ſuccus ex foliis aut radicibus, aut horum & trunci ramorum vel ſtipitis medio cortice.

Succus & fæcula ebuli ad educendum ſeróſos humores.

Ex ebuli radice educitur ſuccus, qui per reſidentiam deponit ſedimentum albicans, quod exſiccatum in pulueris forma aſſeruatur vel in trochiſcos redigitur. Succus ab ℥j. ad ℥ij. propinatur hydropicis. Fertur viſcera concutere, ventriculum ſubuertere & vires conuellere. Fernelius ſuccum è radice ebuli vel ex cortice ſtipitis contuſi affuſa *aqua hordei*, *vuarum paſſarum* cum modico *cinamomi* eliciendum & vnciæ pondere exhibendum eſſe dictitat, cū vero ebuli radix ſit abunde ſucculenta, hunc modum rectius vſurpamus ad exigendum è cortice ramorum & radicis ſambuci, quæ lignoſa quodammodo eſt, ſuccum. Commodum etiam *ebuli* & *ſambuci radix cortexque vino* vel alteri liquori infunditur, coctione autem vis euaneſcit. Braſſauolus Ferrarienſis ex foliis vel radicibus ebuli, ſuccum exprimit & vtrumuis trium vnciarum pondere propinat. Hi omnes ſucci ſiue ex ſambuci ramorum trunci vel radicis cortice, ſiue ex ebuli radice, eiusque foliis expreſſi fuerint, præterquam quod aquas ducunt, vomitum etiam mouent, & cum primis valentiſſime, qui ex ſambuci corticibus ſunt prolecti. Radicis ebuli ſuccum quidam inſolatione inſpiſſant & trochiſcos comparant, quos in eoſdem vſus referuant, parum hi vel nihil à Quercetani fæcula diſcrepant, quamobrem nouum hoc inuentum eſſe nequit. Alii ſuccum corticis ſambuci, qui eſt ligno proximus, per trituram in mortario educunt, & in patella ad ſolem poſitum inſpiſſant, ſiccant, & pilulas inſtar baccarum lauri conformant, quarum vnam pro doſi exhibent, vel ex corticibus viridibus affuſo vino ſuccum educunt & ℥j. exhibent.

Modus praparandi & exhibendi ſucci ſambucini & ebulini.

Optimum vero paratur remedium ex ſucco ebuli, ſi per reſidentiam albicans materia depoſita colligatur, exſiccetur & in puluere a vel trochiſcorum forma ſeruetur, cuius doſis ℥j. vel paulo amplius ad hyd opicorum aquas educendas exhibetur. Neque enim ille adeo vehementer ſtomachum & viſcera turbat, vireſque conuellit, vt cæteri è ſambuci, corticibus & radice expreſſi.

Vſus Rob baccarum ebuli & ſambuci.

Ex ſambuci & ebuli baccarum ſucco rob conficitur, cuius ℥v. vel vj. ſine omni vehementia cum hydropicorum aquas, tum arthritidis calidæ & eriſipelatum cauſam materialem proprie expurgant. Vt rectius id fiat, rob ſambuci virtus infuſione catarcticorum acuitur, cuius compoſitio vſu probata talis eſt.

℞. *foliorum ſenæ* ℥ iiij.
rad. Turpethi albi gummoſ.
hermodactylorum,
mechoacaæ ana ℥ j.

ſem.

ſem aniſi,
fœniculi ana ℥.ß.

His ſuccum è baccis ſambuci expreſſum defæcatum & limpidum affundunt ad ſupereminentiam quatuor vel quinque digitorum, infuſorum tincturam extrahunt, tandem fortiter exprimunt, & expreſſum lento calore euaporare faciunt, additaque *ſacchari quantitate ſufficienti rob conformant, cuius, ſi virtutem intendere velis, interea dum ad euaporandum caleſcit & inſpiſſatur, immitte petiam, cui diagridii vel guttæ gummi aut elaterii quippiam inditum ſit, quam vbi ſaccharum adÿcere tempeſtiuum eſt, remouere poteris.*

Extractum granorum ebuli ſpecificum purgantis hydropicorum aquas. Quercetanus ex granis ebuli ſiccatis ſpiritu vini tincturam extrahit, & ſegregato menſtruo extractũ conformat, quod ſpecificum hydropis remedium nuncupat; concinnius autem per *propriam aquam ex ſucco baccarum* vel *floribus deſtillatam* extractio perficitur.

Vinum ebulatum. Vinum ebulatum purgans hydropicis vtile, paratur ex *radicibus vino infuſis, vel ex baccis muſto recenti incoctis, ad terriæ partis conſumptionem, quod cum per reſidentiam depuratum & colatum eſt, filtro depuratur, cuius quantitas ſufficiens, alii recenti muſto miſcetur ad ſaporem & colorem iucundum, quod ſimul cum illo deferueſcat & clarificetur.*

Aqua ſambuci purgans. Flores ſambuci & ebuli recentes laxantem pariter & aquas educentem vim habent, ſiccati eandem amittunt. Ex viridi ſambuci cortice aut ex eiuſdem vel ebuli floribus deſtillatur aqua, cuius quotidie mane duabus tribuſve horis ante prandium, & itidem ante cœnam ℥ iiij. triginta diebus potæ aquas educendo hydropem, præcipue tympanitem perſanare feruntur. Matthiolus ℥ iiij. aquæ ſambuci cum ℥ j. ebuli conuenientius exhiberi monet.

Puluis ſeminis baccarum egregie educit aquas. Wierus *ſeminis ſambuci vel ebuli à ſucco nigro baccarum expurgati & ſiccati & in puluerem redacti* ℨ j. *cum vino, cui cinamomi* ℈ j. *& ſacchari arbitraria quantitas miſta ſit,* exhibet. Ad educendum ſtrenue hydropicorum aquas. Idem probat Matthiolus & cum *decocto chamapyteos* exhibitum, podagricis, iſchiadicis, & gallicana lue laborantibus conferre, & deiectoria vi humores reuellendo, & euacuando eorum dolores mirifice lenire ſcriptum reliquit. Alii duplo triplove vel ampliore pondere puluerem ſiccati ſeminis vino infundunt, & colaturam eadem intentione exhibent.

Dodonæus vehementiam baccarum ſambuci vel ebuli metuens recẽtes aceto primum infundit, dein exſiccat, & puluerem cum ſemine *aniſi* & *vino* aliquot ordine diebus exhibet.

Puluis corticum ſambuci. Quemadmodum corticis ramorum ſambuci viridioris aqua & ſuccus & corticis radicis ſambuci & ebuli ſuccus infuſioque aquas ducunt, ita ſinguli cortices ſiccati & in puluerem redacti vnius dragmæ pondere cum aquæ linariæ ℥ iiij. dati, idem & ſatis ſtrenue operantur.

℞. ſem. ebuli,

Tragea laxatiua ad arthritidē & Iſchiaden.

Turbith,
hermodactyl.
ſenæ,
Tartari ana ℥ i.
cinamom. ℥ ij. *Miſce fiat puluis tenuiſſimus,* doſis ℈ iiij. valet in iſchiade, & arthritide.

Decoctum hydragogum

Decocti hydragogi paradigma & vſus.

℞. *herb. agrimoniæ,*
cichorei,
carduibened.
fumariæ,
hyſſopi,
abſinth.
calamenth.
marrub. ana M. ß.
gratiolæ,
cort. median. ſambuci ana M. j.
radic. Ireos recent.
enulæ,
petroſelini,
cichorei ana ℥ ß.
fol. ſenæ Alexand. mund. ℥ iß.
agar. trochiſc.
Mechoacæ ana ℥ iij.
Hermodactyl.
turbith ana ℥ ij.
Decoquantur in vini Rhenani ℔ iiij. *& aqua ſambuc.* ℔ j. *vaſe bene obturato horis tribus, dein colentur, & adde ſyrupi roſar. ſolutiui* ℥ iiij.
ſyrup. de abſinth. ℥ j.
Huius potionis ℥ iij. *Miſce pul. mechoacæ* ℥ j. *aquæ cinamom.* ℥ ij.
aquæ cinamo. ℥ ij.

Aliud.

℞. *cort. interior. ſambuci* M. ij.
pul. rad. mechoacæ ℥ iij.
Rob. baccarum ſambuci ℥ ß.
his affunde aquæ cichorei,
abſinthii ana ℥ vj.
leuiter ebulliant, colentur colato miſce extracti eſulæ ℥ i ß.
extracti Rhab. ℥ ß.
ſyrup. roſar. ſolutiui ℥ iij.
de cichor. cum Rhab. ℥ iß.
ſucci Iridis recens extracti ℥ vj.
Miſce accurate, fiat potio in tres æquales partes diuidenda.

Potiones hydrago

℞. *rad. vincetoxici,*
aſparagi,
cichorei ana ℥ j.
liquiritiæ,
petroſelini ana ℥ ß.
cort. radic. ebuli ℥ ij.
interior. ſambuci M. iij.
fol. agrimoniæ,
cuſcutæ,
cichorei,
eupatorii,
Auicennæ,
ſcolopendriæ,
flor. epaticæ albæ,
ſambuci,
bugloſſi ana M. j.
vuarum paſſarum mundat. ℥ iß.
ſem. aniſi,
fœniculi ana ℥ j ß.
geniſtæ ℥ ij.
Coque in ſ. q. aquæ colatura infunde per noctem
pul. Rhabarb. ℥ j.
fol. ſenæ ℥ j.
mechoacæ ℥ ij.
ſucci Iridis recens expreſſ. ℥ ij.
extracti

extracti eſulæ ℥ j ß.
ſyrupi roſarum ſolutiui ℥ iiij.
mane facta vnica ebullitione exprimantur:
expreſſo miſce ſyrupi vel aquæ cinamo ℥ ß.
Huius potionis dentur ℥iij.
Aliud.
℞. *pul. Rhabarbari ſelectiſsimi* ℈iiij.
ſucci corticum viridium vel radic. ſambuci ℥vj.
Stent in infuſione per noctem, mane adde vini abſinthiaci ℥ ß. *fiat expreſsio, detur pro hauſtu.* Fernelius lib vij. *meth. med.* Electuarium ſuum hydragogum minus ſenibus, pueris, imbecillibus, & prægnantibus tutum ex *ſucco acinisq́; ebuli & ſambuci* componit.

Electuarium hydragogum Fernelii.

℞. *ſucci roſarum pallidar.* lib ß.
ſacchari alb.
mellis op. ana ℥ xv.
Coquantur, dum exſpumauerint & craſſeſcant, dein adde ſucci radicis ebuli lib. j.
praſſii ſicci,
ſem. fœnic. trit. ana ʒ ij.
acinorum ebuli,
ſambuci ana ℥ ij.
cinamo. ʒvj.
maceris,
galangæ ana ℥ iij.
Coquantur lento igne ad craſsitiem mellis, detur ℥ ß. *ex ſero lactis vel decocto hordei aut paſſularum,* efficacius fiet, ſi addatur *elaterii* ʒß. aut *radic. cucum. agreſtis arefact.* ʒ vj. aut *ſucci radic. Ireos noſtrat.* lib ß.

Ad propellendam febrem contumacem & diuturnam paulo ante inſultum paroxyſmi exhibent ℥ j. *ſucci radicis ſambuci*, quod ſi bis vel ter fiat, aiunt non reuerti febrem.

Ad febrem contumacem.

Purgatio ſufficienter corpore in febribus tam *benignis, quam malignis,* hydrope, & arthritide, exhibetur *ſyrupus* vel *Rob ebuli* aut *ſambuci cum ſale abſinthij, centaurii, carduibened.* ad mouendum ſudorem. Commode quin etiam hoc pacto exhibetur in eryſipelate. vt naturæ motum iuuet, & materiam ſeroſam bilioſamq; ab interioribus ad peripheriam corporis exigat. In his affectibus cum purgare neceſſum eſt, proprie valet *Rob ſambuci laxatiuum ſupra* traditum, quod ſeroſam bilioſamque febrium, eryſipelatis & arthritidis materiam è ſanguine educit, extracta per aluum materia noxia, *Rob ebuli* vel *ſambuci* ſimplex ſuperflua partium interiorum, & collectiones atque apoſtemata, & quæ in habitum corporis confluxerunt & coaceruata ſunt, imo maligna & venenata contagiorum miaſmata, febriumque fomenta & reliquias per ſudorem fœliciter expellit vt à multis *theriacæ* loco, aut cum eadem non inconcinne vſurpetur, additis *ſalibus* prædictis & *aqua fumariæ carduibenedicti* aut *theriacali.*

Hydroticum ad arthritidem & eriſypelas.

Specificum febrium & in eriſypelate purgans eſt rob ſambuci laxatiuum.

Sequens aqua deſtillata commendatur, quando hydropicis per hydrotica & ſudorifera auxilium conferre intendimus.

Aqua ſpecifice hydrotica ad hydropem.

℞. *aquæ flor. ſambuci* lib iiij.
acinor. ſambuci immatur. contuſ. lib, iij.

℔ iij.

Macerentur per horas xxiiij. *& deſtillentur; huic aquæ iterum adde*

acinor. ſambuci maturorum contuſorum ℔ iiij.

Macerentur vt prius, dein deſtillentur, huius aquæ ℞. ℔ ij.

aquæ theriacal. ℔ ß.

liquoris tartari rectificat. ℥ iiij.

ol. ſalis ebulini vel iuniper. ℥ ij.

Miſce. Doſis ℥ ß.

Alia hydropem proxime concernens.

Alia aqua deſtillata hydropicorum aquas per aluum, ſudorem & vrinas propellens.

℞. *herb. eupatorii,*

endiuiæ,

ſcolopendr. ana M. j.

peti M. iij.

flor. Ireos noſtrat.

ſambuci ana p. j.

radic. aſparagi,

apij,

rubiæ,

tormentillæ,

Ireos noſtrat. ana ℥ iß.

ſem. quatu. frigid. maior.

endiuiæ,

ſcariolæ,

halicacabi ana ℥ ij.

cortic. tamariſci,

capparum,

fraxini ana ℥ ß.

ſambuci,

ebuli ana ℥ ij.

epatis lupini ℥ ij.

ventricul. gallin. ſicc. ℥ ß.

ſquillæ ℥ v.

acinor. ſambuci M. ij.

cantharid. ℥ j.

ſucci herb. peti ℔ j.

aqu. flor. ſambuci,

Ireos,

radic. ebuli,

cort. ſambuci ana ℔ ß.

aceti ℥ ij.

mellis ℥ iiij.

cinamom. electi ℥ j.

ſpicæ Indicæ ℥ ij.

Contundenda tere, miſce, macera horis xxiiij. *deſtilla in cineribus igne lento.*

Aqua laxatiua & hydrotica.

Venerea.

℞. *hermodactyl.* ℥ iß.

ſarzæ paril. ℥ iij.

diagrid.

ſem. ſambuci ana ℥ ij.

Inſolentur per tres hebdomadas, dein deſtillentur ex alembico; doſis mane & veſperi cochlear, prout vires ferunt: in lue Venerea, podagra, & hydrope vtilis.

Aquam deſtillatam purgantem ex *baccis, ſeminibuſque ſambuci & ebuli* ſimplicem & compoſitam vide apud Quercetanum in *pharmacop. dogmat. cap.* 7.

Ad aperiendum epar, ſeroſoſque humores per vrinas exigendum, præſcribuntur rotulæ ex ſpongiis ſambuci vel auriculis Iudæ.

Rotulæ ex ſpongiis ſambuci.

℞. *ſpec. dialaccæ* ℈ ij.

Iecor. lup. præparat. ℈ j.

ſoldanellæ ℥ ß.

ſpongiar. ſambuc. ℈ ß.

Rhabarb. ℈ j.

fiſticorum præp. ℈ ß.

radic. rubiæ tinctor. ℈ j.

cinamom. ℈ iiß.

ſpodii ℈ ß.

ſacchari

ſacchari in aqua fœnic. ſoluti ℥ iiij.
f. rotula.

Nodulus. In vſum eundem fiat nodulus.
ex *Linariæ vulg.* M.ß.
animæ ſambuci,
ſpongiar ſambuci ana ℥ ij.
radic. fragar. ℥ iß.
Ex inciſis f. nodulus.

Foliorum ebuli vires. Serapio tradit *decoctum ſummit. ebuli adhuc teneriorum & foliorum* duriciem ſplenis ſoluere. Idem cum Dodonæo *folia & teneritates cum melle in vino cocta* ad tuſſim antiquam, & cum *croco* ad exigendum menſes commendat. *Succum vero cum vino* potum Serapio calculos renum abigere, & contra venenatorum morſus vtiliter aſſumi & applicari docet. Eundem ſanguinis grumos & lac in ſtomacho coagulatum ſoluere, ferunt, nec minus vtilem ex eodem gargariſmum ad anginas & faucium inflammationes & apoſtemata ex catarrhis, & ad vuulæ elongationem doloremq; dentium commendant.

Vſus ſpongiarum ſambuci ſeu auricularum Iudæ. *Auriculas Iudæ* ſeu *ſpongias ſambuco adnatas* præſentiſſimum auxiliū contra faucium vicinarumque partium inflammationes & anginas conferre, & oculorum ardori & phlogoſi vehementer conducere vulgo notum eſt. Harum puluerem hydropicis etiam exhibent, de cuius ſucceſſu, necdū certi quicquā pronūtiare poſſum.

Rotulæ ex ſpongiis ſambuci. Ad dyſenteriam ex *ſucco baccarum ſambuci maturarum* & *farina ſecalina* conficitur maſſa, vnde exigui panes formati ad biſcocti duriciem coquūtur, donec in puluerem redigi poſſunt, qui cum eodem ſucco rurſus imbibitur, in paſtam redigitur, & denuo in furno coquitur, quod tertium repetitur. Huius *pulueris* & *nuc. muſcat. ana* ℥ j. *Miſce, & cum ſyrupo vel aqua adpropriata exhibe.* *Remedia ad dyſenteriam ex ſucco ſambuci.*

Electuarium ad dyſenteriam epidemicam.

℞. *rob baccarum ſambuci,*
berberorum ana ℥ ij.
conſer. roſar. rub. antiquæ,
ſymphyti maior. ana ℥ ß.
Troch. de terra ſigill. ℥ iß.
de ſmaragd. ℈ iß.
criſtall. prepar.
corallor. rub. prap. ana ℥ j. ℈ j.
pul. rad. verbaſc.
tormentillæ,
ſem. plantag.
lapath. rub.
ſuccini albi,
ſpecier. roſatæ nouell. ana ℥ j.
Cum ſ. q. ſyrup. cydon. f. mixtura.

Quercetanus *granis ſambuci in vmbra ſiccatis affundit* ſ. vini, cui acor cōciliatus ſit *ſpiritu vitrioli* vel *ſulphuris*, extracta tinctura, ſpiritum eadem prægnante per inclinationem ſeparat, eiuſq; ſemicochlear exhibet hyſtericis & ex vtero ſuffocatis. Separato per deſtillationem ex B. M. propinat extracti huius ℈ j. cum *aqua ſambuci* aut *vino.* *Extractum baccarum ſambuci ad hyſtericas ſuffocationes.*

Vt i ad arthritidem ex cauſa maxime ſeroſa & ſero bileſcente atque ad eryſipelata mira quadam proprietate conferunt remedia ex *ſambuco & ebulo* exhibita, & intus vſurpata, ſic ad eoſdem affectus, videlicet dolorem arthri- *Sambucus & ebulus quoquo modo adhibita proſunt ad arthritidem, eryſipelata & ambuſta.*

arthriticum, eryſipelata & ambuſta comparantur ex iiſdem præſidia extrinſeca præſentaneam opem afferentia, ſi rite applicentur, adeo vt quoquo modo *ſambucus & ebulus* operam & gratiam ſuam his malis dicaſſe videantur.

Liquor applicandus eryſipelati vtiliſſimus & expertiſſimus.

Aqua ad Eryſipelas probatiſſima.

℞. *aq. flor. ſambuci,*
roſarum,
ſpermatis ranarum,
omnium florum ana ℥ iiij.
aceti ſambucini vel ſcordei ℥ j.
caphuræ in aceto ſoluta ℨ ß.
croci ℨ ij.

Miſce. Hac aqua imbuta lintea ſemiſiccata calide applicentur & renouentur.

Wierus *ſaponem nigrum vel etiam album in aqua ſambuci* ſoluit & applicat, vel integrā partem eryſipelate comprehenſam, *raſura corticis ſambuci* inuoluit, & ter interdiu recens admouet, aut ſoluit *theriacam in aqua ſambuci*, eaque intincta lintea ſemiſiccata tepide admouet. Idem *corticem interiorem tiliæ raſum vel conciſum in aqua ſambuci macerat*, & hoc liquore intinctum linteum expreſſumq; calide circumuoluit. Quidam vſurpant ſpumam ſaponis ex aqua florum vel ebuli vel ſambuci.

Remedia ad eryſipelas optima & expertiſſima.

Ad eryſipelas cum tumore.

℞. *plantag.* M. j. ß.
lapidis calaminar. ℥ ij.
coque in aqua, decoctum coletur cum expreßione forti, in qua ſolue caphuræ ℨ j.

Thuris,
maſtichis, ana ℨ ß. *coagula.*

Cum vſurpare voles; *ſolue in aqua florum ſambuci anagallidis aquat. telephii, hydropiperis, craſſulæ minoris* & applica.

℞. *ſalis ſaturni,*
ſacchari ſaturni ana ℨ ß.
aquæ flor. ſambuci,
tiliæ,
ſpermatis ranarum ana ℥ iij.
Miſce, applica.

Ad præcauendum eryſipelas Solenander *flores ſambuci ſi ſint ad manus, vel ſiccos lacti incoquit*, & decreſcente luna aſſumere iubet, præmiſſa purgatione ineunte vere ſequens præſcribit.

℞. *cichorei cum toto,*
lapathi cum toto,
ambubeiæ ſeu taraxici cum radic. ana M. j.
cort. interior radic. frangul. ℥ j.
Herb. fumariæ,
acetoſæ,
abſinth. ana p. j.
flor. ſambuci,
roſarum,
violarum ana M. ß.
cinamo. ℨ ij.
macis ℨ j.

Coque in ℔. iiij. *vel* v. *lactis, addendo quicquam ſacchari & aceti tantillum.* Serum colatum ſeruetur ad vſus, cuius continuis aliquot diebus dentur ℥ iiij. vel v.

Similia ad ambuſta adhibemus remedia iis, quæ eryſipelati conferre dixi-

dixinius, vtrobique enim empyreuma euocandum, & vti eryſipelas eliciendum, ne retrocedat, ita & phlogeſis vſtionis foras ducenda.

Ambuſtis *ebuli & ſambuci folia contuſa* recte applicantur, vel *mucilago cydoniorum extracta cum aqua ſambuci, in qua grana aliquot caphuræ ſoluta ſint.*

Vulgus noſtrate *pultem coquit ex aqua ſambuci & farina ſecalina*, quem addito *modico olei ex ſemine rapar. expreſſi* applicat vſtæ parti, dum dolor ardorque conſopiatur, & ſi quid vlceratum, ei emplaſtrum ex *oleo ſeminis raparum cui incocti cortices medii ſambuci modicumque ceræ* & thuris, feliciter adponit.

Aliud ad ambuſta.

nguentum ad mbuſta.

℞. cort. median. ſambuci,
tiliæ ana M. j.
ſem lini ℥ jß.

cortices minutim incidantur & infundantur vna cum ſemine in ſ. q. aquæ flor. ſambuci tepide per horas tres, dein adde:
ſtercoris ouilli ℥ ß.

Miſce & coquantur in duplici vaſe in butiri maialis & inſulſi, & aliquoties aqua florum ſambuci loti ℔. ß. ad perfectam humiditatis ſeu mucaginum conſumptionem, colentur, & addatur ceræ citrinæ q. ſ. f. l. a. vnguentum, quod ad ambuſtionem cum vlcere, & herpetem miliarem aliaque ex flaua bile & ſalſo humore nata valet.

Vel: *℞. cortic. ſambuci viridis ℔ j.*
olei pluries ex aqua ſtillat. flor. ſambuci loti ℔ ij.

ferueſiant ſimul aliquamdiu, dein cola, exprime, & adde ceræ nouæ
ſucci ſurculorum ſambuci ana ℥ iiij.

Rurſus efferueſcant quouſq; ſuccus euaneſcat, tolle ab igne, rudicula agitato & in fine miſce
Vernicis liquidæ ℥ ij.
Thuris albi tenuiter triti ℥ iiij.
album ouor. duorum valde agitatum, remiſce omnia.

Ad dolores arthriticos *coque medullam ramorum cum floribus ſambuci in lacte & aqua ſambuci* & cataplaſmatis vice appone.

Remedia ſelecta ad arthriticos dolores.

℞. ſucci radicis ebuli ℥ viij.
axungiæ porci,
caponis ana ℥ ij. coquantur debite & fiat illitus.

℞. ſuccum ex radicibus & foliis ebuli menſe maio extractum, coquatur cum butiro ad formam linimenti.

Quercetauus ex *foliis & floribus ſambuci viridibus ſ. v. maceratis deſtillat è cupreo vaſe aquam* ad dolorem articulorum ex quacunque cauſa.

℞. aq. flor. verbaſci,
ſambuci,
ſpermat. ranarum ana ℔ ß.
vrinæ impubis pueri ℔ iß.
vitrioli,
ſalis,
aluminis ana ℥ iiß.

Miſce, fiat deſtillatio.

Aqua antipodagrica.

℞. ſalis toſti ℥ iiij.
vitrioli ℔ ß.
nitri ℥ ij.
aluminis ℥ iiß.
oſſium microcoſmi ℥ iiij.

cornu

cornu cerui ℥ß.
maſtichis,
Thuris,
mirrhæ ana ℥ j.
caphuræ ℥ iij.
boli Armeni ℥ j.
mellis ℔ ß.
aceti vini acerrimi ℔ iß.
aq. flor. ſambuci,
omniũ flor. an. ℔ iij. Digere, deſtilla.

Linimentũ ad dolores arthriticos ex quacunque cauſa.

℞. ceruſæ,
lithargyri ana ℥ iiij.

Superfunde acetũ vini acerrimi ad eminentiam duorum digitorum, ſtent in infuſione, donec acetum dulceſcat, coletur. Accipe olei amyg. dulc.
ſambucini ana ℥ ij.
caphuræ ℥ iij.

Stent in loco calido, dum perfecte miſceantur, dein refrigerentur, & paulatim affunde acetum edulcatum, agita, vt fiat vnguentum albiſſimum.

℞. ol. roſar. ℔ j.
baccar. ſambu. matur. ℔ ij.
vini rubri,
Hiſpanici ana ℔ iß.

Coquantur ad liquorum conſumptionem & putrilaginem baccarum, exprimatur oleum, de quo cape ℥ iiij. calcis decies lotæ poſt perfectã exſtinctionem q. ſ. f. vnguẽtum.

Lac podagricorum.

Lac podagricorum.

℞. litharg. auri ℥ iiij.
alumin.
gummi Arab.
Thuris,
maſtichis ſubtiliter tritor. ana ℥ j.
ſalis ℥ vj.
aqu. ſpermat. ranarum,
ſambuci,
roſarum ana ℥ iiij.
vini rub.
aceti ℔ j.

Miſce, & ebulliant per horæ quadrantem, intinctis linteis calide applica.

℞. ſaponis Veneti vel Genuenſis albi ℥ j.
ſalis fuſi ℥ iß.
vitrioli ℥ j.
acaciæ ℥ ß.
bulliant in ℔ ij. aceti ſambucini.

℞. aq. flor. ſambuci,
ſpermat. ranarum,
Thapſi barb.
filicis ana ℔ j.
In his macera tutiæ,
lithargyri ana ℥ ij.
vitrioli calcinat.
alumin ana ℥ j.

Foueantur partes tepidæ, ſæpe renouando linteamina.

Cataplaſmata.

℞. far. hordei,
lini,
fœnugræc. ana ℥ ß.
flor. camomill. ℥ ij.
melilot. ℥ ij.
radic. Hermodactyl. ℥ iß.

Coquantur in aqua florum ſambuci ad ſpiſſitudinem, dein adde boli Armeni ℥ ß. croci ℈ ß. ol. camomill. roſarum veteris ana ℥ iij. Miſce f. cataplaſma.

Vel paretur tale ex *floribus caſſiæ, ol. roſarum, mica panis in lacte caprillo macerata, mucilagine, radic. altheæ, cum aqua ſambuci extracta, vitello oui, cum momento ſalis,* oleum ad quoſuis tam articulorum, quam cæterarum cujuſcunque generis partium dolores.

℞. Se-

℞. *Semen ebuli purgatum, contunde in mortario, maceretur tribus diebus loco calido in aqua pluuiali, dein affuſa denuo frigida, coquitur, & calide,* (quod nota) *in lineum conijcitur ſacculum, prœloque exprimitur, quod effluit, oleum eſt.*

Aqua antipodagrica Libauii.

Aqua Libauii antipodagrica

℞. *florum,*
cort. med.
fungorum ſambuci,
fol. ebuli ana M. j.
rad. Ireos noſtrat. ℥ j.
verbenæ M. j.
meliloti,
camomeli ana M. iß.
aquæ extinctionis æris & ferri ana Menſuras duas,
coquantur ad tertiæ partis conſumptionem,
colaturæ adde aquæ auri fabrorum ℔. ij.
ſolutionis æris & ferri in aqua forti ℥ ij.
ſublimati ℥ ß. debet autem lenior aut fortior comparari pro membri robore vel teneritate.

Aqua Quercetani antarthritica.

Hæc facit aqua Quercetani antiarthritica.

Calcem viuam merge in aqua fontana ad eliciendum ſal, ſuperemineat ad quatuor vel quinque digitos, Huius ℞. ℔. iiij. *in quibus extingue laminam chalybis feruentis duodecies, poſtea in eam immerge æs vſtum in puluerem redactum ad* ℥ iiij. *cinnabrii* ℥ ß. *Stent per quatuor vel quinque dies, vt viridem colorem acquirat.* Sunt, qui *mercurium in aqua forti ſolutum* loco *ſupra* dictorum huic aquæ addant. Sed prior compoſitio præſtantior eſt. Non abs re eſt, in aqua *ſupra* ſcripta decoquere *flores verbaſci albi & cortices ſambuci atque in eadem macerare* ℥ iiij. *colcotharis vel fæcum, quæ reſtant à deſtillatione aquæ fortis.* Illa tepide fricantur partes linteis ſæpe renouatis.

Elixir balſameum antipodagricum paratur ex *radicib. ebuli.*
eſulæ,
Iridis noſtrat. recent. ana ℥ ß.
fungorum ſambuci,
cort. ſamb. viridi. ana ℥ j.
verbenæ,
meliloti ſucculentor. ana M. j.

Tundantur in mortario, & adde pingued. ex talis bubalis coctione prolectis & medullæ ceruinæ tantum vt omnia operiantur, macerentur triduo in cella, coquantur deinde in ſartagine ad humidorum ſpirituū ſeceſſionem, exprime per filtrum & miſce oleor. ſtillaticior. caſtorei,
Tartari,
è ligno ſambuci,
guaiaci per deſcenſ. ana ℥ ij.
ranarum,
lumbricor. ana ℥ ß. *f. linimentum.*

Quercetanus ex *foliis viſci pomorum inciſis floribus verbaſci, camomeli, ſambuci, hyoſciami omnis generis cum capitibus, ranis viridibus, vel eorum ſpermate, ſem. papa. alb. cancris cum teſtis ſuis tuſis, limacibus rubris, & lumbricis terreſtribus pinguedine taxi, ſpermate ceti affuſo oleo violato aut nenupharino, per coctionem præp.*

Aaa oleum,

oleum, cui ab aquoſitate ſeparato addit cro-ci ℥ ij. *caphur.* ℥ ß. quod ad dolores podagricos, neruorum puncturas, contracturaſque præſtantiſſimum eſt.

In precio & laude eſt *lapis*, qui vulgo *mirabilis nuncupatur in aqua ſambuci ſolutus* & applicatur podagricis doloribus.

Lapis mirabilis ad dolores podagricos.

℞. *vitrioli Romani viridis, & albi ana* ℔. jß.
ceruſæ candidæ,
aluminis,
lapidis calaminar.
boli armeni ana ℥ ß.
ſalis armoniaci ℥ ij.
aceti vini, ℔. ij. *tuſa, tempera & coagula.*

vel

℞. *lixiuii ex cinere fagino vel ſarmentis aut herbis vulnerariis, alchimilla, millefolio, ſolidagine, ſanicula, hyperico, agrimonia, conſolida q. v. vitriol. Rom.*
albi ana ℔. ß.
ceruſæ,
lithargiri ana ℥ iiij.
ſalis ammoniaci ℥ ij.
alum. ℔. ß.
miſta coquantur ad ſpiſſitudinem: in fine adde caphuræ friatæ ℥ iß. *vel* ℥ ij.

Ad tumores & dolores arthriticos.

℞. *alum. crudi* ℔ *j.*
lapid. calaminar.
litharg. ana ℔ ß.
vitrioli albi trientem,
Romani,
boli Armeni ana ℔ ß.
ſalis ammoniaci quadrantem,
boracis ſextantem,
argenti vivi ſublimati ℥ ß.

(Quod ſi additur, *ſal ammoniacum* omittitur) *caphuræ* ℥ ij.

Pulueriſata miſce lixiuio, coagulentur in lapidem, cuius ℥ ß. *ſoluitur in* ℔ *j. aqu. flor. ſambuci* & per lintea calide applicatur, tumorib. arthriticorum. Vide porro Crollii lapidem medicamentoſum ad varios vſus comparatum.

Cap. XXXIX.

Cyclaminus craſſam pituitam & ſeroſos humores educit. Omnium partium interiorum obſtructiones efficaciter expedit. Colicæ paſſioni à craſſa pituita, vteri impuritatibus & obſtructionibus, ictericiæ, flauam bilem proprietate quadam ſenſibiliter per ſudorem expellendo, tumori & ſcirrho aliiſque lienis ægritudinibus, ſpecifice medetur, fœtui & fœcunditati innata vi ſemper nocet, hæmorrhoides, menſes, & vrinas prouocat, hydropi prodeſt; extus illitus ventrem ſoluit.

CYclaminis, vulgo officinis cyclamen ſpecificis formæ, & apertis ab elementorum craſi dependentibus qualitatibus præditus, non modo diuerſas, ſed & pene contrarias exſerit virtutes.

Proprietates formales ſtrictim ſumptas,

es & qualitas cyclamini. ſumptas, quatenus à ſolius formæ naturæ proficiſcuntur; quod attinet, craſſam pituitam & hydropicorum aquas educit, idque perficit in forma pulueris, trium dragmarum pondere; ſuccus tanto efficacior duarum tantum dragmarum doſi exhibetur. Incorrectus nequaquam datur. Ratione craſis & manifeſtarum qualitatum calidus eſt & ſiccus in initio tertii ordinis, proinde incidit, attenuat, reſoluit, abſtergit, emundat, obſtructa aperit, pectoris & omnium viſcerum, videlicet, iecoris, lienis, renum, matricis, veſicæque infartus ſoluit, venarum oſcula reſerat. ✻ Formæ & temperiei concurrentibus ſimulque operantibus virtutibus icteritiā proprie ſoluit, & bilem per ſudores ſenſibiliter exigit, & quocunque modo intus vel extus vſurpatus, lienis obſtructionibus & tumoribus frigidis conuenit, conceptioni & fœtui ſemper nocentiſſimus. Galenus *lib. 7. de ſimplic. facultat.* ait; cyclaminum varias obtinere virtutes, quod abſtergat, incidat, ora venarum aperiat, attrahat, & digerat, adeoque vehementem poſſideat facultatem, vt abdomine illito ventrem ſubducat, & fœtum interimat.

Propter hydragogam vim conuenit in aſcite, extus vel intus vſurpatus; & quod craſsā expurget pituitā, vſus eius eſt in colica paſſione à frigidis & viſcoſis humoribus, fæcibuſque induratis, & commode aſſumitur, vel admouetur aut per clyſma infunditur: Rite præparatus, viſum clarificat, & adnatas oculis pelliculas detrahit, auriū dolores, tinnitus & ſorditatem aufert, oris tumoribus & vlceribus prodeſt, phlegma per nares educit, ideoq; cerebri malis, cephaleæ, hemicraniæ, frigidiſq; capitis & neruorum vitiis prodeſt, aſthma & icteritiam ſanat, lienis, iecoris, renum, veſicæ & matricis obſtructionibus medetur, menſes violenter reducit, viſcerum & vteri impuritates remouet, fætū ſumptus, admotus, ſubdituſue perdit & expellit, eumque iuxta Dioſcoridem ſola tranſgreſſione enecat, fœcunditatem vel è collo ſuſpenſus prohibet: fœmori alligatus partum accelerat; hæmorrhoides aperit, anum procidentem reducit, tumores & rimas frigore contractas, ſordidaque vlcera ſanat; ſcabiem & lituras à variolis relictas aufert, fiſtularum detrahit callos, & putridas conſumit carnes, omnis generis tumores frigidos, ſcrophulas, ſteatomata, duritieſque conſumit, oſſium ſquamas extrahit. *Quibus medeatur affectibus cyclaminus.* *Vſus cyclamini internus & externus.*

Quamuis autem vnanimi hactenus auctorum ſuffragio creditum ſit, cyclaminum acri ſua qualitate adeo violenter oſcilla venarum recludere, vt hæmorrhoides fotu eliciat, & ſubditus menſes euocet; tamen Matthiolus & Dodonæus aliique ſua teſtantur & comprobant experientia, aquam cyclamini narib. inditam vel attractam compeſcere hæmorrhagiam, & ſanguinis è pectore, vētriculo

vel liene reiectiones, ſi pondere ſex vnciarum aſſumatur, mirifice ſiſtere. Cuius rationem, vtinam nobis aſſignaſſent, qui hoc docent; grauiſſimis autem viris fidem debemus, nec facere detrectamus. At quid ſit cauſæ cur aduerſas perficiat operationes, nondum liquet.

An aqua cyclamini hæmorrhagiam ſiſtat, & ſanguinis vndiquaque erumpentes fluxiones cohibeat.

Quomodo enim ex radice, cuius puluis & ſuccus adeo vehementer oſcula venarum recludit, vt cum hæmorrhagia copioſa fœtum ſimul exturbet, idque ſumptus, ſubditus, vel appoſitus, extrahetur aqua ſanguinē cohibens & venarum tubulos claudens? Habebat enim hoc non ſolum à ſpecifica proprietete, ſed & à manifeſta craſeos virtute, videlicet materiæ calore & penetrabili acrimonia, ſi dicamus, vim eandem ineſſe ſucco vrticæ ardentis & liquori porraceo, quæ vtrinque acri calente penetrabilique facultate prædita, nihilominus hæmorrhagiam narium anique cohibent, iam ipſis reſponſio dudum nata eſt, videlicet id non tam manifeſta, quam occulta horum proprietate fieri, cum tamen ſuccum cyclamini aperta & occulta affectione venas reſerare, & ſanguinem prouocare, hactenus peruulgata doctorum fuerit ſententia. *Cauſa* enim *naturalis in vno eodemque ſubiecto vniformiter agit, nec in eodem iuxta vnam eandemque facultatem contrarios edit effectus niſi per accidens.* Si vero ob ſubſtantiæ in cyclamino diuerſas partes id fieri contendas, iuxta quas aliam atque aliam vim eadem planta poſſidere poteſt, quærendum, cur deſtillatione potius eliciatur virtus adſtringens in terreſtri potius hærens materia, quam calida, ſubtilis & acuta cum ignea aeriaque portione alembicum facilius citiusque tranſcendens. Nec eſt, quod putes, deſtillationis opera, quatenus talis eſt, hanc dotem aquæ conciliari, quod ex eo ſequi neceſſum foret omnes liquores deſtillatos ſanguinis repreſſoriam vim, vel adſtrictionem induere. Quocunque loco his ratiociniis calculum ponimus, naufragium facimus, nihilominus tam grauibus auctoribus fidem non detrahimus, & rei experientiam auide exſpectamus.

Vſus radicis & ſucci eiuſdem, qui multo potentior caute eſt ineundus. *Grauidis & fœcundis hic aqua & igni interdictum eſto.* Ad purgandum, & mala, quibus conferre prædicatur, nec incorrecte, nec ſyncere ſeu ſine aliorum mixtione, quorum benignitate effera & malitioſa vis retunditur, vſurpari debet. Acumine & mordaci acrimonia epati nocet, ſtomachum vellicat, rodit, & lancinat, affluxumque ex aliis partibus maiorem eo concitat. Prima eius cohibetur noxa, ſi cum *melle paſſulato* exhibeatur, vel cum *manna* aut *ſpeciebus alephanginis* iuxta Meſuem, altera edomatur, ſi cum *maſtiche, ſyrupo cydoniorum* vel *ſpeciebus diarrhodon* ſumatur, ex eiuſdem ſententia ſuccus vtiliter propinatur cū *ſecaniabin*, hoc eſt, *oxymelite* vel *hydrome-*

Quom[...] rite co[...] gatur [...] prædi[...] mala [...] ſurpet[...]

drome-

dromelite, pondere duarum dragmatum, ad exſoluendam aluum, hydropicis, ictericis, & iecoris lieniſque obſtructione laborantibus, addita *maſtiche*, *nuce myriſtica* aut *Rhabarbari ſcrupulo*, quæ eius vehementiam retundunt. In forma pulueris ex liquore conuenienti, videlicet *iuſculo gallinæ*, aut *vitali*, cum *pauca maſtiche*, *nuce muſcata*, *vel ſpeciebus alephanginis* exhibentur ℨ iij. ad vacuandum aquas & pituitam craſſam.

Cyclaminus proprietate quadam exigit bilē per ſudores & icteritiæ medetur.

Cum *paſſo* vel *mulſo diluto* iuxta Dioſcoridem, aut cum *oxymelite* vel *hydromelite* tres pulueris dragmæ ſumptæ icteritiam abigunt, ſed oportet ægrū veſtib. ſtraguliſq; coopertū, & aliis externis auxiliis cōueniēter ad ſudorem expellendū promouere, ſic flauus ille (proprietate ſiquidem bilem ex vniuerſo corpore per ſudorem eiicit) erumpere cernitur. Serapio ℥iiij. *ſucci ſaccharo miſtas* ad tertiam partem coqui, & eodem fine propinat, vel cum æquis partibus *oxymelitis* aut *melicrate* ad tertiæ partis conſumptionem coctas ſorbere iubet, pari modo ad ſplenis infarctus, duriciesque exhibetur niſi quod à ſudore mouendo ſuperſedendum ſit. Recens ſumpta radix vomitū prouocat, ſanguinem à bile liberat, vrinam exigit, & in vino cocta medetur colico cruciatui.

Vrinam pellit.

Colico dolori medetur.

Errhinon efficax.

Eadem in oblongæ turundæ ſpeciem præciſa, & aqua vitæ macerata, ſi naribus immittatur copioſe pituitam prolicit. Vel ſi radicis cyclamini ℨj. & elaterij ℨß. maceretur in ℥iiij. *vini albi* aut *hydromelitis*, quod mitius eſt, eaq; imbuta turūda narib. inſinuetur, aut quod potius ipſe ſuccus attrahatur abunde mucum elicit, verum cum acri attamen momentaneo menyngū dolore. Puluerē adducere haut tutū. Hoc pacto dummodo poſt aſſumptā *hierā*, vel *pilulas fœtidas*, aut ſimilia vſurpetur errhinon, gratā ſentient hemicrania frigida, & ſoda neruorum, cerebrique ægritudines ceu paralyſes, torturæ, conuulſiones, aliaque ex fluxionibus orta mala opem.

Ad ſurditatem & tinnitum aurium.

Ad aurium dolorem, tinnitum, & ſurditatem radix coquitur in *oleo amygdalino* aut *camomelino*, quod inſtillatur, illa vero excocta ſimul applicatur. *Eadem cum perſicorum nucleis*, *aut amygdalis amaris tunditur*, *& triduana in aqua vitæ maceratione præmiſſa, expreſſus cremor* inſtillatur.

Ciclaminus quocunque modo vſurpatus prodeſt ægritudinib. lienis.

Cum quocunque modo vſurpatus cyclaminus profit ægrimoniis lienis, vtiliter admiſcetur vnguentis & emplaſtris eidem comparatis, plures enim lienoſi hoc remedio conualuerunt, qui multis aliis fruſtra tentatis, nihil auxilii perceperunt.

Cataplaſma ad lienem.

Proinde Platearius *malum terræ mundatum*, *& tritum in vino & oleo per xv. dies macerat*, *dein exprimit*, *& addito modico aceti decoquit ad ſpiſſitudinem pro cataplaſmate lienis.*

Colicos cruciatus ad motus ſumptus & infuſus mitigat.

Vnguentum de arthanita à Meſue compoſitum eſt ad ſoluendum ſcirrhum duriciemq; lienis & ſcrophulas. Vti vero radicis puluis aut ſuc-

cus modo *ſupra* memorato exhibitus craſſam pituitam exigendo colicos cruciatus mitigat, ita & cataplaſmatis ritu ventri appoſitus, vel cum oleis, quibus maxime eius vehementia mitigari creditur, per clyſterem infuſus eoſdem pariter tollit. Succus cum lana podici immiſſus vel infuſus ſtercora craſſa educit, hæmorrhoideſque prolicit, quod ipſum & affricta radix præſtat.

Succus illitus ventri, ſoluit & purgat. Succus ventris illitus colicum dolorem mitigat, hydropicorum aquas expurgat, aluum ſoluit, vermes propellit, fœtum corrumpit & abigit, ventriculi regioni inunctus vomitum concitat. Ex hoc inuenit Meſue compoſitionem vnguenti maioris de arthanita.

Peſſus ad ciendos menſes. Platearius ad menſtrua prouocanda & emundandā matricem reſoluit *tripheram magnam in oleo moſchelino, & coquit cum cyclamino decocto, intingit lanam,* & verendis partib. immittit; con-*Ad morſus ſerpentum.* tra ſerpentum venena tanquam Bezoar aſſumitur, & morſibus eorum applicatur. Succus prociduam ſedem repellit, cum *melle* ſuffuſionibus & obtuſæ oculorum aciei prodeſt. Contra apoſtemata ex frigida cauſa, quæ non poſſunt rumpi, propter cutis ſpiſſitudinem, pomum terræ oleo intritum, bulliat, & calide applicetur iuxta Platearium. Fiſtulæ labra dura & putridas carnes conſumit. Succus cum æquali mellis portione in ore detentus, linguæ gingiuarum cæterarumque circumſtantium partium vitia ſanat, & dentiū dolores conſopit, gargarizatus addita *plātaginis aqua* ad omnes faucium morbos facit. *Ad oris, dentium & faucium vitia.* Decocto radicis illita ſcabies perſanatur, addito *aceto & melle* næui cuticulę emaculantur, puluis *melle* remiſtus *Ad ſcabiē & mala cutanea.* vlcera conſolidat; radix in *oleo* cocta addito *ceræ modico* fiſſuras manuum pedumque è frigore perſanat, parturientis eadem fœmori applicata, accelerat partum. Cæterum cyclamini ſuccum cum æquali portione plantaginis miſtum addita *aloe, mirrha & thure* ſiſtere hæmorrhagiam, ſi naribus vel fronti applicetur, vulgo docent.

CAP. XL.

Iris florentina & Illyrica quomodo à noſtrate Germanica differat: quod hæc aquas & pituitā hydropicorum ſtrenue expurget, illa viſceribus aperiendis & roborandis pectorique maxime ſeruiat. Quo pacto noſtras dextre corrigatur, & ſuccus potiſſimum ad vſum comparetur; apozemata, ſyrupi, potiones, pilulæ, electuaria, & experientia ad hydropem comprobata remedia referuntur. Obſeruatio curati hydropis proponitur. Iridis exoticæ hiſtoria & vires & vſus multiplex ſubiungitur.

OPtandum eſſet pleroſq; rei herbariæ ſcriptores tantum operæ collo-

collocare in edifferenda vera vtilitate, quantum in vnius plantæ ſpecierum multiplicium diſquiſitionem impendunt.

Iridis quidam numerant quinquaginta ſpecies pro faciei, coloris & natalis glebæ diuerſitate: quomodo autem & quænam rectè in vſum acceſenda, id ſicco pede vt plurimum prætereunt. Erat autem cum primis determinandum, cuius inter illas plantæ ſuccus ad aquas hydropicorum euacuandas recipi debeat, & quæ ad viſcerum tum corroborationem, tum humoris craſſi inciſionem vtilior foret, & num in vna eademq; ſpecie planta, vtraque illa facultas deliteſcat. Meſue diſtinguit Iridem floris albi ab ea, quæ eſt cæruleo, illamque in ſecundo, hanc in tertio gradu calidam ſiccamque eſſe docet.

Quomodo Iris exotica ſeu Florentina & Illyrica à noſtrate Germanica differat. Verum cum Iris noſtras calida & ſicca in tertio gradu, acriſque & vrentis facultatis, vt fauces inflammet & ventriculo viſceribusque acuta ſua qualitate non parũ infeſta ſit, & violenter citrinas hydropicorum aquas & demum craſſiorem pituitam ex obturatu interiorum euellat, & hæc frequenter tam vomitione exturbet, quam per ſeceſſum ſubducat, parumque vt plurimum aromaticitatis & ſuaueolentiæ aut temperaturæ, qua ſpiritus & viſcera conſoletur obtineat; Illirica autem, & quæ ei ſurrogatur Florẽtina, ſuaueolentiæ iucunditate animam & principales corporis partes recreet, craſſa extenuet, incidat, obſtructa aperiat, ventriculum & inteſtina roboret, pituitam & inde natam paſſionem Iliacam abigat, diſcutiatque, iecoris & lienis dolores tollat, pectoris ex frigida cauſa morbos perſanet, omnino neceſſarium eſt noſtratem tantum virtute purgante antecellere Illiricam & Florẽtinam, quanto plus aromaticitatis, ſuaueolentiæ & temperiei, viſcera corroborantis hæc poſſideat. Atqui reſpondebit ex aduerſo eorum quiſpiam, Iridis Illiricæ aut Florentinæ ſuccum recentem forte eadem poteſtate, qua noſtratem educere hydropicorum aquas: cui repoſitum velim *primo* vt attendat, nec Dioſcoridem oculatiſſimum facultatis ſtirpium interpretem, nec Theophraſtum, nec Plinium id poſteritati inſinuaſſe; *deinde* Meſuen quidem mentionem feciſſe ſucci Ireos, ſed ei parem, quæ inſit *abſinthio*, virtutem adſcripſiſſe, cum tamen noſtratis Ireos ſuccus longe efficacior & violentior ſit, nec ille hydropicorum aquas aut pituitam vlla ratione efferre potis ſit, *tertio* vt conſideret, ſi recentis Illiricæ ſuccus ea præſtet, cur non ſiccatæ & in puluerem comminutæ dragma vna vel duæ inſtar noſtratis operentur, experimur autem Florentinæ & Illiricæ puluerem, ad viſcerum, neruorumque, & pectoris obturatus expediendos, pituitamque diſſipandam; & membra corroboranda confectionibus eo deſtinatis

miſceri

Iris noſtras ... purgan- ... aquas ... pituitā ... iliter ... hibetur; ... yrica ad ... roborā- ... & a- ... riēdum.

miſceri, qui ſi tanta ipſis ſupereſſet purgandi facultas, qualis in noſtrate ſiccata reſidet, nequaquam in hunc vſum conuenire poſſint, vt enim bilem & pituitam craſſam educant, Illirica & Macedonica, pondere ſeptē dragmarum propinat ex *hydromelite* Dioſcorides & Meſue à ʒ ij. ad ʒ vij. cum noſtratis ſiccatæ puluis à ʒ j. ad ʒ ij. ſatis aquarum & pituitæ moueat, promoueatque. Et ſi recte rē examinemus, Iridis Florentinæ vel Illiricæ puluis vti ad nos tranſportatur etiam magna quantitate exhibitus vix ac ne vix per aluum notatu dignum quippiam educet, multo minus infuſus vel coctus in liquorem purgandi aliquam vim deponet, quod tamen facit noſtras, ſi dragmæ vj. vel vij. infundantur; quandoquidem coctionem diuturniorem non toleret. Si demum vera eſt Galeni ſententia, vnumquodque optimum eſſe, quod proprium ſui generis odorem vehementiſſimum obtineat, Illirica vero, & cum primis Florentina aromatico affatim prædita ſit, noſtras vero tantum ipſis redolentiæ cedat, quantum viciſſim ſaporis vrente acrimonia exſuperat, ſequitur, quod cum odor talis deſcēdit à temperie ſuauiter membra roborante, & acrimonia plerūq; iuncta ſit vehementer purgantibus, vti in *euphorbio* & *diagridio*, aliiſque id genus videre eſt, illa videlicet Illirica plus habeat, quo viſcera roboret & aperiat, noſtras vero maiori purgandi vi polleat.

Atq; hoc eſt, quod definitum explicatumque volebam, quænam radix ex Iridum ſpecie ad purgandum, quæve ad aperiendum & mala pectoris, lienis, epatis, inteſtinorum eaſdemq; partes roborandas potius eligenda & aſſumenda ſit. Cum enim *Iridi Illiricæ* illam ſimul aſſignant virtutem purgandi, quæ in *noſtrate* eiuſq; ſucco conſpicue promicet, & de hac, quam exactiſſime purgare, vulgo notum eſt, an & iis, quib. illæ virtutibus roborandi prædita ſit, non indicant, factum eſt, vt confuſe omnia ad nos protruſerint.

Primo itaq; de Iride noſtrate, qua ratione & modo ad purgandum vtiliter adhibeatur, cum de purgantibus in hoc tractatu præcipue agere decretum ſit, deinde de cæteris propter cognationem, Ireos exoticę ſpeciebus diſpiciemus.

De Iride noſtrate vim hydrogogam poſſidente.

Citrinas hydropicorum aquas, vt educamus, Iridem noſtratem recipimus, non metuentes potentiam & violentiam, ſi debite corrigatur.

Laudamus reliquas, ſed noſtris vtimur herbis.

Pollet & valet heic noſtras tam agreſtis, quam culta & ſatiua.

Dummodo cæruleo radix ſit flore comata.

Eſt, vti dictum, calida & ſicca ordine tertio, vrentis & ventriculo viſceribuſque propter acrimoniam aduerſæ qualitatis, operationiſque violentiæ, vt naturam ſæpe ad reiiciendum per ſuperiora & inferiora ſimul

irritet

irritet niſi condigne & exquiſite corrigatur. Quapropter Rufus Epheſius parce & religioſe accipiendum eſſe Iridem monet, quod ſanguinem incorrecta, copioſe & incaute ſumpta, profundat, vnde nec puero talis, nec ſeni, nec prægnanti tuta, quod cæterorum more, quæ valide aquas ducunt, menſes moueat, abortum concitet & præter hæc fauces exaſperet & inflammet, ventriculum vellicet, epar debile eneruet.

Quomodo corrigatur dextre ſumpetur ſuccus Ireos.

Succus recens expreſſus exhibetur à ℥vj. ad ℥jß. vel ℥ij. in ptiſanæ cremore, vel alio quopiam iuſculo, cui aliquid *cinamomi* vel *ſacchari* ſit admiſtum. Meſue vt maleficam vim ſtomacho noxiam gulamque inflammantem retundat cum *aqua mellis* & *modico ſpicæ* propinat, vel quod potius, cum *ſero lactis*, *melle & pauxillo maſtiches* exhibeatur, vel cum iuſculo quopiam. Addenda ſemper, ne epar lædatur, illa, quæ eius virtutem & tonum cuſtodiunt, vt *Rhabarb. ſuccus agrimoniæ, ſpecies diarrhodon, diatrionſantalorum, ſpica.* Coctione ſuccus vim amittit, qui per ſubſidentiam depuratus cum *ſaccharo* vel *ſyrupo violato*, aut ouo *ſorbili*, ne fauces inflammet, exaſperetue, aut ventriculum lædat, rite aſſumitur. Ille vero è venis & cauis epatis, & liene præterquam, quod obſtructiones ſimul expediat, duntaxat educit, ſi vnciæ dimidiæ pondere detur, quam cum tranſcendimus doſin, ex ipſa etiã abdominis cauitate ſcroto partibuſq; lõginquis prolicit.

Ex manuſcripto Ioelis eſt ſequens, cui per omnia ſimilis eſt Wieri potiuncula. *Potionum ex ſucco Iridis formulæ practicis eminentioribus receptæ.*

℞. *ſucci Iridis noſtratis* ℥iij. vel ℥ß.
ſyrupi roſarum ſolutiui ℥j.
cinamomi electi ℈j.
miſce. vel

℞. *ſucci Iridis per reſidentiam depurati* ℥jß.
ſyrupi de mentha vel de 2. radicibus ℥ij.
miſce. vel

℞. *ſucci Ireos depurati* ℥iß.
aquæ cinamomi ℥vj.
mellis anthoſati ℥j.
Miſce f. hauſtus.

℞. *vitellor. ouorum, quæ ante parum bullierint, num.* ij.
ſucci Ireos noſtrat. ℥iß.
ol. rutacei deſtill. gutt. iij.
Miſce. Aut

℞. *ouum gallinæ & effuſo albumine, ſuccum Iridis infunde, vitello diligenter miſce, cumque modicum ad cineres calfeceris, pro hauſtu matutino exhibe.*

℞. *ſucci Ireos recentis per reſident. depur.* ℥vj.
Rhabarb. ℥j.
Infunde hoc in ſucco per noctem, mane exprime fortiter, & adde
ſucci cyclamini depurati ℥iß.
ſyrup. capill. Vener. ℥j.
aquæ cuſcutæ ℥ij. *Miſce.*

℞. *ſucci Ireos* ℥vj.
pul. ſoldanellæ ℥ß.
Detur ex decocto conuenienti.

℞. *ſpecier. diarrhod. Abb.*
Trochiſcor. de eupat. ℈ij.

ſucci radic. Ireos ʒ vij.
aquæ mellis ℥ iij. *Miſce, fiat hauſtus.*

Gordonius teſtatur, hydropicos arte nulla ſanabiles iuuari ab Iride; & Nicolaus Florentin. multa curationum exempla recenſet, & de ſexto in ſextum diem communiter exhibet ſuccum Iridis à ʒ iij. ad ℥ j. vel quantum media oui gallinacei teſta capit, intermedio tempore epar & viſcera roborat. Eraſtus tradit, ſe alterna exhibitione ſuccorum *abſinthij & Ireos* aſciticum pauperem incredibili ventris, pedum & pudendorum tumore laborantem percuraſſe.

Obſeruationes curationum hydropis per ſuccum Ireos.

Digeſtiuũ in hydrope.

Digeſtiuum in hydrope.

℞. *Tartari vitriolati* ʒ iß.
Faculæ Ireos,
bryoniæ ana ʒ j.
ſalis carduibened.
geniſtæ ana ʒ ß.
magiſterij corall. rub. ℈ ij.

Doſis eſt ʒ ß. cum *vino abſinth.*

Potio hydragoga.

Potio vtiliter probata in curatione hydropis.

℞. *fol. ſoldanellæ* M. j.
ſem. fœniculi ʒ iß.
radic. centaur. maior. ℥ ß.
Herb. agrimoniæ,
eupatorij Meſue ana M. ſ.
abſinth. p. ſ.
ſpicæ celticæ ʒ j.
paſſul. p. iß.
coque l. a. in hydromelite, colaturæ R. ℥ x. *quibus infunde per noctem fol. ſenæ* ʒ vj.
ſem. aniſi ℈. j.
Turpeth. gumm.
Rhabarb. elect. ana ℈ iiij.
zinzib.
ſquinanth. ana ℈ j.
florum geniſtæ,
ſambuci ana p. ſ. colentur
Colaturæ ℞. ℥ iiij.
ſucci Ireos noſtrat. ℥ iß.
electuar. de ſucco roſarum ℥ ij.
ſyrupi de abſinthio ℥ ß. *Miſce pro duabus vicibus.*

vel ℞. *hydromellis ex aquæ partibus ſex, duabus vini & vna mellis cocti & deſpumati,* ℥ x. *his infunde per noctem ſoldanellæ bene adſeruatæ M. j.*
ſem. aniſi ʒ iij.
paſſul. minor. p. iß.
liquiritiæ raſæ ʒ ij.
mane leuiter ebulliant, colentur,
colaturæ ℞. ℥ iiij.
ſucci Ireos noſtrat. depur. ℥ iß.
pul. Rhabarb. opt. ℈ iiij.
ſpicæ ℈ ß.
ſyrup. infuſ. flor. perſicorum,
de myrobal. ana ℥ ß.
Miſce.

Vſus pu- ueris & radicis conditæ.

Radices Ireos recentis *ſaccharo* condiri iubet Wierus, & aſſumi ℥ j. pondere. Puluis tamen hodie à ʒ j. ad ʒ ij. duntaxat exhibetur. Non inconuenienter quidam præſcribunt vinum, in quo taleoli radicis Iridis macerati ſint.

Denius in praxi manuſcripta, quã adſeruo, radicem flauo & aureo flore vſurpat modo, qui ſequitur.

Vinũ purgans Magſtri Deni medici qudam Roſtchienſis.

℞. *radic. Iridis flau.*
leuiſtici,
oſtrucij,
enulæ,

enulæ,
raphani ana ℥ iß. *macerentur in vino.*

Celebre eſt vinum Murlati huius deſcriptionis. *Vinum Murlati.*

℞. *radic. quinq; aperient.*
liquiritiæ raſæ,
cort. radic. cappar.
median fraxini ana ℥ j.
radic. Ireos recentis,
calami aromat.
cinamom. ſelecti ana ℥ ß.
capill. Vener.
ceterach,
fol. tamariſci,
flor. cordiac. ana M. j.
abſinth. pontici,
carduibened.
hyſſopi ana M. ß.
ſem. apij,
aniſi,
ameos,
fœniculi ana ʒ ß.
fol. ſem. Alexand. mund. ℥ ij.
ligni guaiaci limat. ℥ iß.
ſacchari albiſſ. ℔ ij.
vini generoſi ℔ XL. *Affunde vinum ferueſactum, & include vaſculo.*

℞. *radic. vincetoxici* ℥ ß.
angelicæ,
peucedani,
calami aromat. ana ʒ ij.
pyrethri ʒ j.
Turpeth. elect. ʒ vj.
enulæ ʒ j.
herb. marrubij ℥ ij.
ſoldanellæ ℥ ß.
Gratiolæ,
veronicæ,
cimarum abſinth. ana ʒ j.
cort. frangulæ,
ſambuci interior. ana ʒ ſ.
fol. ſenæ Alexand. mundat. ℥ ij.
cinamom.
cardamom.
garyophill. ana ʒ j.
ſem. fœniculi ʒ ij.
Tritis & mixtis affunde vini ℔ xij.

Cuius ℞. ℥ iiij. *Potio hydrotica.*
ſucci Ireos noſtrat. ℥ j.
ſyrup. violar. ℥ ß. *Miſce.*

Ni voto reſpondeat, miſce *elaterij vel guttæ gummi* aut *extracti gratiolæ grana* iij. *vel.* iiij.

Syrupus magiſtralis D. Stapedii ex Iride. *Syrupus de ſucco Ireos.*

℞. *ſucci radi. Irid. Florent.*
vini albi ana ℔ j.
ſucc. radic. eryngij,
petroſelini,
fœniculi ana ℔ ß.
herb. ſoldanellæ M. iiij.
Eupatorij,
menthæ,
abſinth. pontici ana M. ij.
Rhabab. elect. ℥ ij.
cinamom. ℥ ß.
ſem. ebuli recent.
alkekengi ana ℥ ij.

In phiala vitrea bulliant lento igne ad medium, colentur; colaturæ adde ſacch. ℔. j. *f. ſyrupus.*

℞. *Rhabarb. trium dragm.* in *vino abſinth. infuſum.*
ſucci Ireos recens expreſſ. ℥ iiij.
aquæ cinamom. ℥ ß.

ſacchar. quantum ſufficit, coquantur in formam ſyrupi; doſis ab ℥ j. ad ℥ iß.

℞. *ſucci Ireos* ℥ iiij.
Illi infunde Rhabarb. ℥ iij.
folior. ſoldanell. ℥ iiß.
Adde aquæ cinamomi ℥ j.
Stent in infuſione per horas xxiiij. *exprime, & miſce ſacchari* ℥ iiij.
Bulliant ad conſiſtentiam ſyrupi. Doſis ℥ j. ad ℥ ij.

℞. *ſoldanellæ* ℥ iß.
mezerei ℥ ß.
ſem. aniſi,
carui,
dauci,
fœniculi ana ℥ iß.
Bulliant in vino Rhenenſi, in quo maneant per noctem, mane

Pilul. Ireos.

℞. *colaturæ* ℥ iiiß.
ſucci Ireos ℥ vj.
Miſce fiat potio.

℞. *pil. de Rabarb.* ℈ ij.
aggregatiu. ℈ iß.
elaterij gr. iij.
ſucci rad. Ireos noſtrat. q. ſ. f. pilulæ.

Electuarium Wieri ex Iride.

℞. *ſucci rad. Ireos noſtrat.* ℥ iij.
rad. Galang.
Zedoariæ ana ℥ ij.
cinamom.
Garyophyll. ana ℥ iß.
Braßicæ marinæ ℥ ß.
mellis deſpumati q. ſ. fiat electuarium.
doſis cottidie ℥ ß.

Electuaria ex ſucco vel radice Ireos elegantia.

Vel ℞. *ſucci Ireos* ℥ iiij.
galangæ,
Zedoariæ ana ℥ ij.
cinamomi,
Garyophil. ana ℥ ß.
Rhabarb. elect. ℥ iij.
ſpicæ ℈ ß.
Trochiſcor. de eupator.
de capparibus.
de aniſo ana ℥ jß.
cum melle deſpumato f. electuarium, cui inſtilla olei ſem. aniſi ℈ j.

℞. *ſoldanell. recent.* ℥ vj.
ſucci Iridis noſtrat. ℥ x.
Electuarii de pſyllio,
Hieræ ſimplic. ana ℥ ß.
ſpecier. diatur. cum Rhab. ℥ iij.
fol. mezerei in aceto macerat. ℥ jß.
cum ſyrupo de eupatorio f. electuarium.

℞. *radic. Ireos noſtrat.* ℥ v.
Elenij ℥ iß.
Scindantur in fruſtula tenuia, & coquantur ad pultem, quæ traiiciatur per ſetaceum, cui dein adde corticum citri coctorum, & eodem modo traiectorum ℥ j.
ſpecier. dialacc.
diacurcum.
diatrionſantal. ana ℥ ß.
fœcul. bryoniæ,
Ireos noſtrat. ana ℥ ij.
conſeruæ calendulæ ℥ ß.
ſyrupi de abſinthio,
de eupatorio ana q. ſ.
Fiat electuarium.

℞. *herb. eupatorii,*
cuſcutæ,
maioranæ,
abſinthij

agerati

agerati ana M.ß.
cort. myrobal.chebulorum,
citrinorum,
radic.fœniculi,
apij,
Iridis,
cichorei,
bryoniæ recent.
ebuli ana ℥ iij.
petroſelini,
aſparagi,
Valerianæ,
Meu ana ℥ ij.
capparum. ℥ iß.
ſem. dauci,
Petroſelini,
ſchœnanti,
caſsiæ ligneæ ana ℥ j.

Trita coque in aqua ad tertias, colentur, in colatura bulliant Rhabarbari ℥ ij.
Turpeth.alb.opt.
agarici trochiſcat.ana ℥ j.℈ j.
zinzib.albiſſ. ℈ ij.
cinamo. ℥ ß.
ſpicæ ℈ j.
ligni aloes,
ſpodii ana ℈ ß.
macis gr. vj.

bulliant iterum & fortiter exprimantur, dein adde ſucci Ireos depurati,
ſacchari optimi ana ℥ vj.
ſyrupi de eupatorio,
de abſinthio,
oxymellis ſquillit.ana ℥.
ſpecier.diacurc. ℥ ß.
dialaccæ ℈ ij.
diarrhod.Abb. ℈ j.
Trochiſc.de eupator. ℈ ß.
de Rhabar. ℈ j.
Elect.diaturbith cum Rhab. ℥ ß.
de ſucco Roſar. ℥ ij.
Indi maioris ℥ ijß.
Fiat ſecundum artem electuarium

℞. *Rhabarb.ſelectiſſ.* ℈ ij.
maſtichis,
ſpicæ,
roſarum,
laccæ ana ℈ j.
fol. laureolæ aceto infuſorum & ſiccator. ℥ j.
agarici albiß.
Turpeth ana ℥ ß.
Euphorb.gr.vj.
lumbricor. terræ ſiccat. ℈ ß.
elaterii ℈ ß.
ſucci radic.Ireos ℥ j ß.
ſacchari in aq.endiu. Et cichor. ſoluti q.ſ.
fiat confectio in tabulis. Tabulæ.

Etiamſi vis purgans alembicum communiter non tranſcendat, tamen *florum Iridis purpurearum aqua deſtillata* pōdere ℥ iij.cum *ſpec.diatrion ſ.* ℈ *ſ.* hauſta fertur aquas ſatis luculenter purgare. *Aqua Iridis.*

Apud Hollerium vide electuarium
ex *ſuccorum cucumer. aſinini,*
laureolæ,
Ireos,
abſinthii,
eupatorii ana p.æ.quibus mixta Rhabarbar. agaric. ſal gemmæ & corroborantia.

Sequenti potione & pilulis diui-

na opitulante gratia percuraui hydropicos, de quibus iam conclamatum erat.

Obſeruatio curati & ſanati hydropis.

℞.radic. Valerian.
chelidon. maior.
vincetoxici,
Elenii,
ebuli ana ℥ ß.
brioniæ,
aſari,
cyclamini ana ℥ iij.
leuiſtici,
fibrar. rad. Eupatorii Auicen. ana ℥ v.
raſuræ rad. Ireos noſtr. ℥ j.
Cortic. median. ſambuci,
frangulæ,
fraxini,
citri ſiccat. ana ℥ iij.
ſem. baccarum ſambuci,
ebuli tritorum,
fœniculi ana ℥ iß.
Baccar. Iuniperi,
alkekengi,
hederæ ana ℥ iiß.
flor. geniſtæ,
anthos,
calendulæ,
ſambuci ana p. j.
Herbar. mercurialis,
agerati,
chamædr.
marrubii,
matricariæ,
ſauinæ ana M. ß.
ſummitat. abſinth.
centaur. minor ana M. j.
myrobal. chebuli ℥ j.
ſem. carthami conquaſſ. ℥ x.
paſſul. mundat. ℥ ij.

Fiat decoctio in ſ. q. aquæ & tertia parte vini Rhenani, colaturæ infunde per noctem

fol. ſenæ Alexand. mund. ℥ ijß.
agaric. trochiſc.
Rhabar. ſelectiſſ. ana ℥ j.
Turpeth alb. opt. ℥ ß.
fol. ſoldanellæ ℥ x.
ſem. aniſi ℥ ij.
zinzib. ℈ iß.
cinamom. ℈ j.
cort. arancior. ℈ ij.
ſpicæ ℈ ß.

Stent in infuſione per noctem calide mane ferueſiant, colentur, exprimantur, colaturæ ℞. ℥ xx.
Quibus miſce ſyrupi de abſinth. ℥ iiij.
aquæ theriacal. ℥ ß. Remiſce. Doſis ℥ iiij.

Pilulæ.

℞. ſagapeni in ſucco elenij ſoluti,
pul. Rhabarb. ſelectiſſ. ana ℥ ij.
fæculæ Ireos,
extracti panchimag. Croll. prior. deſcript. ana ℥ iß.
elaterij ℥ ß.
diagrid.
guttæ gummi ana ℈ ß.
extracti centaur. minor.
gentianæ,
pul. mirrhæ ana ℈ j.
nitri præparat. ℈ ß.
Cum ſ. q. ſyrupi de abſinth. f. pilulæ.

De fæcula bryoniæ vide Quercetanum & Libauium.

℞. radic. cucum. agreſt.
Bryoniæ ana ℥ j.

Hellebor.

Hellebor.alb.
ebuli,
raphani ruſtici,
gentianæ,
aſari ana ℥ vj.
Herbar.gratiol. ℥ j.
folior.laureolæ ℥ ß.
baccar.Iuniperi ℥ iß.
lauri excorticat. ℥ ß.
cocognid. ℥ ß.
herb.camomill.Roman. cum flor.
ſatureiæ ana M.j.
ſoldanellæ ℥ j.
Infundantur in lixiuij ℔ xiij.

Clyſter ad hydropem vtiliſſimus.

Huius ♃. ℥ ix.
fermenti acris,
ſucci Ircos noſtrat.ana ℥ j.
electuarij benedictæ laxatiuæ ℥ vj.
de baccis lauri ℥ ij.
olei rutacei ℥ ß.
Miſce, fiat clyſma.

Aliud ♃.*radic.Ireos noſtrat.*
Bryoniæ,
cyclamini,
cucum.aſinini ana ℥ iij.
ariſtolochiæ vtriuſque,
gentianæ,
enulæ ana ℥ iß.
radic.ebuli,
cort.median.ſambuci ana ℥ iiij.
fol. eupatorii Meſue,
abſinth.
camomillæ,
naſturtij,
centaurei minor.
hyperici ana M.iß.
flor. geniſtæ p.ij.
ſem. aniſi,
fœniculi,
cumini ana ℥ ß.
baccar.lauri,
iuniperi ana ℥ vj.

Fiat *omnium decoctio, cuius colaturæ* **infunde** *ſol.ſenæ* ℥ iiij.

Huius decocti repone partem maiorem, & quod reliquum eſt, et adde mellis roſati & mercurialis quantum ſufficit, & inſpiſſa ad mellaginem, cuius ♃.℔ iij.
confectionis hamech.
hieræ picræ ana ℥ v.
folior.ſenæ ℥ iij.
Mechoacæ ℥ ij.
croci metallor. ℥ iij.
ſalis gemmæ ℥ j.

Reducantur ad conſiſtentiam opiatæ,
♃. *prioris decocti* ℔.j.
confectionis illius ℥ j.*vel paulo plus*
mellis mercurialis,
ſacchari rubri ana ℥ ij.

Miſce, fiat clyſter iniiciendus alternis vel tertio die.

De errhinis & caputpurgiis ex iride componendis vide auctores.

Iridis Florentinæ hiſtoria, vires & vſus.

Hactenus quomodo Iris noſtras ad purgandum ſeroſos humores & hydropicorum aquas, quomdolibet præparetur & vſurpetur, conſequens eſt, vt de Iride exotica & aromatica, qualis Florentina, diſpiciamus. Ea calida eſt in ſecundo, & ſicca in tertio ordine, abſtergit, aperit, obſtructa maturat, reſoluit, digerit, pectori eſt dicata, cuius craſſam & viſcoſam pituitam attenuat, educit, viſcerum, velut epatis, lienis, renumq; obſtructionibus medetur, ictericiam tollit,

calcu-

calculos, vrinaſque promouet.

Ad anhelitus difficultatem porrigitur cum *oxymelite* vel *hydromelite*, vti & ad viſcerum infartus & ictericiam.

Ad anhelitus difficultatem.

℞. *Terebinth. cypriæ oxymell. ſquillit. lotæ ana* ℥ j.
pul. *radic. Ireos Florent.*
ſacch. candi albiſſ. ana ʒ vi.
ſyrup. de liquiritia,
de ſucco violar. purpur.
oxymellis ſquillit. ana ℥ ß.
ſpiritus ſulphuris acidi ℈ ß. *Miſce.*

Huc refer *extractum Ireos Florentinæ* cum *ſpiritu aniſi vel aqua cinamomi* præparatum.

Ad viſcerũ obſtructiones & Iliacam paſſionem.

Decoctum radicis Iridis vtiliter exhibetur obſtructione viſcerum, videlicet lienis, epatis, vterique ex materia craſſa laborantibus, & ictericis.

Puluis radicis Iridis Illiricæ ʒ iß. pondere vtiliter datur ex *paſſo* vel *maluatico calido* iliacis, vermes præterea pellit, vrinas & calculum educit.

Lienem & matricem aperit & mundat.

Iridis recentis radices ſaccharo vel melle conditæ non ſine emolumento dantur calculoſis, anheloſis, hydropicis & reſolutis. Dioſcorides docet, ex *aceto* potam ſerpentum ictibus, lienoſis, conuulſis, & quibus genitura effluit, mederi, cum *vino* hauſtam emundare matricem, educere menſes & abortum concitare, Emplaſtri fomentiue ritu muliebribus locis impoſitam, emollire, venarũq; obſtructarum ſpiracula laxare, ex melle ſuppoſitam partus extrahere, Iſchiadicis infuſam & adpoſitã prodeſſe, hæmorrhoidarum apices fotu prolicere & aperire. Decoctum Ireos ex aceto dolorem dentium ſedat & affluxum materiæ compeſcit. Viſcerum, neruorum iuncturarumq; dolorem & tumorem ſoluit, duriciem emollit, apoſtemata & ſcrophulas cum *vino, melle & oleo camomelino* digerit & diſſipat.

Decoctum Ireos ad dentium dolorem.

Ad capitis dolores cum *aceto roſaceo* vtiliter applicatur. Per ſe aut vulnerariis remediis miſta, ſarcoticum eſt remedium, ſicca vulnera carne replet, *melli* confuſa, antiqua & ſordida vlcera emundat. *Dragmæ quatuor pulueris Iridis* cum *cinamomi & anethi dragmis duabus* & *croci ſcrupulo vno ex vino* in panno coccineo applicata dolorem & tumorem teſticulorum mirifice tollunt.

Olei Iridis vires.

Oleum, quod è floribus & radicis ſucco conficitur reſoluit, emollit, concoquit, attenuat, dolores ex cauſa frigida ſubleuat, capiti illitum catarrhum maturat, cephalalgiam mitigat, ſomnũ conciliat. Inſtillatur in aurem ad cõpeſcendum dolorem, & in nares ad fœtorem emendandum. Neruos & iuncturas illitum roborat, ſpaſmo humido, pectoris, iecoris, lienis renum & matricis dolori, peripneumoniæ & pleuritidi conducit, iuuat podagricos, articulorum duritiem emollit. Quia vero ſpiritalia membra Iris maxime reſpicit, eximiæ confectiones illarum partium à frigida cauſa & deſtillatione affectibus adprime vtiles ex ea ſunt comparatæ, quales

quales *diaIris ſimplex*, *diaIris Salomon:* *loboh ſanum,&c.*

In magnatum gynecæis ad emaculandam faciem vtuntur puluere *ex farina Ireos Florent, & fabarum ana p.a.& tertia parte tartari albiſſimi.*

Pulu*i*s violaceus miræ fragrantiæ hoc modo componitur.

Puluis violaceus mi[ræ] fragrã[tiæ].

2℞. *roſarum rub.* ℔. ß.
Iridis Florentin.℔.j.
maioranæ ℥ ij.
ca'ami aromat. ℥ j.
cyperi,
cariophyll.
cort.arancior.ana ℥ ij.
Styracis calamit.
Benzoi ana ℥ ß.
veſicarum, quibus affertur moſchus conciſarum n. j.
moſchi,
zibetti ana parum.

CAP. XLI.

Guttæ gummi denominationes variæ, patria, ſubſtantiæ & virium diuerſitas, qualitas, humores ſeroſos ex abdomine & articulis trahendi, & vomitum concitandi potentia, doſis & vſus deſcribitur. Concinnæ purgantium, & ad diuerſos morbos accommodatæ formulæ traduntur.

GVmmi, de quo dicturus ſum, Indicum vti variis indigitatur nominibus, ita, quid proprie ſit, nondum ſatis liquet. Vocatur *gummi* de Goa (quamuis ex Sinarum regione transmittatur) *gummi guttæ, gummi gith & gemou, gummi Indicum, gummi Peruanũ, gutta Gemau, Gemu, gutta Gamandræ, Ghittagemou,* indigenis Sinarũ *Chattacemou, cattagauma, ſuccus Gambici, ſuccus Crãbici, Manardo* ob inſignẽ ad podagricos affectus ex ſeroſis humorib. vtilitatem gummi ad podagram. Ad mineralium vel animalium claſſem haut pertinere, neque reſinam, ſed ſuccum concretum eſſe, in confeſſo eſt, qui, an ſimplex ſit ex arbore frutice vel herba quadam profluus, aut expreſſus concreuerit, num factitius ex *euphorbio, ſcammonea*, aut *chelidoniæ, tithymalli, cataputiæ, corticis mediani, frangulæ, Rhamni vel cataputiæ ſucco cum Rhabarbaro, croco vel curcuma tinctis*, an vero *florum Ricini Indici*, cuius præſtans vtilitas in hydropicorum ſeroſis humoribus educendis, adhuc dubitatur. Pro ſimplici reputatur ſucco, donec quomodo ex pluribus conferruminetur, penitius & ſolidius intelligamus. Carol. Cluſius *lib.4. exoticat.c.*8. ex Sinarum regione aſportari, & indigenis *Ghittacemou* nominari, puris nulliſq; ſordibus infectum fului coloris eſſe, & ſaliua vel aqua tinctum flauo colore inficere, eoque incolas ad aqueos humores educendum vti, ſcriptum reliquit. Pictorib. noſtris prius & citius, quam Medicis in vſu fuit, purgandi autem facultate explorata inſtitorum perfidia, auaritia & polypragmaſia adeo diffuſa eſt

Varia nomina Guttæ gummi.

ad rudiores & obſcuriſſimos etiam empiricos eius notitia, vt ſine diſcrimine quoslibet humores cuiuſcunque ſexus, & ætatis, hoc ipſo paſſim gentium educere bruto & temerario impetu aggreſſi fuerint.

Manardus *gummi podagricum*, ſiquidem ſit idem cum eo, quod *gummi gutta* vulgo nominatur, & in vſum venit, calidum ſiccumque in primo ordine ſtatuit. Verum ꝙ acriculum quendã calorẽ vbi ſumptũ fuerit, in faucibus demum oſtendat, qui cum in ponderoſa denſaque hæret materia ibidem & extremo palatu exquiſitioris ſenſus ſe prodit, ſecundum caliditatis gradum non iniuria complere, arbitrandum eſt. Hæc virtus propter ſubſtantiæ ſoliditatem lente erumpit, eſt enim quaſi pinguior ſuccus concluſam penitus in ſeſe qualitatem acrimoniæ & caloris participem continens, qui in ſtomacho ſe exſerit, vnde nauſea leuior & ventriculi reſupinatio quædã excitatur. Hac de cauſa billioſis naturis eius vſu interdicunt, aut ſane cautiſſime ſumere monent Practici. Aquas ſeroſas ſerumq; biliosum, ſalſum & feruidius, tenuioreſque humores copioſe & ſine magna naturæ concuſſione educit, quocirca expertiſſimum & præſentiſſimum eſt remedium ad humores podagricos & hydropicorum ſuperfluitates educendum. Proprietate quadam tenuem humorem, qui vt in articulos influat, ſub forma ſeri penetrare debet, dũmodo nec inflammatione, vel diuturniore mora impactus fuerit, extrahit, euidenti & conſpicuo ægrorum commodo; ventriculi interim colluuiem pituitoſam, & quamcunque ibidem inuenit ſaburrã per ſuperiora ſimul, vehementia non adeo formidabili, qua vomitoriorum pleraque operantur, eiicit. Modum vtendi inquilinis vbi prouenit, vſitatum, tradit Manardus his verbis: *Fragmentum illius, nucis ponticæ magnitudine ſtillatitio quodam liquore noctem integram macerant noui orbis incolæ, poſtridie mane percolant & exprimũt, eam aquam ad duas vncias ſumunt, neq; quicquam cibi ſuperingerunt ante meridiem.* Certam huic pharmaco deputare doſin non ita facile eſt, quod vſu deprehendatur remiſſiores & intenſiores eſſe virtutes in diuerſis huius concreti ſucci partibus, & diuerſas in aliis atq; aliis magdaleonibus qualitates, cum quoad ſaporem, qui m. gis minuſve acris percipitur, tum quoad colorem, qui ſubcroceus, fuluus, vel ad rubrum propius accedat; & quod is, qui hoc menſe vel anno nouus offertur, vel in diuerſis reperitur pharmacopoliis, eadẽ doſi eandem purgandi vim non obtineat. Alibi n. proſtat, qui paluum duntaxat purgat, & alibi, qui ſurſum magis vel vtrobiq; vim ſuam expedit. Primitus cum in vſum veniret, ſufficiebãt grana nouem, poſtea ad quindecim & viginti vſq; peruentum eſt, hac tempeſtate ad ſemidragmæ pondus aſcendunt. Ne ventriculum offendat, *oleo macis* vel *cinamomi*,

Guttæ gummi qualitas & ſubſtantia modus.

Vires & facultates purgandi.

Doſis & modus exhibendi.

momi, adiecto pauxillo *ſpecierum diambra* corrigere ſatagunt, cum *conſerua roſarum, violarum, florum tunicæ, acaciæ & perſicorum* exhibentes. Vel ſedecim grana cum ſcrupulo vno *cremoris tartari, vel tartari vitriolati* ex iuſculo cum momento *cinamomi & ſacchari* propinant.

Formantur etiam pilulæ ex gummi gutt. gr. xv. *ſpecier. diambr. gr.* iiij. *ol. fœnic. deſtill. gutt.* iij. *cum aq. cinamo. vel ſyrup. roſarum laxatiuo.* vel

℞. *gummi guttæ gr.* xiij.
Tartar vitriolat. gr. iiij.
cum ſyrup. de cort. citri f. pil.

Præſtantiſſimam ipſi conciliari facultatem aiunt, ſi cum *ſale fraxini vel abſinthii* miſceatur.

Mindererus ſoluit in *ſpiritu vitrioli*, quem per alembicum euocat, & maſſam aqua pluuiali abluit, ſed nec iſta præparatione nauſeam & vomitus ciendi feruor obliteratur. Nec enim, quæ calida & tenuium ſunt partium, vt *oleum cinamomi, macis. fœniculi*, nec quæ acida exſiſtunt, & erodentem acrimoniam cōiunctam habent, guttam gummi debite diſponunt. Omnium optime præparatur, vt nauſeam vomitumque ciendi poteſtatem deponat, ſi affundatur vinum maluaticum, cui affuſis *ſpiritus vitrioli* guttis aut *citri, limonumue* paucis guttis lenis ſit acor conciliatus, eoque eſſentia extrahatur & tepore B. deinde ſeparetur. Neque etiam inepte ſimplex *maluaticum* tinctura guttæ imprægnatum *ſuccis aranciorum, granatorum dulcium, ceraſiorum nigrorum, violarum, cydoniorum, pomorum Porſdorffianorum ſaccharoque* adiecto in ſyrupum vel ad talem conſiſtentiam coquitur, vt in ſcatulas fundi poſſit, vel cum *manna, pulpa prunorum paſſularumue* ad formā electuarii perducitur. In pilulari ſpecie non inutiliter cum aloe inſuccata, qualem *ſupra* deſcripſi, porrigitur. Qua doſi & quomodo recentiores vſurpent, ex variis hinc inde aliorum opera collectis paradigmatis lectori facile planum fiet.

Correctio.

In forma potionis ad tertianam ſic eſt exhibitum.

℞. *gummi gutt.* gr. viij.
ſyrupi roſarum ſolutiui ℥ j ß.
aq. Endiuiæ q. ſ. miſce pro hauſtu.

Pro hydropico debili potiuncula.

℞. *gummi guttæ* gr. iiij.
ſpiritus vitrioli gutt. j.
ſyrupi de cinamo. ℥ ij.
miſce.

Ad eundem affectum in forma pilulari.

Purgantia varia ex gutta gummi formula.

℞. *extract. cucum. agreſt.* ℈ ß.
Gummi gut. gr. ix.
Cum ſyrupo de cinamomo f. pil.

Ad alios affectus.

℞. *gummi* gut. gr. xv.
ſpecierum diamb. gr. iiij.
ol. fœnicul. deſtillat. gut. iij.
cum aqua cinamomi.

Vel: ℞. *gummi guttæ gr.* x j.
man. Chr. cum ol. cinamo. ℈ ß.
M. f. puluis.

vel ſic in ictero.

℞. *Rhabarb. elect.* ℥ j.

gummi gut. gr. vj. *f. pil.*

Datur hic puluiſculus cum iuſculo, vino abſinthite, generoſo, maluatico, vel aq. cinamomi.

℞. *aquæ betulæ* ℥ iij.
ſpiritus vitrioli gut. iij.
Infunde per noctem Rhab. ℥j. *mane fiat colatura, in qua ſolue*
gummi gut. gr. viij.
ſyrupi de cinamo. ℥ iij.
M. f. hauſtus.

℞. Tartari vitriolati ℈ ß.
gummi gut. gr. iiij.
Infunde per noctem in aq. cinamo. ſtillatitiæ ℥j. *in colatura mane ſolue*
ol. Garyophyl.
cinamom. ana gut. j.
diagrid. præp. gr. iij.
Miſce, f. hauſtus.

In forma conſeruæ, miſturæ vel boli.

℞. *Gummi gutt. gr.* 10.
ol. cinamo.
macis deſtillat. ana gut. j.
Cum conſeruæ roſarum violar. perſicorum vel betonicæ f. miſtura.

Puero aſthmatico tria grana cum *oxymelite ſquillitico* miſta ſalubriter ſunt exhibita.

In forma electuarii ad anaſarcam.

℞. *Mercurii dulcificati rite præparat. gr.* xv.
guttæ gummi gr. v.
conſer. roſar. ℥ ij. *cum ſyrupo roſarum ſolutiui q. ſ. miſce.*

Vel ℞. *diacydon. lucidi ſimpl.* ℔. j.
guttæ gummi præparati cum ß. *vitriol.* ℥ 6.
Miſce. f. electuarium.

Vel paretur *diacydonium lucidum laxatiuum cum extracto ſcammonii & guttæ gummi,* quod etiam minima doſi hydropicorum aquas expurgat.

In forma tabularum.

℞ *gummi guttæ gr.* vij.
Trochiſcor. alhandel gr. iiij.
ol. aniſi gutt. ij.
Cum ſaccharo in aq. cinamo. ſoluto f. rotulæ.

CAP. XLII.

Elaterium purgat aquas, pituitam & bilem, ex abdomine & ab articulis potiſſimum. Proinde medetur hydropi, arthritidi, cephaleæ, hemicraniæ, epilepſiæ, paralyſi, ictero, iecoris & lienis obſtructionibus, colicæ & Iliacæ paſſioni. Vtiliſſima remediorum genera ad hos affectus ex elaterio confecta proponuntur, correctio, extractio, inſuccatio, & vſurpatio commoda, dilucide traditur, faucium illitu vomitum citat, naribus attractum, pituitam copioſe, & vtero ſubditum menſes prolicit. Anginas occultas & lethales per vomitoria ex elaterio, & materiam ex profundo trahentia, curandi ratio multis obſcura & paucis intellecta explicatur.

Elateriū eſt *ſuccus fructuū cucumeris agreſtis,* cuius eliciēdi & p̄parandi modum

modum Dioſcorides dilucide tradit. Succus foliorum & radicis cucumeris aſinini eiuſdemque puluis etiamſi vſum medicum ingrediantur, tamen frequentior eſt ſucci fructuum, cui nomen elaterii, vſurpatio. Refertur à Meſue ad tertium caliditatis & ſiccitatis ordinem, quamuis Galen. mitioris eſſe qualitatis & ſecundum attingere gradum, ſcriptum reliquerit. Conſtat ex igneis & terreis aduſtis partibus, & eſt ſubſtantiæ ſubtilis, ſummæq; amaritudinis, reſoluit, extenuat, aperit, abſtergit, obſtructiones expedit, ora venarum reſerat.

ires & ualitates aterii.

Formali proprietate è diſtantiſſimis corporis partibus vti ab articulis & iuncturis, & in cauitatem abdominis illapſam & coercitam aquam, pituitam & demum bilem educit, tanta, niſi corrigatur, cum vehementia, vt per ſuperiora ſimul & inferiora eadem exturbet. Syncerum proinde & incorrectum doſique excedenti nequaquam exhibendum, quod tormina & roſiones anguſtiamque excitet, & ora venarum acrimonia ſua aperiat. Duplici autem vitio, quod ipſi adimendum, vel certe admodum cicurandum, antequam in vſum trahabatur, laborare, docet Meſue, vnum eſt, quod orificia venarum reſeret & excoriet, vnde torſiones & anguſtiæ; & alterum, quod lente ſegniterque operationem ſuam perficiat. Primum agnoſcimus, ſecundum nec experimur, nec cauſas inuenire aut explicare poſſumus, cur ſegnius agat. Quæ enim tantæ ſunt virtutis, vt exigua doſi è remotiſſimis partib. attrahant, idque tali cum violentia, vt ſurſum deorſumque eiiciant & excutiant attractam colluuiem, ea nunquam tarde operari obſeruantur; eorum vero eſt lente purgare, etiamſi remota reſpiciant loca, quorũ vis in denſiore & cõpacta hæret ſubſtantia, qualia ſunt *hermodactyli, turpethũ*, &c. Omnia a. vehementer purgantia & è tertia regione educentia, quo acutioribus qualitatibus, maiori acrimonia, & ſubtilitate ſunt prędita, eo violentius citiuſque operantur, adeo, vt actum etiam præcipitent, quod in *diagridio* & *euphorbio* videre eſt. S qu dem quanta potentia formalis proprietatis attrahunt, tanta quoque vi apertæ qualitatis naturam irritant, & ſtimulant, vt quam celeriter, quod extractum eſt, expellat & excutiat.

quam, ituitam bilem rgat.

Elaterium non tarde vel ſegniter operationem ſuam perficit.

itia.

Elaterii itaq; vis in non denſa hærens ſubſtantia facile in actum trahendi deducitur, & quia acrimonia ſatis vehementi & calore tertii gradus, quo attractionem & expulſum promouet, eſt præditum, nequaquam ſegniter operari poteſt. Ipſe etiam Meſue conceptis verbis affirmat, *elaterium* purgare, ſicut *ſcammonium*, vbi nõ eſt intelligendum, quod educat eundem cum illo humorem veluti quidam interpretantur, trahit enim eodem auctore, primario aquas & pituitam, ſed pari efficacia actum ſuæ virtutis exſerat. Vnde Serapio tradit, breui tempore deſcendere,

nec facere moram longam in ſtomacho, quapropter inconueniens ſit, ei miſcere ſtimulantia, quibus naturam omnino opprimi neceſſum foret. Proinde quæ à medicinæ magiſtris aromata miſcentur, ea non adduntur, vt virtutem operandi ſtimulent, ſed naturam aduerſus eius violentiam muniant & roborent. Conſiſtit ergo correctio *elaterij*, non in hoc, vt leniorem eius virtutẽ exſtimulemus, ſed acutam qualitatem & acrimoniã, qua venarum oſcula reſerat, roſiones & tormina excitat, anguſtiaſque molitur, temperemus & retundamus, id, quod plerique adſtringentibus perficere ſatagunt, ſed quam recte & vtiliter, *ſupra* non ſemel explicatum eſt. *Non debent his, quæ maligna & naturæ infeſta qualitate ſunt affecta, addi adſtringentia hoc fine, vt efferã eorũ vim contrahãt, & inhibeãt, quod eo ipſo diutius in corpore detenta, maiorẽ exſerendi malitiã nacta occaſionẽ naturam violentius lancinent, infœlicius operationem procedere faciant, pluſque illa detentione noceant, quam adſtrictione & cohibitione malignæ, quæ tamen perperam perficitur, qualitatis proſint.* Et ſane mirum eſt, vno tempore adſtringentia & inhibentia vim efferam vna cum exſtimulantibus & irritantibus *elaterio* pro correctiuis à Meſue iungi. Ex quibus liquet, totam corrigẽdi elaterii ſummam in eo conſiſtere, vt talia ipſi miſceamus, quæ acrimoniam, & qualitatum acumen non tam adſtringendi, quam contraria modice frigida & humida deleni-

De modo corrigendi elaterium.

ficaque virtute contemperare & mitigare poſſunt. Variæ ab auctoribus corrigendi rationes & media proponuntur, aliis *bolum*, *maſtichen*, *tragacanthum*, *gummi Arabicum*, *bdelliumve* apponentibus; ſunt, qui *mirrham*, *ſal gemmæ*, vel *armoniacum* adiiciant; magna pars cum *aqua mellis* propinat. Platearius decoquit *ſuccum* cum *melle* ad conſiſtentiam electuarii, Serapio rectius cum *amylo & aqua mellis* exhibet. Alii aromata in ſucco recens expreſſo ſuſpendunt, eumque ad electuarii cõſiſtentiam coquunt, quam cum incipit contrahere, illa auferunt. Nec inepte quidam cum *ſpeciebus cordialibus & diarrhodon* offerunt; Meſue adiectione maſſæ *pilularum alephanginarum* exhibet, quem modum obſeruauit Sauanorola & omnis, pene poſt illum ætas. Idem vero omnium rectiſſime cum lacte haurire docet.

Quo pacto veteres correxerint & vſurparint.

Conuenienter cum lacte exhibetur.

Chymici *ſpiritu vini eſſentiam elaterii* extrahunt, & ſeparato menſtruo affundunt extracto *oleum cinamomi*, quid hoc aliud eſt, quam ignem igni, vel oleum flammis infundere? Hoc ipſo enim acrimonia & ignea vis, qua venas reſerat, & erodit, non tam refrænatur vel cohibetur, quam igniculatur & vehementius intenditur. Rectius facerent, ſi *vini ſpiritum eſſentia elaterii* impregnatum affunderent *ſucco cydoniorum*, *berberorum* vel *pomorum dulcium*, & hoc pacto ad conſiſtentiam electuarii ſolidioris coquerent.

Recte

Recte autem Meſue cum *lacte* exhibendum præſcribit, quo ſi nutriatur vel imbuatur, malefica eius vis mirifice retunditur & remittit, neq; inconuenienter cum *ſero lactis* extrahitur; optima vero foret præparatio, ſi cum *aqua* vel potius *ſucco violarum*, *roſarum, pomorum, florum perſicorum* extrahatur, aut ſi in *ſucco pomorum* vel *violarum* ſoluatur, & per reſidentiam parte impuriore depoſita reliquum inſpiſſetur, quæ inſuccatio repeti, & pro diuerſis intentionibus, fieri poterit aliis atque aliis ſuccis, ſi ab epate ducendum, vel illius obſtructiones amoliendæ forent, *ſucco agrimoniæ, florum epaticæ albæ, roſarum, cichorei*, ſimilibusue; ad hydropem *ſucco florum perſicorum & roſarum* recte imbuitur. Quibus acturum non eſt ad manus hoc modo præparatum, ii cum *conſerua flor. violarum, roſarum recentium, amylo, lacte, ſucco liquiritiæ, cydoniorum, iuſculo gallinæ, decocto florum & fructuum vel cum hydromelite* porrigant. Ad aquas hydropicorum, & ab articulis extrahendum bono ſucceſſu cum *ſerapino* frequenter miſcui, quo & intenſa purgandi vis & qualitas acrior temperatur; *omne enim remiſſum remittit intenſum & contra.* Raro exhibetur ſolitarie, plerumq; aliis miſtum, vt ſtimuli locum ſuppleat & virtutem ſegniorum incitet, incorrectum dare religio ſit, doſis eſt à granis decem ad viginti, puluis radicis in vſum venit à granis xv. ad xxx. decoquitur à dragma dimidia ad integram: Succum radicis ſine ſtomachi commotione aſſumi Dioſcorides auctor eſt. Multi doſin granorum quinque elaterii excedere verentur, ſed non eſt, quod metuamus ad octo, nouem, vel decem grana aſcendere, ſi rite correctum, cum liquore conuenienti exhibeatur, quod ſi obſeruetur hydragogum præſtantius & efficacius minori moleſtia maiorique emolumento euacuans, vti experientia teſte affirmare poſſum, vix dabitur. Cum enim magna aquæducum pars in venis tantum coercitas prolectent, nec vlterius vim ſuam protendere valeant, hoc elapſas extra venoſum genus aquas & intra peritonæum, atque inteſtina contentas inque abdominis cauitate fluctuantes ad aluum retrahit, & educit. Trahit potiſſimum ex abdomine, ab articulis & juncturis, à cerebro, neruis, & venis, vnde Meſue inquit, *educit mirabiliter aquoſas ſuperfluitates à partibus difficilis eraditationis, & materias, quæ ſunt in iuncturis & curat dolores earum.* Confert cephaleæ, epilepſiæ, arthritidi, podagræ, iſchiadi, aſthmati, icteritiæ, epatis & lienis obſtructionibus, & potiſſimum hydropi, anginæ, aurium tinnitui, ſurditati, menſibus & hæmorrhoidibus clauſis, cutis defœdationibus, tumoribus duris & ſtrumis. Vt autem commode hydropicorum aquas ducat, vel ab articulis, neruis & iuncturis fœlicius purget, commiſta æquali quantitate *ſpecierũ alephanginarum* vulgo propinant. Recenti autem ſucco pari pondere ſpecies has miſcent, vel ſpecies & ſuccũ

[margin:] ...tima ...rrectio ...tractio ...inſuccatio. *...oſis.* *Quibus morbis opituletur.* *Modus recte exhibendi.*

concre-

concretum, *abſinthii ſyrupo* ſubactum, in maſſam conformant, & hoc pacto exhibetur à ℈ ß ad ℈ j. in robuſtioribus, aut ex dragma conficiunt pil. ſeptem, quarum vnam pro tempore exhibent. Ab aſſumptione ilico ſuperbibi iubet Sauanorola hauſtum vini cum *Rhabarbaro & melle*; qua ratione omnem hydropem probe curari aſſerit. Heurnius ſupra quinque granorum pondus non eſſe aſſurgendum, & tria grana ſufficere arbitratur, & ℈ j. pil. alephanginarum cum elaterii granis tribus vel pil. dictarum ʒ ß. cũ quinque granis elaterii ex *hydromelite* porrigit. Probatur ſequens puluis.

Puluis hydragogus.

℞. *elaterii* ℈ ß.
ſoldanellæ,
zinzib. ana ℈ j.
galangæ,
Gariophyl.
cinamomi ana ℈ ß.
f. puluis pro duabus doſibus.

Pilulæ ab articulis purgantes.

℞. *pilul. alephang.* ℈ ß.
aggregatiuar.
de hermodactyl. ana ℈ j.
elaterii gr. iij.
cum extracto abſinth. f. pilulæ.

Pilulæ ad hydropem.

℞. *pil. de Rhabarb.* ℈ ij.
aggregati ℈ j ß.
elaterii grana iij. *cum ſucco Ireos f. pilulæ.*
ſpecier. pil. alephang. ʒ j ß.

℞. *pul. Rhabarb.* ℈ ij.
nitri præparati,
Elaterii ana gr. v.
cum ſyrupo de abſinth. f. pil.

℞. *pilul. de Rhabarb.*
pul. agarici trochiſc. ana ℈ j.
Rhabarb. ℈ ß.
elaterii gr. iij.
cum ſyrupo de abſinth. f. pilulæ.

℞. *pilular. de agarico* ʒ ß. *elaterii gr.* iiij. *cum melle roſato f. pil.*

℞. *pilular. maſtichinar.*
aggregatiu. ana ℈ j.
elaterii opt. ℈ ß.
cum ſyrup. de eupator. f. pil.

Variæ ex elaterio pharmac aquas pu gantia.

℞. *Rhabarb. electi,*
ſucci agrimon.
palmæ Chriſti,
ſem. ſcariolæ ana ℈ iij.
agar. trochiſc. ℈ iiij.
elaterii ℈ j.
ſpecier. pilul. alephang. ʒ j ß.
maſtichis ℈ ij.
cum ſyrup. de cichoreo fiat maſſa, doſis ℈ iiij.

Ex Franciſci Ioelis Medici quondã ad ſeptemtrionẽ celeberrimi ſecretis manuſcriptis & nondum euulgatis, ſequens eſt depromptum.

℞. *elaterij,*
bdellij ana ʒ j.
maſt. chis,
ſalis gemmæ ana ℈ j.
fiat maſſa, cuius exhibeatur fabæ quantitas.

℞. *elaterij* ℈ ß.
pil. alephang. ℈ ij.
cum ſyrup. de abſinth. f. pil.

℞. *elaterij gr.* vj.
cinamo.
zinzib.
ſpicæ ana gr. ij.
opoponac. gr. iiij.

Miſce

Miſce f. pilulæ.

℞. *pil. alephang.* ℈ j.
de mezereo ℈ ß.
elaterii gr. iiij.

℞. *aloes inſuccatæ* ʒ j.
pil. alephang.
elaterii ana ʒ ß.
ſyrupi diaſereos f. pilul. num. xxx.
doſis pil. octo vel plures.

Pilulæ meæ compoſitionis, quibus ad hydropem & viſcerum ſcirrhos feliciter & frequenter vtor:

℞. *Serapini,*
Rhabarb. ana ʒ iß.
extractor. panchimag. Croll. ℈ v.
Hellebor. nigri ʒ ß.
extractor. mechoacæ ʒ j.
ariſtoloch. rotund veræ,
abſinth ana ʒ ß.
croci ℈ j.
elaterij in ſucco cydoniorum ſoluti ℈ iiß.
ſalis gemmæ,
Tartari vitriolati,
ſpecier. dialaccæ,
diacurcumæ ana ℈ j. *Fiant pilulæ.*

℞. *pul. Rhabarb. ſelecti,*
mechoacæ ana ʒ j.
diagrid. ℈ j.
elaterij ℈ ß.
ſem. aniſi ʒ j. ℈ ß.
Tartari albi ʒ j.

Miſce, & diuide in quatuor æquales doſes.

℞. *pul. mechoacæ* ℈ iiß.
ſpecier. diaturbith. cum Rhabarb. ℈ ß.
elaterij gr. iij.
ſem. aniſi gr. v.
maſtich. gr. iij. *Miſce f. puluis.*

Gordonio auctore ſequens commendatur.

℞. *ſuccor. cucum. aſinini & radic. eius*
laureolæ,
Ireos,
abſinthij,
eupatorij ana ʒ iij.

Reſideant, & aqua ſupernatante abiecta craſſiori parti adde
Rhabarb.
agaric. ana ʒ ß.
ſpicæ nard.
ſem. endiu.
ſcariolæ,
portulacæ,
lappæ,
maſtichis,
Tragacanth.
ſalis gemmæ ana ʒ j.
mellis colati ʒ j. *Miſce.*

Radicis cucumeris aſinini puluerem, ſuccum & *decoctum* mitiora eſſe elaterio & abſque ſubuerſione & concuſſione ventriculi operari, auctor eſt Dioſcorides. *Vſus ſucci radicis & pulueris & corticis.*

Radicis corticis ſcrupulum propinant ex *hydromelite* ad euacuandas aquas.

Aetius *radic. cucum. ſylueſtr.* obulos duos in vino adſtringenti per triduum macerat, & tribus ordine diebus vſurpare iubet, datoque interuallo idem repetit, dum remittat tumor; quo remedio aquas leniter ſecedere, ſtomachum non lædi & vires conſeruari ait.

Syrup. radic. cucumeris agreſtis.

℞. *radic. cucum. ſylueſtr.* ʒ iiij.

Syrupus radicis cucumeris agreſtis.

coque in ℔ ij. aq. ad dimidium, dein accipe mellis ℔ ij.
aquæ ℔ viij.
coque ad medietatem, & adde ℔ j.
decocti radic. cucum. ſylueſt.
Fiat ſyrupus, addendo
ſpecier. diatragacanth. ℥ j.
cinamom. ℥ j.

Doſis quolibet mane cochlear j. Meſue eumq; ſecutus Hollerius concidunt radices cucumeris aſinini & cum *abſinthij coma* coquunt in *hydræleo*, quo embrocantur & fouentur tempora, quibus deinde craſſamentum applicatur ad cephalæam.

Errhinon ex elaterio. Eodem fine *elaterium cum lacte* attrahitur in nares ad eliciendum pituitam cephaleæ & epilepſiæ affectuumque cerebri cauſam, quo ipſo & earundem fœtor abigitur.

Admiratione dignum eſt, quod Dioſcorides, Serapio, & è veteribus complures tradunt, elaterium narib. attractum perſanare icteritiã, quod tamen interpretum quidam de flauo oculorum colore ſolum intelligi volunt, quem ex regio morbo ſuperſtitem hoc errhino remoueri docent.

Decocto radicis, etiamſi imbecillius, tamen minori inſolentia & perturbatione educuntur hydropicorũ aquæ, quod & arquatis & iecoris lieniſque obſtructionibus admodum conducere obſeruatum eſt.

Dioſcorides & Serapio docent, vtiliter coqui radicem in *vino lybico* vel *Babylonico*, (quibus nos *Rhenanum generoſum*, vel *maluaticum* recte ſurrogamus) ad aquas expurgãdum. Idem radicis ſuccum ſeſquioboli pondere, & radicis corticem quarta acetabuli parte, hydropicorum pituitam, aquas & bilem citra iniuriam detrahere perſuadent.

Quomodo vſurpetur ad articulorum affectus. Ad dolores articulorum, ſciaticam, & colicos cruciatus miſcetur *elateriũ cum ſerapino, aloe ſocotrina, centaurio minore, mirrha, chamæpiti, ariſtolochia rotunda, croco, ſpica, cinamomo, hermodactylis, aſaro, ſem. apij, bdellio, turbith, ſale Indo, coſto, carpobalſamo* vel eius ſuccedaneo.

Ad Iliacam paſſionem. Platearius ſcribit *contra arthritidem, & Iliacam paßionem miſceatur elaterium cum pari pondere mirrhæ ſubigantur oleo roſato*: eius exhibet dragmam vnam cum *ſucco fœniculi*, præmiſſo tamen emolliente clyſtere, & ſubſequente alio ex *aqua vel decocto maluarum* cum *melle & oleo*, in quo ℈ v. vel ſex elaterii ſint ſoluti. Herba ſeu folia in *oleo moſchelino* vel *communi & vino cocta*, ſtranguriam, iliacam paſſionem & arthritidis dolorem appoſita leuant. *Ad ſtranguriam.* Elaterium auctore Dioſcoride, in aqua vel oleo ſolutum, & linguæ parti extremæ vel gulæ illitum vomitiones concitat, *Ad ciendum vomitum.* aſthmaticis quoque vti & hydropicis & arthriticis ex eo vtilem comparari purgationem, *Ad aſthma.* efficaciſſime vero anginis *melle & felle taurino* miſtum applicari. *Ad anginas.* Aetius occultæ anginæ meminit, cuius iuxta Archigenem in neruis ad ſtomachum deſcendentibus, ſeu in ramis ſexti paris penitior cauſa conſiſtat, *Occulta angina ab Aetio obſeruata curandi r.*

ſtat, quod periculoſiſſimum morbi genus cor & pulmones, reſpirandi organa inflammet. Et vomitu ex elaterio fauciumque illitu & purgatione curetur, offert elaterium *ſero lactis* ſolutum, cum *cnico*, ſed præmiſſa venæ ſectione iterata, reuulſoria & cucurbitulis. Vbi vero opprimēs ſuffocansque multitudo pituitæ & humorum eſt aut angina occulta, acria, acuta, & vomitoria conueniunt, in illa propter humorum multitudinē & tenacitatem, in hac, vt caro, quæ in profundo coarctationem pertulit, inſurgat & tranſmutari queat.

Vtilia in his ſunt, quæ vomitoriam vim obtinent, maxime ſi grauitatis ſenſus eſt circa præcordia & ventrem. Aetius *ſerm.iiij.tetrabil.2.c.47.* Archigenis remedium ad occultas anginas etiam aſthmaticis conducit.

℞. *elaterii obulum dimidium*,
ſpuma nitri obolos tres,
ſinapis ʒj.
miſce.

Mouet quoq; vomitum cum *oleo & melle* tritum & penitiſſime illitum, quod etiam præſtat *fel tauri* pari modo adhibitum; & *nitrum* cum *aceto mulſo* potum, quorum vſu, qui largiter pituitam vomuerunt, à ſuffocationis moleſtia liberati ſunt. Emmeticum veteribus ad occultas & manifeſtas anginas accommodatum.

℞. *æris vſti* ℥ xij.
atramenti ſutorii ℥ xj.
mirrhæ,
elaterii,
ſpumæ nitri ana ʒj.
fellis tauri ʒiiij.

Excipe melle & cum penna penitiſſime illine. Aetius ad vomitum prouocandum, & extrahendam ex profundo materiam primo ſimpliciter ex *melle. felle tauri cum elaterio* fauces tingit, & fortiora flagitante neceſſitate, *additæs vſtum*, quod ad ſuffocationē cum ab occulta angina, tum ab illa quæ ex materiæ craſſioris copia naſcitur, & ad aſthma conferre memorat, in quibus caſibus pariter gargariſmum vel illitum ex ſinapi, vel mulſa, & ſtercora, videlicet humanum & caninum album, iuxta Archigenem & Muſam vetuſtioresque commendat. Hactenus, quomodo anginæ medeatur Elaterium.

Iſchiadicis vero prodeſt decoctum per clyſteria infuſum & radix in *aceto* cocta, exteriusque applicata, oleum, in quo ſolutum vel elixatum ſit, auribus inſtillatum mitigat dolorem, confert ſurditati & expellit vermes. Decoctū radicis ex aceto dentium dolores mitigat. Quemadmodum elaterium naribus inditum educit colluuiem è cerebro, ita muliebribus immiſſum prouocat menſes & purgat vterum. Platearius in *oleo moſchelino* ſoluit, & cum lana vel bombice ſubdit. *Radix vel ipſummet elaterium* cum *farina hordei* & *vitellis ouorum* cocta, maturat apoſtemata, & cum *terebinthina* eadem rumpit, obduratos abſceſſus & ſtrumas addito *melle &*

Margin notes (left): ...ior vomitoria ex ...erio. — NB. — ...itus fau... ...m, vo... ...itum ...uens.
Margin notes (right): Curatio anginæ occultæ iuxta Aetium. — Iſchiadicis quomodo proſit elaterium. — Ad ſurditatem. — Menſes ducit in peſſo ſubditum.

ſtercore caprillo reſoluit , ex eodem comparat emplaſtrum Reſerus, quo ſe deploratos hydropicos curaſſe teſtatur.

Emplaſtrũ hydropicorũ abdomini vtiliter applicandum.

℞. *radic. cucum. aſinini contuſ. & in aceto ſquillitico per* xxiiii. *horas maceratarum* ℔ j.
mellis deſpumat. ℔ ij.
miſce, & bulliant ad conſiſtentiam ceroti, in fine adde cumini ſubtiliter triti ℥ iiij.

Eiuſdem linimentum ad idem.

℞. *vng. Agrippæ,*
Marciati,
Arragon. ana ℥ j.
ſem. ſinapi,
pyrethri,
abſinthii,
origani,
farinæ lupinor. ana ℈ ij.

Trita irrorentur aceto ſquillitico & miſceantur.

Ad cicatrices & ſugillata.

Radicis ſiccatæ puluis ex melle impoſitus vulnerum cicatrices attenuat, & ſugillata ex ictu delet, *eiusdem ſuccus ex fabacea farina* admiſtus & illitus, cutis defœdationem & maculas tollit, ad faciei lentigines & næuos Platearius linimentum conficit ex

Ad maculas faciei.

ceruſſæ, &
caphuræ ana ℥ ij.
elaterii ℥ ß.
cum ſ.q. aceti ſubigantur in mortario plumbeo.

Radix aceto forti trita affricatur ſcabiei & lepræ & lentiginibus. *Elaterium in oleo liliorum* coctum & illitum tumentes curat hæmorrhoides. Ex eodem per decoctionem paratur *oleum*, quod *Sicyonium* vulgo nominatur, & cerebri neruorumque affectibus, paralyſi, tremorique admodum conueniat, & ſi in aures inſtilletur, atque cum *colocynthide* elixatum applicetur, ſurditatem releuet.

Oleum ſicyonium ex elaterio.

Cap. XLIII.

Gratiolæ & frangulæ hiſtoria. Illa viſcerum omnium & venarum impuritates, & aquas violenter per ſuperiora & inferiora educit, dextre correcta cachecticis & partium internarum obſtructionibus & ſcirrhis opitulatur. Sal extractum puluis & infuſio vſurpatur. Frangula viribus gratiolæ quodammodo reſpondet.

GRatiola per antiphraſin, quod minime grata ſit ſumentibus, dicta putatur, eſt enim ſaporis amariſſimi & operationis violentæ, Italis ſtancacauallo, quod eius eſu fatigentur & deficiant equi. Qui *eupatorium* Meſues eſſe contendunt, & eius loco vſurpant in graui & ægris pernicioſo errore verſantur, propius quodammodo ad *centaurei minoris* familiam accedere videbitur, cum forma, tum amaritudine exquiſita, præterquam quod in gratiola vis purgatoria nimis intenſa inſit.

Gratiol. Italis ſt. caraual.

Non eſt eupatorium Meſuæ.

Calida & ſicca eſt in principio tertii ordinis præterpropter, vel in fine ſecundi

Temperies. ſecundi, guſtu amariſſima & quodammodo adſtringens. Proinde *Vires.* calefacit, ſiccat, incidit, attenuat, aperit, abſtergit, vulneribus, trita & ſuperpoſita celeriter medetur, glutinat, bilem, pituitam, & præcipue hydropicorum aquam tanta violentia educit, vt ventriculum & viſcera quaſſet, & per ſuperiora ſimul atque inferiora humorem noxium exturbet. In vſum veniunt infuſio, puluis, ſal & ſuccus. Non exhibeatur, quin correcta: Vulgo maceratur in *aceto*, & exſiccata infunditur *lacti*, denuoque ſiccatur, vt in puluerem redigi poſſit, cuius doſis à ℈ j. ad iiij. Extrahitur communiter *ſpiritu vini*, ſed rectius *maluatico*, *ſero lactis*, *aqua agrimoniæ*, *violarum*, *roſarum*. Puluis rite datur cum *cinamomo*, *ſemine aniſi*, *liquiritiæ*, *ſaccharo*, vel *melle*, ex *decocto cicerum*, quibus ferocia infringitur.

Hydropicorum aquas pituitam & bilem purgat, per ſuperiora & inferiora.

Correctio.

Extractio.

Cum primis ad hydropicorum aquas educendas facit, & conducit cachecticis, epatis & lienis obſtructionibus, dolori iſchiadico, febribus diuturnis, lentis, erraticis, vermiculantibus, & cuiuſcunque generis putridos corruptoſque humores egregie educit, vulgare ruſticanorum & empiricorũ cõtra febres quotidianas & chronicas remedium eſt, qui decem folia aſſumunt trita. Alii ad morbum Gallicum, lepram & peſtem commendant, & ſuccum vulneribus ſerpentum venenatarumque beſtiolarum admorſu inflictis inſtillant.

Quibus conducat morbis.

Ad hydropem Wierus ſequentem vſurpat potionem.

Ad hydropem & viſcerum impuritates, obſtructiones & articulorum mala.

℞. *herb. gratiolæ* ℥ ß.
ſoldanellæ,
ſem. aniſi ana ℥ ij.
paſſul. mundat. ℥ ß.

Bulliant in ℥ x. *vini Rhenani ad remanentiam* ℥ v. quæ dentur. Eandem iiſdem verbis & numeris tradunt Franciſcus Ioel *in manuſcripto*, Dodonæus, Tabernæmontanus, Heurnius, & ad hydropem, cachexiam, viſcerum obſtructiones & impuritates remouendas & iſchiadicum arthriticumq; dolorem vehementer commendant.

Apozema magiſtrale Wieri labefactatis in hydrope viſceribus clementer purgans.

Ad hydropem.

℞. *radic. Valerianæ*,
pimpinellæ,
Elenii,
ebuli ana ℥ ß.
bryoniæ ℥ j.
medullæ ſem. carthami ℥ v.
aniſi ℥ ß.
fœniculi ℥ iij.
Herb. gratiolæ,
eupatorij ana M. j.
veronicæ,
ſcabioſæ,
betonicæ,
carduibened. ana M. ß.
flor. geniſtæ,
ſambuci ana p. ij.
paſſul. enucleatarum ℥ j ß.
fol. ſenæ Alexan. mundat. ℥ vj.
ſoldanellæ ℥ j.

agarici trochiſcati ℥ v.

Fiat decoctio in ℔. v. *vini albi vel aquæ* ſi adſit febris, *coquantur ad medietatem, à forti expreßione iniȷce ſacchari quantum ſufficit, & ebulliant ad ſyrupi conſiſtentiam, ſuſpenſa in linteo Rhabarb.* ℥ ß. *adiectisque cinamomi* ℥ ij. doſis, alternis diebus vel de tertio in tertium diem ℥ iiij.

Doctoris Schröteri ad hydropem.

℞. *ſoldanellæ ſplendidæ* ℈ iiij.
Gratiolæ ℥ iij.
paſſul. enucleatar ℥ ij.
cinamomi,
aniſi ana ℥ ß.
ſchœnanti,
ſpicæ ana ℈ ß.

Coquantur in vini & aquæ ana ℥ iij ß. *ad medietatem colaturæ adde ſyrupi de ſucco ſcordei* ℥ j.
olei carui gut. iiij.
miſce f. hauſtus.

Potio Heurnii.

℞. *fol. gratiolæ* M. j.
radic. ebuli ſiccat. ℥ ß.
quinq; aperient.
bryoniæ ana ℥ iij.
Herb. cichorei,
betonicæ ana M. j.
granorum Iuniperi ℥ ß.
ſem aniſi,
fœniculi ana ℥ ij.
carthami ℥ vj.
agar trochiſc. ℥ ß.

Coquantur ex mulſa ad ℔ j. *colaturæ adde diaphænic. electuarii lenitiui ana* ℥ ß.
ſpecierum diaturbæum Rhab. ℥ iij.
doſis alternis diebus cyathus vnus.

Eiuſdem electuarium.

Electuarium de gratiola.

℞. *ſuccor. Ireos*,
violarum,
roſarum,
Mercurialis ana ℥ ij.
ebuli,
pulpæ prunorum,
diacydonii ſimplic. ana ℥ iij.
Radic. polypod.
Angelicæ,
ſem. vrticæ,
lathyrid.
cucurbitæ ana ℥ ß.
pul. gratiolæ ad pondus omnium.
mellis deſpumati ℔ iiij.
Fermententur.

Ex manuſcripto Franciſci Ioëlis.

Ioelis potio.

℞ *folior. gratiolæ* M. ß.
fol. ſenæ ℥ ß.
vuarum paſſar. ℥ ß. ℥ ij.
ſem. aniſi,
cinamomi ana ℥ ß.

Coquantur in ℔ j. *vini Rhenani ad medias, colatura expreſſa, edulcetur ſ. q. ſacchari, & f. hauſtus.*

Eiuſdem ℞. *pul gratiolæ* ℥ ij. *Paulus Ioelis.*
cinamomi electi,
ſem. aniſi, ana ℈ j.
ſacchari albi ℥ ß.

Huius dentur ℥. ij. mane & veſperi cum vino vel iuſculo quopiam.

Pilulæ extractionis gratiolæ.

℞. *maſſæ pilular. alephangin.*
aloes inſuccatæ,
extracti gratiolæ ana ℥ j.

gutta

Pilulæ efficacissimæ extracti gratiolæ.

gutta gummi ℈ j.
ol. Garyophill. gutt. vj.
ſyrupi de abſinthio q. ſ.
Fiant pilulæ LX.
Doſis num. x.

Sthegii apozema.

Ad cachexiam & hydropem potio Sthegii.

℞. *cort. iuglandium exſic.* ℥ j.
paſſul. corinthiac. ℥ vi.
Herb. gratiolæ,
abſinth. Roman.
agerati,
eupatorij ana M. ß.
ſem. apij ℥ iß.
aniſi ℥ ß.
flor. geniſtæ,
ſambuci ana p. j.
Omnia vino aſperſa coquantur l. a. in ſ. q. aquæ ad ℔ j. *colaturæ adde*
ſyrupi de cinamomo,
de epithymo,
de cichoreo cum Rhabarb. ana ℥ ß.

Hac paulatim pituitam & aquas purgat per vomitum & ſeceſſum, viſcera roborat, eorumque intemperiem frigidam & humidam corrigit.

Melichius *in diſpenſatorio* mentionem facit ſacchari ſeu conſeruæ gratiolæ, quod paratur non ex floribus, ſed foliis ſola inſolatione, & crebra cum ſaccharo permiſtione, cuius vſus ſit in curatione pauperum ad bilem & pituitam abſque moleſtia (vix crediderim) vacuandam, doſis à ʒ. vj. ad ℥. j.

Cum adoleſcens Roſtochii literis operam darem, ciuis primarius hoſpes meus longo tempore ſcorbuto afflictus hydropem demum incurrebat, & multis ſelectiſque remediis fruſtra tentatis prognoſtico relictus, incidebat in manus empirici cuiuſdam, qui exhibitione dragmæ vnius pulueris gratiolæ ſurſum deorſumque prauorum humorum ſaburram & aquarum copiam confertim exturbando, præter omnium ſpem auſo quodam temerario virum à morbo liberabat, quem pluribus dehinc annis ſuperuixiſſe memini. *Vbi non iuuat ars, ſæpe prodeſt audacia.* *Obſeruatio.*

Clyſtere ad hydropem.

Clyſtere ad hydropem, præſertim tympanitem.

℞. *herb. rutæ,*
pulegij,
calamenthi,
origani,
ebuli,
ſambuci,
caul. rubeor. ana M. j.
Mercurial. M. ij.
Thymeleæ,
ſoldanellæ ana p. iß.
flor. camomill.
meliloti ana p. j.
ſem. marathri,
aniſi,
anethi,
cymini,
carui,
ameos ana ʒ ij.
Coquantur in aqua ad tertias,
huius decocti ℞. ℔ j.
ſucci gratiolæ ℥ iij.
olei rutacei,
mellis rutacei ana ℥ iß.
ſalis ℈ ij.
Miſce.

Miſce, fiat clyſter.

Sal gratiolæ. *Sal gratiolæ* commendatur à chymiatris ad hydropem. Camerarius *Extract Gratiolæ.* extractum ad iſchiadicos dolores, febres diuturnas & tertianas nothas valere ſcribit. Clyſterum decocto indita vermes necat, ſuccus, puluis, & contuſa folia ſanant vlcera.

Reſtat, vt hoc caput nonnulla de frangula attexendo compleamus.

Frangulæ hiſtoria. Frangula nomen ſortita eſt, quod leuiter frangatur: corticem arboris medium lutei coloris, inſtar *Rhabarbari* tingentem, tranſmittit in vſum *Temperies.* medicum, ſunt, qui è radice vulſum præferant. Calidus & ſiccus eſt ordine ſecundo, & miſtæ facultatis, quapropter incidit, attenuat, aperit, & adſtringit, vt viſcerum infarctibus & impuritatibus vtiliter adhibeatur, *Craſſam bilem & pituitam purgat per ſuperiora & inferiora.* cum eorum obſtructiones expediat, & ſimul parenchyma & ſubſtantiæ tonum confirmet, præter hęc craſſos de bilis & phlegmatis genere humores violenter per ſuperiora & inferiora excutit, ſtomachum ſubuertit, viſcera quaſſat, ventriculi inteſtinorumque tunicas vellicando tormina producit, qua ratione compulſi medicinæ magiſtri, perhibent, non niſi robuſtis corporibus, & qui craſſa vtantur victus ratione, ſimilesq; producant humores, conuenire, obſeruatione ſiquidem conſtat, Belgarum agreſtes, vſu vini, in quo macerarit vel coctus ſit cortex, violenter excutere febres.

Correctio. Vehementia & naturæ inimica qualitas cicuratur corticis exſiccatione: nequaquam enim viridis & ſucco ſuo adhuc prægnans eſt in vſum accerſendus, quod in humiditate, qua recens madet, vis malefica inteſtina vellicans, tormina excitans, viſcera concutiens & ventriculum ſubuertens ſit ſita. Notandum, exſiccatione aduerſam quidem expi facultatem, adeo, vt ſecurus ſit infuſi vſus, ſed tamen in puluere corticis ſiccati exhibito eam remanere inimicitiam, vt nauſeam vomitumque mouere poſſit.

Neque præter rem eſt, quod Matthiolus monet, decoctum eſſe aſſeruandum, donec flauus color in nigrum vertatur, quo vis malefica naturam turbans emendetur & remoueatur.

Obſeruatione ſolenni & cottidiana conſtat, benignioribus, quæ viſcera proprietate quadam roborant, miſtum, in decocto, vel apozemate, nequaquam ſentiri violentiam, neque contemnendo ſucceſſu vſurpari.

Proinde exſiccatione, infuſione, beneficorum coniunctione, eius, ſi qua ineſt, violentia, commode retunditur. *Quibus affectibus proſit.* Celebratur ad viſcerum infartus, & impuritates, videlicet ad venarum, lienis, & epatis, obſtructiones, ſcirrhos, icteritiam, ſanguinis illuuiem, ſcabiem, cachexiam, hydropem, cæteraque mala ex eorum imbecillitate, oppilatione & impuritiis oriunda. Infunditur aut coquitur

cum

cum *corticibus capparum, tamariſci, fraxini, ſambuci, ebuli, ceterach, epithymo, lupulo, cuſcuta, endiuia, apio, intybo, abſinthio, centaurio &c.*

Solenandro, eius, inter recentiores, vſus eſt commendatior, & frequentior. Ad Feruorem & ſanguinis impuritatem vnde ſcabies *ſect.* 3. *conſil.* 1. tale præſcribit.

Ad ſcabiē ſanguinis impuritatem.

℞. *radic. cichorei* ℥ j ß.
polypodij,
cort. frangul. interior. ana ℥ j.
ligni ſaſſafras cum cortice,
liquiritiæ raſæ ana ℥ ij.
fumariæ,
acetoſæ,
cymar. lupuli,
agrimoniæ,
ſcabioſæ ana M. ij.
fragariæ,
cuſcutæ,
epithymi recent.
flor. borrag. ana M. ß.
ſem. portulacæ,
aniſi ana ℥ ij.
paſſul. Corinthiac.
hordei mundi ana p. j.

Quibus ſitibus proſit.

Coquantur in aqua puræ q. ſ. ad ℔. iij. *in colatura ſolue ſyrupi de Endiuia, de cichoreo cum Rhabarb. ana* ℥ j ß.
aceti ſambucini ℥ ij.
cinamomi ʒ ij.
fiat apozema clarificatum, & aromatizatum.

Ad icterum ex obſtructione & incipiente iecoris ſcirrho idem *ſect.* iij. *conſil.* viij.

℞. *cortic. radic. cichorei* ℥ ij.
fœniculi,
Interior. luteorum frangul. ſiccat. ana ℥ i ß.
Radic. raphani ruſtici ℥ ß.
cuſcutæ è lupulo lectæ M. j ß.
agrimoniæ,
fragariæ ana M. j.
abſinthii,
rutæ murariæ ana p. j.
florum vel cymarum roſmarini.
flor. prunellor. ana M. ß.
paſſul. Corinthiac.
liquiritiæ raſæ,
ſem. aniſi ana ʒ ij

Ad epatis obſtructionem, ſcirrhum, & ictericiam.

Conciſa infundantur in fictili, affuſiſq; vini Rhenani & aquæ chalybeatæ ana ℔ iij. *coque in vaſe duplici per biborium, addendo ſacchari,*
vel mellis virginei ℥ iiij.
cinamomi ſelect. ʒ ij.
aceti ſambucini ℥ ij.

Doſis quotidie mane & veſperi ℥ iiij.

Ad exigendum craſſa, corrupta, fæculenta, &ălioſa recrementa è venis meſaraicis, vrinas propellendum, partium intemperiem emendandum, robur conciliandum, adeo, que ad hydropem.

℞. *radic. aſparag.*
petroſelini,
cichorei ana ℥ j.
cort. interior luteor. rad. frang. ſiccat. ℥ j ß.
Galang. maior.
cort. arancior. ana ℥ ß.
cuſcutæ è lupulo lectæ M. ij.
roſmarini,

carduibenedicti,
agrimoniæ,
eupatorii Auicennæ ana p. j.
cimar. abſinthii maior.
ſpicæ,
meliſſæ ana p. ß.
ſem. aniſi,
fœnicul. ana ℥ iiß.
liquiritiæ raſæ ℥ ij.
cinamomi interior ℥jß.

Trita coque in ſeri lactis caprilli optime colati ℔ ijß. *vaſe dupliciper horas* iiij. *dein adde*

ſyrup. de ſucco cichor. cum Rhab.
de eupatorio ana ℥ ij.
leniter ebulliant.

Si vrinas amplius mouere velis, adiice

radicis mei ℥ ß.
ſem. geniſtæ ℥ ß.
granorum alkekengi n. xij.

Si aquei quicquam vna educere,

cortices radicis ebuli & ſambuci.

Ad ventriculi imbecillitatem, venarum meſaraicarum, & iecoris obſtructionem *conſil. 2. ſect. 3.*

℞. *radic. cichorei,*
petroſeli. ana ℥ j.
cort. interior. radic. frangul. ℥ vj.
aſari,
liquiritiæ raſæ,
galgangæ maior. ana ℥ iß.
betonicæ,
roſmarini,
menthæ criſpæ ana M. j.
meliſſæ,
rutæ murariæ,
Endiuiæ,
cuſcutæ è lupulo lectæ ana p. iß.
ſem. aniſi,
coriandri præpar.
portulacæ ana ℥ iij.
paſſul. p. j.

coquantur in ſ. q. aq. ad ℔ ij. *in fine adde vini alb.* ℔ ß.

ſacchari roſati ℥ iij.
macis ℥ iß fiat apozema.
doſis mane ℥ iij. vel ℥ ijß.

Ad epatis obſtructionem & imbecillitatem in hydrope.

℞. *corticum radic. cichorei ℥ iß.*
rad. petroſelini ℥ j.
cort. radic. frangulæ interior ſicc. ℥ vj.
liquiritiæ raſæ ℥ iij.
cuſcutæ è lupulo lectæ M. ij.
agrimoniæ,
ſcabioſæ,
capillor. Vener. recent. ana p. j.
fol. carduibened. p. ß.
paſſul. Corinthiac. p. j.
ſem. aniſi ℥ iij.
portulacæ ℥ ijß.

coque in aquæ hordei ℔ iij. *vaſe dupliciper horas* iiij. *dein affunde*

vini albi ℔ ß.
cinam. opt. ℥ ij.
ſpecier. diarrhod. Ab. ℥ iß.
ligentur in puppa & vna ebulliant.

Huius dentur ſingulis matutinis ℥ iiijß. cum *ſyrupi de cichoreo Rhabarbarati* ℥ j.

Ad deobſtruendum & roborandum viſcera naturalia.

℞. *radic. fœniculi,*
cichorei,

cort.

cort.luteor. interior. frangulæ ana ℥ j.
cuſcutæ è lupulo lectæ M.ij.
Endiuiæ,
agrimoniæ ana M.j.
epithymi,
abſinthii ana p.ß.
marrubii.
rutæ murariæ vel ceterach recent. ana M.ß.
ſem.portulacæ,
aniſi,
Baccar. alkekengi ana ℥ ij.
cinam. opt. ℥ iij.
paſſul. Corinthiac.
capparum ſale elutor. ana ℥ ß.
coquantur in ℔. ij. ſeri lactis vaſe duplici per horas 2. huius expreſſi ſucci dentur ℥iij.vel iiij.
addendo ſyrup. de cichor. cum Rhab.
Bizantini,
de eupatorio pro vt libet ℥ j.

Ad hydropem.

℞. *cortic. rad. cichorei ℥ iß.*
petroſelini,
fœniculi,
ebuli,
interior. rad. frang. ana ℥ vj.
rad. Ireos ℥ ß.
cort. interioris fraxini ℥ ij.
cuſcutæ ex erica vel lupulo lectæ Miſ.
ſem. aniſi ℥ ij.
coquantur in ſeri lactis puriſſimi vel aq. chalybeatæ q.ſ. ad ℔. ijß.
colato iuri adde
vini Rhenani ℔. iß.
ſyrup. acetoſi ſimpl. ℥ iijß.
mellis roſati ℥ iß.
cinamomi ℥ ß.
fiat mixtura. doſis mane & veſperi ℥ iij. vel iiij.

Ad præcauendum eryſipelas potio Solenandri.

R. *Rhab. ſelecti ℥ j.*
fol. ſenæ ℥ iß.
cort. interior. rad. frang. ℥ ß.
flor. violar. p.j.
cinam. interior. acuti ℈ iiij.
zinzib. ℈ ß.
aq. cichorei,
fumariæ ana ℥ vj.
Fiat ſecundum artem infuſio per noctem, mane ebullitione leni & expreßione facta colentur, colaturæ adde
ſyrup. roſar. ſolutiui ℥ vij.
pulpæ tamarindor. extractæ cum aqua cichorei ℥ vj. fiat ſyrupus. In poſtrema coctione ſuſpende in puppa
croci ℈ ß.
diagridii,
ſpecier. diarrhod. ana ℈ j.
quæ vbi expreſſa fuerint, eximantur, & ſeruetur ſyrupus, cuius, quando corpus purgare voles, ſumendæ ℥ ij. vel ℥ ijß. prout operantur.

Cap. XLIV.

De Mezeræo eiuſque ſpeciebus, ſecundum Græcos & Arabes. An daphnoides rite ad Mezeræi ſpecies referatur, & pro eodem, rectius aliis vſurpetur. Omnium eius ſpecierum vna fere poteſtas, quamuis in laureola mitior, & communis præpara-

tio atque vſus; aquas potiſſimum & pituitam ducunt, vrinas menſeſque mouent. Laureola præparatione ad antidotos tranſit.

QVid proprie ſit mezereon, quæ p eam peculiariter deſignetur, atque in vſum medicum recte recipiatur ſpecies, quia confuſe auctores tractarunt, & pluribus plantis id nominis indiderint, vixdum ſatis liquet.

Quidam duas Mezerei duntaxat nomine deſignari plantas, chamelæam & thymelæam afferunt; Fernelius tertiam videlic. daphnoidem vulgo laureolam dictam, addit. Non parum cœcutiunt, qui chameleonem nigrum pertinaciter huc trahunt, quod cæteræ tres plantæ ſint frutices, & ſurculos edant tenues, rigidos, ligneos, hic vero ad carduorum claſſem pertineat, foliaque ſcolymi tenuia, ſpinoſa, & minora gerat, & radicem iuxta Galenum poſſideat venenatam.

Quæ Mezerei ſpecies in vſum ſit recipienda. Et cum inter pleroſq; non infimæ claſſis Medicos conueniat chamelæam & thymelæam proprie dictas eſſe meſerei ſpecies, illam mezereon latiori, hanc anguſtiore folio nuncupant; & ex his chamelæam, in vſum, quotieſcunque apud Arabes Mezerei ſit mentio, recipiendam concludunt. Cum vero Meſue tradat, harum plantarum vim purgandi, eſſe furioſam, quæ imbecilles plane euertat, abraſis viſceribus, venarumque oſcillis, vnde terræ leones, & plantæ viduificæ Arabibus dictæ ſunt, Renodæus duplicem viciſſim chamelæam facit, vnam violentam & malignæ qualitatis participem, aliam vero naturæ benignioris, quæ melior, minuſque formidanda, tuto in vſum medicum recipiatur, & aſſeuerat, illam eſſe chamelæam, quæ tricoccos nominatur, triaque ſimul cohærentia ferat grana. Verum cum nemo veterum aut recentiorum in chamelæarum genere hanc fecerit diſtinctionem, & ea, quæ tricoccos dicitur, vera ſit, quę in Italia, Galliaque reperitur, & à Germanica per Dodoneum deſcripta ratione efficaciæ & violentiæ parum differ.t, imo à ſuperioris Germaniæ officinis in vſum vulgo recipiatur, vti ab Italis & Gallis; iſti coniecturæ temere fidem facere non audebimus. Si vero Meſuæ doctrinam accuratius inſpiciamus, videtur ille innuere non tam chamelæam, quam quæ nobis daphnoides & vulgo laureola dicitur, quamque claſſicorum vti Matthioli, Fernelii, aliorumque auctorum calculo, inter mezerei ſpecies referunt Arabes, in vſum recipiendam eſſe. Extra omnē dubitandi aleam eſt ſub mezereorum genere ab Arabibus comprehēdi laureolam. At in hoc quæſtionis vertitur cardo, quænam harum ſpecierum, an laureola, thymelæa, num chamelæa vſurpanda, quando ab Arabibus mezereon præſcribitur; & quænam illarum vtilius, & minori

cum

cum noxa aſſumatur. Qui rigide duas tantum veri mezerei ſpecies, videlicet vnam anguſtifoliam, alteram latifoliam, thymelæam & chamelæam dictas, defendũt, hanc recipiẽdam eſſe adſtruunt. Quamobrem Itali chamelæam Tricoccon, vernaculam ſuæ regionis plantam, ſuperiores Germani chamelæam Germanicam, iſtic locorum originariam ſtirpem, ſucceſſu non omnino infœlici, ſi rite præparata recte adminiſtretur, vſurpant. Verum enimuero ſi verba Meſue ad amuſſim examinentur, nõ videtur ex his exſculpi poſſe, pro mezereo potius chamelæam, quam laureolam ſumẽdam eſſe; ait enim inter mezerei ſpecies aliam eſſe, quæ magna habeat folia & ſubtilia, & aliam, quæ parua, ſicut oliuæ, & ſpiſſa nimis, & aliam item, quæ criſpa & aſpera, & ex iis aliam eſſe colore viridi, aliam ſubnigro, & inter omnia eam meliorem, quę folia gerat magna, tenuia & viridia, paruam autem, quæ foliis ſpiſſis quæue criſpa & aſpera & conſimiliter, quæ nigra omnino malam eſſe. His poſitis, ex Dioſcoride conſtat chamelææ folia oleæ ſimilitudinem habere & teneriora eſſe, & ea propter chamelæam quaſi paruam ſeu pumilam oleam vel oliuellam, aut oleastellum aliis nuncupatam eſſe, Thymelæam vero, quod thytimallo Cypariſſino, quæ folia lini repræſentat, & elææ ſiue oleæ pariter ſimilis videatur, & proinde vtramque ei, quam Meſue meliorem cenſet, quæque in vſum recipi debeat, conformari non poſſe. Vtramque prætereà cum foliis, tum baccis & radicum corticibus vim continere violentam, & furioſam & deleteriam, quo viſcera radat, erodat, & corrumpat, venarũ oſcula dilaniet, auctor eſt Matthiolus, immo vix ac ne vix quamuis correctas, & idoneis antidotis miſtas, robuſtis & fortioribus exhibendas. Iſti vero, quam in vſum recipiendam adſtruit Meſue laureolæ facies & forma rectius competit, quod folia reſpectu chamelææ & thymelææ habeat maiora, tenuia, viridia, non parua, nec pinguia, nec liniformia, nec oleæ ſimilia, id quod recte iudicioſiſſimus rei Botanicæ ſcrutator & arbiter Fernelius aduertit, cum inquit; *Mezerei ſpecies tres deſcribuntur Meſue, prima, quæ virentibus foliis iiſque tenuibus & gracilibus, Daphnoides eſt Dioſcoridi, ſecunda quæ folio eſt oliuæ anguſtiori, ſed multum pingui & viſcoſo Thymelæa eſt, tertia eſt Dioſcoridis chamelæa.* Hactenus Fernel.

Quando ab Arabibus fit mentio mezerei, intelligendam eſſe daphnoiden.

Ex his liquet multos quamuis primarios temere exclamare Daphnoidem male referri ad Mezereon Arabum, & inconſulto pro eodem vſurpari, cum tamen Meſues deſignatio iſtius Mezerei, quod in vſum recipi conſulit, laureolæ præ cæteris conueniat, & hæc non adeo venenata & deleteria facultate, quam cæteræ duæ ſit prædita, quod & Dioſcorides & Galenus innuunt, & Dodonæus conceptis verbis lib. xij. *rei herbariæ c.8. in ſupplemento* teſtatur. Interim relin-

Pro mezereo recte vſurpari daphnoidem.

Laureola eſt ſpecies Mezerei Arabum.

quo auctoritatem & iudicium cuilibet liberum ſentiendi, & vtendi his plantis, quomodo libeat, & nihilominus vere teſtor laureolæ noſtratis corticum inſolentiam adeo cicurari poſſe, vt tuto in infuſis, imo in pulueris forma exhibeantur, præſertim in curatione hydropis & innoxie pro mezereo vſurpari, quin imo ſic præparari, vt omni viturbatoria & exagitante deſtituti, virtutem antidoti conſequantur, & alexipharmicis rite miſceantur, quemadmodum ex compoſitione antidoti Saxonicæ videre eſt.

Quomodo tuto & innoxie vſurpetur daphnoides.

Quibus igitur ſui cœli ſolique ſeu laureola, ſeu chamelæa vſu comprobata eſt innoxie ſumi, pro illa, ſiue Italica ſiue Germanica ſit, aliam recipiendam non ſuadeo, ſaltem omnia diligenter humanæ ſalutis cauſa examinanda nihilq; temerari experientia mouēte, vti cauet Gal. *1. aph. com.* 1. in perniciem animantis tentandum faciendumque conſulo.

Temperies mezerai.

Sunt vero hæ tres Mezerei ſpecies videlicet laureola ſeu daphnoides, chamelæa, & thymelæa calidæ & ſiccæ in exceſſu quarti gradus, vt fauces adurant, inteſtina & viſcera radant, rodant, & concutiant, venas reſerent, & ἄνω καὶ κάτω omnia turbent, effluxum humorum ad ſanguinis vſque profuſionem & dyſenteriam excitent, & ferme ad venenorum naturam accedant, interiora inflammando, febrim accendēdo, cordis principumque partium vires exſoluendo, adeo vt nunquam niſi adprime correcta & ſpecificis ſuis antidotis miſta vſurpari, & tamen quouis modo correcta nequaquam imbecillibus & tenerioris conſtitutionis hominibus exhiberi debeant. Robuſtioribus, quibus competere poſſe videntur, magna conſideratione ſubminiſtrentur, quod incaute vel incorrecte ſumpta multis extremam perniciem attulerint.

Virulenta & violenta ſpecierum mezerai poteſtas.

Laureola vero ſeu daphnoides, etiamſi naturæ violentæ & furentis ſit, tamen cæteris duabus ſpeciebus mitiorem eſſe, compertum eſt. Et hic reſpicienda regula *ſuperius* multoties allegata, videlicet *omne pharmacum ſpecifica vi purgandi dotatū, eo fortius agere, & naturæ maiorem vim inferre, quo acutioribus ab elementorum manifeſta craſi qualitatibus polleat.* Eſt autem laureola calida & ſicca in initio quarti gradus, quocirca nunquam niſi correcta vel antidotis miſta, neq; tamen hoc modo etiam imbecillib. naturis, ſed robuſtioribus cum circumſpectione tantum ſingulari exhibenda. Dioſcorides ait, pituitam extrahere folium recens & aridum in potu, vomitum & menſes ciere, maſticatum euacuare caput, ſternutamenta mouere, baccas quindecim aluum ſoluere, proprietate vero ſpecifica hydropicorum aquas citrinas & melancholicos humores expurgare. Fructus idiomate ruſtico *piper montanum* nominantur, & improprie *cocognidium.* Dodonæus foliorum viridium in vino infuſum,

Lau... folio... & b... rum...

Du... & ... ma...

infuſum, aut puluerem foliorum ſiccatorum mediæ dragmæ pondere ſumptum aquoſos & pituitoſos humores expurgare, & extractum fælicius id præſtare, ſuccum autem vrinas menſesq; remorantes admodum promouere, folia contuſa, vel aquam deſtillatam applicata iſchiadico dolori conferre, auctor eſt. Simpliciter præparatur tridui maceratione in *aceto*, vel *ſucco oxyochantæ, cotonei, mali punici* adiectis *myrobalanis*, & dein quaterna in aquam ſimplicem infuſione, lotione, & exſiccatione. Exhibetur cum *ſaccharo* vel *ſucco liquiritiæ*. Neque hic prætereundum illud ſingulare in laureolæ cortice, quod aceto maceratus acerrimo ſiccatusque vtiliter antidotis & alexipharmacis contra peſtem & febres malignas miſceatur, quod & de *euphorbio* fieri *ſupra* dictum eſt.

Chamelææ, quam multi verum Mezereum cenſent, & pro eodem vſurpant *foliorum pars tertia cum duabus abſinthij, aſperſo hydromelite in catapotia ſubacta* bilem & pituitam purgat, ſed hæc in ventre non colliqueſcunt & integra cum excrementis egeruntur. Lobbelius ſcribit, ſuccum è toto expreſſum ſiccatumque & duarum dragmarum pondere exhibitum, ſeorſim vel cum aliis purgantibus miſtum, non vehementer mouiſſe aluum, nec inteſtina turbaſſe, aut ſtomachi anguſtiam vomitusque concitaſſe, imo pueris eiuſdem portionem impune exhibitam fuiſſe. Idem ſuccus pubi illitus vehementer pellit vrinas & hydropicorum abdomini iuxta Rondeletium vtiliter admouetur, neque inconuenienter iiſdem exhibetur. Dodonæus eundem commendat ad menſes reſtitantes & vrinas promouendum, & folia è vino ad colicam ex pituita & flatibus.

Thymelææ folia Dioſcorides *cneorum* vocat, illa per meſſes colligi, & in vmbra ſiccata recondi iubet, aquam cum diluto vino, aut addita lente cocta tritisue oleribus ſumpta ducunt. Fructus Thymelææ proprie eſt id, quod *cocognidium* nominatur. Hoc per inferiora pituitam & aquas detrahere, ſi viginti granorum pars interna bibatur, verum fauces ſimul adurere, ſcriptum reliquit Dioſcorides. Bacca ſiccata, quia piperis faciem repræſentat, & acrimoniam vehementem guſtanti imprimit, vna cum laureolæ ſemine indifferenter piper montanum agreſtibus locorum, vbi prouenit, indigenis nominatur, quod, referente Matthiolo, vſurpant in potionibus, conantes fallere Medicos, verum frequenter euenit, vt ſe ipſos decipiant, & niſi mature ab aſſumpto, illata noxa, conueniente antidoto emendetur, mortem ſibi conſciſcant. Lobbelius paulo mitiorem eſſe vim putat thymelææ, quam chamelææ, ſuccumque illius inſpiſſatum, ſi non ſecurius, ſaltem æque tuto & pari quantitate exhiberi.

Mezereon, & quæ ab Arabibus ſub

...ſes & ...nas ...rouet.

...fert ...adico ...ri.

...aratio ...ſus.

...reola & Eu...bium ...ara... e eua... alexi... ...rmacū.

...melææ ...a & ...ſtas.

Ad remorantes menſes, vrinas & hydropē intus & extus valet.

Ad colicum dolorem.

Thymelææ vſus.

Cneorum quid ſ...

ſub eo numerantur ſpecies, vnam ſimul eandemque cum eſula præparationem, extractionem, & exhibendi modum admittunt, fereque iiſdem conducunt affectibus. Communis omnium præparatio & emendatio eſt, vt folia, cortices vel fructus aut quodcunque ex his fructuoſius in vſum vocatur, maceretur in *aceto*, dein ſiccetur, rurſumque infuſione in aquam fontanam edulcetur. Conuenientius ad hoc recipitur *acetum*, cui *ſuccus cydoniorum* miſtus, aut in quo *cydonia berbereſue* præmacerata ſint. Pari modo, violentiam eorum retundunt, mucilago *ſeminis pſyllii, ſuccus portulacæ, liquiritiæ, endiuiæ, aqua alkekengi, ſolatri, berberorum*, conſulto *mirobalanis* vel *roſis* aut *epithymo* ad frangendũ acumen miſcentur, nec minus vtiliter macerantur in *lacte dulci*, aut *acetoſo caprarum vel aſinæ*. Amplius retunditur acrimonia & vehementia, ſi *aceto* per diem impoſita, ex hoc ſiccata *lacti* aut *oleo amygdalarum dulcium* infundatur. *Syrupus ex aceto* infuſionis *Mezerei* factus, multis commendatur, vtiliter etiam incoquuntur lacti folia & remota interim ſpuma ſeruatur colatura, ad vſum maxime idonea. Eadem *ſyrupo roſarum* paulo ante quam finiatur coctio, immittuntur, qui tuto, cum opus fuerit, propinatur, nec minus recte decoquuntur in *iuſculo galli veteris*, doſis in infuſo eſt à ʒß. ad ʒ j. Foliorum ℥ ij. in cado muſti recentis infuſa per tres menſes, vinum hydropi vtiliſſimum quod aquas citrinas ſine vehementia educat, efficiunt.

Præparatio Mezereorum & eſulæ, eorumque vſus communis.

Varii præparationum modi.

Decoctum Mezerei ex lacte.

Vinum Mezerei.

Meſue oleum Mezerei ad eoſdem vſus internos præſcribit.

Oleum Mezerei Meſue purgans.

♃. *fol. eius* ʒ 40.
quibus affunde per diem naturalem,
aquæ dulcis ℔. iij.
coque ad remanentiam ℔. iß.
colaturæ adde ol. amygd. dul. ℥ viij.
ebulliant ad conſumptionem aquæ.
doſis à ʒ iij. ad ʒ v.

Electuarium de Mezereo Meſue.

Electuarium de Mezereo.

♃. *fol. mezerei præparatorum partes x.*
carnium citoniorum elixatorum in aceto vini,
ſacchari tabarzeth ana partes 70.
mannæ partes 40.
ſeri lactis infuſiones agarici partes 30.
olei Mezereon partes xij.

Soluatur ſaccharum & manna in ſero lactis, & coquatur ad ſpiſſitudinem mellis, & miſceatur puluis cum oleo dicto, fiatque electuarium.

Simile per omnia tradit Fernelius ſub nomine hydragogi maioris ex laureola, quæ ipſi verum eſt Mezereum, compoſitum.

Hydragogum Fernelii maius.

♃. *ſeri lactis* ℔ ij.
ſacchari albi,
carnis cydoniorum ex aceto coctorum ana ℥ x.
mannæ Calabrinæ ℥ v.

Coquantur igne lento ad mellis craßitiem, ſub finem adiice foliorũ laureolæ præparatorum ex aceto & oleo amygd. dul. ℥ ij. Doſis ℥ ß.

Foliorum laureolæ ℥ ij. *macerentur viginti*

ginti quatuor horis in aceto, mali punici, vel portulacæ, modice coquantur, exprimãtur, ſiccentur, terantur, dein affunde aquæ roſarum ℔ ß. amygdal. dulc. ℥ iß. coquantur ad aquæ conſumptionem, puluiſque cum oleo miſceatur compoſitioni.

Serapio componit remedium ad hydropem

ex. *Mezereo præparato,*
radic. Ireos,
batitura æris,
aſaro,
mirrha,
ſerapino,
myrobalanis citrinis.
ſale Indo,
ſem. apij domeſtici,
ſuccis eupatorij,
abſinthij,
ſpica nardi,
maſtiche, adiecto ſucco fœniculi, vel ſolatri aut caßia, & pilulas, trochiſcos, vel electuarium conficere iubet.

Pilulæ Meſuæ ad hydropem de Mezereo.

℞ *fol. mezerei præparat.* ℥ v.
myrobal. citrinor. ℥ iiij.
chebulor. ℥ iij.

Confice cum manna vel tamarindis in aqua endiuiæ. Has in ſuum *lib. 8. meth. medendi* tranſtulit Fernelius.

Mezereon cumprimis ad hydropem vſurpatur, quamuis epati & organis nutritionis officiat. Interficit & eiicit lumbricos. Iuxta Auicennam decoctum eius vrinas & menſes mouet, & cum duplo *abſinthii* melancholicos humores pituitamque educit.

Extus cum *melle* illitum ſanat fiſtulas & vlcera fraudulenta. *Acetum decoctionis Mezerei* confert dolori dentiũ, & corroſioni eorũ & gingiuæ ſanguinolentæ. Conficitur etiam ex eodem ad ſcabiem, cum *aceto, oleo & cera,* & ad morpheam lentigineſque, cum *ſulphure, melle & aceto forti* linimentum.

Decoctum Mezerei ex aceto ad dolorem dentium.

CAP. XLV.

De Ricino & lathyride, ſeu cataputia maiore & minore. Semen ducit aquas & pituitam ex abdomine & iuncturis, medetur colicæ paſſioni & cottidianæ febri. Oleum ſeminis expreſſum clementer purgat. Claretum purgans ex Ricino, Plateary.

RIcinus, alias *cataputia maior, palma Chriſti, pentadactylon,* Arabic. *cherua maior,* Meſue *granum regium,* Germanis Wunderbaum vnd Kreutzbaum/ dictus, eſt calidus & ſiccus in tertii receſſus initio; pituitam, aquas in abdomine collectas, ſeroſos ab articulis humores, bilemque atrhoos & violẽter cum magna naturæ perturbatione, ſtomachi ſubuerſione & moleſtia ſurſum deorſumq; exturbat & eiicit. Semen Meſue granum regium nuncupatum, acceſſitur potiſſimum in vſum; quod tamẽ, niſi

Qualitas & virtus.

Aquas & bilem ex abdomine & ab articulis violenter ducit.

niſi debite correctum ſit, propinare religio fuerit. Vera eius præparatio & correctio perficitur granorum toſtione vel aſſatione, qua humiditas ſuperflua, viroſa, & acris vomitum ſubuerſionemque ſtomachi excitans, viſcera & naturam male afficiens abſumitur, remanente vi purgatoria deorſum tantum & benignius operante. Alii in *maſſa farinacea* vel *malo cydonio* coquunt, & ſiccata ꝑpinant ex *decocto ſeminis fœniculi & paſſularum* addito *ſacchara & cinamomo*. Paſtæ inuoluta ſemina integra ſub cineribus, vel medullã extractã & tritã ſubactã cũ *ſemine fœniculi & aniſi*, aliiſq; ſpeciebus papyro obductã paſtæ inuoluunt, & ſub cinere coquunt. Ad normã præſcriptam grana ꝑparata integra, & liquato *ſacharo* vel *melle* obducta & deuorata blande abſque omni viſcerum & ventriculi offenſione aluum ducere, auctor eſt Fernelius. Ex *medulla ſeminis* poſt coctionem, & pari quantitate *amygdalarum dulcium*, cum *melle paſſulato*, trochiſci non inſuaues formari poſſunt.

Præparatio vera.

Quomodo ſemen præparetur, vt innoxie purget.

Ad colicam paſſionem & iuncturarum podagræ iſchiadicoſque dolores grana trita in iure galli antiqui vel *ſero lactis* aut *lacte caprillo* coquuntur. Plateariuſ *ſemina cataputiæ maioris* valde commẽdat ad febris phlegmaticæ cottidianæ & ſcabiei ex pituita falſa curationem. Ille granorum medullam tritam, & foliis caulium inuolutam coquit ſub cineribus, & exprimit oleum, quod cibis miſtum ægrotis propinat, qua ratione etiam decipi poſſe eos, q. pharmaca ſumere renuunt, arbitratur. Eodem collimat, quod ab eo præparatur Claretum.

Ad paſſionem colicã. Ad dolores iuncturarum. Febrem cottidianã & ſcabiem.

Oleum ſeminis Ricini expreſſum, purgans.

℞. *granorum cataputiæ contritorum* ℔ ß.
mellis ℔ iij.

Coquantur ex hoc melle colato, & vini ℔ vj. vij. *vel* viij. *Fiat claretum purgans.*

Claretum purgans Ricino.

Ad vomitum concitandum in quotidiana febre ex phlegmate profatam, decoquit *ſemen atriplicis & raparum in vino vel aqua, & in decocto infundit ſemin. cataputiæ* ℈ j. *colaturæ miſcet ſyrupum acetoſum vel oxymel.*

Vomito ad quotidianam febrem ex Ricini ſemine.

Contra arthritidem & paralyſin exhibetur cum *electuario lenitiuo*, vel *benedicta laxatiua* ex *vino hermodactylato*. Si materia frigida ſit in orificio, *cataputiæ ſemina* cum *oleo ſiconio bene trita* in forma cataplaſmatis extus imponit ad concitandum vomitum.

Ad paralyſin & arthritide. Cataplaſma extus appoſitum citans vomitum.

Ad colicam paſſionem *ſeminum cataputiæ* ℈ j. vel ʒ ß. per clyſtere infundit cum *decocto radicum fœniculi & caſſiæ ligneæ*, ſed oportet præceſſiſſe emollientem iniectionem. Præfertur ad clyſma contra paſſionem colicam *oleum de ſemine ricini* ſi e *de cheruua*, quod & menſes reducit infuſum, & ſcabiẽ ſanat, inflammationes ani mitigat, aurium dolores ſedat. Ricinus fugare talpas fertur.

Clyſter colicam.

Oleum cheruæ ricino ſ ad colicã paſſionem ducit menſes, ſedat dolores aurium.

Lathyris, quod lacteo turgeat ſucco & iiſdem pene viribus, quib. eſula, polleat, tithymallorum familiæ à cõpluribus.

Lathyris hiſtoria.

pluribus accenſetur. Facultate proxime etiam ad Ricinum accedit, vnde *cataputia minor*, Germanis Spring-kórner/Dreibkórner nuncupata. Formali proprietate pituitam, aquas citrinas & bilem educit, quamobrem hydropicis & articulorum affectibus conuenit, ſed niſi corrigatur, violenter corpus impellit, & vomitum concitat. In vſum veniunt folia, lac & ſemen. Hoc eodem modo, quo Ricini ſemen præparatur, & exhibetur à ſeptem granis ad duodecim. Guſtantibus initio dulce videtur, ſed linguam paulo poſt adurit. Folia & lac eandem cum eſula præparationem recipiunt. Vulgus tria vel quatuor folia ex pingui iure cum oleribus coquit & aſſumit; alii folia vel ſemen cum atriplici & gallo veteri elixant.

…nitam aquas …inas …lenter …it, ex …lomine …artubus.

…nen, lac folia in …um veniunt.

Decem vel duodecim grana ſeminis à putaminibus delibrata, tuſa & in ouo ſorbili deuorata vomitum potēter citant, atq; iis vtiliter propinantur, qui philtra, aut alia veneficia deuorarunt, ſiquidem potenter hæc expellant. Actuarius quindecim grana maiora, vel viginti minora pituitam valde purgare docet, & his, qui vberem deiectionem eadem mandere, qui mediocrem deſiderant, & infirmo ſunt ſtomacho integra deuorare præcipit. Quidam ſemina ficubus vel *dactylis* incluſa vel cum *aniſo* & *tragacantha* exhibent. Succus vel lac lathyridis dentium præcipue cauorū dolorem mitigat; vicinia autem *cera* eſt præmunienda. Idem abigit ſcabiem, ſuperfluam vlcerum carnem conſumit, verrucas & clauos exſtirpat.

…mitoriū philtra venefi… aſſum…

…ac ad do…rem den…um, ſca…iem, ver…ucas; & …lcera pu…ida.

Cap. XLVI.

Eſula è cæteris omnibus duntaxat in vſum vocatur. Aquas, pituitam & bilem atram euceat. Robuſtis corporibus & non niſi correcta datur. Icteritiæ, leucophlegmatiæ, hydropi, Iliacæ poſſioni, paralyſi, febri cottidianæ medetur, ſemen, folia, lac & radicis cortex medicinæ ſeruiunt. Vulgo corticis, puluis, decoctum aut extractum vſurpatur.

Eſulæ nomen, tithymallorum generibus, quorum ſeptem recenſet Dioſcorides, omnibus, indifferenter imponitur. Meſue *Alſebram* nominat, duorumque tantum, videlicet maioris & minoris, mentionem facit. *Alſebram maius*, vſu medico exſulare, minus vero recipi aſſerit. Illud Fernelius & Matthiolus cenſent eſſe *pityuſam* Dioſcoridis, & *Mehezeregi* Arabum, vulgo *eſulam maiorem* officinarum, hoc Auicennæ *Scebram*, & Dioſcoridis *Tithymallum Cypariſſiam* arbitratur Matthiolus, eamque eſſe plantam, quæ officinis *eſula minor* nuncupatur, cuius pro omni tithymallo inualuit vſus. Fernelio *peplos* (quæ, quod orbicularis conſtet foliis, vulgo eſula rotunda nominatur) pro minore venit, & in vſum accerſitur.

Qualitas & vires.

Eſula, omnisq; tithymalli ſpecies acris & vrentis eſt facultatis, & particeps cuiuſdam aromaticitatis. Folia, radix, & ſemen tertium, lac ſiue liquor quartum caliditatis attingit ordinem. Subſtantia conſtat ignea, acuta, & ſubtili, partimque terrea & ſtiptica, quocirca vim habet incidendi, attenuandi, colliquandi, orificia venarum reſerandi & vehementer exſiccandi. Formali proprietate athroos hydropicorum aquas, & pituitam, demumque malancholicos humores educit, & ab articulis, quorum eo ipſo doloribus medetur, ſuperflua educit. Eſulam minorem inter omnes tithymalli ſpecies eſſe virtutis modeſtioris experientia docuit, quamobrem in vſum ſola recipitur, ſed non niſi correcta, quod cordi, epati, ventriculo, viſceribusq; noxia vim alioquin inferret maximam, inteſtina raderet, venarum ora reſeraret, nobiles interiorum partes inflammaret, febres excitaret, ſperma exſiccando conſumeret, potentiamque aphrodiſiam exſtingueret.

Hydropicorũ aquas, pituitam & bilem atram vacuat, ducitque ab articulis.

Validiſſimus eſt liquor, ſecundum locum ſemen & folia ſibi vendicant, radix eadem efficacia ſed paulo mitiore donata eſt. A tempore collectionis intra menſem non vſurpetur, proinde melior eſt, quæ quinque vel ſex menſium ætatem vidit. Robuſtorum corporum & ruſticanorum eſt remedium, à cuius vſu qui tenerioris ſunt valetudinis & delicatiores, calidioriſque temperiei, merito ſibi cauent. Vitæ humanæ inſidiantur, qui pro *turpetha*, *eſulæ maioris* corticem ſubſtituunt.

Eſulæ correctio.

Prima, qua cordi, epati, & ſtomacho inſultat, noxa, corrigitur iuxta Meſuen appropriatis cordialibus, ſtomachicis & epaticis, videlicet *ſpica, cinamomo, nuce muſchata, maſtiche*. Erodens & exurens qualitas emendatur iis, quæ glutinandi & refrigerandi vi pollent vti *tragacantham, bdellium, ſuccus portulacæ & pſyllij mucilago*, inter quæ hęc potiſſima videtur, quod vi ſua corrigente non tam in corpore detineat eſulam, quam exitum eius promoueat, ne malignitatem, quam ſimulac retundit, altius imprimat. Ne viſcera inflammet, & febrim inducat, frigidis, velut *ſucco ſonchi, intubi, ſolani hortenſis, portulacæ, aceto decoctionis aut infuſionis ſeminis vel carnis cydoniorum* permiſcent. Meſue refert, alios *myrobalanorum* potiſſimum aut *aloes* miſtione eius malignitatem reprimere. Serapio & Meſue ex *lacte eſulæ & farina orobi* conficiunt pilulas, vel ex *ſucco cydoniorum & maſtiche*. Serapio lac ficubus inſtillat & ſigillatim cuique guttas tres vel quatuor infundit, eosque reponit & flagitante vſu numero tres vel quatuor exhibet.

Pilulæ lacte eſulæ, cydoniis, maſtiche. Lac eſulæ ficubus inſtillatum commode datur.

Plinius tradit, hydropicos toties purgari, quot guttas ſumpta quælibet combiberit.

Alii referente Serapione, pilulas conformant, quas, ne, dum vſurpantur,

tur, fauces exurant, *cera liquefacta vel melle* obducunt, vel herbam integrã contundunt & trochiſcos formant. Eodem auctore miſcetur cum *amylo & modico olei violarum* aut *amygdalarũ dulcium*, vel cum *ſucco liquiritiæ, abſinthij, eupatorij, croco & aniſo.*

Lac exhibetur à gr. iiij. ad gr. xij. Fernelius à iij. ad ſeptem duntaxat progreditur.

Radicis cortex poſſimum in vſum venit. Hodie in vſum vt plurimum accerſitur radicis cortex, ab interiore lignoſa ſubſtantia repurgatus. Recipi vero debet radix, cuius cortex eſt ſubtilior & leuior, & facile frangitur, & quæ participet aliquid de rubedine ad inſtar caſſiæ, & quæ iam mediũ obtineat annum à collectione, recens enim ſui menſis, & quæ in locis thermarum prouenit, & initio veris auulſa, noxia eſt. Efficacia eius biennium durat, rectius tamen ſingulis annis recens colligitur. *Corticis correctio & vſus.* Vulgo corrigitur tridui infuſione in *aceto*, qua peracta exſiccatur. Alii primum *aceto* infundunt, ſiccantque, deinde in lacte macerant, denuoque reſiccant, vel *lacti* multoties immittunt. Cortex radicis exhibetur à gran. vij. ad grana xxviij. Fernelius duntaxat à quinque ad decem grana exhibet. Dragma vna maceratur per diem naturalem in *vino dulci*, & exhibetur colatura. Tabernæmontanus *ſuccum fœniculi coquit, & defæcato miſcet pulueris eſulæ ℥ ß. cum modico ſacchari*, qua quantitate cum mulſa vel vino etiam exhibet. Eodem modo Platearius, à quo id mutuatum videtur, commendat ad leucophlegmatiam. Ille *ſuccum fœniculi coctum & per reſidentiam depuratum, ſeu aquam claram ſupernatantem cum puluere eſulæ & ſaccharo miſcet*, aut *ex his ſyrupum conficit*, delicatis vero & pharmaca abhorrentibus conſulit, vt cum carnibus coquant, & brodium hauriant, illaſq; deuorent. *Claretum Eſulæ Platearii.* Idem non inconcinne ex *vino, melle, aliiſque ſpeciebus & puluere eſulæ*, qui non ſit abominabilis ſaporis, fieri claretum docet.

Eodem puluere cætera purgantia acui & loco *ſcammonij* vſurpari poſſe, antiquiores tradunt. *Quibus morbis opituletur eſula.* Vſum eius ad ictericiam, febrem quotidianam, arthritidem, leucophlegmatiam, hydropem, iliacam paſſionem & paralyſin commendant, quorum gratia ſequentem puluerem conſtruunt:

℞. *eſulæ præpar.* ℈ v.
cinamomi,
ſem. fœniculi,
aniſi,
maſtichis ana gr. vj.
Miſce.

Meſue præſcribit pilulas de Alſebram ſeu eſula, quæ ſummum hydropis ſint remedium. *Pilulæ Meſuæ ad Hydropem.*

℞. *Eſulæ præpar.*
myrobalanor. citrin. ana partes iiij.
aloes partes v.
(Auicenna addit *ſal Indi*)
cum ſucco fœniculi vel endiuiæ.

Fiat maſſa pilularum. Doſis à ℨ iß. ad ℨ ij.

Auicenna & Serapio ad colicum

Ad dolorẽ colicum.

cruciatum propinant *eſulam*
cum *ammoniaco,*
bdellio,
ſerapino,
& modico ſtercore lupi. Vide Auicennam *cap. de dolore colico.*

Dodonæus puluerem eſulæ vtiliter clyſteribus miſceri docet.

Fernelius pilulas ex *Eſula* hydropicis robuſto adhuc corpore ſuffultis præſcribit.

℞ *cort. rad. eſulæ viginti quatuor horis in aceto & ſucco portulacæ macerati* ʒ j.
Granor. ricini purgator. & torrefact. num. XL.
mirobalanor. citrin. ʒ iß.
chamædr.
chamæpyt.
ſpicæ nardi,
cinamom. ana ℈ ij.

Trita, miſce, & excipe vncia vna tragacanthi aqua roſar. ſolut. Fiat maſſa. Doſis ℈ ij.

Extractum eſulæ.

Frequenter hac tempeſtate vſurpant extractum vel eſſentiam eſulæ ad hydropicorum aquas educendas, eamque à ℈ ß. ad ʒ ß. vulgo offerunt, robuſtis vero ℈ ij. vel ad ſummum ʒ j. exhibent.

Quercetanus eſſentiam eſulæ hoc pacto efformat *Radicum recentium* ℔ j. *decoquit in aqua aniſi & pulegii per diem integrum, ab expreſſo & colato ſucco auocat menſtruum per B.M. in fundo remanenti ſubſtantiæ, affundit ſpiritum vini, digerit per quatriduum & reiteratis digeſtionibus eſſentiam extrahit, quæ ſeparato per deſtillationem liquore affuſo, ſuperſtes remanet,* cuius ℈ j. cum guttulis aliquot *olei aniſi vel menthæ* propinat.

℞. *eſſentiæ eſulæ* gr. xv.
olei aniſi,
corticum citri,
cinamomi ana gutt. j.
ſyrupi de corticibus citri,
aquæ menthæ ana ʒ ß.
Miſce, fiat hauſtus.

Alii ℈ j. cum *extracto mirobalanorum* ex ʒ j. *olei amygdalarum dulcium* ad hydropem & ſeroſa excrementa repurganda exhibent.

Euonimus eſſentiam eſulæ alia via conficit.

Extractum eſulæ iuxta Euonimũ.

Herbam tuſam in aqua vel aceto macerat, deinde coquit, & inter coquendum ſpumam diligenter remouet, depuratum liquorem decantat, iterumque totieſque nouum affundit liquorem, & coquit, donec nulla amplius acrimonia vel amaricies guſtu percipiatur. Decocta hoc pacto collecta coagulantur, & ſub finem ad ℔ j. *additur maſtiches* ʒ j. *vt acquirat formam maſſæ pro conficiendis pilulis.*

Eſulæ radicis cortex non inconſulto præparatur *aceto, lacte, ſucco cydoniorum, aranciorum, citri,* cui ſic adornato & pulueriſato, ſi affundatur *ſerum vel aqua menthæ, carduibenedict. abſinthii, aut roſarum,* quibus guttulæ aliquot *olei tartari inſtillatæ ſint,* optimum parabitur extractum. Iis enim rite extrahitur, quibus corrigitur.

Extractum Eſulæ prodeſt in aſthmate, hydrope, arthritide & ſtranguria.

Hujus ℈ j. vſque ad ʒ ß. exhibent hydrope, arthitide, aſthmate & ſtranguria affectis.

Extrin-

Exrrinſecus eſulæ quoque multiplex eſt vſus, lac, quod excellenti calore & acredine pollet, vicem cauterii & pſilothri ſupplere poteſt, quando pilos aufferre decretum eſt miſcetur *oleo*, ne nimis exulceret. Frequentius illitum radices pilorum auffert, nouoſque renaſci prohibet. Tollit verrucas & carnem in lateribus vnguinum ſupercreſcentem, vlcera putrida, fraudulenta, fiſtulas & cancros perſanat; callos fiſtularum remouet, abſtergit impetiginem & ſcabiem, delet condilomata, anique tubercula & oculi vngulam. Inſerta dentium cauernis, munito loco, ne linguam contingat, dolores compeſcit, quod itidem præſtat, ſi aceto, in quo cocta ſit radix, eroſi & cauernoſi dentes colluantur. Dentium enim corroſorum dolori cumprimis medetur. Lac ſæpius applicatum dentes eorumq; radices eruderat. Semine & fructu ad capiendos piſces ex aqua ſtagnali vti ſolét, eo enim deuorato vertiginoſi, & quaſi ſemimortui celerrime ad aquæ ſuperficiem feruntur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

AVRO-

AVRORÆ MEDICORVM IOANNIS FREITAGII

LIBER III.

CAPVT I.

Breuis anacæphaleoſis eorum, quæ de lenientibus ſupra dicta ſunt proponitur.

DE lenientium viribus & differentiis cũ *ſuperius* luculéter traditum ſit, non eſt, quod rem eandem hic denuo reponamus. Habent autem duplicem reſpectum, quatenus primas vias, videlicet ventriculum, inteſtina, venaſq; meſenterii à ſuperfluitatib. liberant, adeoque medicamentis cum incidentibus & attenuantibus, tum prolixius purgantib. viam ſternunt & aperiunt, præparantibus annumerantur, iuxta illud Hipp. *Corpora ſi quis purgare velit, euroa ſeu fluxilia faciat, oportet*, quod perficitur, ſi in his angiportis & ductib. hærentes ſuperfluitates lenientibus euocentur, vt ſubſequenti pharmacō vlterius vim ſuam protendenti via muniatur. Quæ enim ſequantur ſymptomata, & quomodo affligatur corpus, ſi purgatio grandior ſumpta fuerit dum cruditatibus obſeſſa ſint, & obſtructionibus hæc loca laborent, Gal. *lib. 4. de ſanit. tuenda* docet.

De præparantibus & lenitiuis horumque differentiis.

Deinde accenſentur laxantibus, quæ duplicem viciſſim admittunt differentiam. Vel n. ſtercorum fæcumq; & quiſquiliarũ duntaxat ſunt eductiua, & apertis operãtur qualitatibus, & lubricando, abluendo, extergendo, nec niſi in magna quãtitate ſumpta agunt, vel vna cum manifeſta qualitate proprietatem quandã formalem electiue hunc illumue potius humorem, non quidem remote, ſed è locis propinquioribus extrahendi habent.

habent. Sic in *caſſia* & *manna* præter lubricitatem, qua aluum fæceſque induratas emolliunt, virtus peculiaris ineſt, extrahendi cum primis excrementa bilioſa. In hoc itaque blanditer lenientium ſeu aperta & occulta pariter qualitate aluum ſubducendi præditorum remediorum cenſu numerantur *caſſia*, *manna*, *tamarindi*, *paſſulæ*, *pruna*, *ſebeſten*, *violæ*, *roſa*, *tartarus*, *aloe*, aliaque, de quibus *ſupra* momentoſius actum eſt, ex illis omnis lenientium medicamentorũ farrago pene conferruminata eſt, vbi tamen id, cuius etiam *ſuperius* facta eſt mentio, accurate notãdum eſt, quod veluti in pueris, ſenibus, delicatis teneriſq; naturis, & q partes interiores acuti ſenſus, vel imbecilliores, & facile irritabiles poſſidẽt, ea, quæ è prima duntaxat regione aperta occultaque vi clementer purgare dicta ſunt, ad ſecundam & tertiam omneſque pene corporis partes, facultatem ſuam extendunt, adeoque plenariæ & eradicatiuæ purgationis opus perficiunt, ita in robuſtis & fortioribus, niſi his, quę ex ſecunda regione trahendi vim habent, iuuentur, aut acrium minori quantitate adjectorum mixtione inſtigentur, vix notatu dignum quippiam ex primis etiam viis euocent. Atque hæc eſt cauſa, quod illa, quæ in ſecundam clemẽter operantur regionem, qualia ſunt *Rhabarbarum*, *ſena*, & ſimilia lenitiuis vt plurimum miſceantur, & in vſu practico lenientibus electuariis, ea, quæ acrioris ſunt virtutis, ſæpe minori doſi admiſceantur, veluti cum *electuarij lenitiui* ℥ vj. *vel* ℥ ß. *Diaprun. ſoluti. aut electuarij de ſucco roſarum Meſ.* ℈ iiij. *vel* ℥ ij. iunguntur.

..ua ſit ..ateria lenientium ..armacorum.

CAP. II.

De viribus caſſiæ, quibus conueniat morbis, quomodo rite vſurpetur, & lenientia pharmaca pauloque vlteriuſq; virtutem ſuam protendentia ex ea comparentur.

ORdinis & inſtituti ratio requirit, vt diſpiciamus, quomodo ex *caſſia*, *manna*, *prunis*, *paſſulis*, *tamarindis*, *ſebeſten*, *violis & roſis* lenientia comparentur & vſurpentur remedia.

Qua ratione *pulpa caſſiæ* extrahatur, & quæ ex ea formentur remedia, ex diſpenſatoriis liquido patet, vti vero corrigatur, & ad vſum præparetur, *ſuperiori libro* traditum eſt. Ducit autem primo bilem, deinde pituitoſos humores, & quod frigidæ, humidæque complexionis ſit, calidis naturis & morbis conuenit, quocirca febribus feruentibus tam hauſta, quam ſubtus infuſa conducit, gutturis, pectoris, renumque morbis calidioribus & aſperis medetur. Quæ enim ſpiritalium partium ductus læuigant, & exaſperatas leniunt, intemperatas mitigant, ea, & renum vias commeatuſque ſoluunt, liberant & aperiunt.

Caſſia vires & quibus conueniat.

Maxima electuariorum lenitiuorum pars primo flauam, deinde atram bilem educit, quod ex *manna, caſſiæ, prunorum, tamarindorum, paſſularum & ſebeſten pulpa* potiſſimum conſtruuntur, è quibus hæc maxime conueniunt, quę bilis feruorem temperant, viſcerum ardorem mitigant, flacciditatem, atoniam & laxitatem moderata adſtrictione colligunt, qualia ſunt *tamarindi & pruna.* Cum autem *caſſiæ pulpa* frigida ſit & humida, ventriculo & inteſtinis frigidis humidisque eandem exhibere non conuenit, calidis vero & humidis laxisque iiſdem, cum *pulpa tamarindorum* miſcenda vti *ſerum lactis tamarindorum* adſtrictionem, ita hi viciſſim moderata adſtrictione humiditatem *caſſiæ* temperant. Exhibentur itaque *pulpæ caſſiæ & tamarindorum ana* ℥ vj. in forma boli vel

℞. *pulpæ caſſiæ* ℥ j.
Tamarind. ℥ ß.
Miſce f. bolus.

Si pituita biliſue è ventriculo frigido educenda, miſcentur ſpecies *hieræ picræ.*

℞. *pulpæ caſſiæ* ℥ j.
ſpecier. hieræ picræ ʒ ij.
Miſce.

Quæ miſcenda, vt è remotioribus locis educat caſſia.

Cum à remotioribus locis bilis vel pituita educenda adduntur *agaricus, Rhabarbarum, electuar. diaprunis vel roſarum, de pſyllio diaphœnic. Indum* aut ſimilium quidquam. Ad euacuandam leniter è capite pituitam.

℞. *agarici trochiſc.* ʒ i ß.
ſtæch. ℈ j.
flor. caſſiæ ℥ j.
ſeri lactis ℥ iij.
Miſce f. cauſtus.

Pro bile ex capite educenda.

℞. *pulpæ caſſ.* ʒ vij.
Elect. de ſucco roſar. Meſues ʒ ij.
fiat bolus & ſuperbibatur ℔ ß. vel j. *ſeri lactis.*

Si ab epate & renibus ducere propoſitum fuerit.

℞. *caſſiæ* ʒ vj.
pul. Rhabarb. ʒ j.
Miſce f. bolus.

Ad euacuandam bilem.

℞. *florum caſſiæ* ℥ j.
pul. Rhabarb.
Elect. diaprun. ſoluti ana ʒ j.
M. f. bolus.

Vel ℞. *flor. caſſiæ,*
pulp. tamarind. ana ʒ v.
electuar. roſar.
pul. Rhabarb. electi ana ℈ iiß.
ſolue in decoctione communi.

Quomodo intendatur caſſia vt ducat pituitam, bilem & melancholiam.

℞. *flor. caſſiæ* ʒ j.
elect. diaphænic.
pul. Rhabarb. ana ʒ j.
cum ſaccharo f. bolus.

Formulæ lenitiuæ.

℞. *pul. Rhabarb.* ℈ ij.
elect. de ſucco roſar. ʒ ij.
caſſiæ ʒ iij.
M. f. bolus.

℞. *Tamarindorum minutim conciſorum* ℥ ij.
infunde per octo horas in ſeri lactis ℥ v.
dein colentur, exprimantur; & adde mannæ ſelectæ ʒ iß.

vel.

vel caſsiæ ʒ vij. *f. hauſtus.*

Ad euacuandam pituitam.

℞. *florum caſsiæ* ʒ ß.
agar. trochiſc. ʒ j.
electuar. diaphœnic. ʒ ij.
Miſce f. bolus.

Ad euacuandam melancholiam.

℞. *flor. caſsiæ* ʒ x.
pul. epithymi ʒ ij.
cum aq. bugloſsi f. potus.

℞. *flor. caſsiæ* ʒ j.
confection. hamech ʒ ij.
Miſce f. bolus.

℞. *flor. caſsiæ* ʒ ß.
diaphœnicon.
electuar. de ſucco roſar. ana ʒ ij.
extracti ellebor. nigri gr. viij.
Miſce.

CAP. III.

Quid ſit flos caſſiæ. Caſſia extracta alia eſt pro clyſteribus, alia, quæ per os aſſumitur, hæc eſt ſine vel cum foliis ſenæ, harum parandi ratio & uſus. Diacaſſia cum manna Auguſtanis vſitata, & Electuarium lenitiuum Florenzolæ recenſentur & examinantur.

VVlgo ex caſſia parantur remedia, *flos ſeu pulpa caſsiæ; caſsia extracta, condita, diacaſsia magiſtralis, diacaſsia cum manna.* Flos *caſsiæ* differt à *caſsia extracta* eo, quod medulla è ſiliquis exempta, per anguſtum adigatur cribrum ſuper vapore aquæ bullientis, vt à cute & nucleis rite emundetur. Depurata & vapore aquæ calentis haut nimium imbuta *pulpa flos* eius dicitur, cui ſi maiorem vim purgandi conciliare velis, exprime ſuper *decocto florum perſici, prunellorum ſylueſtrium recentium*, aut aliorum accuratius purgantium. *Flos caſſiæ.*

Caſſia extracta præparatur cum ope *decocti cuiusdam, è ſiliquis extrahitur pulpa.* Eluendæ ſunt cannę confractæ, iure conuenienti, quod addito *ſaccharo* ad conſiſtentiam coquendum, cui deinde *caſsia medulla*, quæ ignem diuturnum non tolerat, addenda, & ad conſiſtentiam leni calore redigenda. *Caſſia extracta.*

Caſſia extracta præparatur, vt per os exhibeatur, vel ſubtus per clyſteria infundatur. Hæc non vno modo ab auctoribus conficitur. Aliam enim atque aliam Meſue, Cordus, Renodeus & Cronebergius præparationem tradunt. *Caſſiæ extractæ differentia & præparandi modi.*

Quidam ſuccos peculiares ad craſſitudinem cum melle coquunt *caſsiæ pulpā* deinde addunt, & ad conſiſtentiam debitam feruore ignis moderato redigunt.

Quo modo Meſue caſſiam pro clyſteribus conficit, recipiendo *ſuccorum violarum,*
betæ,
Mercurialis,
maluæ,
parietariæ ana quart. j.
ſucci abſinthii pontici ʒ ij.
mellis q. ß.

fiat decoctio ad conſiſtentiam, & adde pulpæ caſſiæ ℔.j. denuo ferueſiant.

Caſſiæ extracta pro clyſteribus præparatio.

Alii ex *earundem herbarum decocto cum melle addita caſſiæ pulpa* idem præparant.

Cordus loco *mellis ſaccharum* recipit, quod & Auguſtani faciunt, qui modus vulgo obtinuit. *Decocto* enim *violariæ, maluæ, mercurialis, betæ, parietariæ, florum violarum* extrahitur *caſſiæ medulla*, & cum *ſaccharo* ad idoneam conſiſtentiam apud ignem redigitur: alii *atriplicem & altheam* adiiciunt. Vbi notãdũ, Cordi præparationem magis conuenire febribus acutiorib. & morbis calidiorib⁹, in quibus mellis acrimonia facile naturam offendat, ipſumque celeriter in bilem faceſſat, cum ſine illo non minus calidi humores foras proliciantur, quam iucunda temperie interiora recreentur, beneficio *violarum, caſſiæ, maluæ*, & locum *mellis* ſtimulantis ſuppleat moderata *parietariæ, betæ & mercurialis* nitroſitas. In minus acutis & vbi pituitæ miſcella in inteſtinis redundat, ea, quæ cum *melle* conficitur *caſſia extracta* conuenientior erit.

Caſſia extracta, quæ per os aſſumitur, alia ſine foliis ſenæ, alia cum iiſdem conficitur.

Caſſia extracta, quæ per os aſſumitur dupliciter præparatur.

Quæ ſine foliis ſenæ paratur, ea recipit

Prunorum Damaſcen. ping. n. xij.
Hordei mundi,
aniſi,
polypod.
ſem. carthami ana ℥ v.
violar. M. j.
capill. Vener.
Thymi,
epithymi ana M. ß.
paſſul. exacinatar. ℥ ß.
ſem. fœnic. ℥ ij.
portulacæ,
maluæ, ana ℥ iij.
liquiritiæ ℥ iiij.

Fiat decoctio in ſ. q. aquæ, colentur, in colatura diſſolue pulpæ caſſiæ ℔. ij.

Tamarind. ℥ j.
cinamo. ℥ iij.
ſacchari alb. ℔. j.
coque ad conſiſtentiam.

Examen caſſiæ extractæ ſine foliis ſenæ.

Hoc pharmacum vi *prunorum, violarum, caſſiæ, tamarindorum & paſſularũ* bilem blanditur vacuat, ventrem aperit & laxat, ratione *polypodij* & *epithymi* humorem melancholicum & aduſtum; opera vero *ſeminis carthami* pituitam etiam prolicit. *Hordeum* refrigerat & abſtergit, *ſemen maluæ, portulacæ, violæ & caſſia* aſperitatem & ſtipticitatem inteſtinorum leniunt, *capillus veneris, ſemen aniſi, fœniculi, thymuſque* obſtructa aperiunt, & flatus ſi obrepunt, vel inſint, ſoluunt; *cynamomum* ventrem & inteſtina roborat, craſſa incidit. Baſis compoſitionis eſt *pulpa caſſiæ*, quamobrem primario bilem exigit; cætera leniendo, obſtructa aperiendo, craſſa attenuando virtutem & intentionem eius promouent. Sunt, qui decocto extrahendi *ficus, dactylos, mirobalanos, ſantala, flores borraginis, bugloſſi*, intibi & *cichorei* adiiciunt.

Caſſia

Caſſia extracta cum foliis ſenæ non vno modo ab auctoribus conficitur. Cordus commemoratæ confectionis ℔. ij. *addit fol. ſenæ* ℥ ij. *& l. a. remiſcet*, quæ compoſitio vulgo in vſu celebratur.

Cronebergius Deſſenius aliam tradit Coloniæ quondam vſitatam.

Caſſia extracta cum folijs ſenæ Deſſenii.

♃. *paſſul. mundat.* ℔. j.
follicul. ſen. mundat ℔ ß.
polypod. Quercin. ℥ iiij.
liquirit. raſæ ℥ ii ß.
prunor. Damaſcen. dulc. ℥ iiij.
Iniubar.
ſebeſten ana ℥ j.
ficuum,
dactylorum ana num. x.
ſem. aniſi,
fænicul.
carthami ana ℥ ß.
ſem. quat. frigid. maior. ana M. ij.

Fiat decoctio in aq. pluuial. Quart. vj. *hoc eſt* ℔ xxxij. *iuxta artem ad* ℔ xvj. *in colatura ſolue & expurga caſſiæ recens extractæ* ℔ ij.
Tamarind.
ſacchar. violati ana ℥ iiij.
ſacchari alb. ℔ j.

Coque lentiſſimo igne ad decentem conſiſtentiam.

Obſeruandum, *ſenam* decoctione prolixiore virtutem purgandi peſſumdare, quamobrem foliorum puluis debita quantitate rectius addatur.

Auguſtani tradunt Diacaſſiam cum manna incerti auctoris, Melichius Concorregio adſcribit.

Diacaſſia cum manna Auguſtanis vſitata.

♃. *Prunor. Damaſcen.* ℥ ij.
flor. violarum M. i ß.
aqua puræ ℥ xviij.
bulliant l. a. ad medietatem, cola & in colatura ſolue
pulpæ caſſiæ ℥ vj.
Tamarind. ℥ j.
mannæ ℥ ij.
ſyrup. violar. ℥ iiij.
ſacchari candi,
penidior. ana ℥ j.
Violati ℥ iiij.
confice l. a.

Suaue & omni ætati & conſtitutioni innoxium & delicatum hoc remedium eſt. Purgat vero duntaxat bilem idque vi *prunorum, violarum, & ſyrupi violacei, caſſiæ, tamarindorum & mannæ.* Saccharum violatum acrimoniam humorum diluit, & cum penidiis candoq; alui lubricitatem promouet, ſqualorem temperat, febribus & morbis pectoris, aſperæ arteriæ, & faucium calidioribus conuenientius reddit.

Diacaſſiarum magiſtralium, caſſiæ conditæ, aliarumque compoſitionum paradigmata hic referre non attinet, quod commemorata ſufficiant.

Electuarium lenitiuum Florenzolæ.

♃. *paſſular. enucleatar. vncias duas,*
capill. Veneris ſeu adianthi nigri,
violar. recentium ana M. j.
Iniubar.
ſebeſten ana num. xx.

Glycyrrhizæ ℥ß.
Prunorum enucleatorum,
Tamarindor. ana ℥ vj.
Fol. ſenæ,
polypodij ana ℥ij.
Mercurial M. iß.

Decoquantur vt artis eſt, in ſufficiente aqua, poſtmodo cola, & in colato diſſolue

Pulpar. Caßiæ,
Tamarindor.
Prunor.
ſacchari optimi,
ſacchari violati ana ℥ vj.
pulueris ſenæ ℥ iiiß.
Fiat electuarium iuxta artem.

Hieron. Mercurialis *lib. 3. de compoſit. medic. c.* x. addit *maluæ* ℥ ij. & iubet aſſumere *liquoris* ℔. 6. *& coquere ad conſumptionem duarum tertiarum ita vt* ℔. ij. *remaneat, cui addendum ſaccharum, & coctio continuanda, donec acquiſita ſit iuſta conſiſtentia, tunc miſcenda caßiæ tamarindorum, prunorumq́; pulpa cum ſaccharo violato, & in fine pro qualibet libra totius aſpergenda pulueris folior ſenæ* x j. *vel* xij. *dragmæ.*

Vires & vſus. Vim habet retundendi acrimoniam bilioſi humoris, eumque alterandi & educendi. Lenitiui enim nomen, quod abſq; moleſtia blande aluum aperiat, ſortitum eſt.

Fertur & braſſinam vitellinam, æruginoſamq; bilem, cui pituita ſemper miſta, ex ciborum cum primis in ventriculo corruptione natam educere.

Propter *caßiam, iuiubas, ſebeſten, pruna & tamarindos* educit & alterat bilem, opera *polypodij* & *ſenæ* melancholicos retorridoſque humores extrahit, horum facultatem ſtimulando, incidendo, abſtergendo iuuant *capillus Veneris, hordeum mercurialis*, leniendo autem & lubricando humoriſque acrimoniam retundendo *ſaccharum violatum, violæ, paſſulæ.*

Sebeſten, quæ & mixaria nominantur, quod linguæ aſperitati medeantur, & tuſſi laborantique pectori opitulentur, vrinæ ardori ex bile & ſalſa pituita ſubueniant; & iuiubæ, quod pectoris, pulmonis, renum & veſicæ vitiis ſuccurrant, ſanguinem incraſſent, pleuritidi & thoracis pulmoniſque morbis calidioribus & febribus, nec non ſtranguriæ lotiique acrimoniæ & cæteris renum veſicæque malis conuenlens faciunt pharmacum. Datur ab ℥ j. ad ℥ iß.

Idem electuarium ſine *foliorum ſenæ* puluere ſub nomine *diaſenæ* Rhaſis à Nicolao præpoſito, & Manlio in *luminari magno* deſcribitur.

Cap. IV.

De medicamentis lenitiuis ex manna.

Electuarium lenitiuum de manna Nicolai Alexandrini.

℞. *prunor. Damaſcenor. num.* xx.
violar. ℥ j.
capill. Vener.

cete-

ceterach,
lichenis ſeu hepaticæ ana ʒ iij.
ſem. cucurbitæ,
cucumeris,
Melonum,
citrulli ana ℥ j.

Coquantur in aqua ſufficienti ad medietatis conſumptionem, exprimantur & colentur, in colato diſſolue, Mannæ optimæ & puriſſimæ,
conſeruæ violarum,
pulpæ caſsiæ ana ℥ j.
ſacchari albi ℔ iiij.

Coquantur ad mellis conſiſtentiam, ad extremum ſubſequentes pulueres paulatim inſpergantur,
ſeminum excort. Melonum,
cucumeris,
cucurbitæ,
citruli,
flor. violarum,
Nymphea,
ſem. lactucæ,
ſcariolæ,
portulacæ ana ℥ j.
Rhabarb. electi,
fol. ſenæ ana ℥ j. ʒ j.

Puluериſentur ſimul omnia, & cum prædictis miſceantur. Fiat electuarium in debita forma.

Vires & vſus. Flauam & atram bilem ex epatis incandeſcentia natam ſine moleſtia leniter educit, eiuſque & renum viarumque vrinalium calidam intemperiem mitigat, harum partium obſtructiones demolitur, & ſanguinem purgat.

Ratio tamen compoſitionis. *Rhabarbarum* & *ſena*, quorum vtrique Cordus ℥ j. & ʒ j. Auguſtani vero ℥ j. recipiunt, baſin huius compoſitionis conſtituunt propter *Rhabarbarum*, quod epati adeo amicum, vt vita & anima eius dicatur, ex eodem bilem cum primis educit, & ipſum parenchyma roborat; vim ducendi bilem iuuant *caſſia*, *manna* & *pruna*. *Baſis.* *Senæ* gratia melancholicos & retorridos humores extrahit. His viam muniunt, & obſtructa reſerant, *capillus Veneris*, *ceterach*, *ſemen ſcariolæ*, *portulacæ*; Epatis, renum, & vrinalium partium feruorem temperant, humorumque acrimoniam mitigant *flores Nymphea & conſerua violarum*, cætera ſemina, videlicet *cucurbitæ*, *melonum*, *citrulli*, *cucumeris*; præterquam quod calorem demulceant, infartus etiam expediunt.

Syrupus de manna laxatiuus.

℞. *rad. polypod. q.* ℥ vj.
Ireos Florent. ℥ ß.
paſſul. minor. ping. inciſ. ℥ iij.
Ficuum pinguium num. vj.
Dactylor. totidem,
liquiritiæ raſæ ℥ ß.
flor. violar.
borrag.
bugloſſ. ana p. j.
fol. ſen. ſ. ſ. ℥ iß.
cinam. ʒ ß.
aq. mulſ. ℔ iij.

Coque omnia ſecundum artem ad conſumptionem ℔. j. *coletur, exprimatur, in colatura ſolue*
Mannæ Calabrinæ ℥ iij.
ſacchari penid.

candi

candi albi ana ℥ j.

coque ad conſiſtentiam ſyrupi, *addendo in fine aquæ cinam. parum.*

Alius de manna ſyrupus laxatiuus Mindereri.

℞. *pulpæ tamarind.* ℥ ij.
Iuiubarum,
ſebeſten ana num. xx.
prunor. Damaſcen.
caricarum pinguium ana num. x.
Hordei integri ſeu non excortic. M. ß.
polypod. Quærcin. ℥ iiii ß.
ſem. fœniculi ℥ ij.

Decoquantur ſimul omnia in aq. fontis ℔ vij. *ad remanentiam* ℔. v. *quibus poſt colaturam, quæ adhuc caleat, infunde*

Fol. ſenæ elect. ℥ ij.
Agarici trochiſcati,
Rhabarb. opt. ana ℥ iij.

Stent in infuſione per noctem, deinde colentur leuiter expreſſa, colaturæ huic adde

mannæ calabrinæ,
Mellis roſati laxatiui ana ℥ viij.
ſacchari Tabarzet vel albiſſimi ℥ xvj.

Coquantur in ſyrupum, qui aromatizetur ex cinamomi acutiſſimi ʒ ij.
macis ℈ ij.

Reponatur ad vſum, ſalutare & efficax eſt remedium ad primas ventris vias expurgandum.

Si *conſerua roſarum* ita præparetur, vt loco *ſacchari* recipiatur *manna*, vtile & iucundum reſultat pharmacum primas vias ſoluens.

CAP. V.

Electuarium Diaſebeſten.

Vna tantum extat compoſitio inter lenitiua de Sebeſten, quæ ad Montagnanam auctorem refertur.

℞. *ſebeſten ſine nucleis,*
prunorum ſiccorum enucleatorum,
Tamarindorum ana ℥ v.
aquæ violarum ℔ j.
aquæ Ireos,
aquæ Anguriæ ana ℥ vj.
ſucci mercurialis depurati ℥ iiij.
penidiarum ℥ iiij.
Diaprunis ſimplic. ℔ i ß.
Nucleorum ſem. cucurbitæ,
cucumeris,
melonis,
citrulli ana ℥ j.
Diagridij ʒ iii ß.

Caro ſiue pulpa ſebeſten, prunorum & tamarindorum minutiſſime teratur, ſemina vero minutiſſime incidantur, & fiat ſecundum artem electuarium.

Confert febribus ex bile, tam intermittentibus, quam continuis, earumque acumen retundit, ſitim & vigilias componit, acres humores & inde in vrinis prognata vitia contemperat, ab earum viis ſeu renibus & veſica perque illas purgat. *Vſus & vires.*

De anguria non conueniunt auctores rei medicæ, Fuchſio eam cucumerem, & Cordo Coudenbergioque melonem magnum ſtatuentibus, quo- *Quid ſit anguria.*

quorum opinionem refellit Matthiolus. Ratum itaque ſit anguriam eſſe citrulum, ſeu officinarum citrullum, Auicennę Batechum, iuxta Dodoneum & Tabernæmontanũ. Huius potius ſuccum, quam aquam recipiendam, vnanimis eſt ſcriptorum conſenſus. Frigida & humida eſt ordine ſecundo, confert ardori & malignitati febrium, linguæ ariditati, aluum lente leuiterque ciet, macilentis, exanguibus, & teneræ complexionis hominibus conuenit.

Pruna & *Tamarindi* bilem leuiter ducunt, *ſebeſten* pectus & vrinæ vias ab acribus humoribus liberant & leniunt, quorum virtuti adſtipulatur *ſuccus anguriæ* feruentia recrementa temperando, & blanditer euacuando. Bilem & aquas proliciendi vim promouet *ſuccus mercurialis*, ſiquidem Dioſcoride & Plinio teſtibus eam benigne purget, & iuxta Galen. *lib.* 7. *de ſimplic. medic. facultat.* ventrem ſubducat, & admodum digerentis ſit facultatis.

Verum cum chologoga hæc imbecilliter moueant *diagridij* modica quantitas eſt adiecta, vt torpentem & humilem eorum virtutem quodammodo exſtimulet, nec tamen vltra lenientium cancellos, impellat. *Diagridij* exorbitantem ferociam & acumen *penidia, pruna, tamarindi, ſuccus vel aqua anguriæ & violarum* inhibent. *Succum Iridis* præcipue *noſtratis* nequaquam recipiendum arbitror, licet ita velit Fuchſius, ſiquidem vrentis & violentæ ſit facultatis, quique ex ſeliente vehementer turbans pharmacum efficeret. Pro *ſucco* itaque *aquam Ireos* non iſtius, qui cæruleo, ſed flauo comatur flore, accipiendum reor.

Cap. VI.

De remedijs lenientibus, quæ componuntur ex prunis. Electuarij diaprunis lenitiui & ſolutiui compoſitio, examen, doſis, & vſus proponitur. Tres recenſentur modi conficiendi pruna laxatiua.

Decantatum & vſu frequentatum eſt electuarium, quod Diaprunis cognominatur, cuius ſimpliciter leniens & vehementius purgans recepta eſt, & exſtat compoſitio.

Leniens ſic habet.

℞. *prunor. Damaſcen. num.* 100.

Coquantur perfecte in aqua ſufficiente, deinde cribro raro tranſmittantur, & reſeruata pulpa decoctioni affunde

violar. vnciam mediam,

Bulliant ſufficienter, & colentur, colaturæ addantur

ſacchari ℔ ij.
pulpæ prunor. ℔ j.
pulpæ caſſiæ,
tamarindorum ana ℥ j.

Coquantur lento igne, & addantur ſubſequentes pulueres tenuiſſime triti ſemper mouendo.

℞. *ſantalorum albor.*
rubeorum,
ſpodij de ebore,

Rhabarbari,
cinamomi ana ℥ iij,
roſarum,
violarum,
ſem. portulacæ,
ſcariolæ.
berberis,
ſucci Glycyrrhizæ,
Tragacanthæ ana ℥ ij.
ſem. citrulli,
cucumer.
cucurbitæ,
Melonum ana ℥ j.
Commiſceantur, vt eſt artis.

Modus præparandi.

Præparationis compendium in hoc conſiſtit, vt *pruna coquantur ad diſſolutionem, & pulpa per cribrum commode tranſadigatur. Portioni decoctionis prunorum incoquunt violarum* ℥ ß. *vel iuxta alios* ℥ j. *aut* ℥ iß. (nec enim grauis aut leuis error in hoc committi poteſt) *& hac extrahatur, & coquatur caſſiæ & tamarindorum pulpa. Alteri decoctionis parti adde pulpæ prunorum per ſe inſpiſſatæ* ℔ j. *ſacchari* ℔ ij. *quæ adiectis cæteris, deinde iuxta artem componuntur, & ad conſiſtentiam debitam aſperſis pulueribus* rediguntur.

Examen.

Baſis.

Huius compoſitionis baſin conſtituunt *pruna*, quę humiditate & lentore ſuo aluum leniter ſubducunt au-ctore Galeno *lib. 2. de aliment. facultat. cap. 3.* Secundum Arabes bilem detrahunt, & modice refrigerant. Debent aſſumi non nimis ſiccata, ſed carnoſa & dulcia, quæ, ſi in Damaſcenis ꝓ tẽpore pſentib. nõ inueniantur, ſatius eſt, dulciora & pinguia ex Ibericis vel Hungaricis eligere.

Cætera propter commoditatem aliquam adduntur: *Tamarindi & caſſia* vim laxatiuam iuuant, & feruorem bilis exſtinguunt. *violæ* magis refrigerant & leniunt, *berberorum* fructus (quos idem eſſe voluit cum *oxyachanta* Dioſcoridis) & *ſpodium*, atoniæ relaxatorum viſcerum medentur, *ſemen ſcariolæ, cucumeris, melonis, cucurbitæ & portulacæ* præter refrigerationem, quã conferunt, inſuper vias leniunt, facilemque tranſitum humori educendo parant, *ſantala* cordi patrocinantur & igneos ſpiritus recreant, ventilantque, epar roborant & temperant, *Succus Glycyrrhizæ & tragacanthæ* mitigant acrimoniam & mordacitatem bilis ne dum tranſit vellicet & mordeat. Hoc modo commodum euadit bilis & acutis morbis, & temporibus calidioribus idoneum medicamentum. Et cum refrigerantia ſimulque humectantia enumerata, ventriculi aliorumque viſcerum robur nonnihil laxent, *Rhabarbarum* etiam additur, quod bilis eductionem inſuper promouet eparque ſingulari proprietate roborat, & *cinamomum*, quod grato odore ventriculo & cordi amicum eſt.

Vnde ſatis patet, immerito Fuchſium expungere *cinamomum*, quod vnicum propter frigiditatem ingredientium & ventriculi inteſtinorumque, ſi quæ ſubſit, debilitatem adiectum eſt, & male à Renodæo

omitti.

omitti *ſemen berberorum* cum ſpodio, quando hoc foſſile & legitimum abunde habere queamus, & vtrumque roborationis haut ſuperuacaneæ gratia adiectum fuerit.

Vſus & vires. Diaprunum ſeu diadamaſcenum lenitiuum commendatur ad morbos calidos, ad hecticas, & continuas intermittentes & acutiores febres, quarum initio & quouis tempore tuto exhibetur. Pulmonum, thoracis, renum & veſicæ vitiis medetur, in æſtuoſis affectibus feruorem temperando aluum blanditer ſubducit, & primam corporis regionem vix ac ne vix ſatis expurgat.

Diaprunis ſolutiuum. Lenienti iſti pharmaco, ſi, dum ad iuſtam conſiſtentiam coctione redactum ſit, continuo & adhuc calenti *diagridium* in pollinem redactum adiiciatur, & accuratiſſime per omnia miſceatur, vere purgatorium euadit, ita, vt bilem valenter attrahat & efferat, & tunc *ſcammonium* in eo baſis locum ſortitur, reliqua efficiant, vt facilius & minore agitatione purgatio ſuccedat, dum leniendo corpus fluidum reddunt, & alia, quæ recenſuimus, commoda præſtant, ex quo adeo moderatum reſultat medicamentum, vt absque timore eo vti liceat in regionibus & temporibus conſtitutionibusque calidioribus, & morbis acutis apparente purgandi occaſione.

Quo pondere diagrydium recipiendum. Qua quantitate adiiciendum ſit *diagridium*, non conuenit inter artifices, Nicolao Myrepſio vnciam dimidiam, Alexandrino vero pondus nullum ſignificante. Sunt, qui cuilibet libræ vnciam vnam *diagridij* miſcent, alii dragmas ſex. Cronebergius & Trincauellius cuilibet libræ dragmas ſeptem impendent, ex quo in ſingulas compoſiti totius dragmas reſultabunt grana quatuor, & tertia vnius grani pars qua ratione, vncia media diaprunis, ſeptemdecim grana diagridii poſſidebit, cuius ſumma doſis iuxta Meſuen tantum ſit granorum duodecim. Verum innoxie vnciam ſemis diaprunis ſolutiui ita præparati aſſumi, quod miſtione cæterorum, vis diagridii ſic retuſa, vt de periculo nil metuendum ſit, aſſerit Trincauellius, & teſtatur ipſa experientia.

Auguſtani, Renodæus, Cordus & Fuchſius in ſingulas libras tantum dimidiam vnciam *diagridij* diſpēſant, quæ menſura vulgo obtinuit, neque hanc pharmacopæus quiſpiam propria auctoritate ſine ſuffragio & conſilio Medicorum excedere debet. Ex hoc qualibet dragma compoſiti cōtinet diagridii grana duo cum dimidio. Doſis itaque ſit ab ℥ ß. ad ℥ vj. pro naturarum diuerſitate varianda. *Doſis diaprunis laxatiui.* Hoc etiam diapruno compoſito cætera lenientia tam compoſita, quam ſimplicia vſitate acuuntur.

Sequuntur aliquot modi conficiendi pruna laxatiua: primus eſt ſimplicior.

℞. *fol. ſenæ Alexand. mundat.* ℥ iiij.
mechoaca ℥ j.

cynam. ℥ ij.
prunorum ping. dulcium ℔. j.

Prunorum laxatiuorũ conficiendorum tres modi.

Palueriſentur ſpecies & inſpergantur prunis faciendo ſtratum ſuper ſtratum, affunde aquæ & vini ana p. æ. vt ſuperemineat liquor ſpacio duorum digitorum, ſtent per horas viginti quatuor, deinde adde ſacchari albiſſimi ℥ v. *ebulliant, donec pruna rite percocta ſint*, quorum octo vel nouem comeſta clementer aluum ſubducunt.

Secundus modus:

℞. *Fol. ſenæ Alexand. mundat.* ℥ iiij.
Garyophyll. ℥ ij.

Trita infunde horis viginti quatuor in ſ. q. aquæ ſcabioſæ, bugloſſi & vini Rhenani, deinde poſt vnam vel alteram ebullitionem, fiat expreſſio, & colatura, in qua macera per biduum, prunorum Damaſcenorum pinguium acu punctorum ℔. j. *exemptis prunis, iuri adde mannæ Calabrinæ* ℥ iij. *ſacchari candi* ℥ iiij. *reduc lento calore ad ſyrupi conſiſtentiam, quem calide affunde prunis ante maceratis, recondantur ad vſum, quos ſi accuratius purgare velis, priori infuſioni adde diagridij* ℈ iß. *vel* ℈ ij. *in petia ligat.*

Tertius modus:

℞. *cremoris tartari* ℥ ß.
fol. ſenæ Alexand. mund. ℥ vj.
radic. mechoac. ℥ ij.
diagrid. ℈ iiß. *vel* ℥ j.
cinamo. elect. in fruſtula conciſ. ℥ j.
ſem. aniſi ℈ ij.

Infundantur in vini maluatici ℥ iij.
aquæ fragorum,
ſucci pomorum ana ℥ ij.
citri ℥ ß.

Stent in loco tepido vel calidiuſculo in vaſe vitreo optime clauſo horis decem vel duodecim, poſtmodo aliquantulum ebulliant, colentur, colaturæ adde

aq. cinamom ℥ iij.
roſarum ℥ j.
prunorum dulcium maiorum cultri cuſpide prius decenter inciſorum vel enucleatorum ℥ ij. *vel* ℥ iij.

Stent per diem in vaſe vitreo, optime, vt antea clauſo loco calidiuſculo, poſtea prunorum numerus in duas partes diuidatur, quarum vna ſimpliciter in vmbra ſiccetur, iterumque prædicto brodio imbuatur, & bene ſiccetur: altera adhuc madida (detractis ſingulorum prunorum cuticulis ſeu pelliculis externis) manna cum æquali portione tabularum manus Chriſti, vel ſaccharo albo inuoluatur, incruſtetur, & quaſi conficiatur. Horum quatuor vel quinque ſufficiunt. *Paſſulæ* pari proceſſu poterunt confici.

Cap. VII.

De lenitiuis, quæ ex paſſulis & Tamarindis conficiuntur. Paſſularum laxatiuarum vniuerſum corpus euacuantium compoſitio & quatuor diapaſſulatorum lenientium genera traduntur.

SI quiſpiam paſſulas ſimpliciter laxatiuas deſideret, quæ nullo partis aut humorum ſelectiue purgandorum reſpectu aluum ſoluãt, ei Auguſtana ſufficiat compoſitio, ſi vero ad vniuerſum corpus omneſque humores,

mores directas velit, ſequens paradigma in vſum vocare poterit.

℞. *radic. polypod. Quercin.* ℥ j.
cichorei,
lapathi,
fœniculi,
Ireos Florent. ana ℥ ß.
Herb. mercurialis,
Thymi,
Hyſſopi,
betonicæ,
ceterach veri,
Endiuiæ,
capillor. Vener. ana M. j.
Cort. tamariſci,
citri ſiccat. ana ℥ iij.
ſem. melonum conciſ. ℥ iij.
fœnicul. ℥ iß.
Prunorum Damaſcen.
ficuum conciſor. ana n. xiij.
mirobal. chebul.
citrinor.
Indorum ana ℥ ß.
Diagridii in petia ligati ℈ iiß.
Turpeth. alb. optimi ℥ x.
Infundantur in æquis partibus aquæ roſarum,
vini Rhenani,
Et hydromellis ſimplicis
coquantur, exprimantur fortiter, colaturæ infunde
Fol. ſenæ Alexand. mund. ℥ iiij.
Mechoacæ ℥ x.
Stent in infuſione per noctem calide, mane ferueſiant, colentur, exprimantur, colaturæ ℞. ℔ ij. *Quibus miſce*
paſſular. mundat. ℔ j.
mannæ Calabrinæ,
ſacchari albi ana ℥ iiij.
aq. cinamomi ℥ ß.
bulliant, donec paſſulæ intumeſcant.

Paſſulæ laxatiuæ vniuerſum corpus & quoslibet humores benigne & liberaliter euacuantes.

Hæ totum corpus, omnesque humores recrementicios expurgant, & cuiuſcunque ætatis hominibus, maior minorue quantitas, pro arbitrio experti Medici, tuto datur, efficaciã harum, ſi ad pectus, caput, epar, aliamque partem ſigillatim dirigere velis primæ decoctioni adde cephalica, pectoralia, epaticæ.

Diapaſſulatum leniens.

Diapaſſulatum leniens.

℞. *Fol. ſenæ Alexan. mundat.* ℥ iiiß.
Turpeth. alb. opt. ℥ j.
cort. citri exterior. recent ℥ vj.
cinamomi ℥ ij.

Infunde in ſ. q. vini Rhenani, affuſa vncia ſemis ſucci limonum, poſt macerationem in loco calido factam, exprime & in expreſſo iure macera paſſularum Corinthiacarum ℥ v. *quarum deinde pulpa adigatur per ſetaceum, & cum reſiduo infuſionis inſpiſſetur, addendo mannæ puriſſimæ & ſacchari albiſſimi ana* ℥ iij.

Aliud paſſulatum leniens Heurnii.

Paſſulatum Heurnii.

℞. *radic. polypod. Quercini* ℥ ij.
Althæa ℥ j.
fol. ſenæ Alex. mund. ℥ iiij.
ſem. aniſi,
fœniculi,
dauci,
zinzib. ana ℈ ij.
Coquantur modice in aqua, expreſſo adde pulpæ paſſularum maiorum & minorum in vino maluatico coctorum & per cribrum tranſmiſſorum ℔ ß.

pulpæ Tamarindorum,
mannæ Calabrinæ,
ſacchari albiſſimi ana ℥ iij.
coque modice ad conſiſtentiam electuarii.

Aliud.

℞. cinamomi opt. ℥ vj.
Fol. ſenæ Alexan. mund. ℥ v.
facta ebullitione vnica in vini maluat. ℔ iij. *ſtent in infuſione per horas duodecim, poſtea cum expreſſione percolentur. Hac colatura extrahuntur vuarum paſſarum vino lotarum* ℥ ix.

Paſſulatum tertium.

extractioni adde pulpæ Tamarind.
Diaprunis ſimplic. lenitiui ana ℥ iij.
ol. nuc. muſch. deſtillat ℈ ß.
ol. aniſi gutt. vij.
fiat electuarium, cuius doſis ab ℥ j. ad ℥ xij.

Aliud.

Paſſulatũ quartum

℞. fol. ſenæ Alexand. mundat ℥ v.
Radic. Turpeth. alb. opt. in puluer. triti,
Mechoacæ ana ℥ j.
ſem. carthami per ſubmerſionem probat. ℥ iß.
pul. diagrid. in petia ligati ℥ ij.
cremor. tartari ℥ iij.
ſem. aniſi ℥ ij.
cinamomi ℥ iiß.
ſalis gemmæ ℥ ß.
Fiat infuſio per noctem in ℔ iij. *vini maluatici, ferueſiant, colentur, exprimantur, colaturæ adde*
pulpæ prunor damaſcen. ℥ iij.
pulpæ paſſular.
mannæ ſelectiſſ. ana ℥ vij.
ſacchari ℥ iij.
Fiat electuarium.

Cap. VIII.

De medicamentis laxatiuis ex Roſis. Syrupi roſarum ſunt ſimplices vel compoſiti: Simplices adſtringũt, temperant, vel laxant, adſtringentes fiunt ex roſis rubeis, laxantes ex pallidis earumque ſucco aut multiplici infuſione. E cenſu compoſitorum deſcribitur quidam ſyrupus roſarum pallidarum ad cachexiam & hydropem perutilis.

Ex roſis quatuor ſimplices vulgo fiunt ſyrupi, plures autem compoſiti. Simplices parantur ex foliorum ſiccorum vel recentium infuſionibus, aut ſucco.

Qui ex infuſione foliorum ſiccorum conficitur, quia omnis aerea & ſoluens humiditas exſpirarit, mere adſtrictiua facultate præditus, ventriculum & iecur roborat, fluxiones omnis generis & vndiquaque erumpentes compeſcit. Qui ex infuſionibus recentium paratur, pro infuſionum multitudine vel paucitate alterandi ſaltem, & contemperandi, vel etiam ſoluendi vim obtinet. Si bina vel trina fiat infuſio foliorum roſarum recentium in aquam calidam, ſyrupus calorem igneum duntaxat, & ventriculi incendium reſtinguendi, ſitimque ſedandi vim cõſequitur, adeo vt in febribus etiã venenatis & conta-

contagioſis commẽdetur, eius vſus, quod putredini & veneno aromatica amaricie reſiſtat, viſcera calore reſoluta refrigeret & roboret.

Syrupus infuſionis roſarum ſolius laxat, alius temperat & roborat. Nicolaus, qui primo hunc tradidit ſyrupum, quantitatem roſarum & aquæ, cui infundantur, indefinitam reliquit. Meſue *roſarum recentium* ℔ vj. *aquæ calidæ* ℔ xv. *horis octo infundit in vaſe vitreo, expreſſione facta, rurſus calefacit aquam, & roſarum tantundem infundit, macerat, colat, exprimit colaturam,* *Muchar-mucharũ.* Arabes *muchar* vel *mucharum* vocant. Huius ℔ v. *cum ſacchari* ℔ iiij. *in ſyrupum percoquit.* Atque hic eſt ſyrupus ex infuſione, qui ſola alterandi & reficiendi facultate ſit præditus. Vbi notandum, ad huius compoſitionem recipiendas eſſe roſas rubras, vult enim Nicolaus infuſionem fieri, donec erubeſcat aqua. Hæ vero frigidæ & ſiccæ in ſecundo gradu, & adſtringentis feruntur eſſe naturæ, quamuis etiam ex his ſyrupus quodammodo laxatiuus euadat, ſi vltra quintã progrediaris infuſionem, quod recentibus floribus indifferenter omnibus ex aerea, quam adhuc participant, humiditate inſit poteſtas ſolutiua. De pondere roſarum ad aquas, vel aquæ ad roſas, & de infuſionis duratione non conueniunt auctores. Cordus roſis triplum aquæ affundit, Auguſtani quadruplũ; alii octo vel duodecim horis infundunt; alii viginti quatuor.

Non confundenda, ſed maxime diſtinguenda eſt horum ex infuſionibus ſyruporum conficiendi ratio, quod multi, quamuis celebres in ſuis diſpenſatoriis, non obſeruarunt. Qui enim ſolius alterationis gratia comparatur ſyrupus, is ſecundo vel ad ſummum tertio reiterata infuſione recte confici poteſt. Deinde requirit roſas rubras diuerſa ab his, quæ ſolutiuum ex pluribus infuſionibus ingrediuntur facultate præditas, tertio minore infuſionis tempore indiget.

Syrupus roſarum ſolutiuus plures exigit infuſiones, vulgo ſiquidem & rite ex nouem paratur infuſionibus. Quo enim crebrius fit noua infuſio, eo alacrior euadit vis purgandi. Secundo paratur ex roſis recentib. pallidis, maxime odoratis, quas incarnatas vocant, quæ ordine primo calent & amaræ detergentiſque ſunt facultatis, obſtructiones expediunt, ora venarum non ſecus atque aloe crebro vſu reſerant, bilem & ſeroſos humores copioſe educunt. Tertio requiritur longius macerationis tempus videlicet horarum viginti & quatuor. Tantum vero initio eſt recipiendum liquoris, vt tot reiteratis infuſionibus ſufficere poſſit. *Modus conficiendi ſyrupum roſarum ſolutiuum.*

Huius muchari ſeu aquæ nouem infuſionibus impregnatæ adde ſaccharum, & coque ad conſiſtentiam ſyrupi. Si infuſionis ſemilibræ incoquas ſacchari libram vnam, parum ſoluet, ſi libram libræ, mediocriter, ſi ſeſquilibræ infuſionis ſacchari libram incoquas, egregie mouebit. Hoc pacto tribus vel quatuor vnciis exhibitis

ſuffi-

Doſis. ſufficienter vacuabis, neque tamen moleſta quadam violentia, aut ſcammoneato rigore, vti quidã malè obſeruarunt, vel perperam iudicarunt. Quia vero flatus & tormina in ventre nonnunquam concitat, idcirco ex *decocto fœniculi, aniſi* vel cum puluere horum aſſumitur. Si mucharum roſarum cum ſaccharo in aqua roſarũ vltro percocto confundas, vt breuiore mora in duplici vaſe accurate clauſo ſyrupi conſiſtentiam conſequaris, minus virium perdet, & maioris effacaciæ euadet.

Vſus & vires. Conuenit in febribus bilioſis acutis & etiam diuturnis, bilem & ſeroſos humores educit, viſcerum obſtructionibus, ictero, cachexiæ, & incipienti hydropi medetur. Virtus vltra ſex menſium ſpatium non durat.

Comparatur demum *ſyrupus roſarum ſolutiuus ex ſucco earundem & ſaccharo pari quantitate miſtis* & *percoctis*, cuius vnciæ tres purgatoriam poteſtatem excercent. Hunc Braſſauolus & Foeſius compreſſione purgare putant, cum tamen *aerea humiditate*, qua *flores recentes omnes perfuſi ſunt*, & vi peculiari formalique id efficiat.

Succus ille non debet exprimi, vti putat Braſſauolus ex roſis rubeis adſtringentibus, ſed pallidis & incarnatis vim purgandi idoneam poſſidentibus. Solenander *conſil. x. ſect. iij.* hoc modo conficit.

Syrupus roſarum ℞ *Roſas rore madentes & imbutas, quibus affunde aquam calentem, vel rorem vernum, macerentur calide horis viginti & quatuor in vaſe arcte clauſo, ſequenti die fiat expreßio infuſarum, & recentium infuſio, id repetatur nouies. Mucharum expreſſum cum ſacchari pari quantitate immittatur in cucurbitam, & fiat aquei humoris affuſi per lenem deſtillationem in B. M. ſeparatio, & remanebit in fundo ſyrupus.* *iuxta Solenandrum*

Syrupus roſarum Quercetani. Quercetanus eadem inſiſtens via *ſucco roſarum è rubris expreſſo, infundit folia pallidarum recentia, infuſa exprimit, & alia eidem immittit, vltimam expreßionem crebris digeſtionibus defæcat, depurat, depuratam in alembicum tranſmittit, & aquam ſeu liquorem mercurialem elicit, id, quod in fundo remanet in ſyrupum leniter cogit & edulcat*; vel iubet *vltimam expreßionem vna vel altera digeſtione defæcare, & ſacchari adiecta parte dimidia in ſyrupum coquere.* Vide Quercetanum in *pharmaco dogmatic.* Pari modo ex *violis & perſicorum floribus* ſyrupi laxatiui comparantur.

Syrupi roſarum laxatiui compoſiti. Hactenus de ſyrupis ſimplicioribus, qui fiunt ex infuſionibus vel ſucco roſarum. Ad compoſitos referuntur ſyrup. *roſar. Montani cum Helleboro, ſyrup. roſarum laxatiuus cum ambubeia* Mindereri, quorum compoſitionis ratio & vſus cum non ſit obſcurus & clare ab auctoribus deſignatus, nolui eorum paradigmata, & explicationes huc transferre, conſule Auguſtanos.

Non poſſum tamen, quin ſyrupum quendam roſarum pallidarum, ad cachexiam & hydropem perutilem

Item medicinæ ſtudioſis communicem.

Syrupus roſarum pallidarum compoſitus ad cacheƈiam.

℞. *roſarum incarnatarum recent.* ℔ vj.
aquæ fontanæ ℔ xv.
radic. cichorei recent. ℥ x.

Affunde aquam in vas ſtricti orificij per horas duodecim, fiat expreſſio fortis, cui adde ad nouem vices parē quantitatem florum roſarum & radicum cichorei, poſtrema infuſione adde pro qualibet libra liquoris, abſinthij vulgaris & ſeriphij ana ℥ j. *& poſt macerationem viginti quatuor horarum, exprime vt ſupra & adde pro qualibet libra liquoris expreſſi, foliorum ſenæ minutim inciſorum, & vino albo odoro madentium* ℥ ij *Garyophyll.* ℥ j *fiat infuſio in vaſe duplici probe obturato, & clauſo, pone in loco calido per triduum, dein prælo exprime, colaturæ adde dimidium ſacchari & f. ſyrupus.*

Auicenna ℔ iij. *Fen. xxij. tract. ij. c. xx.* componit ſyrupum roſarum ſolutiuum ex *ſucci roſar.* ℔. ij. *mellis* ℔. iij. *ſcammonei aſſati* ℥ j. *decoquantur ad conſiſtentiam.*

Iulapium roſatum Alexandrini.

℞. *ſpodii,*
trium ſantalor. ana ℥ iiij.
Rhabarb. ℥ xiij.
diagryd. ℥ x.
caphuræ ℥ ß.
ſacchari ℔ j.
Iulapij roſacei ℥ xv.

Sed vtrobiq; excedit modum *diagridij* quantitas.

Conſerua roſarum laxatiua ſuauis & perutilis.

Elegans roſarum conſerua laxatiua paratur cum *ſacchari loco in aqua roſarum ſoluatur manna debita quantitas, & ad ſyrupi conſiſtentiam coquatur, cui roſæ virides comminutæ adduntur & in conſeruam leniter coquendo rediguntur, quam ſi purgantiorem velis, interea dum manna cum aqua coquitur, ſuſpende in liquore petiam, cui diagridij ſcrupuli aliquot incluſi ſint, eamq; peracta coctione retrahe, & exprime.*

CAP. IX.

De remediis lenientibus ex aloe. De Hieræ picræ compoſitione, varietate, & varietatis cauſa apud Galenum. Eius examen vſus & doſis. Ad ventriculi affectus vti primum inuenta, ita etiam optimum eſt remedium. Conuenit ſtomachicis ex quocunque, tam craſſorum, quam tenuium humorum vitio, & mulieribus male purgatis.

AD lenientium claſſem non immerito refertur *hiera picra ſimplex*, quæ & *dialoe* dicta eſt. Hæc Galeni compoſitio vulgo dicitur, non quod illam primus inuenerit, vel vſurparit, ſiquidem ante illum Andromachus & Themiſon (de quo Iuuenalis

Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno)

aliique eam in vſu habuerint, ſed quod ab eodem paſſim celebretur in monumentis eiuſdem plurimumq; commendetur.

Verum multos intricauit, quod veterum hieræ deſcriptio, Galenicæ per omnia non conueniat, & quæ ab ipſo

ipſo Galeno paſſim recenſentur compoſitiones, ponderibus varient, neq; ſint vniformes, & quod Galenum æmulati Arabes eorumque ſequaces ſeruato Galenicæ compoſitionis titulo, multo magis ingredientium pondera mutarint, & vniuerſum ſyſtema varie labefactarunt.

Sed, vt his erroribus nos extricemus, ipſe Galenus adeundus, cuius, pro cynoſura & norma, deſcriptiones conſtituendæ erunt, qui ſi in veterum compoſitione quidquam mutauit, rem aliam pro alia ſurrogando vel eliminando, quod in Aſclepiadis & Andromachi paradigmate vnico, ni fallor, ſimplici expuncto, factum videtur, eius ille iuſtiſſimam pro iudicii ſui acrimonia & experientiæ ſuffragio cauſam habuit, cæteri autem, qui poſt tempora Galeni varie eam immutarunt, vt ad præceptoris & dictatoris ſummi normam reuertantur, ſunt compellandi. Verumenimuero, inquies, quomodo ille cynoſuram allucebit, qui ipſemet in ſcriptis ſuis eandem deſcriptionem non vniformiter, ſed variatis rerum ponderibus tradit? Hic animaduertere eſt operæ pretium, Galenum nō vno fine & intentione ſemper vſurpare hieram, aliquando enim exhibetur, vt plus vacuet, quam roboret, nonnunquam, vt magis roboret, quā purget, vel vt menſes ducat, & muliebria emundet. Eſt & vbi pondus *croci* minuēdum propter multorum, quoad cerebrum euæſtheſiam, quibus facile eius aromaticitate caput offenditur. Inſpiciendus itaque Galenus, & videndum, quo loco quamlibet enarret, cum illam euacuandæ bili & humoribus putridis omniſque generis è ſtomacho ſuperfluitatibus exigēdis primario conſecrarit & conformauerit. Ad vitioſos ſuccos in ventriculi tunicis receptos *lib. 7. meth. meden. cap.* 11. ſummopere commendat illa pharmaca, quæ modice purgāt, ita vt eorum vis ventriculi & inteſtinorum loca non tranſcendat, aut ſi quid vltra feratur, id vaſa meſenterii duntaxat contingat, ſpeciatim vero laudat illa, quæ ex *aloe* componuntur, & ipſam *aloen*, quæ illota valentius vacuet, ſed minus roboret, lota vero magis roboret, minuſque purget, & addit, operæ pretium eſſe, habere ſemper paratam compoſitionem ex lota vel illota *aloe*.

Recipit vero ibidem

aloes drachmas centum,
cinamomi,
Xylobalſami,
aſari,
croci,
ſpica nardi,
maſtiches chiæ ana ℥ vj.

Horum miſtione preſtantiſſimum aſſerit reſultare medicamentum ad vitioſos ſuccos, qui in ventriculi tunicis habentur, educendum, cuius mediocris doſis ſit duum minorum cochleariū, magna duorum magnorum, minima vnius cochlearis cum aqua exhibenda.

Hiera picra compoſitio vti ſeruiat ventriculi impuritatibus & debilitati.

Lib.

Lib.2.de compoſ.med.ſecund.loca cap.1. inquit, *peßima eſt affectio, vbi vitioſi humores in ventris tunicas ineluibiliter fuerint imbibiti quorum optimum remedium eſt ex aloe pharmacum, in cuius compoſitionem aloes dragmas centum coniiciunt, & ſex cuiuſque reliquorum, quorum etiam ſex numero exſiſtunt, videlicet*

cinamomum,
ſpica nardi,
xylobalſamum,
maſtiche chia,
aſarum,
crocus,

Quæ ſit cauſa, cur Galenus pondera ingredientiũ hiera picra ſæpe mutarit.

Præſtantius autem fit pharmacum ait porro, *vbi de aloe minus additur. Viſa eſt mihi namque nimia eius copia dragmæ centum eſſe ad proportionem reliquorum, quibus hæ adduntur, quapropter etiam per nonaginta eam compoſui, & per octoginta, quin etiam per pauciorem aliquando crocum, propterea quod quidam ex eius vſu capite lædantur, quod ipſum ſæpe ex ſolo croci odore perpetimur; Quare optima eius fuerit compoſitio, quæ aloes dragmis nonaginta, & croci dragmis quinque conſtet. Hac ego vtor.*

Quomodo Hiera profit ſuffuſorum ſpeciem patiẽtibus ex vitio ventriculi & mulieribus minus probe purgatis.

His vero, qui neque croci *odorem citra moleſtiam ferunt, ſed ſtatim capite replentur, ex quatuor croci dragmis pharmacum compono. Cogor autem aßidue hoc preparare, propterea, quod non ſolùm his, de quibus iam dixi, ſed & ſuffuſorum ſpeciem patientibus, aut etiam alia ſymptomata ex ſtomachi affectione habentibus, id ipſum exhibeam, & præterea his, qui aluo adſtricta laborant, & mulieribus, quæ non probe purgantur, in quibus maiorem efficaciam habet, vbi aloes dragmæ octoginta tantum, & croci ſex fuerint commiſtæ. Huius doſis dragma vna.*

*Lib.6.de ſanit.tuend.cap.*10. ſcribit in hunc modum: *Ad aloes dragmas centum, reliquorum cuiuſq; coniiciuntur dragmæ ſex, quæ ipſa quoque ſex ſunt. Atque hæc eſt picra, quam Romæ omnes præparant. Ego vero etiam alias duas compono, atque in altera eorum, quæ calfaciunt plus, in altera minus, coniicio. At plus quidem reliquorum immiſcebimus, ſi de aloes totius pondere detrahamus, ſic ad illius dragmas octoginta reliquorum cuiuſque ſex addamus. Minus vero cum aloes modum augebimus viginti dragmis adiectis, vt centum viginti dragmis cæterorum, cuiuſque adiiciamus ſex.*

Ex horum locorum collatione patet, eadem à Galeno ſemper recipi huius compoſitionis ſimplicia, in *aloes* vero præparatione, eiuſdemque & *croci* pondere aliquam reperiri differentiam. Vbi enim maiori ſtudet corroborationi, quam purgationi, *aloen* lotam aſſumit, cuius etiam centum retinet dragmas, quando ventriculi tunicis imbibitos humores educere intendit *lib.7.meth.c.11.*

Quatuor hierarum ſimplicium apud Galenum differentia.

Quadruplex itaque in pondere *aloes* ad cætera in ſua doſi perſeuerantia reperitur apud Galenum varietas. Cum enim amplius, quam ex ventriculo & inteſtinis educere propoſitũ eſt, centum & viginti dragmas *aloes* recipit. Quando omnis generis humores & craſſos viſcidoſque tunicis ventriculi imbibitos extrahere vult,

aſſumit centum dragmas. Si bilioſos & qui facilius ab *aloe* ducuntur, eluere tentat, nonaginta ipſi ſufficiunt, quam compoſitionem vti ſibi magis familiarem, præ ceteris commendat. Pro mulieribus vero non probe purgatis, ex octoginta dragmis, quibus integrum cum cæteris croci pondus videlicet dragmas ſex adiicit, & pro *aſaro carpeſiam* ſubſtituit, præparat. Hic enim vlterior ad penitiores in vterum partes agendi facultas penetrabili calore fortius operans requiritur.

Recte proinde Cordus & Auguſtani faciunt, qui centum *aloes* dragmas ad cæterorum cuiuſcunque ſex recipiunt, neque errant, qui Galeno familiarem modũ ſeruant nonaginta tantum recipiendo. Recte etiam agit, qui duo cochlearia, vel dragmas duas, humoribus fortiter impactis ventriculi tunicis exhibet, nec minus recte, qui dragmam vnam, vbi bilioſi humores innatant vel inhærent, orificio ventriculi propinant. Similiter vbi frequentius id remedii ad menſes legitime promouendos exhibendum fuerit, dragma vna ſufficit. Conuenientius, & melius, & ex Galeni mente agit, qui in forma pulueris vſurpat, nec *mellis*, vti vulgaris fert cõſuetudo, permiſtum triplo, & in electuarii formam redactum; Quamuis enim ſit gratius, & ſic ſatis detergat, tamen ventrem minus roborat, minuſque trahendo ſoluit, quod quælibet ſic cum *melle* compoſiti vnciæ *aloes* ℈ ij. & granum vnum cum dimidio, & pulueris reliquorum ſimplicium grana quindecim ſortiatur. Hic ſtolidum multorum iudicium demirari ſubit, qui recte quidem dragmam vnam, vel duas, immo ſæpe tres hieræ picræ in forma pulueris concedunt, & cum in electuarii apparatu ad eoſdem effectus propinãt, vnciam ſemis vel integram præſcribunt, & ſic quoque clyſteribus miſcent, conuenientiſſime in pilulas rediguntur ſpecies.

Vſus & doſis pro diuerſa intẽtione & indicatione variatur.

Ad ventriculi potiſſimum affectus hoc pharmacum inuentum & peculiariter ad bilioſos pituitoſoſque humores & alias variigeneris ſuperflui tates ex eodem educendum eſſe cõparatum ipſemet Galenus & ingredientium ratio abunde teſtãtur. Proinde ratum eſto, *hieram* conducere ad omnes prauas ventriculi diſpoſitiones ex malis humoribus ortas.

Hiera picra ad ventriculi mala primum inuenta & pra caterũ vtiliſſima eſt.

Gal. *lib. 8. de compoſit. med. ſecun. loc. c. 2.* ait: *vbi itaq; humiditas ventris tunicas irrigat, picra ex aloe vtilis eſt. Euacuatio igitur affligentis humoris, per ſolam aloen contingit, qua purgatoriam vim non fortem habet, ſed vt ea, qua circa aluum ſunt, qua etiam contingit, purgare poßit. Et ſi aliquando ampliore pondere exhibeatur, vſq; ad locos circa epar conſcendit. Non tamen totius corporis purgatoria aloe exſiſtit. Caterum ex his, qua ei admiſcentur, maſtiche, vt ſtomacho commoda & odora, & qua medicamentariam aloes vim infringere valeat, admiſcetur. Cinamomum vero eadem gratia afficit & praterea quod tenuiſſi-*

nuiſsimarum eſt partium, vt aperire ventris meatus poſsit, extergereque & attenuare, ſi quid viſcoſum & craſſum in humoribus feratur. Craſſos enim humores ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem aloe trahere non poteſt.

Quapropter bilioſarum ventris affectionum optimum pharmacum exſiſtit, adeo, vt in vno die ſæpe multos ſtomachicos creditos per ſe perſanet. Iuuat autem & hos, & omnes alios affectus ex vitiatis humoribus ortos cinamomum admiſtum, vtpote quod alterantem habet facultatem vitioſarum qualitatum in id, quod ſecundum naturam habet. Quare ſcire oportet, affectiones in humoribus vitiatis circa ventrem & ſtomachum maxime iuuari per medicamentum ex aloe.

Et *lib. 6. de ſan. tuen. c. x.* inquit, *his, quibus pituitoſus in ventre ſuccus eſt, abſinthij potio aduerſiſsima eſt, cum ipſum ventri affigat, quod detergendi vim non magnam poſsideat. Sed nec aloes his valde conducit, cum ei bilioſi humoris trahendi facultas ſit. Quamobrem excogitata eſt compoſitio, quam picram vocant, quæ acrimonia caloreque eorum, quæ in ſe habet, craſſos & lentos ſuccos diſſecat & detergit, cuius generis eſt cinamomum.* Hactenus Galen.

Quo pacto hiera picra commoditum ſit medium ad craſ- ſos & pi- tuitoſos, tam te- nues & bi- lioſos ventriculi humores.

Ex his liquet, *hieram picram* tam craſſos & pituitoſos, quam tenues & bilioſos educere humores, atque illos propter aromata, calore & tenuitate craſſitiem diſſecantia; hos vero propter *aloen* ipſam. *Maſtiche* addita eſt, vt ventriculi tonum roburq; fulciat & conſeruet, & medicamentariam aduerſamq; *aloes* vim infringat. *Cinamomum*, vt craſſos humores diſſecet, quos ſine eius acumine & ſtimulo *aloe* non attraheret, & vt meatus aperiat, putrida corrigat, vim latius penetrandi addat, calorem natiuum excitet, virtutem ſegniorem incitet. In defectu *cinamomi* duplum *canellæ* ſubſtituit Gal. *lib. 6. de ſan. tuen. c. x.* Eodem fine, *xylobalſamum* additum eſt, cuius ſuccedaneum *xyloaloe* eſt vel *calamus aromaticus verus*. Fernelius & Renodæus *macin* ſubſtituunt.

Examen. Maſtiche. Cinamomum. Xylobalſamum.

Aſarum. *Aſarum* cum pituitam & bilem ducat, tenuiorisque ſit ſubſtantiæ, non tantum vim *aloes* laxatiuam auget, verum vna ſtimulat incitatque remiſſiorem eius facultatem, meatus aperit, obſtructa viſcera reſerat, atq; efficit, vt virtus pharmaci ad vias vrinæ & vterum deferatur.

Crocus. *Crocus* extenuat, digerit, coquit; vterum reſpicit, eiuſque obſtructiones amolitur, faciuntque *aſarum* & *crocus*, vt *hiera* illa idoneum purgationi mulierum promouendæ fiat remedium.

Spica. *Spica* incidit, tenuat, ſimulq; adſtrictoria vi, quam poſt ſe relinquit, inteſtina, viſcera vterumque & neruoſas partes recreat. Sex itaque illa aromatica *aloes* torpentem vim incitant, & ſi quid naturæ aduerſum ſit, corrigunt, vias aperiunt, humores adi eductiorem promouent, interiora roborant.

Proinde *hiera picra* medetur primario ventriculi malis ex prauis humori-

moribus ortis, & iis, qui ex conſenſu eiuſdem capiti, & oculis veluti ſuffuſiones, ſcotomiæ, vertigines, doloresque accidunt, deinde viſcera aperit, extergit, roborat & mulieribus perperam purgatis efficaciter prodeſt. Stomachi, porro ſubuerſiones ſanat, inflationes diſcutit, tardæ coctioni medetur, æſtuantibus ſuccurrit, & his, qui bilem vomunt, ventriculi cardiogmum, ex bilioſo & putri ſucco enatum ſedat, literatis, qui ob vitam ſedentariam colligunt ſuperfluitatum copiam, mire ſalubris eſt, ſtomachum, crudorum humorum ſentinam, purgando & roborando.

Hiera picra Galeni quib. morbis proſit.

Præterquam vero quod innumeris dotibus hæc compoſitio *hieræ* polleat, ſciendum etiam, quod ſiniſtra eius vſurpatio haut leuem noxam afferre poſſit. Infeſtiſſima enim eſt *aloe*, quæ baſis exſiſtit, cæteraque adiuncta, *febricitantibus, & iis, qui citra vitioſos humores ex intemperie calida ſicca, aut frigida ſicca affliguntur.* Promptiſſime enim illi ex continuato eius vſu in tabem deferuntur, quod intemperaturæ cum humoribus tantum pharmacis purgantibus indigeant. Galen. *lib. 2. de compoſit. med. c. 2.*

Quibus noceat.

Si cum *melle* paretur in formam electuarii, cauendum, ne ſpecies, quæ accuratiſſime teri debeat, prius iniiciantur, quã id ab igne remotum intepuerit, alioquin *aloe* conglobatur.

Cum vero ſæpe vſurpetur hoc medicamentũ ad effectus ventriculi & cerebri, quos raro ſolitaria bilis, & vtplurimum pituitæ craſſioris vel tenuioris confluentia concitat, pro maiori huius eductione, conſulto addiderunt *agaricum*, vnde compoſitio *hiera cum agarico* prognata eſt, quæ

Hiera cum agarico compoſitio & vſus.

℞. *ſpecier. hieræ ſimplicis ſine aloe,*
Agarici trochiſcati ana ℥ iiij
Aloes non lotæ ℥ j.
mellis deſpumati ℥ vj.
Miſce fiat electuarium.

Pituitam è cerebro, meſenterio, & ventre propter *agaricum* fortius educit, craſſa incidit, coctionem iuuat, apetitum reducit, epilepſiæ, vertigini & comati vigilanti confert. Rectius ex recentibus ſpeciebus, cum vſus exigit, cum *melle* formantur pilulæ.

Cap. X.

Electuarium Diacatholicon Nicolai præpoſiti.

℞. *polypodii Quercini* ℔ ß.
Decoquantur in aqua communis ſufficiente quantitate, ſeu menſuris noſtratibus quatuor ad medietatis conſumptionem, cum eius decocti quantitate ſufficienti extrahe
Pulp. caſſiæ,
tamarindorum ana ℥ iiij.
Inſpiſſentur pulpæ, donec ad iuſtam conſiſtentiam fuerint redactæ: deinde cum reſiduo decocto, diſſolue
ſacchari ℔ iiij.
penidiorum,
ſacchari candi ana ℥ ij.
Coquantur ſimul ad ſyrupi conſiſtentiam: vbi paulululum refrixerit, adde pulpam

pam caſſiæ & tamarindorum probe agitando, poſtremo ſubſequentes pulueres paulatim inſperge, & confice electuarium, vt eſt artis.

℞. *ſenæ* ℥ iiij.
Rhabarb.
violarum,
polypodij,
aniſi ana ℥ ij.
Glycyrrhizæ ℥ ij.
ſem. cucurbitæ,
melonis,
citruli,
cucumeris ana ℥ ß.

Puluériſentur ſimul omnia, & miſceantur, vt eſt artis,

Catholici deſcriptiones celebriores & primariç exſtãt duæ, prima eſt eius, quod lenitiuis accenſetur, & ad Nicolaum præpoſitum auctorem refertur; altera tale deſignat electuarium, quod ſolutiuis potius annumerandum, quia *turpethum & diagridium* recipit, nec parum à mitiore illo & lenitiuo diſcrepet. Hoc à Myrepſio primitus eſt traditum, à Fuchſio receptum, à cæteris pene omnibus neglectum & præteritum.

Quandoquidem vero artis noſtræ ſapientib. viſum fuit, primã lenientẽ in vſum vocare & conſeruare, & illã diſpenſatoria vulgo tradunt, eandem quoque hic deſcribere & enarrare debui.

In huius deſcriptione conueniunt Auguſtani, Melichius, Renode⁹, Foeſius, ſed ita, vt quam ſingulorum ingredientium quantitatem Melichius, Renodeus & Foeſius integre recipiunt, eius dimidium ſumant Auguſtani & quartam partem Cordus. Obſeruetur etiam in diſpenſatorio Cordi à Coudenbergio anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo Antvverpiæ edito pro *penidiarum & ſacchari candi* ℥ j. legendum ʒ j. & pro *ſemin. quatuor frigid. maior. ana* ℥ ij. legendum ʒ ij. & item *liquiritiæ raſæ tantum* ʒ j. debere poni, id, quod pharmacopæis hanc editionem vulgo vſurpantibus, probe notandum erit. Modum conficiendi hoc electuarium à Foeſio & Auguſtanis & item aliis dilucide traditum non eſt, quod hic repetam. Obiter tamen monere volui, Foeſium pro *libra vna polypodij decoquenda recipere* ℔ xij *aquæ*, Renodeum duntaxat *nouem, quas ad tertiæ conſumptionem decoquunt, in colaturæ partibus duabus ſoluunt* ℔ viij. *ſacchari & ad ſyrupi conſiſtentiam feruore ignis perducunt*, ſunt qui loco *aquæ ſerum lactis* iuxta Præpoſitum recipiant, neque id male, mea opinione.

Coudẽbergij Cordus quomodo correcte legendus.

Catholicum nominatur, quod omnes humores educat, vel quod omnibus morbis humoralibus (parcite manes Ciceroniani) conducat.

Examen Diacatholici.

Ratione *polypodij*, & *ſenæ* humorem primo melancholicum & atrabilarium, deinde pituitam etiam educit, opera *Rhabarbari* bilem & ſeroſos humores, beneficio *tamarindorum* & *caſſiæ* bilem tenuiorem: *ſaccharum candum & penidia* vias lubricant, & ſi qua

im

in *ſena* & *polypodio* ſiccitas, eam diluunt. *Violæ* bilem & acres humores contemperant, ne inter exeundum ſenſiles interraneorum partes mordicent; idem præſtant *ſemina quatuor frigida maiora*, præterquam, quod viſcerum meatus leuiter reſerant, & acrium mitiorem tranſitum comparent. *Liquiritia* pariter humectat, leniter extergit, & hoc pacto eductioni humorum fert ſuppetias. *Aniſum*, ſi forte ex commota pituita vel *ſena* aut *polypodio* ſuſcitentur flatus, eos diſſipat, & frigiditatem *tamarindorum* mitigat.

Loco *aniſi* Renodeus *fœniculū* ponit, & optima ratione huic compoſitioni *cinamomum* miſceri aſſeuerat, quod vim *Rhabarbari* & *ſenæ*, *polypodiique* incitet, & ventriculi inteſtinorumque calorem & virtutem fulciat, ne à frigidis lubriciſque, vel ab humorum diſturbio detrimentum capiat.

Sunt, qui cum *polypodio fœniculi vel aniſi ſemen* decoquendum eſſe cenſeant, propter flatus, ſed cum prolixiore coctura ſeminum facultas facile euaneſcat, conſultius in ſubſtantia adiiciantur.

Vſus Catholici. Hoc pacto præparatum Catholicum, artis noſtræ ſeptemuiri, frequēti vſu celebrant, quod tuto exhibeatur, ſine reſpectu præſentium aut futurarum febrium, conueniatque acutis & peracutis, dum lubrica alui lenitione humores blāditer minuat, vt natura reliquum facilius digerat, & viſcerum ſqualorem temperet, lienis & epatis affectibus cumprimis ſeruiat, & ſit pharmacum blandum, quod cæteris vehementiorib. miſtum acumen, feruorem & violentiam remittat. Nullius fere remedii laxatiui ſecurior eſt vſurpatio, qua ratione medicamentum familiæ iuxta Renodeum iure merito nominari queat.

Fuchſius aliam ex Myrepſio profert diacatholici deſcriptionem, quæ *turpethum, diagridium, radices capparum, & cerafia* complectitur, & hanc communiter receptam, non eſſe, nec dici debere vere catholicam, contendit, quod nullum in eo reperiatur phlegmagogum. Verum cum primus inuentor cæterique ſequaces catholicon in lenitiuis voluerunt & eius benignitatis eſſe, vt cuicunque morbo ex cuiuſuis humoris vitio prognato, conuenire poſſit, merito illa Myrepſii compoſitio ſeponenda, & ab vſu vulgari eliminanda fuit, ne ægris & Medico imponeretur. *Catholicū eſt medicamentum familiæ.*

Etiamſi vero nullum ſit in Catholico pharmacum ſimplex, quod pituitam primario ducat, tamen cum *ſena* & *polypodium*, præterquam quod melancholicos & atrabilarios humores ſpecialiſſime ducant, etiam pituitam craſſam viſcidam & mucilaginoſam Meſue, & optimis auctoribus ipſaque experientia adſtipulante, extrahant, Fuchſii animaduerſio hic locum nullum inuenire poterit. Verum enim vero ſi recte rem putare velimus, quamuis hanc confectionē pituitam vna educere & Catholicam

eſſe

eſſe inficiari nequeamus, tamen atrabilarios, melancholicos, & bilioſos humores procliuius educere, morbiſque æſtuoſis & calidis magis accommodatum eſſe remedium, fateri cogimur, quo ipſo etiam iis, quæ vel violentius purgent, aut acriora continent, pharmacis, non inconcinne miſcetur.

Sed nec prætoria illa cenſura & mutatio Rondeletii in hac confectione eruditis & exercitatis placet, & multo minus hoc, quod pharmacopœi quidam, propria auctoritate, inſciis Medicis purgantium doſin augent, & ſæpe duplicant, quæ res ægris interdum exitialis ſit, & publica Senatus animaduerſione vindicanda foret. *Scelus eſt, ea, quæ publico & ſolenni Medicorum ſuffragio, & auctoritate, ipſaque ſimul experientia comprobata ſunt, clanculum à pharmacopœis immutari. Normam quocirca publicam & communiter receptam, aut à Medicis loci certis & grauibus de cauſis immutatam ſequi tenentur.*

Doſis. Doſis eſt iuxta Nicolaum ab ℥ ß. ad ℥ j. Quidam ad ℥ xiij. vel etiam ad ℥ iß. procedunt, quod lubricando leniat, & plane benignum ſit medicamentum.

Fernelii noua catholici confectio elegantiſſima & concinne ſtructa eſt, qua, ſi quis delectetur, commode & ſalubriter in vſum vocare poterit.

Cap. XI.

Examinatur Benedictæ laxatiuæ compoſitio. Frigidis potiſſimum conuenit affectibus, videlicet articulorum, inteſtinorum, renum, & veſicæ.

Benedicta laxatiua Nicolai.

℞. *Turbith electi,*
ſacchari ana ℥ x.
diagridij,
eſulæ prap.
Hermodactylorum,
roſarum ana ℥ v.
Caryophyllorum,
ſpicæ Indicæ,
zinziberis,
croci,
ſaxifragiæ veræ,
piperis longi,
Amomi veri, vel eius loco aſari,
cardamomi minor.
ſem. *apii,*
petroſelini,
granorum Solis,
Fœniculi,
aſparagi,
carui,
ruſci,
ſalis gemmæ,
galangæ,
macis ana ℥ j.
Mellis deſpumati optimi, quantum ſatis eſt, ſeu ℔ iß.
Fiat lege artis electuarium.

Cum tres paſſim Nicolai nominentur, Alexandrinus, Myrepſius, & Præpoſitus, atq; an Myrepſius idem ſit, qui Præpoſitus, dubitetur, & ab his omnibus, ſed non vniformiter,

Kkk nec

nec iiſdem ſimplicibus & ponderibus, hæc compoſitio conſignetur, factum eſt, quod varie & confuſe à variis ſit tradita.

Proinde conſulto & recte facit, q deſcriptioni receptorum & vſitatorum comprobatæ adhæret. Talis eſt Cordi Auguſtanorum, Renodei, Melichii & Fuchſi.

Hanc itaque officinis vſitatam in Nicolai Præpoſiti codice Latino ad verbum deſcriptam inueniri, fruſtillatim vero ex quatuor aliis Myrepſii benedictis laxatiuis corraſam & conſarcinatam eſſe, non temere aſſerit Fuchſius.

Codex Latinus Nicolai *eſulæ & turpethi* æquale pondus exhibet, quod Fuchſius, Renodeus & Melichius retinet. Foëſius expungit *Eſulam*, & *diagridij* duas tantum admittit dragmas. Cordus vero & Auguſtani non ſine ratione *Eſulam* ſeruant, & æqualem eius cũ *diagridio* & *hermodactylis* quantitatem admittunt. Non decebat enim veterem & vſu probatiſſimam compoſitionem abſque euidenti ratione mutilare. Quam Deſſenius Cronebergius deſignat, multis modis manca & hiulca eſt, nec veterum ſententiæ ſatis reſpondet.

A quibuſdam lapis lyncis huic electuario miſcetur, qui tamen ceu fabuloſum & fictitium quidpiam repudiatur. Comminiſcuntur enim, vrinam à lynce redditam, in lapidem aut ſuccinum verti, ſed cum fabulis lapidem hic elidimus.

Cordus omittit *ſemen petroſelini, & carui*, quod ponunt Auguſtani. Pro *amomo* Auguſtani *aſarum*, Cordus *acorum verum*, aut *calamum aromaticum* ſubſtituunt. Alii *ſemen ammi* & *maſtichen* etiam inſerunt, quæ in data deſcriptione non reperiuntur, poſſet tamen non incommode propter *eſulæ & diagridij* vehementiam retinere *maſtiche*.

Cæterum vt probata & rationibus euidentibus fulta, atque ab Auguſtanis, Melichio, Renodeo, Cordo aliiſque claſſicis auctoribus vſu celebrata, quam recenſui, ſeruanda eſt deſcriptio.

Baſin huius conſtituit *Turpethum* potiſſimum cum *hermodactylis*, & *Eſula*. *Turpethum* enim maiore quantitate ingrediens craſſam pituitam ducit à ventre, inteſtinis, & articulis. **Exame.**

Hermodactyli eandẽ à iuncturis tali proprietate trahunt, vt articularium morborum *theriaca* Auicennæ nominentur, *Eſula* tam craſſam pituitam, quam ſeroſos humores ab articulis & ex abdomine athroos & confertim rapit.

Cum vero facultas purgatoria *Turpethi*, & *hermodactylorum*, in ſubſtantia craſſiore & ſolidiore conſiſtat, & irritamento rei acrioris indigeant, adiectum eſt *diagridium*, quod languidam eorum vim incitat, & bilem pituitæ vehiculum, & fluxibilitatem conciliantem adducat. *Eſula*, cuius rationem corrigendi *ſupra ſuo proprio capite* recenſui, quæque non

niſi

niſi correcta recipi debet pituitæ & ſeroſorum humorum eductionem pari conatu promouet, adeo, vt omnia in hac cōpoſitione ad eductionē pituitæ, & ſeroſorū humorū conſpirent. Proprietate enim quadam *hermodactyli* ab articulis deinde & *eſulæ* & *turpethum* quoq; ducunt pituitoſa & ſeroſa recrementa, & poſteriora hæc duo ex abdomine etiam & ventre & inteſtinis. Cætera ingredientia, vel efferatam vim *diagrydij* & *eſulæ* moderantur, vel languidam *turpethi* & *hermodactylorum* facultatem irritant, aut ſi quæ noxa inſit, corrigunt, aut vires purgantium ad partes, à quibus vacuare propoſitum erat, perducūt. *Roſæ* effrænatam *diagrydij* & *eſulæ* inſolentiam moderantur, *ſpica*, *Garyophyl. zinziber*, *ſal gemmæ*, *cardamomum minus*, *Galanga*, *macis*, tardiorem *turpethi* & *hermodactylorum* poteſtatem ſuſcitant, nauſeam, quam ventriculo concitant, ſopiunt, pituitam ſecant, attenuāt, ad fluxionem diſponunt, craſſos flatus digerunt, colicæ paſſioni, inteſtinis, vteroque pituita & vento repletis commodum reddunt, *ſaccharum turpethi* cæterorumq; ſqualorem temperat, *Aſarum*, *apium*, *fœniculum*, *milium*, *aſparagus*, *ſaxifraga*, ad renes & veſicam & vterum remedii energiam deuehit. Adeo vt hæc compoſitio ab articulis, renibus, veſica, & vtero pituitam craſſam ſeroſoſque humores primario, deinde bilem educat, & ad arthritidem, cruciatum colicum, inflationem, renum, veſicæ & vteri mala recte vſurpetur. Ex imis enim corporis latibulis pituitam prolicit, & eandem inteſtinis affixam & inſinuatam auellit, frigidam intemperiem ſedat, obſtructiones ſoluit, renum grauitatem ex magna humorū coaceruatione & veluti ſtupores, veſicæ collectiones, ſumptum vel iniectum alleuat, cum diuretica multa & attenuantia & incidentia recipiat. Qua ratione & paralyſin præcauet aut releuat, ſuppreſſis menſibus medetur, & purgandis mulieribus vtrique affectibus conueniens eſt remedium. In morbis calidioribus vſus eius omnino fugiendus.

uib. morbis & partibus affectibus conueniat.

Doſis. Quælibet huius compoſitionis vncia participat *Turpethi* ℈ j. & gr. iij. *Eſulæ*, *diagridij* & *hermodactylorum ana* ℈ ß. & gr. i ß. doſis ab ℥ ß. ad ℨ vj. vel vij. pro naturarum diſpoſitione.

CAP. XII.

Diaphœnici confectio & examen proponitur. Non vulgari modo, quemadmodum hactenus factum, eſſe præparandum, corrigendi ratio, & purgantium pondus deſignatur conuenientius: Fernelij compoſitio correctior & Cordi ſolida, ſimul traditur, omniumque doſis & vſus recenſetur.

℞. *Dactylorum in oxymelite maceratorum* ℨ C.

penidior. ʒ I.
turbith.optim. ʒ xxxv.
Amygd.dulc.mund. ʒ xxx.
Diagridij ʒ xij.
Zinzib.
piperis longi,
folior.rutæ ſiccor.
cinamomi,
macis,
ligni aloes,
ſem. aniſi,
fœniculi,
Daucis,
Galangæ ana ʒ iiß.
Mellis deſpumat. ℔ ß.
Fiat electuarium.

Variæ diaphœnici deſcriptiones apud auctores reperiũtur, non parum inter ſe diſſidentes. Alexandrini propter ſolum *ſcammonium* bilem duntaxat purgat; Auicenna tres recenſet, quarum media cum Meſuæi compoſitione huc translata, magis conuenit, quæ à viribus *electuarij Indi maioris* parum abludit, ſed clemẽtius operatur, & bilem *ſcammonii* ratione euidẽtius prolicit. Rectius *diaturpethum* nuncupaſſent, quod *turpethi* quantitatem inſignem recipit, & pro baſi primaria, cuius virtute pituitam ducit; ſicut *diagridium* bilem trahens pro ſecundaria agnoſcit. Nomen à *dactylis* ſortitur, nõ quod hæ baſin conſtituant, ſed copioſe illam ingrediantur. Meſue *dactylos cheyron* recipit, vbi quid per cheyron velit, aliis flauos & immaturos, aliis, vti Manlio & Matthæo Syluatico, oppidum vel agrum, in quo proueniant optimi, intelligentibus, diſceptatur.

Quid per cheyron intelligendũ.

Quoniam vero liberum hac de re cuilibet ſit iudicium, coniicio, cheyron corruptum eſſe ex Hiericho vocabulũ, quo Arabes ſignificare voluerint dactylos Hierichuntis, cum Gal. molles, humidos, dulces, & q̃ caryota vocantur, præſtantiſſimos, in Syria Palæſtina prope & circa Hierichuntem naſci aſſerat. De palmulis vide Solin.*cap.35.* Diodor.Sicul.*lib.3. antiquitat.geſt.cap.de Indis.* Galen. 2. *de aliment.facult.* Theophraſt.*lib.2.de plant. cap.8.* Plin.*lib.13.cap.4.* Cæl.antiq. *lect.lib.5.cap.6.* Iacobum Syluium, Aetium, &c.

Tria vero in his, quoad recipiuntur in fabricam, huius remedii veniunt expendenda. Primum, an maturi vel immaturi ſint aſſumendi; ſecundum, quo liquore macerandi, imbuendi, atque in pulpam per cribrum adigendi; tertio, num pondus iis aſſignatum de maceratorum iam expreſſorum mundatorumque pulpa intelligendum. Renodeus & Auguſtani cenſent, ante macerationem ponderandas eſſe palmulas. Qui immaturas capiunt, id faciut, vt maiore adſtrictione *ſcammonei* vim magis retundere, & inhibere queant, non ſecus atque *cydonia* viroſum *ſcammonei* ſaporem & ferociam reprimunt. Verum cum in maturis, adhuc ſatis ſuperſit adſtrictionis, ad *ſcammonij* correctionem, & immatura plus participent adſtrictionis, quam conueniat, medicamen-

Dactylos maturos eſſe recipiendos.

dicamento pituitam ducere deſtinato, & Galenus maxime noxium ſtatuebat, eſſe adſtringentium vſum ad craſſorum & phlegmaticorum humorum eductionem, quod eos amplius impingant, quo nomine *abſinthium* ventriculo pituita inuiſcato exhibere vetat, nō erunt immaturi, ſed maturiores recipiendi. Etiamſi vero è palmulis aliæ magis minuſque dulceſcant, humeſcant vel adſtringant, tamen certum eſt, omnes habere dulcedinem aliquam cum adſtrictione mixtam, &, ſi largius ingerantur coctu difficiles eſſe, capiti dolorem & ſtomacho frequenter morſiunculas

Natura & qualitas dactylorum.

inferre, aluum ſiſtere, ſiccum in corpus diſtribuere craſſum, celerrime epar, quod dulcia celeriter & auide attrahit, obſtruere, inflammationis, vel ſcirrhi ibidem, vel in liene fundamētum ponere, & virides inflationem parere, dulces calidiore, adſtringentes frigidiore ſucco eſſe præditos.

In quo liquore macerandi dactyli.

Num in *aceto* macerandi *dactyli*, an in *vino puro*, vel *vino & aqua* remiſtis, vel *hydromelite*, rei medicæ ſymmyſtæ non conueniunt. Qui in *aceto* macerant, quod ipſe Meſue facere pcipit, id fieri aiunt, vt craſſus eorum ſuccus attenuetur, euaporatio in caput prohibeatur, nec lentore epar lienque obſtruatur, pituita incidatur, & facultas ad remotiores partes penetrare poſſit. Verum cum id electuarium colici doloris leniendi cauſa etiam conſtructum ſit, & acida inteſtinis ſenſibilibuſque partibus ſint inimica, eaq; mordeant, radant & ſtringant, alium, in quo ſubigantur, liquorem eligendum eſſe, Fernelius, Rondeletius, & quidam non ex infima claſſe Medici arbitrantur. Fernelius *hydromel*, Rondeletius *vinum* ſolum, vel cum aquæ æquali parte mixtum capit. Neque obſtat, quod Renodeus ad temperationem aromatum & pituitæ inciſionem *acetum* potius ſeruandum eſſe prædicet, cum ad pituitæ frigidioris eductionem hoc potiſſimum inuentum & compoſitum ſit remedium. Quandoquidem vero *acetum* minime conuenire poſſit, & ſi cuiquam *hydromel* aut *vinum* aromata non ſatis temperare, vel pituitam incidere, aut craſſam *dactylorum* carnem attenuare & domare videatur, rectiſſime aſſumitur *oxymel*, quod nec refrigeratis inteſtinis & pituita obſitis, dolentibuſque nocet, & ſufficienter extenuat, incidit, aperit, atque indicationes neceſſarias complet, & recte faciunt, qui non tantum maceratos, ſed in pulpam coctos dactylos aſſumunt.

Oxymel recte ſumi ad macerationem dactylorum.

Notandum, Meſuen ponere electuarii huius ingredientium pondera integra, Auguſtanos ſingulorum dimidium, & Cordum tertiam cuiuslibet partem, & in magna Meſuei, Foëſii, Quirici de Auguſtis, in *Lumine Apothecariorum*, Trincauelli & Deſſenii ſtructura, ℥ xij. *diagridij*, in media ℥ vj. in Cordi tertia parte ℥ iij. & ℈ ij. contineri: Manlium in *Luminari* ad maiorē compoſitionem recipere ℥ xj. in *Theſauro Aromatoriorum*

autem, & à Melichio ad mediam recipere ℥ xxij.

Si enim hæc compoſitio *mellis* triplum recipere debet, ex dragmis *diagrydij* duodecim in maiore, vti deſcribit Meſue, & in media, qualem ponunt Auguſtani, quælibet vncia Electuarii vix grana ſex *diagrydij* & *turpethi* octodecim poſſidebit; adeo, vt ℥ ij. ad mediocrem purgationem haut ſufficere videri poſſint, quod *diagrydii* virtus mixtura *dactylorum, penidiorum, amygdalarumq;* maximam huius compoſitionis compagem facientium valide inhibeatur & infringatur. Neceſſum itaque fuerit, cum Renodeo pondus *mellis* admodum minuere, & libram ſemis duntaxat recipere, quod & in tradita deſcriptione imitatus ſum, cum *dactyli,* & *penidia,* atque *amygdala mellis* vicem ſupplere poſſint, quo pacto ſingulæ compoſiti vnciæ *diagrydii* ℈j. participabunt. Tota enim maſſa ℔. iij. ſeu ℥ xxxvj. conſtat, in quas ſi ex æquo diuidas *diagrydii* ℥ xij. ſeu ℈ xxxvj. quælibet vncia ℈ j. conſequetur. Melichius medium pondus totius retinet cū triplo *mellis* & in his ℥ xxij. *diagrydii* ponit, vnde in quamlibet vnciam reſultant gr. xxj. Hac ratione ſufficient pro doſi ℥ vj. vel vij. ſed erit tam chologoga, quam phlegmagoga eius virtus.

Quantum diagrydii ad hanc compoſitionem vt officium faciat, recipiendū ſit.

Doſis diaphaniconis correcti.

Sunt, qui *ſcammonium* hic recipiendum nec magnopere eius correctionem neceſſariam eſſe putent, quod in iis, quę pituitam ducant, remediis, ea non æque poſtuletur, vt in cholagogis, & quod eius ferocia *dactylis, amygdalis* & *penidiis* ſufficienter cicuretur.

An ſcammoneum correctum, vel incorrectum ſumendum.

Examen.

Turpetho, quia tardioris operationis, & energia in denſiore ſubſtantia ſepulta eſt, flatuſque excitat, ventriculum infeſtat, ſqualorem inducit, *zinziber* actionem accelerat *diagrydium* auget, cætera aromata flatus diſcutiunt, & in craſſiore ſubſtantia vim latitantem excitant, pituitam liquant, fundunt, grato odore ventriculum reficiunt, viſcera roborant, *penidia* ſqualorem & ſiccitatem deliniunt. *penidia* aſſumuntur hordeata, quæ ex *ſaccharo* optimo in *aqua hordei* ad maiorem deterſionem cocto præparantur. Rondeletius pro penidiis legit *pineas* aqua hordei maceratas.

De *amygdalis*, an amaræ vel dulces ſumendæ, dubitatur. Theſaurus aromatiorum, & Manlius amaras, quod medicamentoſæ magiſque incidant, detergant, attenuent & vim medicamenti penetrare faciant, recipit, vulgo tamen propter allegatam cauſam ſeruantur dulces, vt enim amaræ magis attenuandi & extergendi pectus, iecur, lienem & venas à viſcoſorum & craſſorum humorum infartu liberandi vi pollent, ita dulces potiorem leniendi poteſtatem cum moderata extergendi virtute obtinent.

Amygdalæ dulces an amaræ recipiendæ.

Apud Cordum ſequens extat *diaphaniconis* in forma ſolida deſcriptio, reſpectu ſui ſyſtematis maiorem, quam quæ à Meſue tradita eſt, *diagrydij* quantitatem recipiens. Huius artifices

tifices minorem in illa præmiſſa aduerterunt doſin *diagrydij*, quamobrem hanc excogitarunt confectionem, cuius ℥ j. recipit ℈j. & grana aliquot *diagrydij*, adeo vt eius ℥ v. ſufficere poſſint ad mediocrem purgationem.

Diaphænionis ſolidi cuius purgantis deſcriptio.

℞. *dactylorum maceratorum triduo num.* vj.
ſem. libiſtici vel cardamomi, quod gratius. ℥ ij.
Pinearum,
amygdal dulci. ana ℥ xv.
Turbith. ℥ xij.
diagrydij ℥ xj.
ſacchari candi ℥ ij.
piperis longi,
zinzib.
Folior. rutæ ſiccat.
cinamomi,
macis,
ſem. fœnicul.
aniſi,
dauci,
Galangæ,
ligni aloes ana ℥ j.

Fiat confectio ſolida, vt eſt artis, æqualiter pulueres miſcendo.

Auguſtani ex allegatis cauſis, Fernelii exhibent, commendant & vſurpant diaphænicon, quod minore copia palmulas non in *aceto* ſed *hydromelite* maceratas, & maiore quantitate *Turpethum, diagrydiumq;* recipiat.

Diaphænicon Fernelii.

℞. *pulpæ palmularum mundatar. ex hydromelite coctæ & cribro cretæ,*
Penidiorum recent. ana ℔ ß.
amygdal. purgat. ℥ iijß.
contuſis & permixtis omnibus adde
Mellis exſpumati ℔ ij.
paululum coquantur ac deinde inſperge
zinziberis,
Piperis,
macis,
cinamomi,
Fol. rutæ ſiccorum,
ſem. fœniculi,
dauci ana ℥ ij.
Turbith. tenuiſſime triti ℥ iiij.
Diagrydii ℥ i ß.
fiat electuarium.

Huius compoſitionis ℥ j. habet
diagrydii gr. vi ß.
& Turpethi ℈ ij.

Vſus & vires quibus affectib. conueniat diaphænicon.

Cui recte præparatum ad manus fit diaphænicon, is Indo vtroque facile carere poterit. Pituitam bilemq; ducit. Febribus complicatis & diuturnis ex diuerſa humorum miſcella cumprimis bene facit. Tertianis nothis ex bile flaua & pituita conuenit. Ventriculi dolorem & totius ventris intemperiem frigidam ſedat, colicis cruciatibus plurimisque aliis ex humorum cruditate obortis confert. Podagras frigidas & thoracis capitisque affectus frigidos iuuat.

CAP. XIII.

Recenſetur & explicatur Diacarthamum Arnold. Nouicomenſis. Paradigma eiuſdem corrigitur, & cæteris innumeris præferendum eſſe.

eſſe, aſſeritur. Deſcriptio eiuſdem in forma ſolidiore traditur, & quomodo rite extractum diacarthami conficiatur, iuxta Andernacum, docetur.

℞. *ſpecierum diatragacanthi frigidi* ℥ß.
pulpæ cydoniorum ℥j.
Medullæ carthami ℥ß.
zinzib. ℥ij.
Diagrydii ℥iij.
Turbith albi ℥vj.
Mannæ ℥ij.
Mellis roſati colati,
ſacchari candi ana ℥j.
Hermodactylorum ℥ß.
ſacchari albi in aqua borrag. diſſoluti, vncias decem ſemis. Fiat electuarium liquidum.

Etiamſi hæc compoſitio à carthamo nomen acceperit, tamen hic eius baſin conſtituere nequit, quod *turpethum* efficacius pituitam educat, & maiori pondere ingrediatur. Cum primis vero hæc compoſitio ducit pituitam à ventre & viſceribus, mitius quidem propter *carthamum*, efficacius & longinquius vi *turpethi*, ab articulis etiam eandem *hermodactylorum* & bilem facultate *diagridii*. Cum enim pituita vix influat in articulos, & partes penitiores, niſi ſub forma ſeri, vel ducta vehiculo bilis, ideo *hermodactylis* craſſam eam trahentibus iunctum eſt *diagrydium*, quod bilioſos ſeroſoſque humores è longinquo efficaciter accerſit, & vim purgantem in *turpethi* & *hermodactylorum* craſſiore ſubſtantia hærentem acrius excitat.

Vſus & virtus.

Examen.

Quia vero in arthriticis humores purgantibus remediis moti, & in alluum reuocati ad conſuetas ſæpe partes debiliores ſolent effundi, & præcipitari, caro *cydoniorum* condita eſt addita, quæ vim remediorum nimis agitatoriam ipſosq; humores eo fluere paratos moderetur & coerceat. Ne *turpethi* & acrius purgantium ſiccitas, conſumptis tenuioribus pituitæ partibus, eam ad fluendum ineptiorem & difficiliorem reddat, adiectum eſt *diatragacanthum frigidum, & ſaccharum candi. Manna*, pro cuius ℥ij. recte iudicat Coudenbergius ℥ij. eſſe ſumendas (quod in tantilla doſi parum proficere poſſit) præterquam quod benigniſſime bilis euacuationem iuuet, blanda ſua temperie vias emollit, lubricet, & medicamentorum ſqualorem deliniat, pituitæ tardioris tranſitum ſine moleſtia promouet. *Carthami ſemen* pituitam è ventriculi inteſtinorumque tunicis, & anfractibus colligit, & ex hypochondriorum viis, venis, & meatibus blanditer educit, flatusque diſſipat, vt hypochondriacis & melancholicis adprime conueniat.

Zinziber turpethi & hermodactylorum qualitatem aduerſam, qua ventriculo inſultare poſſet, corrigit, flatus diſcutit, pituitam ſecat, attenuat, & operæ pretium foret, vnum vel alterum ſimilis intentionis & efficaciæ huic

huic compoſitioni præterea adpoſitum fuiſſe. Non enim iniqua eorum eſt querela, qui plu a corrigentia, flatus diſcutientia & viſcera roborantia in hanc deſiderant.

Optime adiicitur *mel roſatum*, quod pituitam tenuet, detergatque; & cum vix ac ne vix formam tabellarum ſubeat, aut eas continuo humeſcere & colliqueſcere faciat, neceſſum eſt in forma molli hoc electuarium parare, vel ſi in ſolida expetatur, mel omittere.

Sacchari, quod lenit, temperat, & tergit, non vniformis ab omnibus adiicitur quantitas; Auguſtani & Cordus decem vncias cum dimidia & vnam ſacchari candi accipiunt. Foëſius *cādum* omittit, & *albi* vncias octo ponit; idem facit Rondeletius.

Vbi tenendum, eam eſſe *ſacchari* quantitatem recipiendam, quæ cum *melle* formam electuarii liquidioris, aut abſque eodem conſiſtentiam ſolidioris ſeu tabularum recipere poſſit.

Hæc compoſitio ſingulis vnciis continet *diagryd.* ℈ ß. *gr.* iß. *Turbith* ℈ j. *gr.* iiij. *Hermodactylorum* ℈ ß. *gr.* iiij. datur vtiliter ab ℥ ß. ad ℥ vj. Rondeletius non parum mutauit hanc compoſitionem in officina ſua. Melichius adfert deſcriptionem Nicolai Florētini. Ioubertus tres deſcribit compoſitiones, quarum vltima noſtræ eſt maxime conſimilis. Valeſcus *lib. 6. c.* 24. ſex ponit deſcriptiones & aliam Alexander Benedictus, diuerſam Theſaurus aromatoriorum, aliam alii. Quia vero ea, quam tradidi, experta eſt magna benignitate & abſq; moleſtia copioſe ſatis educere, huic inhæremus. Vide *præcedenti libro cap. de carthamo* plures & elegantes *diacarthami* compoſitiones.

Eximiæ & probatæ virtutis, neque tamen inſolentis operationis eſt *extractum diacarthami* ſeu *cnicopharmacum* Andernaci, quod omnes pariter humores educere comparatum eſt.

Extracta Diacarthami Andernaci.

℞. *Medullæ ſem. carthami* ℥ iiij.
Turbith albi,
fol. ſenæ ana ℥ iß.
Diagridii ℥ v.
Rhabarb. opt. ℥ j.
Agarici trochiſcati ℥ vj.
mannæ granatæ ℥ iiß.
Myrobalanor. chebulor. ℥ iij.
polypodii ℥ ij.
zinzib. albi ℥ ij.

Minutim incidantur vel craſſius conterantur, & in vini ſpiritum (ex quo pulueris confectionis diambræ vncia per dies octo macerata fuerit) ponantur; ſtentque ſimul in loco calidiore diebus quatuordecim: deinde ſacculo indantur, & ſub prælo valde exprimantur, poſtea id, quod expreſſum eſt, ampullæ infundatur, ac operculo impoſitum exſtilletur, donec ad mellis ſpiſſitudinem peruenerit.

Datur vel per ſe in pilulas efformatum, vel boli ſpecie: nonnullis cum ſyrupi roſacei aut violati portione aliqua diluitur, potuique datur. Doſis à ℥ ß. ad ℈ iiij.

Alia diacarthami confectio magiſtralis.

℞. *diagridii* ʒ iiß.
Turbith ʒ ij.
cinamomi ʒ j.
medullæ ſem. carthami ʒ iij.
ſem. coriandri,
fœniculi ana ℈ j.
cort. citr. condit. inciſ.
fol. roſar rub. ana ʒ ß.
electuar. de ſucco roſar. Nicol. ℥ ß.
ſacchari albi in aqua roſarum ſoluti ℥ iiij.
Fiant tabulæ.

Cap. XIV.

De Indo maiore & minore examen, vſus, & doſis vtriuſque proponitur. Maius bilem & pituitam, minus pituitam amplius propter duplicatum turpethi pondus educit. Dicitur autem minus non propter virtutem, ſed ingredientium numerum minorem. Teſte enim Meſue eius auctore, & Mondino huius interprete minoris potentia maior eſt, vt friuole Cordum correxerit Coudenbergius.

Electuarium Indum maius.

℞. *cinamomi,*
Garyophyllor.
ſpicæ Indicæ,
Roſarum,
caßiæ ligneæ veræ,
macis,
cyperi rotundi ana ʒ ß.
ſantalor. citrinor. ʒ iiß.
Turbith opt. ʒ vj. ʒ ij.
ligni aloes,
Nuc. muſc ana ʒ ij.
ſacchari,
penidiorum ana ʒ xx.
galangæ,
cardamomi maioris,
minoris,
aſari,
Maſtiches ana ʒ iß.
diagridii ʒ iß.

Omnia terantur & cum oleo amygd. dulcium fricentur & cum ſubſequenti ſyrupo conficiantur.

℞. *ſuccorum depuratorum apii,*
fœniculi,
cydoniorum,
granatorum ana ℔ ß.
mellis deſpumati optimi ℔ iiijß.

Decoquantur ſucci cum melle ad ſpißitudinem iuſtam vt eſt artis: deinde miſceantur ſpecies. *Doſis.*

Indum Maius admodum affine eſt *diaphaniconi*, eo excepto, quod illud propter maiorem *turpethi* quantitatẽ pituitam efficacius ducat. Concipit vero Indũ maius ſingulis vnciis *turpethi* ℈ ij. *& diagridii* ℈ ß. adeo vt tuto ʒ vj. vij. & octo dari poſſint. *Diagridii* quippe vis fermentatione & miſtione cęterorum correcta, in electuariis maiorem ſui doſin ſecure admittit. Et ideo in *lumine apothecariorum* præcipitur, quod, quando *ſcammoneum* miſcetur electuario diu aſſeruando, incorrectum recipi debeat, acumen enim eius longa mora debilitatur, *Quomodo diagrydiũ electuariorum miſtione & fermentatione temperatum maiorem doſin ſui admittat.*

nec

nec timenda malicia, quod diuturnitate temporis cicuretur. Secus faciendum, quando inditur remedio propediem ſumendo, tunc enim *diagridium* ſeu correctum *ſcammoneũ* eſt admiſcendum. Atque hæc eſt doſis *Indi maioris*, ſi iuxta Auguſtanos & hanc traditam deſcriptionem cum *mellis* ℔.iiiß. componatur, cui doſi detrahendum fuerit quando iuxta Cordum ℔ iij. & ℥ iij. *mellis* duntaxat recipiantur, qui huius loco *ſacchara* reputat, cumprimis ſi ad pondus *ſpecierum* triplum *mellis* fuerit miſtum. Meſue vero communiter ad ternas *ſpecierum* vncias *mellis* libram ſumit, & ſic acciperentur ℔ vß. & ℥ iß. *mellis ad* ℥ xvij. *ſpecierum*, totaque hæc compoſitio pendens ℔. vij. habebit in ſingulis vnciis grana octo *diagridii* & *turpethi* ʒ ß. gr. v.

Electuarium Indum minus D. Meſuæ.

℞. *Turbith optimi* ℥ C.
ſacchari tantundem,
macis,
Garyophyllorum,
piperis,
zinziberis,
cinamomi electi,
cardamomi maioris,
nucis muſchatæ ana ℥ vij.
ſcammoneæ correctæ ℥ xij.
Mellis deſpumati triplum.

Indum minus maiore efficacius eſt, in formam electuarii redactum cum triplo *mellis*, continet ſingulis vnciis *diagridii gr.* vjß. *Turpethi vero* ʒj. & *grana* iiß. Quælibet vero *ſpecierum dragma* habet *Turpethi* ℈ j. *gr.* v. & *diagridii gr.* iij. quocirca in forma electuarii ſufficiunt dragmæ quinque vel ſex, in ſpecierum apparatu à ℈ iiij. ad ʒ ij.

Hic antiquus Meſuæ ſcholiaſtes Mondinus quærit, cum maior ſit potentia *ſcammonei* ad ſoluendam bilem, quam *turpethi* ad euacuandam pituitam in Indo maiore, cur id phlegmagogis annumeretur? quam difficultatem diluit, reſpondẽdo, *ſcammoneum* eo ipſo, quod virtutem *turpethi* mirifice intendat & acuat, etiam ad purgandum vberius pituitam paratius & efficacius reddere. Acuit enim *ſcammoneum* virtutem *turpethi* nec è conuerſo, *turpethi* virtus intendit *ſcammoneum*. Concludit autem, *Indum minus* conuenientius eſſe ad pituitam euacuandam potiuſque vſurpandum in diſpoſitionib. phlegmaticis, quia duplum *turpethi*, ad eandem, quam maius habet, quantitatem *ſcammonei*, recipit. Minus enim ad centum *turpethi* dragmas continet duodecim *ſcammonei*: maius ad quinquaginta dragmas *turpethi*, etiam duodecim *ſcammonei*.

Quæ *caßia* recipienda *Aromatica*, an *fiſtularis*, ad *maioris Indi* confectionem, non eſt inter auctores pura cõſenſio. Fuchſius, Cordus, Auguſtani cæteriq; potiores *caßiam ligneam* ſeu *aromaticam* aſſumunt: Quiricus vero in *luminari magno caßiam fiſtulã*, quod iuxta doctorum regulam *nullum ſolu-*

tiuum ſine lenitiuo eſſe debeat. Ad quod reſpondet Fuchſius, tam exiguam *caſſiæ fiſtularis* portionem, in vniuerſa hac compoſitione, parum ad intendendam vel mitigandam potentiam cæterorum purgantium conferre, & Mondinus, in *commentario ſuper Meſuen,* docet, *Electuarium Indum* recte miſceri cæteris lenientibus, ita, vt *caſſiæ* ℥ iß. addantur *electuarii Indi maioris* vel potius *minoris* ℥ iij. Par eiuſdem quantitas iungitur *mannæ* ℥ ij. Soluitur autem hæc miſtura in *decocto communi* vel *aqua fœniculi, apii,* aut alio liquore conuenienti. Proinde lenientibus & imbecilliter mouentibus ad intendendum & excutiendum eorum vires, rite miſcetur. Vnde liquet; ipſi compoſitioni maioris *caſſiam ligneam,* non *fiſtularis pulpam* addendam.

Vſus Electuariorum Indi maioris, & minoris.

Mondinus Manlius, Quiricus, ceteriq; vetuſti Commentatores cenſent, intelligi minus, quoties pure ſine *maioris* vel *minoris* ſignificatione fit mentio *electuarii Indi*, quia dignitate & efficacia præſtet, adeoque delicatum ſit, vt abſque *melle* in forma pulueris ſorberi poſſit. *Maioris* vero dragmas ſex cum trib. *caſſiæ* ad renes purgandos dabat Manardus.

In maiore quadrupla & aliquanto maior eſt proportio *turpethi* ad *diagridium*; hoc vero accelerat pituitæ craſſæ & lentæ expurgationem.

Examen maioris Indi.

Saccharum & *penidia* leniunt tam ſiccitatem & ſqualorem *turpethi*, quã vias, per quas feruntur humores lubricent. *Cinamomum, Garyophylli, ſpicæ nardi, caſſia lignea, macis, cyperus, lignum aloes, Galangæ, cardamomum, aſarum, ſuccus apii & fœniculi* flatus diſcutiunt, craſſam & lentam pituitam diſſecando, viasque & obſtructa reſerando, vacuationem iuuant, aromatico odore viſcerum præcipuorum vires reficiunt. Sed *roſæ, ſantala, maſtiche, ſuccus malorum cydoniorum, & punicorum* partim aromatum & aliorum medicamentorum calorem temperant, partim ſua adſtrictione ventriculo ſuccurrunt. Omnia vero manibus *oleo amygdal. dulcium recenti* perunctis fricantur, vt ſiccorum aromatum & *turpethi* ſqualor amplius remittatur.

Vires vtriuſque Indi.

Meſue ait *Indum vtrumque*, minus vero efficacius educere pituitam & putridos humores à ſtomacho & à membris nutritionis, Flatibus diſſipandis & affectibus inde natis, doloríque colico & nephritico plurimum conducit, ventriculum & viſcera à pituita & bile liberat. In colici doloris vehementia, cum proſpero ſucceſſu ad eliciendam pituitam, quæ inteſtinorum tunicis infarta, eas diſtendit & lancinat, vtimur.

Educit materiam à iuncturis, & eorum doloribus manifeſtam præſentemque opem confert.

Valde decipiuntur, qui *Indi* nomine decepti nigros & atros inſtar Indorum, ſuccos purgare arbitrantur.

***

CAP.

Cap. XV.

Proponitur electuarium de Pſyllio Meſuæ & Montagnanæ. De vtriuſque differentia, compoſitione, correctione, viribus, vſu & doſi. Meſuæ alteri præferendum, & in vſu potius ſeruandum videtur.

Electuarii de pſyllio duæ nobis offeruntur compoſitiones, quarum vna Meſuæ eſt (quam tamen alii ad Hamech auctorem referre conantur) altera eſt Montagnanæ: illam Nicolaus Myrepſius, & poſtea Cordus magnaq; Medicorum pars in vſu ſeruauit, hanc Auguſtani ſolam in ſuo diſpenſatorio, vtramque Melichius ponit. Quia vero inter ſe admodum diſcrepant, neceſſum eſt, praxin facienti Medico, vt iubeat pharmacopolæ, ſi ambas vſurpare velit, vt vtramque ad vſum præparet, ſin alterutram, vt ſignificato & præfixo auctoris nomine conficiat & aſſeruet. Vtriuſque vero compoſitionem examinabimus, initio facto ab ea, quam Meſue tradit; hanc paucis & non ſine bona ratione mutatis, ſic proponit Renodeus.

Electuariũ de pſyllio Meſuæ.

℞. *ſuccor. depurator. bugloſſi,*
borraginis,
endiuiæ,
apii ana ℔ ij.
ſucci fumariæ defæcati ℥ iij.
Miſce, & per diem in his macera
folior. ſenæ ℥ j.
aniſi,
cuſcutæ,
aſari ana ℥ ß.
adianthi M. j.
ſpicanardi ℥ ij.
Semel & ſimul feruefiant omnia: Quibus adde
violarum ℥ iij.
epithymi ℥ ij.
Parum denuo bulliant, poſtea colentur, Colaturæ infunde horis xxiiij.
ſeminis pſyllii integri ℥ iij.
Agitetur ſubinde mixtura, deinde coletur, ad quatuor libras colaturæ adde
ſacchari ℔ iiß.
Coque paulo ſupra conſiſtentiam ſyrupi, in cuius adhuc calentis ℔ v. & ℥ v. *permiſce* *diagridii triti* ℥ iij.
Trochiſcor. diarrhod.
de antiſpodio,
de Rhabarb. ana ℥ j.
Trochiſcor. de berberis,
conſeruæ violar. ana ℥ ß.
fiat electuarium.

Examen.

Borrago & bugloſſum ſunt calidæ & humidæ complexionis, cordi & ſpiritibus vitalibus maxime opitulantur, humoris melancholici ſæuitiam & ſqualorem ſuauiter deliniunt. Macer.

Lingua bouis græco ſermone bugloſſa vocatur.

Quia vero *borrago* legitimum & verum eſt *bugloſſum*, pro hortenſi *bugloſſo* illa rite recteq; aſſumitur, de qua veterum rithmicus extat verſus;

O borrago bona quam ſunt tua dulcia dona?

Dixit borrago gaudia ſemper ago.

Etiamſi Meſue *aſari* ℥ iiij. poſuerit, tamen rectius faciunt poſteri, qui dragmas tantum quatuor admittunt, nimia enim eſt iſta doſis.

Cum vncia ſemis *foliorum ſenæ* à Meſue tradita parum proficiat in vniuerſa compoſitione, recte aſſumpta in hanc eſt integra vncia. De natura, viribus & temperie pſyllii vide *lib. 2. huius tractatus proprio capite.*

Scammonium ſecundam coctionẽ perpeſſum multum de virtute ſua remittit, quocirca neceſſum eſt, incorrectum crudum, neq; in *malo cotoneo* coctum, dummodo hic vna ex præſcripto Meſuæ coqui debeat, recipere, vel poſtremo cum trochiſcis in puluerem redactis admiſcere *diagridium* veluti facit Renodeus. Si enim *diagridium* ante in *malo cotoneo* coctũ viciſſim coquatur, non ſolutiuum, ſed lenitiuum euadere pharmacum, notat Theſaurus aromatoriorum & monet ipſe Fuchſius.

Renodeus vltimo cum puluere *diagrydii & trochiſcorum* admiſcet *conſeruæ violarum* ℥ß. ad maiorem vim leniendi conciliandam.

Et quamuis Meſue ℥ iiiß. *diagrydii* imponat, tamen Renodeus & Coudenbergius vnciis tribus ſunt contenti, arbitrantes, ſufficere in ſingulas compoſitionis vncias, ſcrupulum diagridii vnum. Datur vero ab ℥ß. ad ℥ vj. vel ſeptem, quidam ad octo aſcendunt. *Doſis.*

Virtus & vſus. Euacuat bilem flauam inſigniter æſtuantem, & atram è flauæ incendio genitam, humoresque per aduſtionem melancholiæ naturam induentes. Primario vero bilem flauam contemperat & educit opera *mucilaginis, ſeminis pſyllii, ſucci endiuiæ, trochiſcorum de ſpodio & berberorum*, & demum *diagrydii*. Craſſam vero aduſtam & atram bilem attenuant, ferociam & rigorem demulcent, *ſuccus bugloſſi vtriuſq;, violæ, mucilago pſyllii*, eandemq; *ſena, fumariæ ſuccus, & epithymus* educunt. *Adiantum, aſarum, cuſcuta, ſpica & trochiſci de Rhabarbaro, & berberis, ſuccus apij*, partim obſtructa aperiunt, viſcerum infartus expediunt, eademque roborant, & ne ex diuturnis febribus in hydropem fiat prolapſus impediunt. *Semen aniſi* ventriculi calorem fouet, & flatus, ſi obrepant, diſcutit, *ſenæ* correctiuum exſiſtit, frigidorum exceſſum infringit.

Quibus morbis conferat, quando & quo modo. Confert itaque febribus tertianis, ardentibus, lipyriis, & ob immodicam intemperiem & humorum exaduſtione in atram bilem degenerantium contumaciam curatu difficilib. medelamq; reſpuentibus. Veteribus vſitatum & celebre fuit medicamentum ad bilis feruorem retundendũ, & ſanguinis totius fæcem repurgandam, qui id commode vſurparunt cœlo æſtuoſiore & naturis calidioribus. Ictero quin etiam, intemperiei epatis calidæ, renum ardori & ſiti immodicę medetur. Cephalalgiam, vertiginemq; ex bilioſorum ſuccorum vaporibus enatam ſanat. Atque ſic electua-

electuarium de pſyllio vidimus, quod Montagnanæ longe præferendum videtur, cuius hæc eſt deſcriptio ex conſiliis & antidotario eius deſumpta.

℞. *polypodii recentis* ℔ j.
ſenæ,
violarum,
prunorum,
Tamarindorum,
paſſularum ana ℥ iij.
aquæ fontis ℔ x.

Macerentur horis viginti quatuor, poſtea decoquantur ad medietatem, colentur & exprimantur: colaturæ ℔ i ß. *ſeruetur pro diſſolutione caßiæ & tamarindorum.*

Reſiduo adde
ſeminis pſyllii ℥ iij.

Macerentur rurſus totidem horis ſemper agitando: poſt exprime mucilaginem, cui adde
ſacchari ℔ iiij.

Decoquantur iterum lento igne, & adde pulpæ caßiæ,
Tamarindorum diſſolutor.
cum prædicta decoctione ana ℔ ß.
Diagridii ℥ iiij.
ſpodii de ebore,
Rhabarbari,
ſantali albi,
rubei,
roſar. rubearum,
violarum,
ſem. papauer albi,
portulacæ,
endiuiæ,
ſcariolæ,
lactucæ
fœniculi,
aniſi,
berberorum,
fumi terræ,
Tragacanth.
amyli,
gummi Arabici,
raſuræ ebor.
Glycyrrhizæ ana ℥ iij.
Myrobalanorum Indor.
Emblicor ana ℥ vß.
Miſce, fiat electuarium.

Quandoquidem in multis officinis hoc electuarium prioris appellatione indigitetur, ſub eius nomine præparetur, & in vſum vocetur, conſiderãdum inprimis, an cum eodem conueniat, eademque in morborum curatione præſtet, num vero ab illo ſit diuerſum, ne nominis vſurpatio in errorem ſeducat improuidos.

Quare ſciendum, in pauciſſimis Montagnanam cum Meſue conuenire, idque duntaxat in *mucilaginoſo pſyllii ſucco, ſcammonea, ſena & violis*; in cæteris pene omnibus diſcrepare, vt cuilibet rem inſpicienti liquido patet.

Ipſam compoſitionem, quod attinet in hanc recipiunt Auguſtani *ſeminis pſyllii vncias tres*, Melichius vero ℔ j.

Præter bilem flauam & atram euacuat etiam pituitam propter *polypodium* & *ſenam* vberius ingredientem, bilem autem propter *diagridij* copiam copioſe trahit. *Tamarindi & caßiæ* chologoga quidem ſunt, ſed hic videntur

dentur potius miſta, vt leniant aluumq; magis lubricēt, *diagridii* acri-
Examen. moniam & *ſenæ polypodiique* ſiccitatem demulceant, vt cum minori moleſtia euacuatio procedat, quo nomine etiam *gummi arabicum, amylum, violæ & liquiritiæ* adduntur. *Rhabarbarum* & *mirobalani* cum vt ſubſtantiam viſcerum roborent, tum vt *ſenam & polypodium* iuuent in vacuandis pituitoſis & exuſtis humoribus. *Aniſum, fœniculum, & fumariæ ſemen*, craſſos humores attenuant, & flatus diſcutiunt. *Santala, roſæ, violæ, ſem. papa. albi & berberorũ* calorem viſcerum, & bilis æſtum efferueſcentiamque temperant, & *diagridii* vim exſuperantem coercent, *ſpodium* roborat, *ſemen portulacæ, endiuiæ, ſcariolæ, lactucæ* idem præſtant, ſimulque interiorum meatus occluſos aperiunt & reſerant.

Ex ingredientium cenſura liquet, hoc pharmacum non ſolum billioſos, ſed etiam craſſos & pituitoſos humores expurgare cum ſeroſis. Quamobrem vſus eius erit in morbis ex miſtione bilioſorum & pituitoſorũ humorum dependentibus, vtpote ter-
Dosis. tiana notha &c. Etſi quidam exhiberi poſſe ſtatuant eadem, qua præcedens, quantitate tamen videntur ſufficere ℥ vj. nam quælibet vncia huius electuarii ſcrupulo plus concipit diagridii.

Ad calcem notandum *ſenam*, liquoris, cui infuſa fuit, decoctione ad medietatem vim purgandi maxime peſſumdare. *Vix enim prolixiorem vllam ſine notabili virium diſpendio coctionem ſuſtinet, tantum abeſt, vt bis coqui ſuſtineat. Proinde ſola infuſione in liquore iam ad medietatem cum cæteris percocto contentos nos eſſe oportebit, quod ſemper vbi ſena coquenda præſcribitur notandum.*

Diagridium accurate tritum cæteris pulueribus rite miſceri debet, & exinde electuario ad conſiſtentiam pene debitam perducto, neq; calore adhuc nimio æſtuanti, (ne liquefactum conglobetur & coeat) inſpergi & per omnia æqualiter miſceri, quod itidem in cæterorum præparationibus notandum. *Quomodo miſcendum ſit electuariis diagridium.*

Cap. XVI.

De confectione Hamech, maiore Meſuæ.

℞. *mirobalanorum citrinorum* ℥ iij.
chebulorum,
Indorum,
Rhabarbari electi ana ℥ ij.
agarici,
colocynthid.
polypodii ana ℥ xviij.
Abſinthii,
Thymi,
ſenæ ana ℥ j.
Violarum ℥ xv.
epithymi ℥ ij.
ſem. aniſi,
fœniculi,
Roſarum rubearum ana ℥ vj.
ſucci fumi terræ ℔ j.

prunorum

prunorum num. ſexaginta,
paſſularum enucleatarum ℥ vj.

Macerentur omnia in ſero lactis caprini ſufficiente in vaſe vitreato, anguſti orificij bene obturato, loco tepido per dies quinque poſtea ferueant vna vel altera ebullitione, manibus fricentur & colentur: colati parte aliqua ſeruata pro manna diluenda, & pulpis extrahendis, reſiduo adde
ſacchari albi ℔ i ß.

Diſſoluantur in infuſione feruefacta & colata, & ad iuſtam conſiſtentiam decoquantur: deinde adde mannæ electæ cum ſuperiore decocto dilutæ ℥ ij.
pulpæ caßiæ ℥ iiij.
Tamarindorum ℥ v.

Redigantur ſimul ad iuſtam conſiſtentiam, deinde paulatim ſubſequentes pulueres inſperge, rudicula ſemper agitando.
ſcammonei præparati ſeorſim in puluerem redacti ℥ i ß.
Myrobalanorum citrinorum,
chebulorum,
Indorum ana ℥ ß.
Bellicorum,
emblicorum,
Rhabarbar.
ſem. fumariæ ana ʒ iij.
aniſi,
ſpicæ ana ʒ ij.
Fiat electuarium vt eſt artis.

Medicamentum hoc auctoris præ ſe ferens nomen Iohannes Babtiſta Montanus aureum vocat Trincauellius, Foeſius Auguſtani & alii vehementer probant, Solenander vehementiam deteſtatur, Rondeletius, Fernelius, Renodeus, Plantius inartificioſe præparatum conqueruntur, quod longe diſſimilia ſimul infundantur, nō decoquenda coquantur. *In confeſſo eſt, myrobalanorum genera omnia, ſenam, Rhabarbarum, roſarum violarumque flores nullam ſine virium notabili diſpēdio tolerare coctionem, ſolaque infuſione calida virtutem horum conuenienter & ſufficienter extrahi, quibus alii tamarindos & caßiam fere accenſent.*

Rondeletius quinque dierum infuſionem improbat, quod iſta temporis prolixitate ſerum neceſſario aceſcat, Proinde largimur cenſorib. ea, quæ coctionem ſalua virium integritate ferunt, primum coquenda, qualia ſunt *paſſulæ, pruna, polypodium, abſinthium, thymus, agaricus, colocynthis*, collaturæ addēdum *ſaccharum* & *ſuccum fumariæ*, & coctione ad conſiſtentiam ſyrupi procedendum, cuius quantitati tali, quæ adiectis *mannæ, caßiæ & tamarindorum pulpis* facile leuiore igne, in electuarii formam reduci queat, infundenda ſunt diuturniorem coctionem ſine neceſſariç facultatis iactura non ferentia. *Modus recte præparandi.*

Abſque moderata coctione enim diu incorruptum aſſeruari nequit. Vere id præparandum eſſe cenſent aliqui, propter ſeri tunc temporis præſtantiam. Neque tamen, quod Rondeletius metuebat, id facile acceſſit, propter *abſinthii, thymi*, aliorumque ab acore præſeruantium virtutem. Si quis tempus infuſionis contractius & breuius volet, non repugno, dummodo infuſorum vires

recte eliciat. *Colocynthidem* quoque incorrectam nequaquam, ſed vel *trochiſcos alhandel*, aut temperatam eo, qualem *ſuperius* deduximus, modo aſſumendam eſſe ſtatuo.

Scammonium vna coquit Meſue, Manlius in *Luminari*, & Quiricus in *lumine apothecariorum*, quod reprehẽſionem recentiorum quorundam incurrit: verum ſiue incoquatur *ſcammoneum* crudum, quod prima decoctione vires non perdit, ſiue poſtea inſpergatur *diagridium*, quod eſt *ſcammoneum coctum & correctum*, haut magni referre, recte cenſuerunt veteres. Hunc itaque componendi modum, & ſubſtantiam, veteris medicaminis diuturna experientia probatiſſimi, merito retinemus, quam à doctiſſimis huius ſeculi vſu & ſcriptis probari & commendari videmus. Neque tamen longe clariſſimi Fernelii mutationem improbamus, qui ſuperioris incongrua præparatione commotus, hanc concinnauit & ſubſtituit.

Fernelii deſcriptio.

℞. *cortic. mirobalanor. citrinor.* ℥ ij.
cepulorum,
nigrorum,
colocynth.
polypodii Quercin. ana ℥ iß.
Abſinthii,
thymi ana ℥ iß.
aniſi,
fœniculi,
roſar. rub. ana ℥ iij.

Tuſa, macerentur in ſeri lactis ℔ ij. *deinde coquantur ad* ℔ j. *fricentur manibus, & exprimantur.*

Colatis adde ſucci fumariæ,
pulpæ prunor.
vuarum paſſarum. ana ℔ ß.
ſacchari albi,
mellis exſpumati ana ℔ j.

Coquantur ad mellis craßitiem, inſpergendo ſub finem
agarici,
ſenæ tritorum ana ℥ ij.
Rheib. triti ℥ ß.
epithymi ℥ j.
diagridii ℨ vj.
cinamomi ℥ ß.
zinzib. ℨ ij.
ſem. fumariæ.
aniſi,
ſpicæ nardi ana ℨ j.

Doſis à ℨ iij. ad ℥ ß.

Tota compoſitio eſt ℔ iij. & ℥ viij. Doſes vero circiter octoginta.

Ex ... Sed ad vulgatæ & vſu cõmuni receptæ cõfectionis explicationem redeam⁹. Illa multiplices & cuiuſcunq; generis humores expurgãdi vim habet. Nam ratione *agarici, colocynth. & myrobalanorum, chebulorum* pituitam vacuat. *Polypodium* eandem commode & nihilo tamen minus melancholiam, quod *thymus, epithymus* & *myrobalani Indi* iuuant, allicit. *Sena* vſtos & aſſatos humores educit, cui *ſerum* & *fumariæ ſuccus* opitulantur. *Myrobalani citrini, Rhabarbarum* & *ſcammonium* bilem purgant, quibus in auxilium veniunt *caßia, manna, tamarindi*, quamuis maior ex his vtilitas ſit, quod acrimoniam & calorem ſoluentium medicamentorum leniant & emittant, ſicuti

Virtus & efficacia.

ſcitri etiam *paſſula, pruna & violæ*. Pari ratione ea, quæ in puluerem redacta, poſtremo inſperguntur, excepto *diagridio*, potius ad correctionem, quam euacuationem faciunt: *myrobalani, Rhabarbarum, ſemina fumariæ, ſpica & roſæ*, vt adſtringendo viſcerum robur, quod purgātia plurimum diſſoluunt, ſeruare poſſint. *Aniſum* vero & *fœniculum*, vt flatus, qui ſuccorum agitatione excitantur, ventriculumque turbant, & nauſeabundum reddunt, diſcutiant. Vnde citra periculum & moleſtiam hoc medicamentum, licet vehementibus & viroſis quibuſdā conſtet ſimplicibus, vſurpari poteſt, ad tollēdas diuturnas, autumnales, difficileſque febres & alios morbos ex plurium humorum miſcella & copia natos. Si enim per æſtatis æſtum, multa fit congeſta bilis, eaque aſſata, & ſimulac ex eſu plurium & pituitoſorum cibariorum, quales horarii fructus, radices, olera, & denique reſolutione caloris natiui ob ambientis feruorem & inſequenti æqualitate autumni pituitæ farrago complicetur, ſi item ex febrium longiori protractione plurimum generetur ſucci melancholici, conuenientiſſimus eſt huius confectionis vſus, quod affectibus ex atra retorrida & ſalſa bile & pituita putreſcente ortis, ſumopere cōducat. Quocirca in vitiis cutaneis, *Quibus conducat morbis.* impetigine, prurigine, humorū ſalſugine, quæ ſcabiē gignit, in lepra, pſora, elephantia, alphis nigris, & cancro, melancholicis item affectibus, mania & melancholia & omni cacochymia tutiſſimus & ſaluberrimus eius eſt vſus. Nec minus in febribus complicatis, & confuſis, morbiſque diuturnis, ex diuerſis cauſis natis adprime valet, quod vti dictum, tam bilioſos, quam pituitoſos, & melancholicos humores eoſque vſtos incineratos, & quoſcunque ſalſugine infectos & putreſcentes extrahat. Meſue doſin aureorum duorum non excedit, verum, hanc in mediocribus parum proficere, ſunt, q exſiſtiment. Trincauellius ab ℥ ß. ad ℥ v. aſcendit, Manardus ad ℥ vj. & demum ℥ j. quo modo modum excedit. Verum ſi totius medicamenti pondus pendat ℔ viß. vnaquæque vncia obtinebit ex *agarico* & *colocyntide* vim granor. xiiij. pulueris autem *diagridii* grana octo vel paulo amplius: Melichius vniuerſum pondus cōputat libras quinque & vncias quatuor, ita ſingulis vnciis cedunt diagridii gr. xij.

Auguſtani notant fructuoſiſſimū eſſe huius remedii vſum in quartana, morbo gallicano, & affectibus ex atra bile genitis, ſi cum infuſo vel decocto *hellebori* detur ad ſequentem normam. *Commodiſſime vtimur cum decocto Hellebor. nigri. Melanagoga potio cōueniens.*

℞. *cort. hellebor. nigri prepar.* ℈ iiij.
ſem. aniſi,
citri,
Garyophyll. ana ℥ ß.
fiat l. a. decoctio, huius ℥ iiij. *miſce*
Electuarii Hamech. ℥ ß.
ſyrupi de fumaria compoſiti ℥ j.
detur.

CAP. XVII.

De electuariis ex ſucco roſarum Nicolai & Meſuæ.

Electuarium de ſucco roſarum Nicolai.

℞. *ſucci roſarum rubear.*
ſacchari albi ana ℥ xvj.
ſammonei præparati ℥ iß.
ſantali rubri,
albi,
citrini ana ℥ vj.
ſpodii ex ebore ℥ iij.
camphoræ ℈ j.

Succus roſarum cum ſaccharo ad iuſtam conſiſtentiam coquatur, deinde tritæ ſpecies adiiciantur.

Electuarium de ſucco roſarum Meſuæ.

℞. *ſucci roſarum rubearum perfectarum* ℔ iiij.
ſacchari optimi ℔ iß.
Coquantur lento igne ad conſiſtentiam mellis, deinde adde
mannæ electæ ſucco roſarum dilutæ ℥ vj.
Ferueant ſimul paulum, deinde bene tritis & per cribrum tranſmiſſis adde:
diagrydii ℥ iß.
Trochiſcorum de ſpodio ℥ j.
Trochiſcor. de berberis ℥ ß.
Galliæ moſchatæ veræ,
croci ana ℥ ij.

Fiat electuarium vt eſt artis quod in vaſe vitreo repoſitum aſſeruetur.

Electuarium de ſucco roſarum Nicolai vſitatiſſimum & tabernis omnibus notiſſimum eſt, adeo, vt pl. bei, empirici & de vulgo plures id ſatis incaute & fidenter exhibere vel recipere auſint.

Meſuæ compoſitio, niſi quod confectionem *pilularum aggregatiuarum*, *& de hermodactylis* ingrediatur, paſſim neglecta euiluit, cuius loco altera in pharmacopoliis præparatur & à Medicis in vſum vocatur, vtra vero compoſitio, Meſuæ, an Nicolai præſtantior, potiusq; ſit vſurpanda, diſceptatur. Sunt, qui pro Meſue faciant, eo quod *mannæ* opera eius compoſitio facilius & lenius purget, (ſiquidem *nullum ſolutiuum ſine lenitiuo componi vel exhiberi debeat*) & ratione *trochiſcorum galliæ muſcatæ ac berberorum*, corpus minus perturbet quodque iiſdem vacans Nicolai Electuarium, tormina excitet, & iuſto maiorem *diagrydii* quantitatem contineat. *Vtra compoſitio recipienda & vſurpāda.*

Ex aduerſo alii Meſuæ compoſitionem poſtponunt, quod trochiſcorum adſtringentium pondus recipiat amplius & nimium calida vti *galliam & crocum*, quæ bilem acuere, febrem accendere & corpus igniculare poſſint, comprehendat, quodq; hæc molem augendo medicamentum reddant imbecillius, vt ad legitimam operationem magna quantitas non ſine nauſea & faſtidio ægri ſit exhibenda. His autem facile reſponderi poteſt, *trochiſcos de berberis*, & magnam *ſucci roſarum* copiam ſatis temperare calorem

calorem *galliæ moſchatæ & croci*. Et notá à Meſue non recipi *ſuccum roſarum pallidarum*, qui laxatiuus, ſed rubearum, qui frigidus & adſtringens eſt, vter vero horum ad Nicolai ſyſtema ſit recipiendus, nec ab ipſo auctore, neque eius antiquo interprete Mondino, ſignificatur, interim Auguſtani & Cordus rubrum recipiunt.

Quamuis autem vtriusque medicamenti magiſter & auctor celeberrimus, ſuæ fabricæ rationes non friuolas habuerit, tamen obtinuit Nicolai pharmacum, vt ad vſum potiſſimum accerſatur, & paſſim in pharmacopoliis præparetur. Hoc vero, licet in vſu ſit frequentiſſimum, tamen à variis varie deſcribitur, dum alter pondera mutat, & *ſucci roſarum* duntaxat ℔ j. & *ſacchari* ℔ i ß. *ſantalorumq; omnium ana* ℥ iiij. recipiat, alter *caphuram* expungat, eiusque loco *maſtichen* aut *tragacanthum* ſubſtituant, alius *citri cortices* compoſitioni addat. Verum enim vero rectius fecerimus, ſi veterum placitis multiplici experientia probatiſſimis inſiſtamus, nec ab iiſdem, niſi rationibus valde vrgentibus compulſi reſiliamus, iuxta veterem rithmum:

Non eris illuſus, teneas ſi quod tenet vſus.

Cur caphura expungenda. Non inepte a. Rondeletius monet pro *caphura* rite *maſtichen* aut *tragacanthum* ſubſtituendum, cum illa grauem medicamento adferat odorem, & ſubſtantiæ ſuæ tenuitate ad cor penetrando viroſam, & principi parti inimicam *diagridii* vim eo facillime deducat. Neque frigidæ omnino fertur naturæ, vti quidam mordicus contendunt, ſed cum calidis calfacere, & cum frigidis frigefacere à ſapientibus perhibetur.

Recipitur vero in hâc compoſitionem *diagridium*, quia, vbi cum reliquis coquitur, vel pluribus miſcetur, *ſcammoneum* eſt aſſumendum. Baſin idem *diagridium* conſtituit, cui, quod magna venit copia, talia ſunt addita & remiſta, quę eius violentiam reprimunt, & minus moleſtam operationem reddunt; refrigerant enim & adſtringunt potiſſima, gratique ſunt odoris, & cordi, cerebro, ac principibus partibus amica. Proinde eorum virtus internorum viſcerum robur conſeruat, morbi vi relaxata colligit, æſtuantem febrilemq; calorem temperat, affectibus à bile & tenuioribus humoribus generatis conducit, quæ cauſa eſt, quod auctor præcipue ad arthriticos affect⁹ ex calida bilioſaq; cauſa ortis commendet. Antiquus Nicolai commentator monet, ad horum præſeruationem rectiſſime dari, ipſis autem ſæuientibus & tempore acceſſionis, quando natura multum affligitur, neque ſub initium, ſed præmiſſis tridui aut quatridui humorum præparationibus debitis, & horis quietis propinandum, & paulo ante inungenda membra affecta *butyro* vel *oleo violaceo* ad materiæ mollificationem, & proxime purgationem inſequente die dandam opiatam ad

Quando & quibus affectibus conducat.

Quomodo in arthriticis morbis rationaliter & methodice detur.

cohibendum fluxum & materiæ reliquias conſumendas.

Non inutiliter etiam in calidis affectibus capitis ceu cephalalgia, vertigine, & oculorum doloribus, febribuſque tertianis à bile proſatis adhibetur.

Etiamſi communiter ſic inſtituantur electuariorum vere ſoluentium, præcipue vero cholagogorum compoſitiones, vt ſingulas eorum vncias ingrediantur ſinguli ſcrupuli *diagridii*, tamen hoc pharmacum tantam eius copiam recipit, vt ſingulæ vnciæ vltra ſemidragmam capiant.

Quælibet vncia capit diagrydii ſemidragmam.

Quæd m compoſitiones habent *diagridium* pro ſtimulo cæterorũ purgantium, quas minori quantitate ingreditur, quædam pro baſi, & in illas neceſſario maiori mole venit, cum primis, ſi vna ſolaque ſit, nec præter hanc alia, ex quo hoc reſultat commodi, quod minori quantitate exhiberi, adeoque nauſeabundis, & faſtidientibus rite offeratur. Trium dragmarum aut ſemunciæ pondere, ſi recte præparatum fuerit, ſufficienter purgabit, quamuis alii ad ſex dragmas aſcendant. Vulgo, cæterorum purgantium calcar nominatur, quia ad accelerandam & acuendam eorum vim plerumque miſcetur, quod quælibet dragma tria *diagridii* grana cum *dimidio* poſſideat.

Electuarium de ſucco roſarum Meſuæ, quod attinet, ſi quis rem recte putet, haut multum differre aduertet ab illo, quod Nicolao imputatur; iiſdemque affectibus vtiliter adhiberi poteſt. Eſt autem Meſuei compoſitio temperatior, & in ſingulis vnciis dimidio minus diagridii, quam illa Nicolai accipit. Proinde ne hæc pro illa perniciali errore vſurpetur, auctoris nomen, cum præſcribitur euidenter annotandum vel ſignificandum. *Trochiſci de ſpodio* ventriculi viſcerumque æſtum in febribus temperant, de *berberis* refrigerant & roborant, *diagridiique* efferam vim frænant, *gallia moſchata* & *crocus* ſuaui odore cor, cerebrum & orificium ventriculi recreant. Doſis à ʒ vj. ad ℥ j. Eſt enim *diagridii* inſolentia ſatis cicurata & repreſſa. Optime vero Nicolai compoſitio in formam ſolidam tabularum ſumentibus iucundiorem redigitur.

Electuarii de ſucco roſarum Meſuæ examẽ & doſis.

Electuarium de ſucco roſarum Nicolai in Forma ſolida.

℞. *Specierum ingredientium electuarium de ſucco roſarum Nicolai quantum deſcribitur ſupra, & cum* ℥ xvij. *ſacchari in libra vna ſucci roſarum ſoluti, fiat confectio in ſolido.* Electuario liquido potentior ſiquidem *ſucci roſarum* minorem quantitatem recipit.

Cap. XVIII.

Examen electuarii diaturbith cum Rhabarbara. Eius prima lineamenta & initia, progreſſus, incrementa, & perfectio, vires, vſus, & doſis traduntur.

HVius compoſitionis fundamenta iacta ſunt primum per Zezarem

ſem quendam, quem ferunt fuiſſe patrem Hamech, & alio nomine Rhaſen nuncupatum, à quo deſumpſit Meſue formulam quandam, quę in officinis nominatur diaturbith minus, conſtans

Diaturbith minus.

Turpethi albi & gummoſi ℥ x.
zinzib. ℥ v.
Maſtichis ℥ iij.
ſacchari albiſſimi ℥ xx.

Cordus ponit ℥ vj. & ℥ ij. quæ nimis ampla quantitas bona ratione conſtare nequit.

Eadem compoſitio ponderibus nonnihil variatis exſtat apud Rhaſen lib. 9. *ad Almanſor. cap.* 71. & à Placentino de medic. *cap.* 9. ex Rhaſe repetitur:

℞. *Turpeth. alb. gummoſ.* ℥ xx.
Zinzib. ℥ x.
ſacchari ℥ xxx.

Hæ compoſitiones, pituitam è ventriculo & vicinia adhærentem educunt.

His primordiis poſitis alii eas locupletarunt & purgantiores efficere ſtuduerunt, addendo *diagrydium*, & illa, quæ *turpethi* vim in craſſa materia hærentem magis exſtimulent, quæq; turbationem, quam ventriculo & inteſtinis parit, magis compeſcant, vnde *diaturpethi maioris* orta eſt fabrica, quæ

Diaturbith maius.

℞. *Turbith opt.* ℥ j.
Diagrydii,
zinzib. ana ʒ iiij.
cinamomi,
Caryophyllor. ana ʒ ij.
Galangæ,
piperis,
macis ana ʒ j.
ſacchari albiſſ. ℥ viij. ʒ v.

Illud redundantibus humoribus phlegmaticis, & craſſis flatibus, ventriculo & inteſtinis refrigeratis, exhiberi debet, quod pituitam incidat, tenuet, educat.

Alii cum viderent, nullo hic coerceri fræno *diagrydii* vim & calorem; nec ſatis temperari ſqualorem *turpethi, ſantalum album & rubeum* cum *violis* adiecerunt.

His omnibus ſuperueniens Montagnana, quibuſdam expunctis & aliis inſuper accerſitis, optima ratione medicamentum compoſuit præſtantiſſimum, cuius vſus tutiſſimus & ad affectus complures ſaluberrimus.

Electuarium Diaturbith cum Rhabarb. Montagnanæ.

℞. *Rhab.* ʒ x.
Turbith. albi gummoſi,
Hermodactylorum ana ʒ j.
Diagridii ʒ ß.
zinzib.
ſantali albi,
rubri,
violarum ana ʒ iß.
Maſtiches,
aniſi,
cinamomi,
croci ana ʒ ß.
ſacchari albi lib j. ℥ ij. ʒ ij.

Examen, vires, & vſus.

Phlegma craſſum à partib. remotioribus opera *turpethi & hermodacty*-

lorum,

lorum, quæ *zinzibere*, *cinamomo*, & *ſe-mine aniſi* virtutem in ſubſtantia denſiore hærentem exacuentibus iuuantur, educit, quorum inſtigandæ & accelerandæ operationi valde opitulatur *diagridium*. Hoc vero cum *Rhabarbaro* bilem detrahit. *Cinamomum*, *zinziber*, *aniſum* & *crocus hermodactylorum* & *turpethi* qualitatem, qua ventriculum turbare & offendere ſolent, corrigunt, flatus diſcutiunt, & vna cũ *maſtiche* ſtomachum roborant. *Santala diagridii* cæterorumq; calorem exſuperantem mitigãt, *violæ* ſqualorem *turpethi* mulcent, & medicamento lenitatem conciliant.

Prodeſt ſingulariter vermiculantib.

Hoc pacto efferate purgantium vehementia, & ſi qua ineſt malignitas, adeo correcta & cicurata eſt, vt non ſolum tuto & abſque periculo cuiuis prouectioris ætatis, ſed & pueris, quibus vermiculantibus peculiariter conuenit, tuto dari poſſit.

Quibus morbis conueniat.

Prodeſt morbis ex humorum miſcella natis, velut tertianis nõ exquiſitis & ſpuriis, articulariis doloribus & aqua intercute laborantibus. Ad vermes efficaciſſimum eſt remediũ, quos *crocus* abigit, *Rheum* maxime necat, quorũmque fomitem, videlicet pituitam, *turbith* efficaciter exturbat. Pueris gratum fit medicamentum, ſi cum *ſaccharo* ſpecies in formam tabellarum redigantur, ita vt ℥ vj. *ſacchari* capiant ℥ j. vel ℈ iiij. *ſpecierum*, quarum ℥ j. vel ℥ iß. aut ℥ ij. grandioribus exhiberi poſſunt.

Quælibet ſpecierum ſine *ſaccharo* dragma poſſidet *diagridii* gr. v ß. *turbith & hermodactylorum* ana gran. xiiß. *Rhabarb.* ℈ ß. gr. v.

Vulgo aſſeruantur ſpecies in pharmacopoliis abſque *ſaccharo* diſpenſatæ, quæ commode dantur à ʒ j. ad ℈ iiij. alii ad ʒ iß. conſcendunt in robuſtis. Paſſim etiam cum *melle* in electuarii liquidi formam rediguntur.

CAP. XIX.

Conſideratio Electuarii Eleſeoph, Meſuæ.

℞. *diagridii*,
Turbith ana ℥ vj.
Garyophyllor.
cinamomi,
zinzib.
Myrobal. Emblicor.
Nucis muſch.
polypodii ana ℥ iiß.
ſacchari ℥ vj.
Mellis deſpumati triplum,
id eſt, *vncias decem & dragmam vnam*.

Fuchſius huius electuarii nomen adeo corruptum eſſe ait, vt pene Eſelſkopff ſonet, cum pro confectione epiſcopi Eleſcoph barbaris nuncupetur. Auguſtani, Norici, Florentini, Iacobus Syluius, Weckerus. Andernacus *comm. 2. diagol. 77.* Croneburgius, Fuchſius, Foeſius aliique complures ſumunt *ſacchari* ℥ vj. Manlius vero in *luminari magno*, Theſaurus aromatoriorum, Melichius, Cordus

dus & Coudenbergius duntaxat ʒ vj. Et hi potius imitandi videntur, quod hoc pacto ea, quam Meſue aſſignat doſis à ʒ ij. cum ℈ ij. vſque ad ʒ ß. ſufficere poſſit, cum ſi ſex recipiantur vnciæ iuxta Andernacum, *mellis* quoq; pondus augendum ſit. *Saccharum* enim nec *melli* miſcendum, nec vicem mellis hic ſuſtinere poteſt iuxta Melichium, ſed in puluerem redactum ſub finem cum cæteris ſpeciebus eidem miſcetur, ne ignis calorem experiatur; vt ſolidius euadat electuarium, diutiusque in ventriculo moretur, & ex hoc validius operetur. Recipitur itaque ad *ſpecies mellis* triplum, præter *ſaccharum*, videlicet ad ℥ iij. & ʒ iij. *ſpecierum mellis* ℥ x. & ʒ j. *Polypodii* doſis præter mentem primi auctoris ab Andernaco exaggerata videtur, nam pro ʒ iiß. recipit ℥ iiß. quod, non, vt purget humorem melancholicum, ſed feruorem bilis vna cum *myrobalanis* temperet, inſertum eſt. Quapropter vera & legitima doſis eſt dragmarum duarum cum dimidia. Et ſane iuxta intentionem Andernaci, purgantem nulli compoſitionis doſi vim addere poſſet, quod totum ſyſtema conſtet ℥ xiiij. doſis vero eiuſdem ſumma ſit ʒ ß. ſic ad quamlibet doſin concurrent *polypodii* ℈ iiij. vel præterpropter, quid hoc atri & terreſtris aut pituitoſi humoris euocabit?

Correctio compoſitionis.

Doſis.

Habet autem qualibet vncia electuarii iuxta traditam deſcriptionem *diagrydii* ℈ j. & penè vij. grana, totidemque *turpethi*.

Examen.

Euacuat itaque pituitam & bilem ſatis valide, ſed hanc copioſius, quod *diagrydii* in quintupla proportione *turpethi* doſes per ſe exhiberi ſuperent. *Garyophylli, cinamomum, zinziber* languentem *turpethi* vim excitant, colico & hypochondriorum à pituita & flatibus, quos extenuant, digerunt, conficiunt, dolori ſuccurrunt, vim remedii ad renes, & veſicam penetrare faciũt, *nux muſchata* ventriculum & languidiora viſcera roborat.

Polypodium, quod auſteram & dulcem ſimul qualitatem habeat & *myrobalani*, quia frigidæ ſiccæq; ſunt naturę, *diagridij* exorbitantis acumen remittunt, & omnino æquum fuiſſet, cum maior ſit eius virtus, pluresque doſes *diagridium* præbeat, plura eidem vel. magis appoſita aſſignaſſe corrigentia.

Sunt, qui puluerem potius vſurpant, & ſic ſpeciebus rectiſſime *ſacchari* tantum ʒ vj. miſcentur, vnde in ſingulas dragmas (*ſaccharo* vna computato) reſultãt ℈ ß. & gr. iiß. *diagridij*. ſi vero ℔ j. *ſacchari* adiiciatur ſpeciebus commode efficies tabulas, quarum ʒ j. continebit *ſpecierum* ʒ ij. & ℈ ß. gr. v.

Quibus conueniat affectibus.

Conuenienter exhibetur in febribus tertianis nothis, & ventriculi hypochondriorum, & coli doloribus, flatus enixe euincit, propterea ad colicos cruciatus, & tormina ventris proprietate quadam valere, & eos amuleti in morem mitigare tradit Foe-

ſius. Iuxta Meſuen renes & veſicam emundat, Venerem ſtimulat (*ſed qui micam ſalis habet ad libidinis aphrodiſia irritamentum, non vſurpabit, niſi bene conſtercoratam ſuam Venerem velit*) arthritidi conducit, humores à iuncturis vacuando.

Quidam, inquit Foeſius, vtuntur ad purganda corpora in lue Venerea, additis *lapidis lazuli* ℥ ij. & auctis aromatibus; ſic enim humores à remotiſſimis partibus valenter educet, eritq; chiragricis & podagricis ſolenne, qua ratione & melancholiæ vacuandæ non ineptum fuerit, dummodo *lazuli* augeatur quantitas.

Cap. XX.

De Diaſena Nicolai, & Diabelzemer Renodai.

℞. *ſenæ* ℥ iij.
Auellanarum toſtarum num. x.
ſerici toſti ℥ ij.
Lapidis Armeni loti ℥ j.
Lapidis lazuli loti ℥ iij.
ſacchari ℥ vj.
cinamomi ℥ j.
Garyophyll.
Galangæ,
piperis,
ſpicæ nardi Indicæ,
Ocymi,
folior. Garyophyll.
cardamomi,
croci,
zinzib.
zedoariæ,
florum roriſmarini,
macropiperis ana ℥ ij.
mellis deſpumat. ℔ ij.

Paucę exſiſtunt inter electuaria ſolutiua compoſitiones, quæ humorem melancholicum proprie reſpiciunt, ad quem expurgandum directe ab auctore *diaſena* conformata videtur. Etſi vero plures huius nominis exſtent formulæ, quarum tres apud Alexandrinum traduntur, podagricis & arthriticis deſtinatæ, & in vulgaribus Nicolai codicibus reperiatur alia, quæ *hermodactylos, elleborum nigrum, anacardos, & baccas lauri* recipiat, & item alia apud Gilbertum Anglicum *cap. de vitiis ſplenis*, quæ *borraginem & calaminthum*; aliæ aliorum, quæ *bolum Armenum, oſſa de corde cerui, corallos, berberes, crocumque*, præter cætera noſtræ ingredientia complectantur, tamen hæc, quam adduximus, vſu magis recepta & commendata eſt.

Folia ſenæ cum *lapidibus* melanagogis in huius medicamenti fabrica baſin conſtituunt, & proprietate formali, ac primo humorem melancholicum & atrabilarium reſpiciunt & extrahunt. Quia vero iſte humor cordi maxime infenſus, eique & ſpiritibus vitalibus vehementer noxius (quo enim magis corrumpatur, eo ad veneni naturam propius accedit) & cum nihil æque flatus excitet, & eleuet, quam atra bilis in hypochondriis ſtabulans, ventriculoque ſubiecta, quodque, vt plurimum humor ſeu melan-

melancholicus, ſeu atrabilarius ob vitiatam primam in ventriculo concoctionem plurimum pituitæ craſſæ, lentæ & ſeroſi etiam humoris coniunctum habeat, huic medicamento ea, quæ cor ſpiritusque vitales proprietate quadam muniant, roborent & reficiant, venenis reſiſtant, quæq; flatus ſoluere & diſſipare, pituitam craſſam incidere, attenuare, ſeroſos humores conſumere, ventriculum & viſcera languida reficere, ſenæ & lapidum correctorum virtutem incitare & acuere poſſunt, addita ſunt. Atque hæc omnia calidis & aromaticitate præditis in hac compoſitione perficiuntur.

Quid in hac compoſitione deſideretur. Verum cum humor melancholicus vſtus & atrabilarius, ſeminarium ignis contineat, & quo magis tentatur calidis ſiccisque, eo violentius incitetur, & ad ferociendum irritetur, corque & vitales ſpiritus ab atrabilariis fumis & ſqualore vexati non tam acribus & feruentibus reficiantur aromatibus, quam iuuentur his, quæ vel temperata in actiuis, & humida vel ſubfrigidiuſcula & humida & odora, qualis vis in *borragine, bugloſſa, floribus tunicæ hortenſis, nymphea, roſis, violis, ſucco rubi idæi, pomorũ dulciũ odoratorum porsdorffianorum, aranciorum dulcium, granatorum, ceraſiorum ſylueſtrium nigrorum*, rectiſſime feciſſet auctor, ſi ex horum claſſe debitam quantitatem atq; ex iis etiam, quæ lienem ceu receptaculum humoris melancholici & venas meſaraicas, in quibus plerumque aduſtus humor vna colligitur, reſpiciunt ⅋ κρίσιν adiecisſet.

Examen. *Sena* purgat humorem melancholicum, cui in auxilium veniunt *lapides Armenius & Lazuli* rite præparati. Hi enim pari proprietate fœliciter hoc perficiunt. *Lapidis Lazuli virtus.* *Lazuli* vere *lapis* duplici de cauſa in hãc compoſitionem venit, primo, quod atrabilarios humores optime vacuet, ſecundo quod cor maxime reſpiciat & impendio roboret, eiuſque ægritudinib. præſenti ſit remedio, ſyncopé, tremores & palpitationes, timoresque melancholicos ſanet, animam dilatet & dictante Meſue minetam gaudii in illa excitet, quamobrem à ſapientibus, mixtus ſit confectionibus læticiæ & cordialibus, qualis *alkermes*.

Qui fronte & fine *auellanæ* coctu difficiles humore excrementitio ſcatentes, vaporoſæ in caput, calida ſiccaque intemperie præditæ, vt humoris atrabilarii ſqualorem potius augere comparatæ ſint, in hanc compoſitionem veniant, multi diſquirunt. *Cur in hãc compoſitionem veniant auellanæ, & cui bono ſint inſertæ.* Roborationis viſcerũ gratia id fieri nequit, quod aromata rectius perficiant. Vetuſtus Nicolai commentator, arbitratur, ideo inſertas eſſe, vt cum facile in caput & ſurſum exhalent & diutius, propterea quod coctioni renitantur, in ventriculo morentur, euaporatione ſua purgantium cæterorumque medicamentorum virtutem in cor & caput, quæ melancholicis affectibus potiſſimum afficiuntur, deducant, quo ex

eis humor attrabilarius promptius educatur, viſq; corroborans citius inſinuetur. Alteram præterea addunt cauſam, quod venenis, ad quorum naturam humor atrabilarius accedit, maxime reſiſtant & aduerſentur. Torrentur vero, vt humor excremētitius ventriculo infeſtus, abſorbeatur, rationem toſtionis docet ipſe Meſue, & commentatores in hunc modum. *Auellana cortice extimo ablato in vaſe aliquo furfuribus additis ſupra ignem ſpatula tam diu agitandæ, donec interna humiditas abſumpta ſit, dein proxima pellicula detrahenda.*

Seta ſeu ſericivires. Seta vel ſericum quid ſit, iam vulgo innotuit; Arabum dogmata ſecuti, ſtatuunt calfacere & ſiccare ordine primo, ſanguinem purgare, vitalē virtutem roborare, cor recreare, ſpiritus ex æquo omnes illuſtrare, reficere, & facultates munire. Alii ſiccum rentur animalculi recrementum inodorum, exſuccum, aranearum retibus aut erucarum telis cognatum, homini ſanando ineptiſſimum, inutile & minime efficax, cuius loco in hanc confectionem *grana chermes* ſufficere operæ pretium fuerit, à quorum ſententia haut recedendum putauerim.

Saccharum ad leniendum ſqualorem & retundendum acumen aromatum, viaſque lubricandum eſt additum *Ocymum*; proprie cor reſpicit, vna cū *croco, zedoaria, cinamomo, garyophyllis*, quæ præterquam quod pituitam incidant, humoris melancholici & terreſtris craſſitiem attenuent; *flores roriſmarini & ſpicæ* cerebrum reſpiciunt. Summa, aromatica viſcera vitalia, cerebrum, ventriculum lienemque frigida reficiunt, & humorum incidendo craſſitiem, excluſionem promptiorem promouent.

Ocymum.

Commendatur fabrica huius remedii ad melancholici & atrabilarii eductionem, quo fine peculiariter constructa ſit, multa tamen veluti paulo *ſuperius* indicatum eſt, vt id commode fiat, deſiderantur.

Clariſſimus Renodæus ad melancholicæ fæcis repurgationem aliud protulit, requiſita ad hanc rem & indicationes intentioneſq; accuratius implens, cui nomen dedit Electuarii *ſenati ſeu DiabelZemer*. Albazamer enim Arabibus pro ſena venit.

Diabelzemer Renodæi.

Albazamer.

℞. *radic. cichorei,*
bugloſſæ,
polypodij Quercini,
cort. radic. cappar.
Graminis,
Glycyrrhizæ ana ℥ ß.
paſſular. Corinthiac. ℥ vj.
Adianthi,
Hæmionitid.
ceterach,
cuſcutæ,
Artemiſiæ,
Fumariæ,
agrimoniæ,
Betonicæ,
meliſſæ,
flor. geniſtæ,

violar.

violar. ana M. ß.

Coquantur in aqua ℔ vj. *ad medias, in colaturæ* ℔ iij. *infunde, & coque*

Folior. ſenæ ℥ iiij.
Hellebor. nigri præpar.
Turbith opt. ana ℥ iß.
Garyophyllor. ℥ ij.
ſem. Dauci,
coriandri ana ℥ iß.

Bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, colaturæ addendo

ſacchari ℔ iß.

Coquantur vltra conſiſtentiam ſyrupi, cui permiſce expreſſionem vnciæ ſemis Rhabarbari in aqua chalybeata infuſi,

ſenæ pulueriſatæ ℥ ij.
lapidis lazuli præp. ℥
cinamomi ana ℥ ß.
ſaſſafras ℥ j.
rad. pœoniæ,
Tamariſci cort.
epithymi
cort. median. fraxini,
ſem. agni caſti,
nigellæ Romanæ,
ſpicæ Indicæ ana ℥ ij.
Anthos,
ſtœchados ana ℥ j.

Fiat electuarium.

Euacuat cum primis & directe humorem melancholicum, & atrabilarium, vi *polypodii, epithymi, lapidis lazuli, hellebori nigri, & ſenæ*, cuius virtus cum decoctione valde euaneſcat, eam decoquendis primum miſcere, & poſtea in pulueris forma adiicere denuo voluit, cum *nullum humori melancholico educendo conuenientius familiariuſque dari queat pharmacum*. Et quia, vt plurimum adiuncta reperiatur humori melancholico miſcella pituitæ, ad hanc ſimul educendam additum eſt *turpethum*, & bilis gratia, quæ cæteris vehiculum præbet, infuſio *Rhei*. Flatus diſcutiunt *coriandrum, Garyophylli*, ceteraque calidiora. Bilem præparant, tergent, iecurque aperiunt, *radices cichorei, graminis, agrimonia, adianthum*: humorem melancholicum temperant *bugloſſa, violæ, paſſulæ, liquiritia*; incidunt, attenuant, lienem, meſaraicas & hypochondriorum obſtructa aperiunt, *hemionitis, ceterach, cuſcuta, fumaria, tamariſcus, cortex cappar. fraxini, polypodium, epithymus, ſemen agni caſti*: pituitam præparant, vtero, capiti, & ventriculo pharmacum accommodant, *betonica, meliſſa, cinamomum, pœonia, nigella, ſpica, ſtœchas, anthos*, cum quibus facit *ſaſſafras*, quod & ad luis curationem magis perficit. Ex his omnibus iuxta auctoris præſcriptum in remedii formulam redactis oritur remedium ad humoris melancholici primario, dein bilis pituitæq; euacuationem idoneum, viſcera aperiens & roborans, affectibus melancholicis, hyſtericis, deliris, epilepticis fœdis viduarum coloribus & elephanticis vtile, doſis eadem, quæ diaſenæ, videlicet à ℥ vj. ad ℥ j.

Conſideratio & examen.

CAP. XXI.

Electuaria de citro ſolutiuo, Guidonis de Cauliaco, aliorumq; auctorum recenſentur.

Auguſtanorum hoc eſt.

℞. *cortic. citri condit.*
conſeruæ borrag.
bugloſſæ,
violarum ana ℥ v.
ſpecierum diatragac. frigid.
diagridii ana ℥ ß.
Turbith opt. ℥ vj.
ſacchari albi in aquis cordialibus diſſoluti ℔ j. fiat electuarium.

Conſideratio & examen. *Cortices citri* ventriculi tonum conſeruant, cor reficiunt & ſi qua ſuperſtes in *diagrydio* malignitas, eam edòmant, *conſerua borraginis, bugloſſæ & violarum* ſiccitatem & ſqualorem *turpethi*, calorem acrimoniamque *diagrydii* temperant, faciuntque, ne pituita tenax ſiccataque ægrius, bilis vero acrior & ignea ſine moleſtia & dolore egeratur; *ſpecies diatragacanthi frigidi* idem præſtant.

Bilem & pituitam hæc compoſitio, ſed illam potentius educit: *diagrydium* paulo minore quantitate admiſtum, multo plus operatur, quam *turpethum*, ſed quia magna inſeritur corrigentium & remittentium copia, & *turpethi* vis, à *diagrydio*, ad trahendum cognatum ſuum humorem fortius inſtigatur, fit, vt pene ex æquo pituita & bilis hoc medicamento educatur, *ſaccharum* facit ad leniendum, detergendum, & inſuper ad conſeruationem compoſiti. Hoc modo præparatum valde cognatum eſt *diacarthamo*.

Huius Electuarii vncia quælibet habet *diagrydii* gran. xvj. *turpethi* gran. xviiß.

Guido, qui perhibetur primus huius auctor, vt eſſet catholicum, *folia ſenæ* addiderat, & in forma tabularum fieri ordinarat, quarum ſemuncia debitam purgandi facultatem excerceret, eſt autem eius deſcriptio talis.

℞. *conſer. violarum,*
borraginis ana ℥ ij.
Radic. bugloſſ.
corticum citri conditor. ana ℥ j.
Zinzib. ʒ ß.
pul. diatragacanth. frig. ℥ iij.
Turbith ℥ iiij.
ſenæ ℥ v.
diagrydii ℥ iij.
panis ſacchari ℥ x.
fiat electuarium in tabulis ponderis ℥ ß.

Renodæus ſe emendatiorem compoſitionem tradere perhibet, hoc modo.

Electuari de citro ſolutiuum Renodæi.

℞. *corticum citri conditi,*
conſeruæ flor. violarum,
bugloſſæ,
ſpecier. diatrag. frigid.
diagrydii ana ℥ ß.
Turbith ℥ v.
Zinzib. ʒ ß.
fol. ſenæ ℥ vj.
ſem. fœniculi dulc. ℥ j.
ſacchari albiſſimi in aq. roſar. ſoluti & ex arte cocti ℥ x. fiat electuarium ſolidum.

In hac ſingula purgantia habent ſuum magiſtrum, *ſenæ fœniculum*, *turbith*

bith zinziber, diagrydiũ corticẽ citri conditũ & conſeruas, & aquã Roſaceã, in qua coquitur ſaccharum, quæ omnia cor & facultates roborant, & ſimul dicta purgantia mitigant.

Argentoratenſium ſequens eſt formula.

Electuarium de citro ſolutiuum Argentinenſium.

℞. *conſer. borraginis,*
violarum,
carnis citri conditi ana ℥ v.
Turpeth opt.
diagrydii ana ℥ iiij.
ſacchari in aq. roſar. ſoluti ℥ xij.
fiat confectio ſolida.

quælibet ℥. habet *diagrydii*, & *turpethi*, gr. xviiß.

Electuarium de citro ſolutiuum Spirẽſium.

Spirenſes hanc vſurpant fabricam.

℞. *cort. citri viridium elector.*
conſer. borrag.
violarum,
ſp. cier. diamarg. frigid. Nicol. ana ℥ ij.
Turpeth gummoſi ℥ iij.
diagrid. ℥ iiß.
zinzib. ℈ j.
ol. aniſi, ℈ ß.
ſyrup. infuſ. roſarum ℥ ij.
Fiat electuarium.

Atque hæc ſunt neotericorum paradigmata, quod ſequitur, eſt Actuarii:

℞. *carnis & corticis citrei mali ana* ℔ j.
Diſſecta, coque in aqua ad ſemiſextantem, colatura adde mellis heminam, & iterum coque ad conſiſtentiam, poſtea adde
pulpam è citro coctam,
piperis,
ſcammonei ana ℥ j.
Redige in formam electuarij.

Qui veterum de *citro* compoſitiones inſpicere volet, conſulat Paul. *lib.* 7. *cap.* 5. & 11. Aetium *lib.* 3. *cap.* 92. Alexand. *cap.* 184. & tres à Myrepſio poſitas deſcriptiones & Serapionem *de antidotis cap.* 35. Auicen, *lib.* 5. *ſum.* 1. *tract.* 7. & 4. Vide etiam practicam Haly.

CAP. XXII.

De medicamentorum ex cydoniis præparatorum tam purgantium, quam corroborantium origine, fundatione, progreſſu & perfectione.

Diacydonium Nicolai.

℞. *carnium citoniorum comminutarum & coctura inſpiſſatarum* ℔ iij.
Mellis deſpumati ℔ iiij.
Coquantur ſimul ad iuſtam conſiſtentiam, & poſtquam ab igne depoſueris, antequam refrigerentur, inſperge ſubſequentes ſpecies in tenuiſſimum puluerem tritas,
cinamomi, ℥ iß.
zinzib. ℥ j.
piperis,
galangæ ana ℥ ß.
Garyophyll.
Nucis muſcatæ ana ℥ iij.
ſpica nardi,
Ligni aloes,
macis,
cardamomi ana ℥ ij.
Zedoariæ ℥ j.

Extendatur tota maſſa in tabula marmorea, prius roſacea aqua inuncta, in qua aliquid moſchi diſſolutum fuerit, & quando, vt aluum ſoluat, conficere volueris, antequam

tequam in tabula marmorea extendatur, in vnamquamque libram adde ſcammoneæ ℥ ß. qua bene trita ſubligatur compoſitio.

Quemlibet ſuo abundare ſenſu, & quot capita, tot exiſtere ſententias, vetus eſt ſententia, quæ vel maxime locum inuenit in compoſitione & deſcriptione diacydonii tã ſimplicis, quam compoſiti, cuius inuentores Græci, cum non tantum fundamenta prima ieciſſent, ſed & ſatis idoneã fabricam conſtruxiſſent, ſuperuenientes Arabes aliique mille illam modis, & quiſque pro ſuo ingenii calore & colore, variarunt & mutarunt.

Inuenta & præparata ſunt primitus medicamenta ex *cydonijs* ad ventriculi atoniam corrigendam, epatiſque robur confirmandum, ſimplicia & compoſita. In illis numerantur *cydonia condita, diacydonium ſimplex ſine ſpeciebus, gelatina ſeu pellucidum cydoniorum. De myua & ſyrupis,* nihil attinet hic referre. *Depellata & à granis emundata cydonia fruſtillatim diſſecta coquuntur in aqua, dum teneraſcant, dein ſaccharo ad ſyrupi conſiſtentiam percocto immittuntur, denuoque vna percoquuntur. Conſimiliter fruſta cydoniorum ad tabitudinem ſuper vapore calentis aquæ percocta & ſacchari albi ad conſiſtentiam cocti partibus æqualibus miſta ad ſolidam coquuntur formam.*

Diacydonii ſimplicis & Gelatinæ compoſitio & vſus.

Quidam *octo libris carnium cydoniorum ſacchari clarificati* ℥ vj. *adiiciunt*, *atque id diacydoniũ ſimplex nominant. Succus cydoniorum ſi cum ſaccharo, donec in ſcatulas fundi poßit coquatur, oritur gelatina vel pellucidum cydoniorum cui ribium vel berberorum ſucco modice affuſo ruboris & ſaporis gratiam conciliare ſolent.* Idem quoque ex *cydoniis aqua dulci coctis & leni compreßione per linteum compulſis colatiſq́, & adiecto ſaccharo ad conſiſtentiam coctis, conficitur.*

Hæ ſimplices *diacydonii* confectiones ad ventriculi mala ex intemperie non frigida potiſſimum conducunt, iecur roborant, appetentiam à calore & bile languentem reſtaurant, coctionem iuuant, ante cibum ſumpta lienteriam & alui fluorem cohibent, poſt cibum accepta vomitum compeſcunt. Si vero frigidus ſit ventriculus *cydonia ex melle & vino* coquunt, verum hoc modo ad fluxus compeſcendos ſunt ineptiores, plurimum autem ad ventriculum pituitâ obſitum faciunt, cuius gratia Aetius ex *cydoniorum cum menthæ ſucco & melle modicoq́, aceti & vini citriorum* præſtantiſſimum conficiebat remedium.

Veterum ſapientes non acquieuerunt in hac ſimplicium fabrica, ſed aromatum & ad rem facientium miſtura elegantes induxerunt *diacydonii compoſiti* formulas.

Medicamentum Aetii ad reſtaurandum ventriculum præſtans & eximium.

Galenus lib. vj. *de ſanitat. tuenda c. vlt.* hanc, quæ cæterorum compoſitorum fons eſt, tradit.

Diacydonium Galeni.

℞. *ſucci malorum cydonior. quæ dulcia maiora, minusq́ acerba ſtruthia dicta, ſextarios duos.*

Mellis optimi tantundem,

aceti ſextarium vnum & ſemiſſem.

coque ſuper prunas modice, dein ſpumam

mam detrahe, & adde Zinzib. ℥ iij.
piperis albi ℥ ij.
rurſus coque ad mellis craßitudinem.

Hoc appetentiam excitat, coctionem iuuat, languidum ventriculum roborat, imbecilli quin etiam iecori prodeſt. Si venter calida laboret intemperie, aut bile ſit refertus, *piper & zinziber* auferri debent. Qui ventres habent medio temperamento, vt nec biliofum, nec pituitoſum congerant excrementum, iis dimidia *zinziberis & piperis* doſis admixta ſufficit, quibus frigiditas temperamentum vitiat, iis *zinziberis* ℥ iiij. *& piperis tres vel* ℥ iiß. adiicies.

ventriculum frigidum & humidum.

Lib. 8. de compoſit. med. ſecund. loca ad finem capitis quarti ex *carnis cydoniorum mellis & aceti ana* ℔ iij. *piperis & zinzib. ana quadrante, petroſelini macedonici* ℥ j. conficit.

Ad ventriculum calidum & biliofum Galeni imitatores *cydonia in aceti parte tertia vel dimidia coxerunt*, quibus *ſuccus malorum granatorum* ad *dimidium cydonii, aut quarta pars vini citriorum addita ſit*, & *aromatum loco, ſpodii, oxyachantæ, roſarum rubearum, trium ſantalorum, ſeminum oxalydis ana portiones æquales miſcuerunt.*

Ad ſtomachum calidum & biliofum.

In hunc modum Galenum tanquam omnis in medicina boni auctorem & fontem ſecuti ſunt cæteri, Græci & Arabes, aromatumque variorum adiectione hoc medicamentum locupletarunt, & demum purgantium appoſitione, pharmacum fæliciter euacuans confecerunt. Ipſum etiam purgantis remedii conficiendi ex *cydoniis* modum ex Galeno primitus ſuxere, qui ℔ j. *de aliment. facult. ſcammoneum malo cydonio* incoquit, vt gratiorem & tranquilliorem purgandi vim conſequatur, quem paſſim imitati cæteri, & cum primis Arabes, qui *ſcammonij* ſæuitiam ventriculum exſoluentē & viſcera quaſſantem cydonii opera refrænant.

Medicamentum Aetii ad reſtaurandum ventriculum & præſ[…] [...] cibum.

Diacydonium Galeni.

Nolo varias apud Auicennam & Meſuen cæteroſque Arabes & Græcos extantes deſcriptiones huc tranſferre, hæc, quæ prolata ſunt, ſufficiunt, vt fons prædictæ compoſitionis demonſtretur.

Ille, poſtquam aliquot paradigmata diacydonii mere corroborantis protuliſſet, tandem in ſolutiuorum remediorum ordine recenſet diacydonium purgans, *ex ſucci cydoniorum* ℔ iij.

mellis tabarzeth h. e. albi & opt. ℔ ij.
ſcammonii ℥ iß.
Galliæ bonæ,
nuc. muſc.
Garyophyll.
Zinziberis,
piperis longi,
cinam. ana ℥ iij.

ſi voles phlegma cum bile educere
impone *ſcammonii* ℥ v.
Turpethi ℥ xij.

Si ſolum phlegma, relicto *ſcammonio* aſſume
Turpethi ℥ xxv.

Ooo medulla

medullæ ſem. carthami xv.

Si atram bilem, cæteris omiſſis, miſce

Helleborum nigrum,
polypodium,
epithymum.

Quidam cum *melle*, vel cum *ſaccharo*, & cum *ſucco cydoniorum ſolo, vel carne earundem, vel vtriſque* conficiunt.

De cæteris purgantium *diacydoniorum* formulis, quarum ſex potiores Myrepſius *ſect.* 27. ex antiquioribus deſcripſit, amplius hic diſſerere, præter rem & neceſſitatem fuerit. Ad noſtra vſque tempora auctores illa, quam Micolaus tradidit compoſitione fere contenti fuerunt. Hanc auctor commendat (ſi ſit abſque *diagridio*) ad ventriculi intemperiem frigidam corrigendam, appetentiam languentem erigendam, ventriculum & iecur roborandum, coctionem & retentionem iuuandam, flatus diſſoluendum, fætorem corporis remouendum, & bonum odorem priſtinumque colorem reſtituendum. Vomitum ex cauſa frigida compeſcit, flatus ſoluit cum decoctione *fœniculi*. colorem bonum educit, quod debilem virtutem reſtaurat, & ſpiritus reparat. Commendatur porro ad aſthma cum vino decoctionis *liquiritiæ*, & phthiſin ex rheumate, quod putredinem conſumat, ſi cum *aqua hordei* detur.

Antiquitus ex *cydoniis contuſis ſuccum extrahebant, eumque cum mellis duplo ad conſiſtentiam coquebant.*

Diacydonium ex ſucco iuxta Cordum.

℞. *ſucci cydonior. deſpumati* ℔ xij.
mellis deſpumati,
ſacchari albiſſ. ana ℔ ij.

Coquantur ſimul ad iuſtam ſpiſſitudinem, deinde ab igne remotis & adhuc tepentibus, inſperge ſubſequentium ſpecierum pulueres minutiſſime tritos & per cribum excuſſos.

℞. *cinamomi,*
nucis muſch. ana ℥ iiij.
Garyophyll.
zinzib.
Galangæ ana ℥ ij
radicularum nardi celticæ,
piperis nigri,
ligni aloes,
macis,
zedoariæ,
cubebarum,
cardamomi ana ℥ j.
confice ſecundum artem.

Hodie *cydonia intus & extus mundatatundunt, coquunt & pulpam per ſetaceũ vrgent, eique mel deſpumatum addunt, & ad conſiſtentiam coquunt; ab igne ſublato priuſquam refrigerentur, ſpecies tenuiſſime tritas miſcent; & ſi purgatorium quiſpiam efficere volet, priuſquam ſuper tabula extendatur, ad vnamquamq; libram ſcammonei probe triti* ℥ ß. *adjicit.* Hoc modo vncia quælibet *diacydonii laxatiui* accipit ℈ j. *diagrydii*, quamobrem tenerioribus ℥ ij. vel tres, medioeribus ℥ ß. robuſtis ℥ vj. vel ſeptem ſufficiunt. *Doſis diacydonii laxatiui.*

In huius compoſitione id aduertendum

tendum, quod integra fabrica frigidum reſpiciat ventriculum frigidoſque humores, excepta *cydoniorum carne*, quarum vis *melle* & *aromatis* plus ſatis conuincitur. His additum eſt pharmacum purgans, quod bilem calidoſque humores euacuet. Sed neq; *ſcammoneum* vllum proprie corrigens habet, quod acrimoniam eius inhibeat; *cydonia* quidem id præſtare debebant, verum *mellis*, quod calidis & bilioſis naturis aduerſiſſimum, & aromatum vi, retunditur eorum facultas. Ad educendum autem humorem frigidum, & pituitoſum vtique pharmacum, quod hunc ſpecifica proprietate reſpiceret, erat addendum, ſi quidem in gratiam ventriculi pituitoſi & debilioris initio ſic conformata videatur totius compoſitio.

[C]ydo-[niatum] Fer-[nelii] laxat. In hanc venientes conſiderationem alii aliter atque aliter id remedii conficere ſunt annixi. Fernelius ex ampla aromatum farragine pleraque expunxit, & hoc paradygma tradidit.

℞. *pulpæ cydoniorum expurgatæ coctæ & cribro tranſmiſſæ* ℔ iß.
ſucci cydonior. ℔ ß.
ſacchari albiſſ ℔ ij.
coquantur ad mellis craßitiem inſpergendo ſub finem,
cinamomi triti,
zinzib.
maceris,
Garyophyll. ana ℥ ij.
diagrydii ℥ ij.

Hic quoque libra quælibet habet *diagrydii* ℥ ß. & vncia quælibet ℈ j.

Auctor doſin definit ab ℥ iij. ad ℥ ß. *Doſis.* Elegans hæc eſt compoſitio & propter *mellis* remotionem & *aromatum* numerum minorem bilioſis naturis commodior. Calor *aromatum*, & *diagrydii* violentia, ſufficienter cicurantur *cydoniorum pulpa*, & *ſucco*, quibus iecur pariter & ſtomachus roboratur.

Si quiſpiam vero pro magnatibus & delicatulis ſuauius palatoque gratius velit, quodque minore doſi vberius promoueat, hanc vſurpet Formulam.

℞. *diagrydii* ℥ iß. ʒ ij. *Pellucidū cydoniorū purgans, ſuauiſſimū & probatiſſimum.*
ſpiritus vini ℔ j.

Miſce & ſtent in infuſione per dies aliquot, donec hic eius tinctura & eſſentia ſit impragnatus, quem deinde per ſubſidentiam depuratum decantabis, eique affundes ſucci cydoniorum ad conſiſtentiam cocti ℔ *ij. ſacchari q. ſ. coquantur denuo, donec more gelatinæ concreſcere, & in ſcatulas fundi poßit, cui, vt ſuauiorem colorem odoremq́; concilies adde vino cydoniorum modicum ſucci berberorum, in quo ſolutum ſit moſchi tantillum.*

Huius translucidi diacydonii ℥ iij. commode & ſufficienter euacuabunt.

Eodem proceſſu pellucidum berberorum, ribium aliorumque conficere poteris.

Delicatam hanc remedii formulam vt omnibus humoribus euacuandis aptam adeoq; ex eadem catho-

licum purgans efficerent , hac via proceſſerunt.

℞. Turpeth albi opt. ℥ j.
mechoacæ ʒ vj.
fol. ſenæ mundat. ℥ iiß.
zinzib. ʒ j.
ſem. fœnicul. ʒ ij.
cinam. electi ʒ i ß.

Infundantur in j. q. ſpir. vini donec materia contegatur & ſpiritus ſupernatet duorum vel trium digitorum latitudine, ſtent in infuſione loco calido per triduum, poſtea colentur, exprimantur, dein R. ſucci cydoniorum ℔ iiij. *ſacchari quantum ſufficit, coque ad talem formam, vt fundi poßit more gelatinæ in ſcatulis , & continuo affunde ſuperiorem colaturam lentoque igne denuo coque ad conſiſtentiam priorem , & fundatur pars dimidia in ſcatulis ſignatis, pellucidum cydoniorum abſque diagrydio, alterius partis vnciis ſingulis adde diagrydii gr.* viij. *vel* viiij. *fundatur in ſcatulas ſign. pellcidum cydoniorum cum diagrydio.* Platerus *in praxi,* vbi de ventriculi affectibus agit, gratum & efficax diacydonium tale præſcribit.

Diacydonium Catholicum cum & ſine diagrydio.

℞. agarici trochiſcati ℥ ß.
Rhabarb. elect. ℥ iß.
fol. ſen. mundat. ʒ iiij.
cinamomi ℥ ß.
zinzib. ʒ j.

Diacydonium laxatiuum ſuaue & elegans D. Plateri.

Infundantur in vini maluatici ℔ iiij. *& ſucci cydoniorum* ℔ j. *macerentur aliquamdiu , leniter coquantur & colentur addendo,*

pulpæ cydoniorum ;
ſacchari ana quartam vnam;
coquantur ad ſpißitudinem electuarii vel conditi, vt ſit diacydonium congelatum, quod ſi fortius eſſe & minori quantitate operari velis, miſce ſingulis vncijs extracti ſcammonei gr. vj. *vel* viij.

Ab hoc parum abludit Auguſtanorum *diacydonites laxatiuum.*

Diacydonites laxatiuum Auguſtanorum

℞. fol. ſenæ elec. ℥ iiß.
ſem. aniſi ʒ iij.

Iufundantur in ℔ j. *vini maluatici per horas duodecim, poſtea coquantur leui igne ad medias & colentur. In colatura hac infunde per noctem loco calido*

Rhab. electi ʒ vj.

mane colentur & colatura ſeruetur, deinde

℞. Zinzib. albi ℥ j.
cinam. acuti ʒ vj.

Infundantur ſeorſim per noctem in ſucci limonum & citri ana ℥ iiij. *mane colentur & exprimantur, poſtea*

℞. pulpæ cydoniorum lege artis paratæ libras duas ſemis,
ſacchari clarificati libram vnam ſemis.

Coquantur cum ſuperiore expreßione continue agitando ad iuſtam conſiſtentiam, in fine addendo infuſionem zinziberis ſupra cum ſuccis paratam & inſuper diagridij ℥ ß. *Fiat diacydonium in ſcatulis,* quod ſingulis vnciis poſſidet *diagrid.* gran. vj. vel viß.

In his omnibus proſpiciendum, ne, dum ægrorum palatui ſtudemus gratificari, à veris curandi indicationibus aberremus , & in methodum empirice peccemus , neue imperitis iſta *diagridiata* temere vſurpandi occaſionem demus.

CAP.

CAP. XXIII.

Hiera compoſita Nicolai.

℞. *cinamomi,*
ſpica Indica,
croci,
Schœnanti,
aſari,
xylocaſsiæ, aut cinamomi exquiſitiſſimi,
xylobalſami, aut ligni aloes,
carpobalſami, vel cubebarum,
violarum,
abſinthij,
epithymi,
agarici,
roſarum,
Turbith,
colocynthidos,
maſtiches ana ʒ j. ℈ j.
Aloes non lotæ quantum reliquorum omnium, id eſt, *vncias duas, dragmas quinque, ſcrupulum vnum.*
mellis deſpumati libram vnam ſemis.
Miſce, fiat electuarium.

Qui prima hierarum fundamenta, ex quibus cæteræ variorum ſimplicium appoſitione & coalitu ſunt exſtructæ, recte rimari volet, recurrat ad examen *hieræ picræ ſimplicis* Galeno adſcriptæ. Simplex illa vocatur, quod nulla præter *aloen* & *aſarum* admittat purgãtia, & ex ventriculo, vicinis partibus, viiſq; primis dũtaxat humores ducat, cuius, vt vim paulo efficerent purgantiorem, *agaricum* poſtea adiecerunt, vt è partibus remotioribus & meſenterio denſius inuiſcatam pituitam, atque ex capite aliiſque locis eandem fortius euellat & euehat.

Verum nec in eo acquieſcere voluerunt, ſed impenſius virtutem extendere, & ad pituitoſos cum primis humores in cerebro eiuſque membranis, ſpina, & neruis, vtero, veſica, viſcerum meatibus, & inteſtinorum plicis tunicíſque impactos digerere tentarunt. Cuius rei gratia è purgantium numero, præter *aloen* & *agaricum*, etiam *turpethum*, *colocynthidem* & *epithymum* immiſcuere. Et cum *ſimplicis hieræ* compoſitio, tantum conſtaret *cinamomo*, *xylobalſamo* (cuius *xyloaloe* eſt ſuccedaneum) *aſaro*, *ſpica nardi*, *maſtiche* & *aloe* cum *melle* remiſtis, hic adiecta ſunt *ſchœnanthus*, *xylocaſsia*, *carpobalſamus*, vel *cubebæ*, *abſinthium*, *roſæ*, *violæ*, *epithymus*, *agaricus*, *turbith*, *colocynthis*. Quia vis *colocynthidis* non ſatis cicuratur in hoc ſyſtemate, & cumprimis *crocus* cæteraque *aromata* inimicam eius vim non tam ſupprimere valeant, quam in cor deferre, occaſionem habeant, nec *roſæ* cum *violis* eiuſdem coërcitioni ſufficiant, recte pro eodem *trochiſci albandel*, & *agaricus trochiſcatus* pro ſimplici & incorrecto ſumuntur. Huius itaque ratione pituitam è meſenterio, inteſtinis & pectore, opera vero *turpethi* & maxime *colocynthidis*, ex ipſo cerebro, neruis, articulis, vtero, veſica, partibuſque remotis attrahit, horum vim iuuat quo-

Examen.

dammodo *aloe*, magna doſi ſeu cæteris omnibus æquali pondere appoſita, quæ violentiam ferocius purgantium infringit, & ab iiſdem viciſſim intenditur, quod quidem non à *turpetho* vel *agarico*, ſed *colocynthide* fieri poteſt. *Aloes* opera promouetur ad exitum bilis; ei in auxilium veniunt *abſinthium* & *epithymus*, quæ ſimul viſcera deobſtruunt, & exeunti viam reſerant.

Cætera aromata purgantium, vti & *turpethi* vires acuunt, aut ad neruos neruoſaſque partes deferunt, humores putridos corrigunt, viſcera roborant. Doſis per os vſurpāda eſt à ℥ iß. ad ℥ iij. vel ℥ ß. aut ℥ vj. in enemate ab ℥ ß. ad ℥ ij. Qualibet vncia electuarii vix habet *colocynthidis, turpethi, epithymi, aſari, agarici ana gr.* iij *& aloes* ℥ j.

Doſis & vſus.

Quibus conducat morbis.

Frequentior eius eſt vſus ad clyſteres, pituitam enim lentam, craſſam, inteſtinis adhæreſcentem eluit, iecoris obſtructiones liberat, lienis duritiem emollit, denſitatem expedit, renibus & veſicæ humorum exturbatione proficit, vteri intemperiem emendat, capitis affectus, oculorum offuſcationes, aurium grauedinem à magna pituitæ lentitia iuuat, ſtomacho benefacit. Cum vero tantilla doſi purgantia ad quamlibet vnciam concurrant, ſemunciæ pondere datum parum proficiet, quamobrem ad quinque, ſex, vel ſeptem, dragmas digredi oportet.

CAP. XXIIII.

Hiera Logadii Nicolai Myrepſii.

℞. *pulpæ colocynth.*
polypodij ana ℥ ij.
Euphorbij,
polij montani minoris,
ſem. thymeleæ vel coccognidii ana ℥ iß. *gr.* vj.
Abſinthii,
myrrhæ ana ℥ j. *gr.* xij.
centaur. minoris,
Agarici,
Ammoniaci,
folii, vel eius loco macis,
ſpicæ Indicæ,
ſcillæ præparatæ,
Diagrydii ana ℥ j.
Aloes,
comarum thymi,
chamædryos,
caßiæ ligneæ,
bdellii,
marrubii ana ℈ j. *gr.* xiiij.
Cinamomi,
opoponacis,
caſtorei,
Ariſtolochiæ longæ,
trium piperum,
croci,
ſagapeni,
petroſelini Macedonici ana ℥ ß.
Hellebori nigri,
albi ana gr. vj.
Mellis deſpumati triplum ſeu vncias decem,

Miſce

Miſce f. electuarium.

Iacchinus exclamat moderni ſeculi Medicos eo ſucceſſu & fœlicitate non perſanare magnos morbos, quo eoſdem venerandæ antiquitatis magiſtri profligare potuerunt, idque hac de cauſa, quod magnis remediis vti reformident. Dubium non eſt, quin violenta hæc remedia *hierarum*, à primis ſuis conditoribus ideo comparata ſint, vt morbos grauiſſimos, à cauſis pertinaciſſimis dependentes, efficaciter exterminent, ſiquidem iuxta Hippoc. oraculum *extremis morbis extrema debentur remedia.* Verum cum *boni Medici ſit, vnum oculum intendere ad morbum, alterum ad vires & naturam*, vt exploret, quid quantumue toleret & ſuſtineat, quid non, ne iuxta morbi grauioris indicationem adhibeamus ea remedia, quæ naturæ intolerabili:, & conſequenter exitioſa fuerint, morbumque curaſſe [vti commemorat Galenus de incaute & ignare medentibus] ſed ægrum eo ipſo è medio ſuſtuliſſe, feramur, recte cum Meſue ſtatuimus, *gradum ſapientiæ eſſe, non tranſcendere ad medicinas fortes priuſquam debiles non contulerint, & rite accuratoq; iudicio expendendum, an morbi vehementia afflicta natura, medicamenti violentiam, abſque ſui grauiſſimo diſpendio & collapſu toleret.* Proinde Hierarum vſus ſatis eſt formidandus, nec niſi in morbis grauiſſimis & pertinacibus, vbi naturæ robur violentiam medicamenti impune ſuſtineat, ineundus. Recte proinde conſulunt humanæ ſaluti, qui hieras illas in clyſteribus potiſſimum vſurpandas & non niſi ſummo exquiſiti Medici iudicio per ſuperiora exhibere docent.

Qua cautione & religione, quaue methodo hierarum vſus ineundus.

Reſpicit vero hæc compoſitio humores craſſos, viſcoſos, aut viſcerum meatibus pertinaciter incuneatos, vel in cerebri neruorumque ductibus & meatibus penitius inſinuatos & infixos, & qui in articulorum, iuncturarumque coalitus & ſpacia confluxerūt, vel demum ipſum corporis habitum inquinarunt, & ad ſummam denique cutem ex interiore viſcerum impuritate, tanquam fonte, illuuiem ſuam propagarunt. Ex his enata mala contumaciſſima, in debilibus vix perſanari, & in robuſtioribus vehementia exigere remedia in confeſſo eſt. Quocirca hanc compoſitionem ingrediuntur *colocynthis, euphorbium, coccognidium*, quæ viſcoſam, craſſam, vitream, & quaſi conglaciatam pituitam liquare, fundere, & tam ex imis viſcerum latibulis & tubulis, receſſibuſque, quam è diſſitis neruorum, cerebri, eiuſque panniculorum & articulorum locis & lucis euellere, & magna naturæ concuſſione, viſcerumque lancinatione exturbare poſſint. *Colocynthis* nobiles interaneorū partes vehementer quaſſat & exagitat, cor malignitate ſua impedit, ventriculum, inteſtina eorumque venas vellicat, rodit & eradit, interim pituitam craſſam è cerebro, neruis & articulis potenter euo-

Quibus affectibus Hiera potiſſimum coueniant.

Examen.

Colocynthis.

Euphorbium. cat; *euphorbium* omnium concretorum gummoſorumque liquorum calidiſſimum & penetrantiſſimum, cauſticas habet vires, rubefacit, inflammat, vrit, vlcerat, craſſam pituitam fundit, liquat, & è cerebro neruoſoque genere hac ipſa infarcto, & circumfuſo, & ex inteſtinis inuiſcatis articuliſque ducit, vnde colico dolori, paralyſi, apoplexiæ, caro & ſoporiferis affectibus, ſtupori & reſolutionibus medetur.

Laureolæ grana. *Laureolæ grana* pariter vrunt, inteſtina & viſcera rodunt, interiora omnia conturbant, ad ſanguinis profuſionem lancinant & exagitant, cordis vires depeculantur, & venenatam exercent potentiam, & cum tanta ſimul violentia pituitam & aquoſos humores è quauis corporis parte attrahunt, vt nec vlli, quin robuſtiſſimo eius vſus fuerit tutus.

Elleborum album. *Elleborum album*, qua religione exhibendum, nemini, niſi literis Medicis parum tincto, ignotum: Eſt enim ſtrangulatorium & vehementiſſima ſymptomata, videlicet vomitum irreconciliabilem, conuulſionem & ſyncopen inducit, Interim atrabilarios & craſſos pituitoſoſque humores ex omni corporis, quantumuis diſtantiſſima parte violento compulſu euellit, rapit, & cum magno totius diſturbio ſurſum deorſumque exiicit & proiicit, eſt autem in exigua quantitate hic admiſtum. His omnibus licet per ſe etiam violenta fuerint minus noxia ſunt *diagrydium* & *elleborus niger.* Atrocia autem & maligna illa ſimplicia, debitis corrigentibus & ferociam refrænantibus, quod mirandum, in hac fabrica non ſunt cicurata. Fatemur equidem, *bdellium, ſagapenum*, *opoponacumque colocynthidis* efferatam vim proprietate quadam infrenare, ſed illa nec *euphorbio, laureolæ*, aut *elleboro albo* ſufficiunt, cætera huic intentioni vel non proſunt, aut magis exſtimulant. Bene additum eſt *diagrydium*, vt bilem cæterorum craſſorum vehiculum contrahat, & malignorum pharmacorum materiam, quam celeriter è corpore propellat. *Abſinthium, polium, ſpica, chamadris, thymus, marrubium, polypodium*, viſcera aperiant, eorumque infartus expediunt, craſſitiem humorum incidunt, *mirrha, petroſelinum macedonicum, crocus, piper, caſtoreum* ad vterum & vias vrinarias, vim remedii deducunt. *Ariſtolochia longa, ſquilla, ammoniacum, ſagapenum, opoponax, caſtoreumque* cerebri & neruorum affectibus, epilepſię, vertigini, comati, ſoporiferis malis & paralyſi tremorique accommodant. Vbi enim vis ſenſifica frigidorũ humorum colluuie ſopita, ſtuporque & ſopor inuaſerunt, hæc acuta, feruida & penetrabili facultate prædita, vt pituitam fundant ſenſus ſopitos irritent, & è neruorum principio potenter trahant rite, tutius & appropriate dantur. Præſtant quinetiam ad viſcerum præcipueque lienis mala, infartus, ſaburram, & duritiem, impetigini, pſoræ, & elephantiaſi incipiẽti opitu-

Sopo iferis potiſſimum affect bus in ſumma neceſſitate conuenit.

opitulantur, iſchiadicos & lumborũ dolore vexatos valde iuuant, colicos cruciatus componunt, menſtrua reducunt, melancholiam inueteratam eximunt. Operæ pretium nihilominus eſt primo clyſteribus, exinde formatis negocium aggredi, & his nil proficientibus ad vſum per ſuperiora tranſire. Nicolaus monet, ne ad calidos affectus vſquam vſurpetur.

Doſis. Quælibet vncia habet *colocynth. gran.* viiij. *Euphorbii & laureolæ ana gr.* vj. *agarici & diagry.lii ana gr.* v. doſis à ʒ ij. ad ʒ iij. in robuſtis, caue debiles.

Cap. XXV.

Hiera diacolocynthidos Pachÿ ex Nicolao Alexandrino.

℞. *Stœchadis,*
Marrubii,
chamædryos,
Agarici,
colocynthidos ana ʒ x.
opopanacis,
ſagapeni,
Petroſelini,
Radicis ariſtolochiæ rotundæ,
piperis albi ana ʒ v.
cinamomi,
ſpicæ Nardi,
mirrhæ,
polii,
croci ana ʒ iiij.
mellis deſpumati triplum, id eſt, *libras duas, vncias nouem & dragmas quinque.*

Cum nullum ſimplex ingrediatur hanc fabricam quod non etiam reperiatur in proxime antecedenti *compoſitione, & de omnibus ibi ſit ratio reddita,* huius natura & facultas ei, qui illius examen perlegerit, obſcura eſſe nequit. Baſin compoſiti ſtatuunt *colocynthis & agaricus* quantitate ſatis ampla. Hæc autem trochiſcata recipi debere, iam ante monitum eſt. Cur expuncta *ariſtolochia rotunda vera* Melichius *cyclaminum* ſubſtituerit, rationem nullam video, ſiquidem illa magis appropriata ſit & ad rem præſentem faciat. *Agaricum* iuuant, & vim *colocynthidis* temperant, maliciam infringunt *ſagapenum* & quæ ſimilium per omnia virium *opoponax*, vteroque & cerebro, neruis, & neruoſis partibus, inteſtinis, veſicæ, pectori, articulis, quibus operam ſuam dicarunt, applicant, & vt ab iiſdem craſſos humores extrahant, promouent, vnde cephaleæ, hemicraniæ, epilepſiæ, paralyſi, conuulſionibus, pleuritidi frigidæ, aſthmati, orthopneę, articularibus & matricis affectibus, dolorique hæc compoſitio conueniat, & ſimul viſcerum obſtructiones expediat, locos vteri clauſos reſeret, menſes reducat. *Examen, & vſus.* *Quibus morbis conueniat.*

Stœchas cerebro neruisq; appropriata, ſpiritus animales recreat, pituitam tenuat, vim purgantium ad caput perducit. *Stachas.*

Ariſtolochia valentius pituitam incidit, eiusque eductionem iuuat, epilepticis malis conuenit, & lochiis v-

Ppp terinis

terinis purgandis, à quo nomen ſortitur proprie dicata eſt.

Marrubium, chamadris, ſpica, viſcerum infartus recludunt, *polium* acre & amarum, obſtructione liberat, vrinam & menſes ciet, *piper* humorum craſſitiem perrumpit, eosq; fundit & vires cæterorum ad penitiora deducit, *cinamomum* cum *ſpica & ſtœchade* ventriculo, cerebro & neruis robur afflant; *mirrha* aperit, tergit, & cum *croco* attenuat, menſeſq; promouet.

Scribonius Largus *lib. de compoſ. medic. cap. 97. & ſequentibus* hoc electuarium miris laudibus effert, ſiquidem ex illo magnum, ob ſucceſſus feliciores in curandis morbis difficillimis, quæſtum, crebro feciſſe Pachium auctorem, & dum vixerit, nulli communicaſſe, ſed poſt eius obitum in ſuam veniſſe poteſtatem, refert. Cum itaque ſit tanti momenti medicamentum, medicinæ Profeſſores id officinis quoque conficiendum commendarunt.

Quibus proſit affectibus ex ſimplicium examine clare liquet. Sanat autem comitiales, furioſos, cephalea, vertigine, comatoſis & ſoporiferis ægrimoniis comprehenſos, lateris dolore affectos, aphonos, ſubito præfocatos, ſpaſmo, conuulſione canina, & incubo vexatos, paralyticos, articulari morbo, ſpinæ, lumborum, oculorum, auriumq; cruciatui, & ex altolapſis medetur, mammarum muliebrium duricies dolorificas mitigat, ſtomachicis nauſeabundis, & quibus in ventre cibus acceſſit, & ſaliuantibus remedio eſt, viſcerum infartus & duricies expedit, inteſtinorum affectibus frigidis fert auxilium, menſtrua mouet, vomicas aperit, vel diſcutit, melancholicos conſpicue iuuat, carcinomata & cacoëthe ſanat. Plura de huius encomio & virtute vide apud Scribonium Largum *loco citato*, & Marcellum empiricum.

Quælibet vncia huius electuarii poſſidet *trochiſcorum alhandel* & *agarici trochiſcati ana* ℈ ß. *& grana duo cum dimidio, opopanacis & ſagapeni ana gr.* vj. Doſis itaque poteſt conſtitui à ʒ ij. ad ʒ v. vel vj. aut vlterius in robuſtis. In forma *ſpecierum* exhibent vulgo à ℈ ß. ad ℈ ij. quælibet dragma *ſpecierum* tenet *trochiſtorum alhandel* ℈ ß. *& gr.* viß. *totidemq; agarici*. *Doſis.*

CAP. XXVI.

Confectio de manna.

MEſue *diſtinctione tertia de medicinis ſolutiuis* producit confectionem quandam de *manna*, ex inuentione Galeni, cuius tamen in monumentis, quæ exſtant, deſcriptio non legatur, & famoſum prędicat remedium, multique vſus; ſiquidem choleram ducat ſine moleſtia & blanda facilitate, & à proprietate ſit mirabilis operationis, & guſtu ſuaue, conferre habentibus epar calidum, reneſque & alia mēbra bilioſo humore referta. Eſt autem talis eius compoſitio;

℞. *mannæ puræ ſelectæ recent.* ℔ j.

dia-

diagrydij ℨ j.
maſtichis ℨj iʒ.

Diſſoluatur manna in ℔ j. ſucci roſarum rubearum, coquantur lento igne ad conſiſtentiam debitam, deinde inſperge diagrydium in tenuem puluerem tritum cum maſtiche.

Cap. XXVII.

De cauſis inuentionis formæ pilularis. Quarum partium affectibus potius illa forma gratificetur. Controuerſia de vſu pilularum à cibo & cœna diſpicitur: bona ratione concluditur, pilulas in rem comparatas recte & vtiliter à cœna ſumi, neque tantum à cœna, ſed aliquas etiam paulo ante cibum, inter cibos, & poſt cibum fructuoſe ingeri. De commoda ſumptione, & maſſæ earum debita cuſtodia.

Cauſa inuentionis & conformationis pilularum. Electuariorum purgantiũ agmen proxime ſequitur pilularum acies, quæ ſic dictæ ſunt, quod paruæ videantur eſſe pilæ, & alias globuli, vel orbiculi aut catapotia à deuorando, quod eſt καταπίνειν nominatur. Inuenta eſt hæc remedii forma, vt illa, quæ ingratiſſimi ſaporis palatum vehementer offendunt, ſine conſpicua ſumentis nauſea præpropere deglutiri poſſint, quodque exigua mole & pondere tantam remediorum virtutem concipere poſſint, quantam maiori quantitate cæteræ compoſitionum fabricæ vix capiant. Nec minus vtiliter remedia virtutis intenſioris, in iſta forma denſata ſumuntur, tunc cum à capite, cerebro, neruis, articulis & partibus remotioribus eſt trahendum, quod non ſoluantur continuo, cum deuorata ſunt in ventriculum, nec ilico colliquata præterfluant, veluti potiones, ſed moram ibidem prolixiorem trahentes, ad diſtantiſſima virtutem ſuam explicare poſſint. Comode quinetiam exhibẽtur, ad affectus à frigidorum humorum ſuperfluitate dependentes, & vbi ventriculus ipſemet eiuſq; parietes iiſdem obliti & repleti fuerint, quod earum tunc ſit conuenientior forma, quam potionum quibus tanquam noua humorum alluuione inſuper degrauaretur; Alia ratio eſt, cum humores terreſtres ſicci & aduſti ſunt in crimine; hi enim pilularẽ formam aſpernantur. Vbi obſeruandum, has, quæ pro ventriculo debiliore peculiariter comparantur, vti nec vltra eius diſtrictum primaſque vias vires ſuas protendant, ita forma maxime exili fingẽdas eſſe, ne magnitudine & mora diururniore ei cæteroquin affecto negotium faceſſant, facileq; ſolui & in actum deduci poſſint.

De tempore aſſumptionis pilularum hodie agitantur controuerſiæ, quibuſdam eas recte à cæna exhiberi aſſerentibus, tum præcipue, cum à capite & neruorũ principio euacuãdi

An pilulæ rectè & commodè à cœna dentur.

di ſit neceſſitas, quod hoc pacto cibi vaporibus ad conciliandum ſomnū in caput aſſurgentibus, vis pilularum fœlicius vna deportetur & propagetur.

Qui contra ſentiunt, non graciles producunt rationes, videlicet quod maximum naturæ negotium faceſſat, vno eodemq; tempore coctionis operam perficere, & purgandi actum violentum ſuſtinere, ac moderari, quodque iſtis duobus ſimul non ſufficiat, & neceſſario alterum deſerat, vel vtrumque corrumpat, deinde quod attracti in ventriculum humores neceſſario chylum inquinent & perdant, nec ad iuſtam perfectionem perduci patiantur, & quod medicamentum purgans, vt commode & ſine nauſea & cardialgia operetur ad ventriculi fundum deſcendere, ibique in actum deduci, & virtutem ſuam exſerere, non in ſuperiore orificio hærere debeat. Ne enim ibidem obhæreſcant & ſymptomata prædicta excitent eius reliquiæ, in vulgari vſu habent practici interiecto à ſumptione temporis pauxillo eas *ptiſana cicerum iuſculo*, vel ſimili quopiam eluere & detergere. Si vero contingat, humores attractos & medicamenta in ſuperiore ventriculo miſta vomitum quidem & cardialgiam cordisque anguſtiam haut mouere, neceſſum erit, magna totius perturbatione, ciborum ingeſtorum, aut crudorum, aut malignitate pharmaci corruptorum, humorumque attractorum mixtura infectorum, ſequi excretionem per inferiora.

Rationes impugnantium pilularum à cœna vſurpationem.

Etiamſi vero hæ rationes fortiter militent, tamen pharmaca quædam, vti & catapotia, certo reſpectu, & bona cum ratione, ante cœnam, poſt cœnam, & in cœna, vel cum cibo, vtiliter dari poſſe, nec abſonum, nec ab experientia reprobatum eſt.

Quam ob cauſam vtiliter à cœna ſumantur pilulæ.

Si enim tribus vel quatuor à frugali cœna horis, pilulæ ad caput exonerandum directę ſumantur, tunc cū ventriculi coctio pene peracta & ſuaui madore ac benignitate chyli, parietes ventriculi obliti, calore adhuc circa hanc regionem, vt concoctio definiatur, vberius concentrato, virtus earum rectius in actum deducitur, ventriculus minore moleſtia afficitur, & cibo coctionis complemētum indepto protenus fœlicior ſequitur euacuatio. Vnde cotidiana conſtat experientia pilulas hoc pacto deuoratas, ſeu à cœna ſumptas, etiam ſi minoris efficaciæ fuerint, tū fructuoſius fuſiuſq; operatas, quam vehementiores, & fortes, matutinis horis magna moleſtia, & ventriculi concuſſione ac ſupinitate ingeſtas, idq; propter cauſas allegatas, & ſummum cerebri cum ſtomacho per ramos ſexti paris neruorum conſensū, iuxta quorum continuitatem & rectitudinem, vis eorum, quæ ibidem hærent, recta ſurſum fertur, non aliter, quam ad baculum in camino recte accenſum fumi aſcendāt. Dantur itaq; pilulæ aliquot à cœna horis non incon-

ilulæ a-
etica ſim-
liciores
nte cibum
oſt cibum
cum ci-
o tuto &
ine offen-
one ſu-
untur.

inconuenienter, quod nec coctionem ſic turbent, nec ventriculi tunicas chyli madore adhuc illitas ſincero ſuo acumine feriant, nec humores priuſquam concoctio integre peracta ſit, attrahantur vel affluant. Quæ vero ex *aloe* lenientes componuntur, & quarum illa baſis exſiſtit, ſiue ſint *alephangine*, ſiue *de hiera* ſimplices, aut cum *Rhabarbaro*, vel *agarico*, à cœna tuto ſumuntur, quod *ſuperius, capite* videlicet *de aloe* demonſtratum ſit, illam hac virtute, benignitate, & priuilegio donatam eſſe, vt poſt cibum, ante cibum, & cum cibo non modo innoxie, ſed & vtiliter ſumi poſſit. Quocirca clariſſimus Fernelius, inquit; *vnam aloen cibis interponere nihil nocuerit, cum præſertim in peſtilenti conſtitutione in corpus illam diſtribui volumus, vt humores à putredine vindicet.*

emedia
enigniora
aul. ante
ibū ſum-
a fæliciꝰ
erantur.

Si vero medicamenta benigniora & quæ facile à natura ſuperantur, ſic aſſumas, vt paulo poſt, videlicet vna interpoſita hora ingeratur cibus, experieris, illa pro virium modulo vbertim purgare, quod natura aſſumpto cibo, à digeſtione remedii ad concoctionem alimenti iucundioris auide conuertatur, & purganti pharmaco operationem nō tam inhibeat, quam felicius perficere concedat. Cum ventrem venaſque primas exonerare, & nauſeabundum ſtomachum ſimul confirmare propoſitum eſt, pilulas vſurpabimus ex *aloe* benigniores, quales ſunt *Ruffi maſtichinæ, de aloe lota, de hiera cum agarico, de aloe & Rhabarbaro, de eupatorio, de Rhabarbaro.* Pari ſucceſſu, pilulas leniores, *aloen* pro fundamento habentes, vſurpamus à cœna, quando caput benigniter euacuare, & ſimul confirmare conſilii mi eſt.

Quæ pilulæ
n quos
ſus com-
ode ante
œnam vel
bum den-
ur.

Cerebro itaque ſuperfluitatibus & infirmitate afflicto, cum emolumento dantur à cœna pilulæ *aſſairet, de aloe lota, Cratonis de ſuccino*, & ſimiles in iſtum comparata finem.

Quæ pilulæ tuto & cum fructu à cœno dentur.

Commode deglutiuntur pilulæ ex *ouo ſorbili*, vel cum *pulpa pomorum, prunorum, paſſularum*, aut *affuſo quopiam ſyrupo, vel liquore conuenienti*, aut inuolutæ *pani azymo*, vel *auri folijs obductæ*, pro magnatibus.

Quo pacto commode aſſumi poſſint pilulæ.

Ad conſeruationem virtutis pilularum, vtile eſt, maſſæ, dum componitur, miſcere, quæ glutine quopiam, ne facultas præpropere exhalet, illam muniant, & circumſepiant, aut integram *tragacantho ſoluto*, aliisve illitam veſicæque inuolutam capſulæ ligneæ arcte includere. Areſacta enim maſſa celeriter virtutis deliquium patitur, idque eo citius, quo plura aromata vel extracta ſint miſta.

Aſſeruatio pilularum pro cuſtodienda integritate & virtute earum.

CAP. XXVIII.

Aloe, qua ratione pilularum quarumcunque fere baſin vel corpus conſtituat, & vti ex ea formentur omnium generum catapotia, per aromatum, ſpecierum, aliorumque purgantium adiectionem, vel per eius extractionem, inſuccationem, decoctorum catarcticorum imbibi-

tionem, extractorum mixtionem. Varia pilularum angelicarum paradigmata & compoſitiones proponuntur.

AD omnium pilularum fabricam, paucis duntaxat exceptis, receptam eſſe à ſapientibus *aloen* eamque in pleriſq; baſin ratione virtutis purgatricis aut corporeæ molis conſtituere, in confeſſo eſt. Cauſam allegat Meſue *capite proprio*, quem ſuis verbis loquentem audiemus. *Aloe eſt aliarum medicinarum rectificator bonus. Mixta enim cum aliis, & proprie cum eis, quæ ſolutionem faciunt, diſſoluendo medicinas ipſas rectificat, & nocumenta eorum remouet. Et non ſunt exſpoliandæ à permiſtione eius, cum ipſis. Eſt enim regularis, & rectificans illas: & illud ideo, quoniam ex parte ſubſtantiæ ſuæ opponitur ſubtilitati & acuminiearum, & ex parte ſui effectus eas in ſoluendo iuuat, & ex parte ſuæ proprietatis, quod de ipſarum malitia in membra facile imprimitur, illud remouet.*

Meſue de virtute aloes.

Proinde vti ex *aloe* omnium pilularum primordia, ita & ab eadem etiam pene baſin vel ratione virtutis, aut quod ipſis molem corpoream coagmentet, vires & facultates debitas conſeruet, violentiam coerceat, riteque corrigat, obtinent. Mitiorum genera potiſſimum ex aloe conſtant, illamq; pro baſe plurimum habent. Vehementiores plæræque, etiamſi magnam *aloes* copiam recipiant, aut ſane ſine *aloe* non componantur, tamen, quia efficaciora comprehendunt pharmaca, ab eadem baſin non mutuantur, in quarum ſtructuris ad virtutis conſeruationem, directionẽ & correctionem vel maſſæ ſoliditatem coagmentandam potius facit.

Quomodo aloe pene omnium pilularum baſin conſtituat.

Fiunt autem potiſſima pilularum omnium genera ex *aloe* vel per aromatum, ſpecierum, cæterorumque purgantium, & extractorum appoſitionem, & mixturam, vel per eius eſſentificationem, (parcite manes Ciceroniani) & inſuccationem.

Quarum omnium pilularum genera ex aloe conſtruantur.

Ex ſola aromatum & benignorum purgantium mixtura, ex eiuſdem lotione, extractione ſeu in eſſentiam reductione, & inſuccatione, vtplurimum pilulæ concinnantur benigniores, quales ſunt aromatum aut leniorum pharmacorum appoſitione factæ, quæ de *hiera picra* aut *alephanginæ, de aloe lota, maſtichinæ de Rhabarbaro &c.* nominantur. Ex vehementium purgantium cum *aloe* compoſitione fortiorum pilularum exſurgunt genera.

Ad benignarum aloeticarum claſſem etiam ſpectant illæ, quæ per *aloes* lotionem, eſſentiæ purioris extractionem, & inſuccationem præparatæ, angelicarum nomine celebrantur, & Venetiis, Francofurti, aliiſque celeberrimis Europæ emporiis proſtant, quarum vſum vti complures deprædicarunt, ita multi ſibi ſaluberrimum fuiſſe experti ſunt. De *aloes* præparatione, præſtantia, virtute, natura, & remediis exinde comparatis, vide

vide *lib. 2. huius tract. capite proprio.* De inuentione præparationis illius, ac ſi noua foret, ſibi gloriantur & placent chymici, arbitrantes plane cæcutire illos, qui ſedulo in veteri ſapientiæ ſcriptis euoluendis occupantur.

Braſſauolus Ferrarienſis ex antiquorum monumentis aloes emundationem & nutritionem, quam illi eſſentiæ extractionem & inſuccationem vocant, luculenter oſtendit.

Extractionem & inſuccationē oes non re neoterorum el chymicorum inuentum.

Idem ex antiquitate *in praxi ſua* Platerus *cap. de ventriculi affectibus* aliique perſpicue deducunt & explicant. Lauatur itaque *aloe ſocotrina* (à Socrata inſula ſic dicta) primo, dein extrahitur per infuſionem in conuenienti liquore, eſſentia purior, demum ſuccis aut decoctis conuenientibus imbuitur vel impregnatur. Hic vero initio notandum, quod cum Galenus dicit, *aloen lotam* minus ſubducere ventrem & medicamentariæ virtutis multum deponere, intelligendum ſit de facultate leuiter inteſtinorum ventriculique tunicas extergente, in exteriore parte & recrementis potiſſimum ſita, quod ratione & obſeruatione conſtet, eam in puriorem, ſequeſtratis fæcibus, eſſentiam perductam, minore doſi magis electiue & longe efficacius illota, & recrementis adhuc ſcatente quãuis in triplo data, operari, ſi enim purum ab impuro debite ſecernatur, dimidium maſſæ ad recrementa pene ſecedit, quando itaq; *aloe* ſoluitur in conuenienti liquore, vel ſucco, pars puriſſima ſubtilior, & formalior magis innatat, aut miſcetur menſtruo affuſo, fæce inutili ſubſidente.

Aloes depuratio.

Hoc modo ſoluta & digeſta, eſſentiã tincturamue ſuam deponit, vt per inclinationem cum liquore decantari, effundi & ſeparari poſſit, relictis poſt ſe fæcibus. Affuſum liquorem cum ſepares leui ſuper carbones exhalatione, defæcatam & ſinceram conſequeris *aloes* eſſentiam, ex qua ſi menſtruum, eius quoque correctiuum fuerit, ſola, pilulæ conformari poterunt, vel ſi eam nouis ſuccis aut decoctis imprægnare voles iuxta modum, quem *lib. c. capite de aloe* demonſtraui ad varios affectus & omnia corporis membra eius efficaciam dirigere, aut ex illa ſic præparata plurimorum pharmacorum baſes effigiare potes.

Aloen proinde inſuccatam in pharmacopolio proſtantem ad manus ſemper habere operæ pretium eſt. Talis vero vſu, & multiplici experientia comprobata eſt, quæ huncin modum præparatur.

Optima aloes inſuccatio.

Recipe aloes ſocotrinæ à ſordibus repurgatæ & debite in eſſentiam redactæ quantum velis, hanc imbue ſuccis

violarum,
flor. perſicorum,
prunorum ſylueſtr.
nouellorum germinum fumariæ,
endiuiæ,
flor. geniſtæ ana p. æ.

Vnaquæque horum ſemel imbui debet eo ordine, quo haberi poſſunt. Si vero

aliquot

aliquot ſimul habere licet, tum æqualibus partibus mixtis affundi debent, ea tamen conditione, vt quot ſucci permiſti fuerint, tot fiant inſuccationes.

His omnibus peractis, tandem ſequens infuſio bis vel ter affundatur, iterumque exſiccetur.

℞. *aloes inſuccatæ* ℔ iß.

Aſſeruetur pro ſequenti infuſione imbibenda.

℞. *Turpeth alb. & gummoſi* ℥ ß.
Rhabarb. electi,
agarici trochiſ. ana ℥ ß. ʒ ij.
Fol. ſen. Alexand. mundat. ℥ iß.
radic. ellebor. nig. præp. ℥ ß.
corticum frangulæ ʒ ij.
ſpicæ Indicæ,
cinamomi electi ana ʒ j.
macis ʒ ß.
zinzib. ʒ iß.

Quomodo ex aloe inſuccata conformẽtur exquiſitiſſima purgantia infuſionib. purgantiũ aut extractis adiectis.

Infundantur in ſpiritus vini vel menſtruo tibi oportuno q. ſ. ſtent in infuſione vaſe vitreo, bene cooperto per triduum, poſtea colentur, exprimantur fortiter (ſi purgantiorem deſideras aloes eſſentiam, adde infuſo diagrydii portiunculã) colatura hac bis terve imbuatur aloe, & ad vſum reponatur.

Fiunt itaque ex *aloe inſuccata* ſola pharmaca purgantia, vel additis catarcticorum infuſionibus, cuius exemplum dedimus, vel mixtis extractis *ſenæ, Rhabarbari, agarici, ellebori, diagrydii*, &c. ſi epati accommodare velis, adde *extract. eupatorii, cichorei, Rhabarbari, ſpecier. diatrionſantal. dialaccæ, diacurc. diarrhod.* ſi lieni *ammoniacum, tartarum vitriolatum, mirrham, extract. polypod. centaur. minor. eſſentiam croci, ſal fraxini.* In hunc modum Quercetanus pilulas ſuas catholicas, ſeu panchymagogas, cholagogas, phlegmagogas & melanagogas, quaſq; in *conſilio de arthritide, & calculo, & pro cachectica virgine* præſcripſit, coagmentauit, poteritque prudens Medicus, & dexter artifex pro ingenii ſagacitate, & experientia, tales vel ſimiles pilularum conſtructiones, ſuo inſtituto ſeruientes, ipſe excogitare & componere. Multis commendatur, & experientia ipſa probata eſt vtilitas pilularum *marocoſtinarum* Minde-reri ad hanc amuſſin etiam compoſitarum, quarum, vti & Quercetani paradigmata, cum ab ipſis auctoribus peculiaribus eorũ voluminibus ſunt promulgata, & explicata, huc tranſcribere ſuperſedeo, & Lectorem eo relegatum volo.

Interim exercitii & iuniorũ gratia compoſitionem quãdam pilularum cephalicarum ex *aloe inſuccata* obiter annotabo.

Pilulæ cephalicæ ex aloe inſuccata.

℞. *ſuccor. fœniculi,*
roſarum rubear.
betonicæ,
meliſſæ ana ℔ j.
maioranæ ℔ ß.
aloes ſocotrinæ lucidæ depuratæ, & eſſentificatæ ℥ ix. *ſolue in ſuccis, coque donec ad picis fere conſiſtẽtiam ſit redacta, deinde adde*
Extractor fol. ſenæ ℥ ij. ʒ ij.
Hellebor. nigr. ℥ j.
mechoacæ,

agar.

agar. trohiſc. ana ℥ ß.
pul. ligni aloes reſinoſi,
Garyophyllor. ana ℥ iij.
ſpicæ Indicæ ℥ j.
ol. maioranæ,
nucis muſc. deſtill.
cort. citri,
arantior. ana gutt. x. redigantur in maſſam.

Quo celebriores, eo ſimpliciores fuere pilularum angelicarum Venetis vſitatarum ex *aloe inſuccata* compoſitiones, quarum talis eſt ſtructura.

Pilulæ angelicæ Venetorum.

Recta pilularum angelicarum conformatio & ratio in aloes vera depuratione extractione & inſuccatione conſiſtit.

℞. Aloes ſocotrinæ in pollinem redactæ ℥ vj. laua ter vino albo ita, vt ſingulis vicibus vinum abſumatur, & in ſole viciſſim indureſcat, rurſuſque in puluerem redigi queat, à tertia lotione imbuatur ſuccis infra ſcriptis, ſic, vt ex humectatione ſingulorum in puluerem denuo reduci poſſit, ſucci vero hi ſunt.

Pilulæ Angelicæ Venetorum.

℞. ſuccor. cichorei,
borraginis,
bugloſſi,
lupuli,
fumariæ,
roſarum ana q. ſ. pro imbibitione ſupra dicti pulueris.

Poſt hæc ℞. Rhabarbari electi minutim inciſi ℥ ß. infunde in vini albi aqua endiuiæ & roſarum ana p. æ. ad humectationem ſupradicti pulueris ſtet Rhab. in infuſo per horas viginti quatuor, poſtea exprime fortiter, & cum dicta colatura madefac aloen, vt plene inebrietur & combibat; ſtet poſtea in ſole & agitetur miſceaturque frequenter, dein adde pul.

Agarici trochiſcati ℥ iß.
cinamo acutiſſ.
nucis muſcat. ana ℥ j.

Miſce & fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ, quarum doſis à ℈ j. ad ℈ ij.

Angelicarum paradigmata & vſum, vti communiter proſtant, & ab aliis præcipue à D. Roſenbergero diuulgatæ ſunt, lectoris gratia, porro intexam.

℞. aloes ſocotrinæ ℔ ij.
ſucci borrag.
bugloſſ.
violar. ana ℥ vj.
Roſarum pallidarum ℔ iij.

Omnia probe miſceantur & relinquantur infuſa per viginti quatuor horas in loco calido, poſtea forti expreſſione colatura facta, & igne lento ad ſpiſſitudinem coctæ, adde

ſucci carduibenedicti,
Veronicæ,
chamæpyt.
chamomill. ana ℥ ij.

Miſce, & vlterius coque ad decentem conſiſtentiam fiat ſecundum artem maſſa pilularum.

Secundum paradigma.

Varia Angelicarum pilularum genera.

℞. Aloes ſocotrinæ ℔ ß.
ſuccor borrag.
bugloſſ.
lupulor.
cichorei,
Fumariæ,
Roſarum pallidar. ana ℥ iij.

Bulliant lento igne ad ſuccorum conſum-

ptionem, addendo in fine, quæ ſequuntur.

℞. pul. Rhabarb. ʒ ij.
agarici trochiſc. ʒ iß.
cinamomi ʒ j.
aquæ Endiuiæ ℥ j.
mellis roſati colati ℥ ß.

Rhabarbarum, agaricus & cinamomũ infundantur in aqua endiuiæ & vino albo veteri: facta expreßione forti redigantur in maſſam.

Tertium Paradigma.

℞. aloes ſocotrinæ ℔ j.
ſuccor. borrag.
bugloſſ.
fumariæ,
lupuli ana ℥ vj.
ſuccis inſpiſſatis.
℞. Rhab. electi ℥ ß.
agar. rec. trochiſcati ʒ iij.
cinamomi ʒ j.
aq. Endiuiæ ℥ iij.
cichorei ℥ j.
vini opt. ℥ ij.
mellis roſati colati ℥ j.

Rhabarbarum, agaricus & cinamomum infundantur in aqua endiuiæ & vino ſuprapoſito & fiat extractum.

Quibus affectibus & affectis partibus conducant pilulæ Angelicæ.

Vſus pilularum angelicarum creberrimus & celeberrimus cum primis in ventriculi & meſenterij affectibus, item defluxionibus & dolorib. arthriticis, vnde etiam podagricæ à nonnullis vocantur, prima vtilitas hæc eſt, quod valde conferant ſtomacho, corroborantque & leuiter leniendo purgant bilem & potiſſimum pituitoſam materiam, humores putridos craſſosque ſine nocumento detrimentoue in laxando, ſeu purgando, imo iuuamentum magnũ afferunt in corroborandis inteſtinis, viſcera confirmant, ventriculo robur conciliant & dolores eius diſſipant. 2. Capiti quamplurimum conferunt, imbecillitatem eiusque dolorem auferunt, vertiginoſis auxilium præſtant, & præter purgationem caput corroborant, quemadmodum & ſtomachum & cerebrũ non parum iuuant. 3. eiiciunt craſſam, putridam, pituitoſamque materiam & præſertim ipſam bilem ab inteſtinis ſine vlla moleſtia & tædio, hisque valde proſunt, ſed opus eſt ſingulo die vti his pilulis in medio prandij & cenæ vna tantum, & ſanabitur aſſumens ab omnibus infirmitatibus. 4. Necant ſuffocantque lumbricos tam pueris, quam mulieribus & viris, imo corpora illa, quæ his pilulis vtuntur ſæpe atque ſæpius, vermes non ſuſtentant. Poſſunt aſſumi ad libitum, ſiue mane, ſiue ſero, ſiue quauis hora diei poſt cibum, ante cibum, ſed veſperi in cæna aſſumptæ defendunt caput à vaporibus & fumis illis, qui noctu aſcendunt. Prohibent etiam ne cibus pernicioſe corrũpatur. Aſſumuntur etiam familiariter cum cibo absque moleſtia, vel detrimento, negotiorumue intermiſſione, quotidie tres vel quinque, vel bis in ſeptimana ſeptem vel nouem, vel ter quaterue in menſe, prout neceſſitas, vel corporis intemperies poſtulat. Cito non operantur, & ad effectum perueniunt niſi poſt viginti quatuor horas, & aliquando prius pro diſpoſitione corporis & ſtomachi. Hactenus Roſenbergerus, de pilularum angelicarum natura & vſu.

Proſunt ſtomacho. *Capiti.* *Inteſtinis.* *Necant vermes.* *Vſus & vtendi ratio.*

Cap. XXIX.

Pilularum Alephanginarum

com.

compoſitiones & corrigendi modus, vtilitas & vſus proponuntur, aromatum ingredientium natura, virtusque & quæ ex iis ad varios affectus peculiariter comparentur remedia, explicatur.

HActenus de pilulis, quæ ex *aloe lota, extracta, inſuccata*, ſine vel cum aliorum pharmacorum miſtione componuntur, quarum vſus, ac ſi nouæ & neotericorum inuentionis fuiſſent, magno multorũ deſiderio, paucis retro annis reductus eſt, nunc illarum examen, quæ ex eadem non adeo operoſe, ſed additis aromatib. aliiſque ſimplicibus & pharmacis benignioribus, vel fortioribus, vnde pilulæ mitioris vel intenſioris efficaciæ proficiſcuntur, confectæ, quæq; veterib. magis familiares, & quarum deſcriptiones & compoſitiones in Diſpẽſatoriis & Pharmacopoliis frequentiores ſunt, aggrediemur, initio facto ab iis, quæ ex *aloe* cum ſolis aromatis vel etiam adpoſitis lenioribus purgantibus conflatæ benigniorum claſſem conſtituunt.

Pilulæ de aromatibus ſeu alephanginæ Meſuæ.

℞. *cinamomi,*
cubebarum,
ligni aloes,
calami aromatici,
macis,
nucis muſchatæ,
cardamomi,
Garyophyllorum,
aſari,
maſtiches,
ſchænanti,
ſpicæ Indicæ,
carpobalſami ana ℥j.
abſinthii ſicci,
Roſarum ana ℥v.

Conterantur groſſo modo, & infundãtur in aqua lib. duodecim, coquantur lento igne in duplici vaſe vſq; ad conſumptionem duarum partium, id eſt, remanentiam tertiæ partis, deinde exprimantur fortiter & colentur, in colatura ℔ ij. *diſſolue aloes ſocotrinæ multoties in vitreo vaſe lotæ cum aqua pluuiali, & iterum ſiccatæ,* ℔ j. *agitentur ſimul continue in ſole; deinde addantur pulueres mirrhæ,*
maſtichis ana ℥v.
croci ℥ iij.

Deinde, quod reliquum eſt, colati decocti ex aromatibus etiam affundito & exſiccentur ad Solem, vel in ſtuffa, admiſcendo ſubinde, quod denſatum eſt, liquido & linteo puro vas obducatur aduerſus incidentium muſcarum & ſordium iniurias. Poſtremo reponatur maſſa, & fiant pilulæ paruæ, cum neceſſitas requirit.

Etiamſi non temere in iis, quæ à veteris ſapientiæ proceribus inuenta & poſteritati cõmendata ſunt, quicquam mutandum, tamen, cum ratio & *veritas*, quæ *ſapientiæ anima* eſt, id facere compellet, *ſic erit honoranda antiquitas, ne detrimentum patiatur veritas & publica vtilitas.*

Cum igitur Meſue in ampliore aquæ copia aromata coquenda præſcripſerit, noſtræq; tempeſtatis Me- *Pilularum alephanginarum correctior præparatio.*

dici rite animaduerterent, & recte iudicarent, iſtam aromatum vim, in tenuiore eorundem ſubſtantia hærentem, diuturna coctione magnam partem exſolui & euaneſcere, aromatum dimidium in aquæ feruentis ℔ v. infundunt, lentoque igne coquunt in duplici vaſe arctiſſime clauſo, dein colant, exprimunt, in colatura ſoluunt *aloes* ℔ j. & alteram partem aromatum cum *mirrha*, *maſtiche* & *croco* in minutiſſimum puluerem redactorum, inter coagulandum remiſcent.

Præſtat recipere *aloen ſatis purgatam & in eſſentiam redactam*.

Pilularum Alephanginarum virtus, vtilitas & vſus.

Vere aromatica eſt hæc compoſitio, & naturalis animaliſque facultatis organa potius roborat, quam humores euidenter expurget, & vi ſua ventriculo, cerebro, & ſenſoriis adprime grata diſcutiendo, & conſumendo craſſa, pituitoſa & putrida recrementa, à ſuperfluitibus liberat, naturam confirmat, concoctionemque iuuat.

Pilulæ Alephanginæ Doct. Valerii Cordi.

℞. *mirobal. chebulor.*
citrinorum,
Indorum,
bellericorum,
emblicorum ana ℥ j.
Acori veri,
Galangæ,
Zedoariæ,
Doronici Romani,
Radicularum aſari,
radic. Dictamni noſtrat. ſeu fraxinellæ,
abſinthij,
roſarum ana ʒ iij.

Contundantur omnia craſſiuſcule, & myrobalani per ſe macerentur prius in aquæ clariſſimæ fontanæ ℔ iij. *per horas* xxiiij. *deinde coquantur, donec fere tertia pars aquæ ſit in vaporem reſoluta, poſtea coque, etiam radices & aromata lento igne in duplici vaſe cum aqua clariſſimæ* ℔ vj. *& affunde his ante coctas myrobalanos cum ſuo iuſculo: vltimo, roſas adiiciendo, coque ad tertias: coletur, poſtea valde exprimendo: hinc in colatura diſſolue.*

Aloes optime lotæ ac rurſum exſiccatæ ℔ iij. *ponantur omnia in patina ad Solem, aut in ſtuffam, & agitentur ſæpiſſime, vt concreſcens in margine aloe liquido commiſceatur: cum vero mellis ſpiſſitudinem fuerint conſecuta, tunc adde ſequentium ſpecierum puluerem minutiſſime tritum.*

℞. *Galangæ,*
Cyperi,
Zedoariæ,
Doronici,
ligni aloes,
cinamomi,
ſchœnanti,
Nardi Celticæ radicularum,
Nucis muſchatæ,
macis,
cubebarum,
cardamomi,
Garyophyllor. ana ʒ iij.
maſtiches,
ſuccini ana ʒ vj.
mirrhæ,
croci ana ʒ iiij.

Agitentur optime cum aloe ſpecies & fiat:

ſtarmaſſaetnm diligentia.

Cinamomum calidum tertio, & ſiccum ſecundo ordine, admodum tenuium eſt partium, ita tamen, vt à calorifica penetratione adſtrictionem & corroborationem ventriculo inteſtinis, cerebro, neruis, partibusque frigidioribus conciliet, pituitam incidat, digerat, viſcera & animalis curſus vias aperiat, putredines abſorbeat, quo fit, vt cardiacis affectibus & in ſyncope & tremore cordis proſit, venenis reſiſtat, nauſeam vomitusq; componat, coctionem iuuet, appetentiam cieat, anhelitum commendet, vterinis malis conducat, menſes moueat, in vniuerſum ſpiritus recreet.

An vero cinamomo deſtituamur.

Matthiolus nos vero veterũ *cinamomo*, vti & *balſamo* deſtitui, & huius loco caſſiam vſurpare arbitratur, cum tamen in rerum ſpeciebus naturam nec defeciſſe, nec vnquam deficere conſtans ſit ſapientium ſententia. Proinde Carolus Cluſius, & Garcias ab orto, teſtes oculati, docent, *cinamomum* idem eſſe, cum *caſſia vera*, & eiuſdem arboris, in India orientali, oleam magnitudine exæquantis, corticem interiorem & teneriorem, qui à trunco ſeparatus initio nullum fundat odorem, ſed ſole ſiccatus & cum tempore in fiſtulæ formam contractus, aromaticam vim exſerat & ſpiret, eiuſdem arboris corticem craſſiorem eſſe *xylocaſsiam* ſeu *pſeudocinamomum* Dioſcoridis, quod & vnius eſſe generis cum *macere* veterum aut certe admodum cognatum iidem perhibent.

Cinamomum idem eſſe cum caſſia vera.

Macer veterum eſt xylocaſſia Dioſcoridis.

Lignum aloes quod & *agallochum*, & *xyloaloe* & Auicennæ *agologen*, eſt ab arbore oleæ ſimili, quam ferunt recens diſſectam, nulla odoris fragrantia gratam, nec niſi ſiccatam fieri ſuaueolentem, quamobrem annuo in terram defodiatur ſpacio, vt ligno inuiolato cortex putreſcat. Hoc præfertur, quod multum nigricans cinereis interlitum eſt venis, ponderoſum, pingui humore prægnans, cuius melioris nota ſit, multum, quando accenditur, exſudare humoris.

Calidum & ſiccum eſt in gradu ſecundo, odoratum, adſtringens, & ſubamarum, omnia viſcera firmat, ſed peculiariter cerebrum, tum manſum, tum ſuffitum, idque eximie ſiccat & roborat. Ad cardiacos affectus, lipothymiam, frigidaque cordis vitia, vtiliter adhibetur, ventriculum refrigeratum roborat, concoctioně iuuat, putredinem ſummouet, ſuperfluos humores abſorbet, flatus diſcutit. Dragmæ pondere hauſtum languidum ex humore ventriculum cõfirmat, iecinoroſis, dyſentericisq; & pleuriticis opitulatur. Crato *extractum xyloaloes* in affectibus ventriculi frigidioribus admodum commendat.

Extractum ligni aloes ventriculo potiſſimum confert.

Calamus aromaticus verus, qui planta arundinacea eſt, & in India ſola prouenit, raro ad nos defertur, eumque rarenter mihi contemplari licuit. Officinæ *acorum verum*, qui nũc apud nos copioſe colitur in hortis & falſo

Oxymel ex acoro ad lienes induratos.

Extractum & ſyrupus acori veri ad vitia pectoris.

illis calamus aromaticus nuncupatur, eius loco ſubſtituunt. *Acorus verus* calfacit & ſiccat ordine tertio, penetrantioris, quam calamus, eſt virtutis, vrinas promouet, ſtranguriam ſedat, lienes induratos iuuat, ad quos releuandum *oxymel acoratum* à Matthiolo *capite de acoro* deſcribitur. Eius extractum & ſyrupus vna cum ſucco & *ſemine ocymi* atque *croco* plurimum conducunt morbis pectoris frigidioribus, ventriculum roborat, viſcera aperit, pituitam & flatus digerit, anhelitum commendat.

Cubebæ, quæ ad nos ex India Iaoa, aliiſque adferuntur regionibus, & in communi ſunt vſu, non conueniunt cum Arabum *cubebis*, neque ſunt *carpeſium*, ſed fructus plãtæ ſmilacis fruticibus ſimilis, hederæ in morem ſeſe arboribus circumuoluentis & racematim grana longis pediculis cohærentia ferentis. Frequens illarum apud Indos eſt vſus, qui vino maceratas ad venerem excitandã ſumunt, tantoq; ſunt in pretio, vt priuſquam merces extrudunt, decoquant, ne alibi proſati ſuccreſcant, vt ſcribit Garcias.

Cubebæ menſes & ſecundas peculiariter exigũt.

Calfaciunt & ſiccant ordine tertio, languentem ex pituita vel flatu ventriculum roborant, pectus à lentis craſſiſq; humoribus purgant, lienem iuuant, flatus diſſipant, frigidis vteri affectibus medentur, menſes & ſecundas pellunt, venerem ſtimulant, cerebrum neruoſque adprime roborant, epilepticis conueniunt & ſoporiferis cerebri affectibus detentos iuuant, cum maſtiche maſticatæ pituitam à capite trahunt, & ſpiritus cerebri recreant.

Nux muſchata ſeu *myriſtica* & *vnguentaria*, propter odoris fragrantiam *moſchocaryon*, & *moſchocarydion*, & *carydion aromaticum* nuncupata, eſt fructus arboris inſtar perſicæ, in Inſula Banda vel Bantam, triplici tecta inuolucro, quorum extremum inſtar eius, quod iuglandis nucem tegit, craſſum eſt, quo maturis nucibus dehiſcente, in conſpectum venit alterum ſeu mediũ reticulari forma proximum corticem complectens, *macis* dicitur. Hæc primum rubicunda eſt, deinde ſenſim flaueſcit; proximum nucleo inuolucrũ ſeu lignoſum corticem arctiſſime inuoluit & ambit, eaque detracta, putamen durius, noſtra tamen iuglandis cortice tenuius, integre apparet. Hoc effracto, prodit nucleus, quem *nucem myriſticam* ſeu *muſchatam* vulgo vocant. Eligitur ad vſum recens, non carioſa, ponderoſa, & pingui ac oleoſo redundans humore, ita, vt acu puncta è vulnuſculo liquorem emittat. *Nux myriſtica* calida & ſicca eſt ordine ſecundo, adſtrictione pollet non exigua, ad ventriculi, iecoris, vteri, cerebri & neruorum affectus frigidos adprime cõuenit. Cerebrum, neruos, & ventriculum vehementer roborat, atoniam corrigit, coctionem iuuat, flatus diſcutit, vomitus & ſingultus ſiſtit; Naribus indita odore & ſubſtãtia cerebri, mentis

mentis, ſenſuumque vires auget, linguæ ſuppoſita frigidis capitis affectibus ſuccurrit; anhelitum commendat, & omnia interiora roborat. Sunt, qui ſumopere cõmendent ad affectus matricis, veſicæ & renũ. Vtiliter ventriculi, coli & inteſtinorum ſæuientibus doloribus ſequens exhibetur:

ventri- coli & ...ſtinorũ ...rem ...ue re- ...um.

℞. *pul. nuc. muſcat.* ℥ ij.

Rhodomellis ℥ vj.

aquæ vitæ ℥ j.

Fiat decoctio ad conſumptionem aquæ vitæ, dentur quotidie mane tria cochlearia.

flatuo- ...teri ...iatus.

Ad flatuoſos vteri cruciatus *coquitur vna nux craſſiuſcule tuſa cum radicibus matricariæ ex ſenis vnciis vini albi, colaturæ additis ſacchari dragmis duabus propinatur.* Lienem abſumit, epar roborat, viſum acuit. Si puluis eius cum *baccis lauri* è vino hauriatur, ſtrãguriam abigit, torrefacta & cum vino rubello ſumpta, alui fluxioni medetur, quo fine ab Arabibus miſcetur opiatis. In *oleo amygdalarum dulcium* macerata, arenas calculoſque renum & veſicæ abigit. Ex recentibus calfactis exprimitur liquor, qui refrigeratus ceræ nouæ inſtar concreſcit, neruorum articulorumque diuturnis ex cauſa frigida natis doloribus remedium vtiliſſimum, ad Venereas quinetiam inunctiones ſummopere expetitum. Ventriculo illitus refrigeratum calefacit, pituitam flatuſque digerit.

ſtran- ...am. *alui ...* *alcu- ...pare-*

Oleum nucis muſcatæ deſtillatum ad ea omnia eſt efficacius, cuius quatuor vel quinque guttulæ cum *vino maluatico* ſumptæ & exterius vmbilico illitæ mirifice proſunt dolori colico & ſtranguriæ. Exterius illitum lentigines faciei emendat.

Oleum nucis muſcatæ deſtillatum cum maluatico ad colicam.

Macis in principio tertii gradus fertur calida & ſicca, & quoniam acrior tenuioriſque ſit ſubſtantiæ, & minus particeps adſtrictionis, ad omnia illa, quibus conducit *nux muſchata* efficacior eſſe prædicatur, vti etiam eius *oleum* tam expreſſum, quam deſtillatum.

Extimum operimentum *nucis muſchatæ ſaccharo conditum*, odorum & grati ſaporis eſt, & ad morbos cerebri, vteri & neruorum commendatur. *Nucem myriſticam* veteribus fuiſſe incognitam quidam arbitrantur, quidam ad Galeni chryſobal. num referunt.

Cardamomum, quale deſcribunt veteres, an nos habeamus & vſurpemus, dubitant multi, prorſus negat Garcias.

Matthiolus tria proponit genera, maius, medium & minus. Maius grana paradyſi vocant, minore Medici & officinæ vulgo vtuntur pro vero *Cardamomo*, quod veterum deſignationi per omnia veriſimiliter conueniat. Dicitur *cardamomum*, quaſi ſuaue naſturtium, ad tertium caloris & ſiccitatis gradum conſcendit; Tuſſiculoſis, iſchiadicis, paralyſi & neruorum partiumque contuſione laborantibus, caducis, vertigini & deliquio obnoxiis, palpitatione cordis

affectis

affectis opitulatur. Calorem natiuum refocillat, ſtomachum roborat, coctionē iuuat, flatus diſcutit, ſtranguriam dyſuriamque abigit, colicos cruciatus mitigat, vermes pellit, & dragmæ pondere cum *radicis lauri corticę* ſumptum frangit & exturbat calculum. E vino potum venenatorum animalium ictibus & morſui medetur.

Ad colicam diritatem & calculū.

Garyophylli ſunt fructus arboris cuiuſdam in Moluccis inſulis forma & magnitudine laurum repræſentantis, multis illa eſt ramis prædita, copioſo flore, primum candido, deinde vireſcente, poſtremo rubeſcente, qui induratus *Garyophyllum* conſtituit, cui à forma claui, nomen (Negelken) Germani indidere. Ante iuſtam maturitatem arboribus decuſſi ſiccatiq; teneriores manent, & tales plerumq; ad nos deuehuntur, qui in arboribus vltimam maturitatem adipiſcuntur cæteros magnitudine ſuperant, & officinis anthophylli (vulgo Mutter-Negelken) nominantur.

In tertio calidi & ſicci ordine feruntur, & ſunt acres, odorati, ſubamari, non ſine leuicula adſtrictione, proinde aperiunt, attenuant, incidūt, digerunt, ſimulque roborant, aſſumpti cum cibis, iecoris cordis & capitis affectibus auxiliantur, odoratu cerebrum roborant, ſiccant, frigidos eius affectus ſanant, mentem erigunt, memoriam firmant, cardiacos affectus & ſyncopen tollunt, cordis ſpiritus reſarciunt, viſcera roborant, ventriculi calorem roburq; ſuſcitāt, coctionem perficiunt, cardialgiam, nauſeam, doloresque ex cruditate & flatuum copia ſubortos tollunt, ſumpti admotique menſes cohibent, vterum conceptumque roborant. Puluis ex *malorum cydoniorum ſucco* hauſtus, vomitiones cohibet, cœliacos iuuat, nauſeam remouet, cibi appetentiam reuocat, caput & ventriculum firmat. Proinde vtiliter hydropicis anaſarca laborantibus propinatur. Conferunt præterea comitialibus, reſolutis conuulſis, ſtupidis, veternoſis. Hauſti quatuor dragmarum pondere (puto ſcrupulorum, nimia quippe iſta doſis naturæ noxia foret) inquit Matthiolus, ex bubalo caprilloue tacte venerem excitant. Adduntur antidotis & ſuccis, qui ventriculo & capiti roborando parantur.

Ad vomitum, cœliacos, nauſeam

Anaſarcam

Paralyſin

Venerem

Torrefacti cohibent alui fluores, Illinuntur quoque perquam vtiliter cum *maſtiche, Rhoe, corallis & punici floribus* ad ventriculi morbos quibus adſtrictione opus eſt. Tam deuorati, quam ſuffiti valent aduerſus peſtilentem cōtagionem, ſuffiuntur præterea vtiliter capitis fluxione obnoxiis & narium obſtructione laborantibus, puluis ad fluxiones & dolores capitis cum *roſis rubris, ſuccino, maſtiche & thure* vtiliter inſpergitur bregmati. Oculorum aciem exacuunt, & caligines tollunt, ex iiſdem præparatur collyrium ad nubeculas & viſus obſcuritatem præſtantiſſimum, *oleum deſtil-*

Ad alui fluxum

Contag

Oleum deſtill. ad narium dolorem.

deſtillatum cum modico bombacis denti applicatum componit dolorem.

Schœnanthum, quaſi *flos iunci* ſeu *iuncus odoratus*, officinis *ſquinanthum*, in Arabia potiſſimum prouenit, optimus eſt Nabathæus, rufus, linguam acrimonia mordicans, quiq; fricatus manibus roſæ emittat odorem. Vſurpatur floribus, culmis, & radice, atq; his ipſis potiſſimum, cum flore deſtituimur. Modice calet, & tenuium eſt partium, proinde digerit & non nihil repellit, ventriculum iecurque roborat, ſanguinem ſcreantibus auxiliatur. Diuretica facultate etiam præſtat, menſes pellit, inflationes diſcutit, attenuat, coquit, venarum ſpiracula laxat, quamuis modicæ adſtrictionis ſit particeps, qua ſanguinem reiicientib. proſit. Interim caput nõnihil grauat. Radix cum *pipere* ana ʒ j. pondere data, nauſeabundis, hydropicis, conuulſis per dies aliquot exhibita, mirifice opitulatur.

Ad hydropem & conuulſionem.

Galenus *lib.* 8. *de ſimplic. facultat.* ait, Schœnantum modice calfacere, moderate adſtringere, & tenuitatis ſimul eſſe particeps, vt vrinam moueat, menſeſq; cieat, hauſtum ſiue fomentatione adhibitum, prodeſſe iecoris & ventriculi inflationibus, radicem magis adſtringere, florem plus calfacere, in partibus vero totius aliis atque aliis magis adparere adſtrictionem, vnde hæmoptoicis vtiliter remediis miſcetur.

Menſes ciet.

Spicæ ſeu *nardi* quatuor potiſſimum celebrantur genera, videlicet Indica, Syriaca, Celtica, quæ etiam ſaliuncæ nomine effertur, & noſtras, quæ lauendula & pſeudonardus aliquibus nominatur. Tenendum vero, cum non exprimitur genus, nominata *ſpica*, vel *Nardo*, ſemper *Indicam* eſſe intelligendam. Eam non *ſpicam*, ſed *radicẽ* eſſe, Matthiolus & Garcias cõtendunt. Iuxta Galenum *lib.* 8. *de ſimplic. facultat.* exceſſu primo calet, & in fine ſecundi ſicca eſt, compoſita ex ſatis adſtringente, & modice acri, calidaque ſubſtantia, leuiter amaricante Iecur, ſtomachum que roborat, pota vel impoſita, frigidos affect⁹ coquit, ſtomachi roſionib. & inflationibus, morbo regio, epatis, & renum vitiis medetur, vrinam ciet, fluxiones in capite, thorace, ventre & inteſtinis deſiccat. Id peculiare habet, quod humores è capite in pectus fauceſq; delabentes ſumpta, vel etiam ore detenta formali quadam proprietate & vi cohibeat.

Formali proprietate fluxiones in pectus decumbentes ſiſtit.

Pſeudonardus ſeu *lauendula*, calet, ſiccatque initio ordinis tertii, aperit, attenuat, reſoluit, coquit, omnibus ex frigido ęgritudinibus cerebri conuenit, velut apoplecticis, veternoſis, conuulſis, reſolutis, ventriculum roborat, iecoris, lieniſque obſtructiones expedit, proinde icterum cum *marrubio, cinamomo, fœniculo* & *aſparago* ſanat, menſes, vrinaſque ciet, vterum calefacit. *Flores* ferue facti vrinam pellunt, flatus ſoluunt, ex his *oleum de ſpica* paratur. Cardiacos aqua deſtil-

Ad icterũ menſes & vrinas prouocandas.

Ad morbos vteri cardiacos, & aphonos.

deſtillata & perditam loquelam reducit, *Flores* ſunt veſtium, balſami, ſi iungatur *botriis.*

Balſami hiſtoria.

Balſamum verum, cuius arboris fructus *carpobalſamum*, liquor *opobalſamum*, & lignum *xylobalſamum* dicta, in vſu fuit veteribus: quo cum nos deſtituamur, alio recentiorum vtendum, vel eius loco aliud æquipollens ſubſtituendum. Iis, quæ in Paleſtinæ Hierichunte, quo à Sabæorum Regina deportata, & Salomoni, vti fertur, donata, prouenieebant, & in Ægypti locis quibuſdam amœnioribus fruticabant, exſtirpatis & deletis, tanta huius pretioſiſſimæ arboris cœpimus laborare penuria, vt in ſolis Regum Imperatorumque barbarorum & Mahometanorum viridariis, oſtentationis gratia, paucæ hincinde ſuſtenentur, & viſuntur propagines.

Opobalſami paucas vncias Solymannus Turcarum Tyrannus, dono olim miſit Iſabellæ Pannonum reginæ; Idem quoque à Turcico Imperatore, donatum Ferdinando primo, Matthiolus & à Baſſa quodam Reipub. Venetæ oblatum ſcribit Melichius. Deſtituta igitur maiorum & noſtra ætas pretioſiſſimo & vtiliſſimo hoc remedio, aliud eius in locum ſurrogare coacta fuit. Maiores loco *opobalſami*, qui fuit liquor oleoſus, ex ramis vulneratis arboris balſamicæ profluens, ſurrogarunt *ſtacten*, rectius vero alii *genuinum Terebinthi liquorem limpidiſſimum*, quod iuxta Lobbelium

Quid fuerit opobalſamum.

alioſque rei Medicæ triumuiros, viribus *opobalſamo* conuenientius reſpondeat, quam quippiam aliud. Alii *oleum Garyophyllorum*, vel *nucis muſcatæ*, aut *ſtyracinum ſtillaticium*, quorum illud calore excellẽtius eſt, ſupponunt. Pro *carpobalſamo*, quod fructus ſeu ſemen arboris eſt *cubebas* ſubſtituunt.

Opobalſami ſuccedanea.

Xylobalſami antiballomenon xyloaloen, aut æquales portiones *maceris*, *cyperi* vel *grana iuniperi* ſtatuunt.

Neoterici loco balſami de Palæſtina & veterum, adferunt noua artificialia vel naturalia. Artificialium confectiones vide apud auctores hinc inde quamplurimas. Naturalia ex India occidentali & Peruuia potiſſima & probatiſſima adferuntur, quę grauiſſimorum virorum iudicio, & experientia, veterum balſamo reſpõdentia, eius defectum rite compenſent & merito ſubſtituantur. Vulnera quippe ſolo illitu paucis perſanant diebus, tam in neruis & neruoſis, quam carnulentis partibus omnes à frigore frigidiſque cauſis dolores facile mitigant. Tumores œdematoſos diſcutiunt, & neruorum tendinumque ex frigidis cauſis ægrimonias, ſpaſmum, conuulſiones, contracturas, contuſiones, paralyſin, & reſolutiones ſanant, dolores iſchiadicos & arthriticos mirifice alleuant, matricem emundant & fæcunditatem conciliant peſſario ſubdita, pubi illita remorantes vrinas propellunt, lumbis applicata nephritidem ſanant,

Balſama Indica & Peruuiana neotericorum.

Vires Indicorum Balſamorum.

Ad paralyſin, contracturas.

Ad ventriculi affectus, colicos dolores.

vrinas remorantes, vteri mala.

ſtant, ventriculo affricata concoctionem iuuant, flatus pellunt, vmbilico calide admota ſuperpoſito linteo madefacto vini ſpiritu colicæ cruciatus à flatibus ſoluunt. Ad ventris, lienisque dolores præſentaneo ſunt remedio, temporibus peruncta cephalalgiam mitigant.

Aſthmaticos iuuant.

Sumpta ventriculi atoniam dolo- remque corrigunt, epar iuuant, eiuſque obſtructiones aperiunt, aſthmaticos & tabidos pulmonum illuuiem abſtergendo, educendo, eorumq; ſubſtantiam roborando & conſolidando adprime iuuant, veſicæ dolores ſopiunt, ſpinæ ſemihorio ante febrilem acceſſum illitæ & guttæ inſuper quinque vel ſex cum liquore conuenienti ſimul exhibitæ febres inueteratas tollunt.

Ad febres nueteratas.

Mirrha Arabicæ arboris lacruma eſt, vulnerato cortice profluens; at quæ cortice non ſciſſo, ſed hiantibus poris ſponte tranſudat, ſtacten vocant, & efficaciorem ſuauioremque prædicant. In ſecundo calfacientium & ſiccantium fertur ordine, amaritudine participat non exigua, qua fœtum lumbricosque enecare potis eſt, ex hac quoque potentia quadam abſtergendi valet, quæ tamen adeo moderata eſt, vt arteriacis remediis miſta, arteriam non exaſperet, ſed ad tuſſim veterem, aſthma, orthopnæã, laterum pectorisque dolores fabæ magnitudine deuorata vehementer conducat.

Ad lumbricos.

Ad tuſſim, orthopnæã, laterum pectoriſque dolores.

Stacte ſubſtantiæ tenuis & valde detergentis, vuluam emollit, præcluſam aperit, menſes & partum celeriter extrahit.

Menſes prouocat.

Mirrha dragmæ vnius pondere cũ vino Cretico hora vna ante paroxyſmum hauſta, ad ſudorem ſe componente ægro quartanam ſanat, maxime ſi ipſa durante, acceſſione ter eandem potionem vſurpet. Ex eadem cum *theriaca*, & *ariſtolochia* formantur pilulæ, quæ ante acceſſionem quartanarii paroxyſmi, vtiliter deuorantur, recte miſcetur antidotis, quæ ad venena & contagia peſtifera & venenoſorum animalium ictus parantur. Dioſcorides in alui profluuio & dyſenteria etiam fabæ magnitudine deuoratam commendat. Obtuſam vocem expedit, ginginas & dẽtes cum *vino* colluta firmat, capitis vulnera glutinat, medetur oſſib. nudatis, peruncta cum *cochleæ carnibus*, purulentas aures ſanat, defluentes capillos cum *ladano* & *vino myrteo* illita firmat. Suffitu cerebrum recreat, ſuperuacuos humores abſtergit, & abſorbet, impetigines ex *aceto* purgat, ad oculorum vlcera & craſſas cicatrices, albugines & caliginem valet. *Oleum*, quod ex *mirrha, oui albumini* indurato incluſa paratur, cicatrices & faciei rugas delet. *Mirrha* vti in hac compoſitione præſcribitur ſemper eſt medicamentis miſcenda, cum ab igne tolluntur; coqui enim non ſuſtinet, quod neque *aloe* neque *thus* perferunt.

Ad quartanam.

Pilulæ Ad Quartanam,

Ad dyſenteriam.

Ad vulnera capitis & oſſa nudata.

Maſtiche eſt reſina arboris lentiſci, præ-

Maſtiche.

præfertur chia, calet & ſiccat ordine ſecundo, parum adſtringit, neque acrimonia participat. Commendatur potiſſimum ad ſtomachi & ventri uli affectus ; ſumpta vel admota doloresillius ſedat, nauſeam & cibi faſtidium tollit, retinendi potentiam & coctionem iuuat. Tres grumi ſi deuorentur cubitum ituro, ventriculi dolorem tollunt, faciuntque, ne poſtea ſentiatur. Iuxta Dioſcoridem, prodeſt hæmoptoicis, & tuſſi veteri affectis, in linctu cum ſyrupo conuenienti. Purgantium quinetiam acrimoniam frangit, deſtillationes arcet & abſumit, exhalationes reprimit, vomitiones ſiſtit. Vapore ſuo tenues capitis fluxiones incraſſat & cohibet, deuorata cerebrum tenuibus deſtillationibus impeditum tuetur & firmat, præſertim in febribus, & vbi ex inferiorũ ſympathia epilepſiæ, ſcotomiæ & vertigines oriuntur. Maſticata leuiter ex faucibus & cerebro pituitam prolicit, gingiuas à putridis humoribus purgat, dentes mobiles confirmat ipſoſq; dealbat.

Ad ventriculi dolorem.

Ad deſtillationes & capitis fluxiones.

Crocum vel crocus optimus è Coryceo Siciliæ monte ad nos defertur, quamuis, qui in Germania nunc paſſim colitur, viribus iſti parum cedat. Eſt autem calidus in ſecundo, & ſiccus in primo ordine, particeps modicæ adſtrictionis.

Etſi itaque terreæ ſubſtantiæ nonnihil miſtum ſit, tamen calor in ſubtili penetrabilique eſſentia prædominatur. Galenus *lib. 7. de ſimplic. facultat.* ait, crocum habere vim coquendi, adiuuante ſcilicet in hoc pauca illa adſtrictione. Quippe quibus medicamentis, cum non admodum excalfaciant, paucula adeſt adſtrictio, ea parem facultatem habent eſſentiis emplaſticis, quas cum iunctas eſſe caliditati non vehementi contigerit, concoquentes eſſe, neceſſum eſt.

Crocum capiti, cerebro, cordi, ſtomacho, iecori, lieni, veſicæ, vtero, ſpiritibus tam vitalibus, quam animalibus & naturalibus conducere non obſcura Medicorum ſententia & experientia eſt.

Croci vires.

Capiti prodeſſe & nocere pariter aſſeritur. Galenus *lib. 2. de comp. ſit medic. ſecund. loca,* & paſſim in ſcriptis ſuis aſſerit, crocum odore ſuo ferire cerebrum, tentare mentem, & caput ſubito replere.

Quomodo igitur, & quibus noceat, vel proſit, videndum. Quipropter ſubtiliorem rarioremque membranarum & cerebri texturam, & euæſtheſiam, cum caliditate iunctam, capitis paſſionibus obnoxii, & picrocholi, & quorum igniculati ſunt ſpiritus, hi aromatum pene omnium, & in primis croci halitum fragrantiamque impune non tolerant: vti enim frigidos torpenteſque ſpiritus excitat, reficit, pituitoſos vapores & humores diſcutit, cerebrum temperato calore roborat, & lethargicis ſoporiferiſque & frigidis affectibus mirifice opitulatur, ita ſpiritus igneos, tenues nimiumque mobiles maio-

ri ala-

ri alacritate incitat, vt concitatiore motu & tenuitate debilitentur concidantque; quæ cauſa eſt, quod & lethalis poſſit eſſe *crocus*, nimirum ſi nimia quantitate ſumatur, ita, vt ad viam ſpiritibus vehementer laxando, eos confertim diſſipet. Vide Scalig. *in ſubtil. exercit.* 33.

Quomodo vero iuxta Dioſcoridem ebrietati reſiſtat, ſi cum vino bibatur, ſatis aſſequi nequeo, ſit fides penes bibones. *Crocum* ſemper ſurſum tendere ſuæ eſſentiæ ſubtilitate & aromaticitate nemo inficiatur, proinde vapores vini vel cereuiſiæ, quibus caput impletur, vberiores, quam diſcutere poſſit, eo deferre, atque hoc ipſo ebrietatem procliuius conciliare, veriſimile magis foret, quæ etiam ratio eſt, quod facili ſua anathimiaſi & repletione capitis ſit ſoporiferus. Poëtæ fabulantur, *croco* ſuffultum caput indormiſſe Paridem in monte Ida, cum iudicium formæ diuarum trigæ, & cui Erydos debeatur pomum, dicere compulſus ſit.

Croci vires. Qui vero cerebri neruorumque affectibus obnoxii ſunt frigidioribus, iis maxime confert *crocus*, memoriam fulcit, ſenſus erigit, cordi roborando eiuſque ſpiritib. reficiendis & ſerenandis mirifice conducit, adeo, vt etiam arteriis appoſitus, virtutem cordi confeſtim communicet. Proinde contra venenorum peſtiſq; contagia illud tuetur. Vnde extat *electuarium de ouo & croco* imperatoris. Animi deliquio periclitantibus *extractū croci* cum *vino generoſo* exhibitum, ſpiritus vireſque ſubito recreat, reparat, fulcitq;, quod & extrinſecus cum *caphura* pulſui & regioni cordis admotum præſtat. Stomachum roborat, calorem natiuum cōcoctionemque iuuat. Pulmonibus, adeo conuenit, vt Cardano, *in conſiliis*, anima eorundem nominetur, quo ſe multos anhelo ſos curaſſe gloriatur. *Crocus anima pulmonum.*

Camerarius in *horto medico* aſſerit, ſeſquiſcrupulo *croci*, cum dimidio *moſchi* grano, ex *vino* calefacto propinato, aſthmaticos percuratos eſſe. In catarrhis ſuffocatiuis, & orthopnoicis præſentaneam ſæpe opem tulit. Cardanus *lib.* 18. *de ſubtil.* notat, optimum in hanc rem ex croco remedium. *Ad catarrhos ſuffocatiuos & morbos pectorales ſecretum ex croco.*

℞. *ſucci ocymi* ℥ ß.
croci ℈ j.

alii addunt *moſchi gr.* j.

Dodoneus teſtatur, phthiſicos, quibus iam ſupremus in labris errabat ſpiritus, aſſumpto *croci* ſemiſcrupulo ex *vino maluatico*, adeo corde, pulmonibus & ſpiritu refocillatos, vt ad aliquot dies vitæ vſuram vindicarint. Materiam in pulmonibus contentam maturat, coquit, expectorationi promptiorem facit, & vias arteriasque aperit, vt etiam pleuriticis vtiliter detur. *Ad omnia pulmonum mala conducit crocus.*

Iecoris obſtructiones amolitur, & ictéritiam, cuius characterem fertur oſtendere, perſanat, vrinam exigit, venerem irritat, menſes promouet, laborioſe parturientib. mirifice opitulatur, ſpiritus viresq; reficiendo, & *Ad iecoris obſtructiones, menſes remoratos, ictericiam, partum difficilem.*

 fœtum

fœtum impellendo, adeo, vt viſus ſit flauedine vniuerſim tinctus prodire. Commodiſſime hic exhibetur *croci extractum* cum liquore conuenienti quod & lienoſis & melancholicis perbelle conducere doctorum ſentẽtia eſt. Atros enim & terreſtres ſpiritus ſerenat, humorem fœculentum & craſſum attenuat demulcetque, quo nomine ſyrupo Regis Saporis miſcetur, radix vrinam valde promouit.

Crocus cum lacte muliebri vel *aqua roſacea* illitus oculorum circumferentiæ, irruptionem in hæc loca variolarum & morbillorum arcet, vtiliter miſcetur remediis diſcutientibus, emollientibus, maturantibus, vuluæ & ſphincteris affectibus conducit, cum *roſis* tritus & *oui vitello* miſtus, oculorum dolores mitigat, *oleum croci* aſſumit Meſue ad confectionem *emplaſtri de ranis* & proſtat ex eodem *oxycroceum*.

Aſari & abſinthij examen vide *præcedenti libro*.

Vires aromaticarũ, ſeu alephãginarum pilularum.

Ex vniuerſa ſimplicium, quæ aromaticarum pilularum maſſam conſtruunt, diſcuſſione facile liquet, eas magis roborare, quam purgare, omnia ſenſuum organa conſeruant, rationem acuunt, ſpiritus totius corporis viuificant, calorem natiuum augent, cor ſummopere confirmant, ventriculum, inteſtina, iecur, veſicam vterumque roborant, humores ſuperfluos & putrilagines abſorbent & conſumunt, obſtructiones aperiunt, naturales effluxus promouent; viasque apertas & emiſſaria in vigore tuentur, ab omnis generis affectibus præter naturam corpus præſeruant, contra venena & aeris infectiones inſtar ſingularis antidoti naturam muniunt. Cæteris acutioribus & vehementioris efficaciæ pilulis ad corrigendum rite miſcentur.

Cap. XXX.

Pilular. Ruffi compoſitio explicatio, vires & doſis traduntur.

PRogredimur nunc ad pilulas, quæ paulo vlterius vim purgantem extendunt, & ventriculum primasque vias, vel vltra primam corporis regionem proſpiciunt & vacuant.

Aloe quidem *roſata* (de qua *ſupra*) ſeu *ſucco roſarum nutrita*, & *cum vino in pilulas conformata*, ſimplex conſtituit remedium è ventriculo & primis viis, bilem putridamque colluuiem euacuans, cuius vſu etiam frequentiore epar non lædatur. Doſis ad ʒ iß, Cæteræ magis ſunt compoſitæ & vel ſolum ventriculum, vel caput eparq; vna reſpiciunt, & tamen omnes ſumma agendi benignitate ſunt præditæ. In horum cenſum referuntur primo *pilulæ peſtilentiales Ruffi, aſſarireth, de Hiera ſimplici Galeni, & Rhaſis, de Hiera cum agarico, de aloe lota, & maſtiche, de Rhab. de eupatorio.*

Mitiorũ pilularũ genera.

Pilulæ

Pilulæ Ruffi ſeu peſtilentiales vulgo communes dictæ.

℞ *aloes ſocotrinæ* ℥ ij.
mirrhæ,
crocianæ ℥ j.

Cum vino maluatico, vel, quod conuenientius, cum ſyrupo de abſinthio vel ſcordio fiat maſſa, in pilulas porro redigenda.

De harum inuentore potius, quam vtilitate & dextre vſurpandi modo aliqui ſcriptores ſunt ſolliciti. Ruffo earum inuentionem acceptam ferre nolunt, eo ducti argumento, quod ille ex *aloës, & ammoniaci thymiatis partibus duabus, & mirrhæ vna in vino aromatico ſolutis*, non pilulas, ſed potionem præſcripſerit, quam qui graſſante peſtilenti contagio fideliter vſurparunt, ad vnum omnes ab infectione immunes ſuperarint. Quicquid ſit, hoc negari non poteſt, ipſum prima huius præſtantiſſimæ compoſitionis fundamenta ieciſſe, vt maxime ipſi gloria redigendi in formam pilularem denegetur. In ingredientium pondere admodum variant auctores Meſue omnium partes æquales, Cordo *aloes* ℥ ij.

mirrhæ ℥ j.
croci ℥ ß.

…edicamē-tum Ruffi …d peſtis …æcautio-nem.

Rhaſe vero *aloes* proportionem duplam, ad cætera aſſumente cuius paradigma vulgo ſequuntur. Sunt, qui *bolum armenam, terram lemniam & theriacam* addant.

Tempore æſtiuo & aere calidiore cum *acido citri ſucco* has pilulas conformare iubent, videntur tamen magis ad præſeruationem, quam curationem peſtis facere, quod ſine perturbatione & agitatione leniter purgando, à putrilagine, in quam peſtifera contagia facillime, vtpote diſpoſitionem & materiam aptam, recipiantur, liberent, humorum proluuiem ſiccent, corrupta abſumant corrigantque & ceu balſamus corporis nobiliores partes muniant, & à corruptione præſeruent.

Quomodo pilulæ hæ à peſte & contagioſis morbis præſeruent.

Ratione enim *aloes* corpus ab excrementis vindicatur, *mirrha* putredinem cauet & emendat, *crocus* cor & facultates vitales ſpirituſq; omnes recreat. Peſte autem iam infectis potius alexipharmaca conueniunt. Verum enim vero non tantum ad hos vſus ſeruiunt, ſed ventriculum blandé purgant & roborant, caput à malis ex ventriculi ſympathia ortis vendicãt, meſenterii, primarum venarum, iecoris & vteri obſtructiones amoliuntur, putrilagines harum partium abſorbent, icteritiæ, menſium remoræ, & cachexiæ adprime medentur, eaque virtus in illis intenditur, dum non friuolo conſilio ſapientum, pro re nata *Rhabarbarum* vel *ammoniacum* miſcetur, ſic enim cacheсticis viſcerum obſtructionibus, impuritatibus, & tumoribus, fœminiſque male menſtruatis magis adaptantur. Contra vermes aliaque interaneorum animalcula balſamica vi pollent. Doſis à ʒ j. ad ʒ iß. & ʒ ij.

Vires & vſus.

Ad menſes exigēdum, Cachexiā, viſcerum obſtructiones, Icteritiam, Vermes.

Pilularū hieræpicræ Galeni vel Rhaſis

ſis nouum hic repetere examen præter rem eſt, cui de illis *ſupra* vberius quæſitum ſit. Differentia hæc notanda venit, quod Rhaſes loco *croci* ſumat *roſas*, & id quidem recte, quando æger *croci* vim aromaticam caput ferientem tolerare nequit, de qua re *ſuperius* vberius. Doſis earum à ℥ iß. ad ℥ ij.

Doſis.

Cap. XXXI.

Pilulæ aſſaireth Auicennæ.

℞. *ſpecierum hieræ picræ Galeni* ℥ j.
maſtiches,
myrobalanor. citrin. ana ℥ ß.
aloes opt. ℥ ij.
ſyrupi de ſtœchade ℥ ß. *vel q. ſ.*
ad maſſæ conformationem

Cephalicæ ſeu capitales dicuntur hæ pilulæ Arabibus quibus *aſai* caput ſignificat. Auctor earum eſt Auicenna, *Fen.* 1. *libro tertio cap.* 29. Reſpiciunt vero caput per ſe primo, aut ex conſenſu ventriculi affectum. Si enim acres calidæque capitis deſtillationes, deorſum labantur, hiſce benignis, quæ tam adſtringendi, quam blande attrahendi & educendi vim habent, leniter efferuntur ſimulq; ſiſtuntur. Hanc autem poteſtatem habent à *myrobalanis*, quæ in primo frigidorum & ſiccorum ordine, bilioſum humorem temperant, ſuauiter educunt, fluxionem, non, vt vehementer catarctica, præcipitant, ſed ſiſtunt, ventriculum, viſcera, caputque roborant; tam confirmandi, quam ſiſtendi fluxus virtutem *maſtiche* iuuat.

Aſai.

Ad calidas & acres è capite delabentes fluxiones.

Si vero caput ex conſenſu ventriculi afficiatur, pituitoſis, bilioſis, tenuibus, acribusve in hoc ſtabulantib. humoribus, ſubinde ſurſũ euaporantibus, cerebrũ meningeſq; ferientib. aut diſtendẽtib⁹, ratione *aloes* & *hieræ* bilioſa pituitoſaq; ſanies è ſtomacho ducitur, & *myrobalanis* cum *maſtiche* exhalatio reprimitur. Et hoc fine potiſſimum compoſitæ ſunt hæ pilulæ, vt caput ex conſenſu ventriculi affectum releuent. Tanta quippe vis *myrobalanis, ſpeciebus hieræ picræ*, aut *aloe* non ineſt, vt ex parte diſtantiore & capite, niſi materia iam ſit in motu, & fluxione, notatu dignum quippiam educere poſſint, quod ſi quis moliri velit, *agarici* vel *Rhabarbari* aliquid miſcendum erit, & tunc non ſimpliciter *pilulæ aſſaireth*, ſed *aſſaireth cum agarico* vel *Rhabarbaro* nominandæ fuerint. Melichius pari pondere reliquis addit *agaricum*. Doſis à ℥ j. ad ℥ iß.

Ad affectũ capitis ex conſenſu ventriculi.

Pilulæ de hiera cum agarico.

℞ *ſpecier. hieræ picræ Galeni,*
agarici trochiſcati ana ℥ ß.
Aloes ℥ j.
mellis roſati q. ſ.
Fingatur maſſa.

Sunt, qui omiſſa *aloe* ex ſolis *hieræ picræ ſpeciebus* & *agarici trochiſcati ana* p. æ. *cum melle roſato* has conforment pilulas. Braſſauolus iiſdem par *aloes* pondus adiicit, quem vulgo ſequuntur. Idem cum Foëſio aſſerit *agaricum* recipiẽdum *non trochiſcatum* propter admixtas *hieræ picræ ſpecies*, quæ plus

plus ſatis eundem corrigant.

Sed cur porro *agaricus* non præparatus, ſemper in forma pulueris, cum ſolo *ſaccharo* ſit ſumendus, vti vult Foeſius, rationem nullam video, nec ille aliquam aſſignat. Vitia enim eius ſunt adhærere orificio ventriculi, & interioribus eius parietibus, eaque lancinare, & in ſuauitate ſua nauſeam vomitumq; mouere, & ſi abſque ſtimulo detur, pigrius laxare, quæ omnia in *trochiſcato* rite ſunt correcta.

res. *...uunt à ventriculo pectore, ...ueniunt asthmaticis suspiriosis.*

Ducunt vero hæ pilulæ propter *aloen* & *ſpecies hieræ picræ* primo bilioſas, dein etiam pituitoſas, omniſque generis ſuperfluitates ex ventriculo, & vi *agarici*, *ſpeciebus hieræ picræ* incitati, pituitam craſſam ex pectore, vnde aſthmaticis & ſuſpirioſis adprime cõueniunt. Alliciunt inſuper à capite & neruis & meſenterio pituitam. Doſis ℥ j. vel ℈ iiij.

CAP. XXXII.

De pilulis ventriculum, inteſtina, primaſque vias blanditer & fructuoſe vacuantibus, ſimulque ſtomachum & interiora roborantibus, quales ſunt Maſtichinæ, de aloe lota, de aloe & maſtiche Nicolai.

Pilulę maſtichinæ Petri de Ebano.

℞. *maſtiches* ℥ iiij.
Agarici opt. ℥ iij.
Aloes ſelectæ ℥ x.

Infundatur agaricus in oxymelle ſimplici per diem naturalem & exſiccetur deinde cum melle roſato formetur maſſa, alii *ſuccum de artemiſia vel ſyrupum de ſtæchade* recipiunt.

Etiamſi *aloe* in hac compoſitione præponderet, tamen auctor, Petrus de Apona, dictus Cõciliator, qui eam *commentario ſuper Meſuen* c.19. de indigeſtione ſtomachi tradidit, denominare voluit à *Maſtiche*; Meſue vulgo ſtomachicas illas vocat pilulas, quæ *maſtichen* recipiunt. *Agaricus* aſſumitur *in oxymelite infuſus, vel trochiſcatus*. Foeſius loco *aloes ſpecies hieræ picræ* recipere mallet, imitatus in eo Braſſauolam, qui pro ſtomachicis cuiuſcunque generis pilulis, ſimplici Galeni *Hiera* vti elegit, & ſi contingat pro affectuum indicatione mutanda eſſe ſimplicia ea, quæ vſus & recta ratio inſinuat adiicere, vel adimere. Si *ſpecies hieræ picræ* loco *maſtiches* ſumantur, facile cum proxime præcedentibus conuenient, additis autem *ſpeciebus diamoſchi dulcis* conformes fient his, quæ de *aloe lota* nuncupantur.

Meſue *capite de cephalalgia ex cauſa frigida* deſcribit pilulas ex *aloes* ℥ vij.
maſtiches,
roſarum ana ℥ iij.
Turbith ℥ x.

Has ſtomacho & capiti conducere aſſerit, verum in ſuo corrigente deſtitutum videtur *turpethum*.

Verum his miſſis, claſſici auctores ad vſum ſeruarunt Aponenſis, quod exhibuimus, paradigma, vulgaribus

 diſpen-

diſpenſatoriis hoc nomine inſertum, claſſicorum auctorum enim iudicio palmam tribuunt *hieræ ſimplici* Galeni, & pilulis inde paratis, ſiue ſolis his ſumptis, ſiue *agarico, Rhabarbaroq́;* additis, & ſecundum illos, his, quæ *maſtichinæ* nominantur. Hæ autem corruptos, putridos, pituitoſos, bilioſos humores in ventriculo eiuſque tunicis hærentes clementer educunt, huius & capitis dolores componunt, & ſtomachum adprime corroborant, doſis ad ʒ ij.

Pilulæ de aloe lota.

℞. *aloes ſucco roſarum rubear. lotæ* ℥ j.
Agarici trochiſcati ʒ iij.
maſtiches ʒ ij.
ſpecier. diamoſchi dulcis ʒ ß.
Cum vino chio vulgo maluatico ex Candia fingatur maſſa.

Eadem, quæ præcedentium, ſunt ingredientia, ideoque viribus conueniunt. Hæ vero quod alluuntur *vino maluatico*, & *ſpecieb. diamoſchi dulcis* ſtipantur, magis ad caput, vterum neruoſaſque partes ſunt directæ, magiſque roborant, & tum propter hoc ipſum, tum propter *aloen ſucco roſarum lotam* correctiores exſiſtunt.

Pilulæ de aloe & maſtiche Nicolai.

℞. *Aloes* ℥ j.
maſtiches ℥ ß.
Garyophyllorum,
Roſarum rubear. ana ʒ j.
Croci,
diagridii ana ℈ ij.
Formetur maſſa cum ſucco abſinthii aut fœniculi.

Senſim progredimur & conſcendimus ad iſtas compoſitiones, quæ ex acutioribus aut vehementioribus catarcticis baſin, vel ſaltem ſtimulum ad intenſionem remiſſorum mutuãtur. Hactenus enim recenſuimus iſtas formulas, quæ mitius ſtomachũ aut ſolum, aut vicinas vna partes euacuant, vel iis potiſſimum proſunt, quæ ventriculi vitiati conſenſu patiuntur.

Etſi vero ex vehementiorum pharmacorũ claſſe *diagrydium* his miſceatur, tamen tantilla accedit doſi, vt baſin conſtituere nequeat, & vires duntaxat *aloes* incitare poſſit, non alia ratione atque in electuariorum cœtu compoſitionem *diaſebeſten* ingreditur, quam neq; illud è blanditer ſoluentium claſſe eximit, ſed etiam quantitate minore remiſtum clementer acuit.

Pilulæ hæ ratione *aloes* & *diagrydij* bilioſos potiſſimum humores purgant, & nonnihil obuiæ pituitæ, quam præparant *Garyophylli*, quæ vna cum *croco* ventriculi calorem muniunt. *Maſtiche* eundem roborat, quod & *roſæ* faciunt, præterquam quod *diagrydium* corrigunt, & bilem temperant: *Succus abſinthii* bilem abſtergit & pituitam. Doſis eſt ʒ ij. quælibet dragma *diagrydij* duo grana capit, dummodo ad confectionem maſſæ duæ partes *ſpecierum* & vna *ſucci* concurrat.

CAP.

CAP. XXXIII.

De pilulis ſtomachicis. Quinque pilularum ſtomachicarum Genera à Meſue tradita, inter quæ referuntur Alkindi, pro vere ſtomachicis cenſeri non debere. Quomodo debeant eſſe comparatæ ſtomachicæ. Tales eſſe reuera, quæ quam proxime ad Hieræ picræ ſimpl. naturam accedant: conueniunt autem ſpecialiter Nicolai & Imperatoris.

Pilulæ ſtomachicæ Alkindi.

℞. *myrobal.citrinorum,*
Indorum,
chebulor. ana ℥iij.
Roſarum,
maſtich.ana ℥ ij.
cardamomi,
ligni aloes,
ſantali citrini,
cubebarum,
Garyophill.
ſchœnanthos,
Nucis muſcatæ ana ℥ j.
Turbith ℥ vij.
Aloes ad pondus omnium.
Fiat maſſa cum vino odorato.

Pilulæ ſtomachicæ Meſuæ.

℞. *myrobal.citrinor.*
aloes,
Turpethi ana ℥ x.
Roſarum,
ſpicæ Indicæ,
maſtiches ana ℥ iiß.
Aniſi,
ſalis Indi (aut ſalis gemmei)
croci ana ℥ j.
Formetur maſſa cum ſucco abſinthij.

Has pilulas reuera neceſſe, nec iure dici ſtomachicas, ſtatuit Braſſauolus, & cum eodem Foëſius. Stomachica enim remedia vẽtriculo ſic debent eſſe accommodata, vt proprie illum roborent, aut pro ſuæ conſtitutionis & temperiei indicatione & requiſitis euacuent.

Ventriculus enim laborat debilitate ex ſimplici intemperie, ſine, vel cum humore. Affectus ex intemperatura ſimplici, vti non indicat, ita nequaquam tolerat purgantia pharmaca, quod his adminiſtratis ventriculus, totumque corpus facile in tabem coniiciatur. Si vero ex intemperie cum humore laborauerit, is, vel in eodem natabit & circumfluet, vel tunicis inuiſcatus adhærebit, aut eiſdem erit imbibitus. Huic affectui conducet pharmacum, quod ſine vlla perturbatione, moleſtia & ſubuerſione ventriculi (quamuis copioſe innatantia & fluctuantia vomitu rite efferantur) leniter euehat, craſſum incidat, viſcidum abſtergat, quod imbibitũ ſit, eluat, & ſiccet, & tam in ipſa operatione roboret, quam ea finita robur inſigne poſt ſe relinquat: deinde ſic etiam comparatum eſſe debebit, ne ſuas purgandi vires vltra ventriculum magnopere extendat. Debent enim illa purgantia, quæ ſoli ſtomacho dicata ſunt, non vltra eius

Pilulas Stomachicas Alkindi & Meſue nequaquã ſtomachicas eſſe & ventriculo non competere.

Quomodo comparatæ debeant eſſe pilulæ, quæ ſtomacho peculiariter deſtinentur.

parietes & diſtrictum trahere, & euacuare.

Quæ enim prolixius, & in totum corpus eiuſque interiora membra agunt, præterquam, quod ventriculũ admodum laceſſant, & alioquin affecti afflictiq; vires mirifice deiiciant, humores ex vniuerſo huc pertrahũt, & per eundem ſeu ſurſum, ſeu deorſum excutere moliuntur. Conueniens autem erat non educere humores totius vel partium per partem maxime affectam, aut ad eandem præcipitare; *debent* enim *educi* iuxta Hippoc. *aph. 21. ſ. 1. vijs & locis vtiliter ferentibus.* Et ab affecta parte, quam longiſſime reuellendum non eo perducenda peregrina & vitioſa.

His conſideratis, quas Meſue ſtomachicas nominat, pro vere talibus venire nec tuto vſurpari poſſunt.

Quinq; autem recenſentur à Meſue ſtomachicarum pilularum compoſitiones, prima recipit,

epithymum,
ſcammonium,
Turbith,
agaricum,
mirobalanos,
ſal Indum,
aniſum, abſinthium,
ſpecies hieræ picræ,

Secunda enumeratis addit *Zinziber & Garyophyllos,* tertiã & quartam *in principio capitis* ſub nomine Alkindi & Meſuæ deſcripſimus, quinta aſſumit

Turpethi ℥ x.
maſtichis ℥ iiij.
roſarum ℥ iij.
Aloes ad pondus omnium,
cum ſucco abſinthij pro conformanda maſſa.

Hæ pene omnes etiamſi corrigentibus ſtomachicis adpropriatis, & roborantibus ſatis confirmatæ videantur, tamen quotquot harum complectuntur pharmaca, quæ ventriculo aduerſa & ingrata, ſubuertunt, turbãt magisq; debilitant, & vires ſuas in totum corpus extendunt, humores ex vniuerſo in ſtomachum concitant, eidem proprie & peculiariter convenire aut conducere nequeunt.

Prima Meſuæ teſtimonio omnis generis humores è toto pene corpore educere nata eſt. Altera *Agaricum & turbith* recipit, è quibus illum violentius & immanſuetius operari, ſi in trochiſcos redactus fuerit, quam ſi cum *ſaccharo* ſimpliciter detur, afferit Braſſauolus, cui tamen hac in re adſtipulari nequeo.

Cæteræ maiorem *turpethi*, quod alioquin ſtomacho infenſum, (volunt enim barbari *turpethum* à turbando dictum eſſe) vim, quam eidem conueniat, continent, eundemque quaſſant, eneruant, & aliunde ſuperflua eo pelliciunt. *Turpethũ ſtomacho infenſum*

Vna ſupereſt pilularum compoſitio à Meſue tradita, quam in ſtomachicarum præterea cenſu admittunt: hanc Renodeus in ordine benigne purgantium primo loco ponit, recipit autem

Aloes

Pilulæ ſtomachicæ Meſuæ, recepta.

Aloes opt. ℥ vj.
maſtiches,
roſarum ana ℥ ij.
cum ſyrupo de abſinthio f. maſſa.

Hæ ſemper recentes parari debent, ſumuntur tuto ante paſtum ad leuiter exonerandum & confirmandum ventriculum. Alii ex *Rheo & aloe* ſimpliciter eas componunt, Nicolaus Alexandrinus

Pilulæ ſtomachicæ Nicolai Alexãdrini.

ex *aloes,*
maſtiches,
abſinthij ana p. æ.
cum ſucco marrubij format ſtomachicas.

Omnes pilulæ eo magis ſunt ſtomachicæ, quo propius ad hieræ picræ Galeni naturam accedunt.

Has ſimilesq; recte cenſeri & tuto vſurpari poſſe pro ſtomachicis, claſſicorum auctorum ſententia & aſſertio eſt, eoque propius ad ſtomachicarum requiſita & naturam accedere, quo magis cum *Hieræpicræ* compoſitione & fabrica conueniant.

Pilulæ Hieræpicræ omnium ſtomachicarum regula & cynoſura.

Hanc ſiquidem omnes illas prædictas ventriculo conuenientium remediorum intentiones explere, cuiusuis generis putrilagines, & humores ſeu innatantes, adhærentes, inuiſcatos, ſeu imbibitos, educere ſimulque corroborare, nec aliunde praua accerſere, adeoque omnium ſtomachicorum purgantium cynoſuram & regulam eſſe euidenter apparet, & legitimus vſus teſtatum facit, quibus pro re nata nonnihil efficacius vacuantia addere quaſue neceſſitate poſtulante acuere pro rationalis Medici iudicio, non abſonum fuerit. Stomacho etiam maxime inter omnes conuenire & notabiliter ſine omni moleſtia vacuare compertæ ſunt pilulæ, quas Nicolaus pro eo roborando & exonerando & concoctione iuuanda ante & poſt cibum commode vſurpari ſcripſit & præſcripſit.

Pilulæ Nicolai ſtomacho ſpecialiter conuenientes.

℞ *cinamomi,*
Garyophyllor.
Galangæ,
macis,
nucis muſcatæ,
zinziber.
cardamomi,
xyloaloes,
ſtoracis calamitæ ana ℥ j.
Rhabarbari ad pondus prædictorum.
Aloes ad pondus omnium. Confice cum vino.

Aliæ eiuſdem auctoris ſimilis intentionis.

Pilulæ ſtomachicæ adprime conuenientes ventriculo frigidioribus humoribus referto.

℞. *Ligni aloes,*
Garyophyollor.
maſtichis,
nucis muſchatæ,
xylobalſami,
caſſiæ,
macis,
cinamomi,
cubebarum,
croci,
ſpicæ,
ſileris montani ana ℥ ij.
Rhabarbari ad pondus omnium,
Aloes ſocotrinæ ad pondus Rhabarbari & cæterorum omnium.
Confice cum balſamo, vel cum vino.

Has pilulas merito ſtomachicas nominamus, quia proxime ad compoſitionem & naturam *Hieræ picræ* accedunt, nec multum ab *alephanginis* abludunt, optima tamen ratione adiecto *Rhabarbaro*, quodammodo efficaciores factæ ſunt. Mirifice ſtomachum & calorem natiuum confirmant, bilem, pituitam & quiſquilias ventriculi ac inteſtinorum cauitati innatantes, vel tunicis inhærentes, blanditer, & cum naturæ grata gratia educunt, vireſque ſuas, vltra primas venas, quas tergent & purgant, ad epar extendunt. Saluberrima harum eſt vſurpatio. Cum vero inueniantur, qui calidioris complexionis, aut feruidiore ſunt ventriculo, & frequenter non vnius, ſed varii generis humores in primis viis colligunt, præmiſſarum pilularum fabricá, iis, quæ huic requiſito magis ſeruiant, locupletarunt, talemque ſtructuram confecerunt, in qua vis aromatum feruidior *myrobalanorum* commixtione ſufficienter temperatur, ventriculus cum epate ſimul euacuetur & roboretur, & humores primam inſidentes regionem debite abſque moleſtia expurgentur: his nomen dedere

Pilul. Imperiales magiſtral.

Pilulæ conuenientes ventriculo quauis intemperie affecto & quibuſuis impuritatibus referto.

℞, *cinamomi,*
amomi,
aniſi,
maſtiches,
cardamomi minor.
zinziberis,
zedoariæ,
Maceris,
nucis muſc.
Garyophyllor.
croci,
cubebarum,
ligni aloes,
Turpethi,
mannæ,
agarici,
folior. ſenæ,
myrobal. citrinor.
chebulorum,
Indorum,
bellericorum,
emblicorum ana ℈ j.
Rhabarbari ad pondus omnium vel ℥ j.
Aloes quantum æquat totũ vel ℥ ij.

CAP. XXXIV.

Pilulæ de Rhabarbaro.

℞. *Rhabarbari* ℥ iij.
ſucci Glycyrrhizæ,
abſinthij,
maſtiches ana ℥ j.
myrobalanor. citrinor. ℥ iiiß.
ſem. apij,
fœniculi ana ℥ ß.
Trochiſ. diarrhod. Rhaſ. ℥ iijß.
ſpecier. hieræ picræ ℥ x.
ſucci fœniculi & mellis ana q. ſ.
Fiat maſſa.

Melichius, Cordus & Foëſius recipiunt *myrobalanorum tantum* ℥ iiß. Muſa, Braſſauolus ℥ iiiß. horum, *ſucci* vero *liquiritiæ, abſinthij & maſtichis ana* ℥ j. Verum hæc quantitas conſtare non

nō poteſt, quocirca typographicum ſphalma eſſe arbitror; & pro vnciis legendum dragmas.

Trochiſci de roſis recipiendi ſunt ipſius Meſue, non Nicolai, vel quod conuenientius videtur, Rhaſis, quas Auguſtani eligunt. Habent enim inſignem vim aperiendi & confirmandi parenchyma hepatis.

Muſa, Braſſauolus, & ex eodem Foëſius recte monent, has pilularum maſſas q̄tres nō glutinoſas recipiunt, niſi cum humore quodam lento & viſcoſo coagmententur, ſubito indureſcere, vt facili negotio in puluerem redigantur, quamobrem omnem efficaciam præpropere deponant & expirent.

Hæc autem fabrica operam ſuam plane dicauit epati, quod impuris & & putridis humoribus delibutum, ſine violentia & eneruatione mundat & expurgat, obſtructum aperit, & debile mirifice confirmat. *Rhabarbarum & myrobalani* quantum purgatricis virtutis, quæ tamen benigna & naturæ amica eſt, adducunt, tantum etiam epatis ſubſtantiæ tonum & ſyncriſin roborant, *ſuccus abſinthij* obſtructiones eximit, putrida corrigit, bilis per vrinam & aluum eductionem adiuuat & promouet. *Species hiera picra* bilioſa, putrida, vētriculi & epatis recrementa abſtergunt & vacuant, pituitoſa & craſſa incidunt, attenuant, conſumunt, infarctus primarum viarum & iecoris expediunt, quam operationem *ſemen fœniculi & apij* vna vrgent, ſimulque ſuperfluitates, cauæ per aluum & gibbæ partis per lotium educunt. *Trochiſci diarrhodon* deobſtruendo & roborando epati vnice ſtudent. *Maſtiche* ventriculum & viſcera roborat, tonum munit, calorem confirmando ſubſtantiam conſeruat. *Liquiritiæ ſuccus* ſua dulcedine & ſuauitate facit, vt medicamenta aſperiora temperentur, facilius penetrent, nec iſto, quo pollent, virtutis rigore & amarore ad nobile & delicatum viſcus adpellant, interim grata etiam deterſione operam cæterorum iuuat, & cum *ab epate dulcia impendio expetantur*, facile remedii vim eo defert.

Vtiles vero exſiſtunt hæ pilulæ, cum magna viſcerum & præcipue iecoris ſubeſt atonia, imbecillitas obſtructio & impuritas, nec remediis propter nobilioris viſceris infirmitatem valide purgantibus datur locus. Proinde in febribus, diuturnis validiſque epatis obſtructionibus, præcipue ſi eo deuētum, vt ex viſcerum naturalium infirmitate, cachexia & hydrops impendeat conducunt. *Vſus.* *Ad febres diuturnas expertinacibus obſtructionibus, cachexiam & hydropem importantes.*

Braſſauolus notat, ſe complures à pituitoſis diuturniſque febribus autumno & hieme liberaſſe, vnam harum pilularum ſcrupuli pondus continentem alternis diebus exhibendo.

Propter *Rhabarbarum myrobolanos citrinos, & abſinthii ſuccum* bilioſas impuritates primo, & deinde cæterorū humorum quiſquilias egerūt: merito vero cum ſequentibus in lenientium

entium ordine cenſentur. Doſis ad ℥ ij.

Pilulæ de Eupatorio Meſuæ.

℞. *mirobalanorum citrinorum,*
ſuccorum inſpiſſatorum Eupatorij Meſuæ ſeu agerati.
Abſinthii ana ℥ iij.
Rhabarbari ℥ iiiß.
Maſt ches ℥ j.
croci ℥ ß.
Aloes ℥ v.
ſucci endiuiæ q.ſ.

Cum proxime præcedentium intentione & viribus maxime faciunt: dicuntur vero *maiores de eupatorio*, quia dem auctor ex
mirobalanorum citrinorum,
Rhabarbari,
ſucci eupatorij,
aloes ana p.æ.
componit minores, quæ tamen raro in vſum vocantur, nec in vulgaribus extant diſpenſatoriis & pharmacopoliis.

Quale Eupatorium ſit recipiendum. Quale hic recipiendum fuerit *eupatorium*, inter medicinæ, proxime elapſo ſeculo, reſtauratores orta fuit controuerſia, aliis, vtpote Fuchſio & Cordo *Gratiolam*, aliis *agrimoniam* vulgarem, aliis denique *eupatorium* Auicennæ, aut item Meſuæ, quod verum *ageratum* eſſe, iam obtinuit, aſſumentibus. Opinio de *gratiola* violentæ & pene virulentæ in purgando & laceſcendo naturam potentiæ, ſumenda, iam ſatis exoſa & exploſa eſt. Quid enim in illa *dialaccæ* & hac compoſitione, quarum illa mero roborans & deobſtruens, hæc vero leniter purgans & aperiens tam nobili viſceri dicata eſt, boni præſtabit *gratiola*?

Quandoquidem autem triplex ſit *eupatorium*, videlicet Græcorum, Auicennæ, & Meſuæ, medicamentis ab Auicenna conſcriptis ſuum interponere *eupatorium*, Græcorum compoſitionibus *agrimoniam* miſcere, & ad medicamenta à Meſue condita *ageratum* aſſumere, ratum & regula eſto. In hanc itaque pilularum compoſitionem *ageratum*, quod & Auguſtani faciunt, recipiendū eſſe, liquet. Hoc autem excalfacit receſſu primo, & ſiccat ſecundo, amaricat & nonnullius adſtrictionis eſt particeps, incidit, tergit, purgat, putredinem prohibet, reſoluit ſine attractione, ventriculum, iecur, & cætera viſcera roborat, obſtructiones & infartus expedit, & affectibus inde dependentib. prodeſt, atque ob id febribus diuturnis mirifice medetur. Bilem & pituitam cum facilitate purgat, idq; efficacius cum *ſero lactis*. *Dilutum foliorum ex vino albo* potum duarum vnciarum pondere vermes puerorum necat. *Agerati virtus corroborandi epar.* *Ageratum pellit vermes.*

Quibus morbis conducat. Hæc compoſitio inſtar prioris, epatis & ventriculi vitiis, eorumque & primarum viarum impuritatibus & obſtructionibus ſoluendis, bilioſis, putridiſque ſuperfluitatibus leniter ex his locis exigendis dicata eſt, vnde ictero, febribus periodicis & lienis infartibus medetur. *Abſinthii & agerati ſuccus* obſtructiones maſcule expediunt

pediunt, putredines corrigunt, & humores ſuperfluos purgant. *Mirobalani & Rhabarbarum* bilem extrahũt & epatis parenchyma roborant, *aloe* choleram educit ; *maſtiche* roborat *crocus* aperit, digerit, coquit, reficit.

Cum *ſucco intybi* epar ſingulariter reſpiciente & acutorum vim moderante, recte hæc conflatur maſſa, de qua idem tenendum, quod de ſuperiore monitum, in lapidem prompte ſolidari duriciem, niſi ad coagmentationem glutinoſus quidam vna aſſumatur ſuccus, quamobrem alii *ſyrupum de endiuia* recipiunt.

CAP. XXXV.

Hactenus lenientium pilularum, quarum benigniot virtus, vltra ventriculum primaſque vias, aut epatis caua, ſeu primam corporis regionẽ, non magnopere excurrit, quæque viſcera non minus roborant, quam emundant, compoſitiones vidimus, deuoluimur nunc ad illas, quæ ſecundam tertiamque regionem, earumque partes & totum corpus maiori efficacia aggrediuntur, & humorum ſuperfluitates ab iiſdem extrahunt. Ex horum numero, primum aggrediemur aggregatiuas, quod ex toto vacuent, & hoc nomine pro vniuerſalibus reputentur. Deinde, quæ peculiares corporis partes & membra reſpiciunt, ordine videbimus.

De pilulis Catholicis.

Pilulæ aggregatiuæ maiores Meſuæ.

℞. *mirobalanor. citrinorum,*
Rhabarbari ana ʒ iiij.
ſuccor. inſpiſſator. agerati,
abſinthij an. ʒ iij. *Pilulæ Catholicæ.*
Diagrydij ʒ vj.
Myrobalanor. chebulor.
Indorum,
Agarici,
colocynth.
polypodij ana ʒ ij.
Turbith,
Aloes ana ʒ vj.
Maſtiches,
roſarum,
ſalis gemmæ,
Epithymi,
aniſi,
zinzib. ana ʒ j.
Electuarij roſati Meſuæ ʒ j.
aut ſyrupi roſati ſol. & electuar. roſati pates æquales.

Aggregatiuarum nomen ſortiuntur hæ pilulæ, quod aggregent humores ad eductionem, & polychreſtæ, propter multiplicem earum vtilitatem, & Catholicæ, quia è toto corpore, & qualibet parte humorem quemcunque noxium tuto & ſalubriter expurgent, adeoque omnibus pene morbis, quorum cauſa in humore vitioſo eſt, conducant.

Tres apud Meſuen ſub aggregatiuarum nomine exſtant compoſitiones, ex quib. illæ, quas hic tradidimus, ſuæ inuentionis nominat. Maiores autem & minores non ſunt in vſu.

Etiamſi vero Auguſtani, quas poſuimus, aggregatiuas maiores Meſuæ nominant, forte ad minorum ab illis pariter conſignatarum differentiam, tamen illæ, quæ ipſi Meſuæ maiores nuncupantur, longe aliter componuntur, vt apud eundem videre eſt. Catholicæ enim non ſunt, nec omnis generis humores educunt, & pituitam primo reſpiciunt, & *ammoniacum, bdellium, ſerapinum*, cum *hermodactylis* recipiunt, vt non exiguum ſit inter illas, quas aggregatiuas maiores, & has, quas ſuæ inuentionis nominat, ſit diſcrimen.

Examen. In pondere *diagrydij* auctores quoque variant, Foëſio, Muſa Braſſauolo, Renodeo, Mondino, Fuchſio quinque; Cordo autem & Auguſtanis ſex dragmas recipientibus, ex quibus hi ſequendi, quod teſte Melichio aliiſque codices correctiores ſex dragmas legant. Salubre & tutum eſſe hoc medicamenti genus, claſſicorum auctorum fides, & cottidiana teſtatur experientia. *Succus abſinthij* & *eupatorij*, (Meſuæ, an Dioſcoridis recipias errorem damnabilem haut committes) viſcerum venarumque primarū vias expediunt & aperiunt, craſſa, bilioſa incidunt, attenuant, tergent, per aluum, & vrinas educunt, ventriculum & epar mirifice roborant.

Aloe, diagrydium, Electuarium roſatum Meſuæ, quo compingitur maſſa, bilem; *agaricus, turbith* & *colocynthis* pituitam extrahunt; *myrobalani, Indi, polypodium*, & *epithymus* melanagoga ſunt. Viſcera roborant, & efferatam *diagrydij* & *colocynthidos* (hoc vero in trochiſcos oportet eſſe redactum) vim cohibent, *roſæ, maſtiche, mirobalani, ſal gemmæ* & *Zinziber, agarici* & *turpethi* virtutem materiæ altius immerſam irritant & acuunt, & ſi quid noxæ inſit, corrigunt. Clementer purgantia, vim exorbitantem vehementium remittunt, & hæc torpentem remiſſorum potentiam inſtigant, & exaltant. *Aniſum* & *zinziber* ventriculi calorem fouent, & ſicubi in commota materia flatus ſuſcitentur digerunt.

Vſus & virtus. Quemlibet humorem, & morbum ex humorū vitio ortum reſpiciunt, tam craſſos, quam tenues, frigidos, quam calidos ex quacunq; corporis parte, potiſſimum à cerebro, ventriculo, iecore educunt. Ipſa conſtructio vero docet, ad bilioſos educendum humores præcipue valere, quamuis pituitam craſſam ſatis vehementer etiam aggrediantur, & melancholicos intactos non ſinant, valent in diuturnis & complicatis febribus, conueniunt ad præſeruationem tempore veris, vt totum corpus à ſuperfluitatibus futuros morbos minitantibus vindicetur.

Etſi hæ pilulæ catholicorum vel vniuerſalium nomine veniant, neq; iſtam denominationem omnino inepte indeptæ ſint, tamen rectius ſic indigitari merentur, quæ de quinque *myrobalanorum* generibus dictæ, Nicolao auctori adſcribuntur, quarum

deſcriptio

deſcriptio aliter atque aliter à Cordo & Auguſtanis traditur.

Pilulæ de quinque generibus mirobalanorum Nicolai iuxta Cordum.

℞. quinq. generum mirobalanorum,
Agarici,
Diagrydii,
colocynthid.
ſenæ ana ℥ ß.
epithymi,
Turpethi,
aniſi,
marathri,
maſtiches,
Lapidis Lazuli præparati ana ʒ ij.
Aloes ℥ j.
Formetur maſſa cum ſucco abſinthij.

Pilulæ de quinque generibus mirobalanorum Nicolai Alexandrini iuxta Auguſtanos.

Pilulæ Cathol.

℞. quinq. generum mirobalanorum,
agarici,
Diagrydii,
colocynthid.
ſenæ ana ʒ iiß.
epithymi,
Turbith,
aniſi,
Marathri ſeu fœniculi,
maſtiches,
Lapidis laZuli ana ʒj. gr. xvj.
Rhabarbari ℈ iiij.
Aloes ℥ iiij.
Cum ſucco fœniculi formetur maſſa.

Hæ ratione *agarici, turpethi, Colocynthidis & myrobalanorum cepulorum bellericorum & emblicorum* pituitam, vi *epithymi, ſenæ, lapidis lazuli loti, & mirobalanorum Indorum* humorem melancholicum & atrabilarium; opera *mirobalanorum citrinorum, aloes, Rhabarbari, & diagrydii* bilem flauam eiusque ſpecies atque ita omnia humorum ſuperfluorũ genera ſatis fortiter pharmacis peculiariter, quemcunque reſpicientibus & iuſta quantitate hanc compoſitionem ingredientibus ducunt, cum aggregatiuæ potius bilem, pituitamque duntaxat concernant & trahant, nec ad atrabilariorum euacuationem ſatis inſtructæ vel comparatæ ſint, vehementiam purgantium moderantur, ventriculum & viſcera roborant & muniunt, *mirobalani, aloe & maſtiche*, *Aniſum, ſemenque fœniculi ſenam* corrigit, calorem ventriculi & inteſtinorum fovet, flatus diſcutit.

Fuchſius & Auguſtani omniũ totius compoſitionis ingredientium pharmacorum vſque ad *turpethum* recipiunt dragmas duas cum dimidia, Cordus ʒ ß. Coudenbergius hunc corrigens ʒ ß. Foeſius ʒ iß. pari modo variant in iis, quæ à *turpetho* ad *aloen* vſque ponuntur. Foeſius enim *lapidis lazuli, turpethique* & cæterorum ʒ ij. cum dimidia & granis v. Coudenburgius ʒ ij. Auguſtani ʒ j. gr. xvj. aſſumunt.

Coudenbergius *aloes* ℥ j. Fuchſius & Auguſtani dimidiam capiunt, & inſuper *Rhabarbarum*, quod etiam vehementium inſolentiam, præterquã

quod bilem ducat, moderatur, addunt, & cum *ſucco fœniculi*, vbi ille *abſinthiacum* accipit, maſſam conformant.

Vſus. Omnes vitioſos humores, pituitam, bilem atram & flauam ſerumq; educunt, ſplenicos, podagricos & melancholicos iuuant, cerebrum purgant, viſum acuunt, ſanguinem mundant. Auguſtanorum paradigma ſingulis dragmis complectitur *diagrydii, agarici, colocynth. ſenæ ana gr.* iiijß. *Turbith. & lapid. lazuli* ana gr. ij. *Rhab. grana duo cum triente*, aut præter propter. *Doſis.* Doſis harum à ℨ j. ad ℈ iiijß.

Cordus ex cenſura Coudenbergii, habet in ſingulis dragmis, *agarici, colocynth. diagrydii, ſenæ ana gr.* v. vel paulo amplius, *turpethi & lapidis lazuli ana* gr. ij. doſis proinde erit ℨ j.

Cap. XXXVI.

Pilulæ Cocciæ Rhaſis.

℞. *ſpecierum hieræ picræ Rhaſis* ℨ x.
pulpæ colocynth. ℨ iij. ℈ j.
Diagrydii ℨ iiß.
Stœchados,
Turbith ana ℨ v.
Syrupi de ſtœchade q. ß.
Fiat maſſa.

Pilulæ cocciæ ab auctore Rhaſe *lib. 9. ad Almanſorem*, vbi de hemicrania & cephalea agit, deſcribuntur. Nomen à *cocco* trahunt, quod Græcis *granum* ſignificat. Debent enim in modum granorum ciceris conformari, & Graii *coccia*, vel catapotia, pilulas nominant. Plures Cocciarum extant deſcriptiones, quarum Galeno quædam adſcribuntur, quæ tamé in monumentis eius non reperiuntur. Quæ à Rhaſe traduntur, admodum ſunt valentes & violentæ, vixq; ſine naturæ concuſſione, & inteſtinorum cruciatu, operationem ſuam perficiunt.

Neque tamen prorſus ab vſu relegandæ, aut proſcribendæ, cum operæ pretium ſit, in pharmacopoliis extare tam valida & vehementia pro robuſtis & agreſtibus, quam blanda & lenia pro delicatulis. *An propter violentiam proſcribendæ pilulæ cocciæ.* Suſpectas omnino reddidit coccias Muſa Braſſauolus, quod eas incorrectas, & nimis violentas cenſuerit. Etiamſi *hiera picra*, quæ hic iuxta deſcriptionem Rhaſis aſſumenda, ventriculum & omnia viſcera roboret, pharmacorúque violentorum corrigens, & *ſtœchas* ventriculo, inteſtinis, & calori natiuo ſit amica, cerebroq; & neruis cúprimis grata, nec tantum violentiam horum temperare, ſed & virtutem operationemque in caput, quod proprie reſpicit, deferre queat, tamen nõ ſufficere ad *colocynthidis ſcammoniique etiam trochiſcatorum & turpethi* violentiam cicurandam & frænandam vulgo arbitrantur. Inficias ire non poſſumus, violentis & magnis conſtare hanc compoſitionem pharmacis, tamen corrigentium quantitas, videl. *ſpecierum hieræ picræ, ſtœchados, & ſyrupi de ſtœchade*, cum quo conformatur maſſa duplo ſuperat purgãtium pondus.

dus. Proinde licet imbecillibus & delicatis naturis, aut vbi humores tenues & fluxiles ſunt, vel in initio morborum, in quibus concoctio exſpectanda fuerit, non conueniant, tamen eas omnino non, vel in nullo caſu quadrare minime arbitrandum erit. Cum humores craſſi in capite vel longinquis partibus diſſiti fuerint, & natura remedii excellentioris virtutem toleret, quid ni pro iudicio circumſpecti Medici vſurpentur. Quid ſi debilia pharmaca non contulerint, nunquid conſultum erit ad excellentiora prouocare. Obſeruatione conſtat, in ſoporiferis affectibus, ceu caro, apoplexia, lethargo & ſimilib. harum ʒ ij. conuenienti liquore ſolutas, & ori, vi aperto, infuſas, fœliciter naturam ſopitam & ſtupefactam exonerasse & reſuſcitaſſe.

Vſus.

Obſeruatio.

Tormina ſi metuas, adde aliquot grana vel ℈ ß. *extracti calami aromatici, olei nuc. myriſticæ, vel macis expreſſi, vel deſtillati, aut pilular. coc. eſſentiã ſubtiliorem extrahe vino, additis diambræ ſpeciebus, vt cephalicæ* maneant, neruoſoque generi & viſceribus gratiores magisque propitiæ fiant.

Extractio.

Deinde cum iuxta regulam *ſupra* frequenter allegatam, *nullum conuenienter exhibeatur pharmacum vehemens, niſi lenienti miſtum, quia nullum adeo efferatæ violentiæ, quod lenienti iunctum non manſueſcat*, plures exhibendi & vſurpandi has pilulas modi emergunt, aliis enim pro re nata & indicationum requiſitis commode miſcentur.

Braſſauolus in eo deſudat, vt hanc Rhaſis formulam additis corrigentibus mitiorem emendatioremq; reddat, proinde hoc modo eam conſtruit.

℞. *pul. hieræpicræ* ʒ x.
colocynth. ʒ iiiß.
ſcammonei ʒ iiß.
Turbith ʒ ß.
bdellij,
ſtœchados,
maſtiches,
dauci,
Galangæ,
ſem. fœniculi,
zinzib.
gummi Arab. ana ʒ j.
Miſce & cum melle roſato fiat maſſa.

Alexandrinus non diſſimili ratione coccias componit ex
Hieræpicræ Gal. ʒ v.
diagrid. ʒ iß.
pulpæ colocynth. ʒ ß.
Turpeth,
ſtœch. Arab. ana ʒ iiß.
ſagapeni,
opopanacis,
bdellii,
ammoniaci,
agarici,
ſpicæ ana ʒ ß.
Rhabarb.
Aloes ſocotrin. ana ℈ iiij.
Cum ſucco fœniculi f. maſſa.

Galenus in eundem fere modum cephalicas lib. v. *meth.* parat ex
aloe,

ſcammonea,
colocynth.
agarico,
bdellio,
gummi arabico.

Doſis. Pilularum cochicarum Rhaſis quælibet dragma capit *diagrydii gr.* vß.*colocynth.gr.*vij.*Turpethi* ℈ ß.*gr.*iij. dragmæ itaque doſis nullo pacto ſuſpecta aut formidanda fuerit mediocribus, aut non nimis delicatis vel proſtratis naturis. Magna efficacia caput purgant,& à neruis articulisq; craſſos,frigidos & pituitoſos humores propter colocynthidem & turpethi copiam trahunt, virtute *diagrydij* bilioſos & tenues etiam acceſſunt, qui craſſiorum exitum faciliorem reddunt.

Vtilitas & virtus.

CAP. XXXVII.

Pilulæ aureæ D.Nicolai.

℞.*aloes,*
diagrydii ana ʒ v.
roſarum,
ſem. apij ana ʒ iiß.
aniſi,
fœniculi,
maſtiches ana ʒ iß.
croci,
pulpæ colocynth.ana ʒ j.
mucilag.tragacanth.q.ſ. (*ſufficere autem videtur* ʒ j. *in aqua roſarum* ʒ j *ſoluta.*)
Fiat maſſa.

Non à colore *croci*, ſed ab aurea virtute &operatione,id nominis poſſident hæ pilulæ,ſiquidem abſque omni naturæ moleſtia, ventriculi viſcerumque agitatione & torminibus, copioſe ſatis purgăt, aluũq; ſoluunt, vt apud recentiores nulla pene compoſitio tutius ſecuriusq; in vſum vocetur,cum *diagrydij* & *colocynth.* inſolentia cæteris ſpeciebus ſatis temperetur & reprimatur. Nicolaus Myrepſius harum eſt architectus, quem ꝓpter nimiam adiecti *diagrydij* quãtitatẽ acriter reprehẽdit Nicol. Præpoſitus,& ꝓ eiuſdẽ dragmis quinq; ſcrupulos totidẽ legendos & ſubſtituẽdos eſſe contendit. E contrario ſenex ille Pharmacopœus, Muſæ Braſſauoli collocutor, in pilularum examine ait ſe recipere duplum *ſcammonei*, videlicet ʒ x. ad compoſitionem aurearũ. Sed vterque audiendus non eſt. Senex nimiam & vtenti damnoſam *diagrydij* inuehit molem, facitque præter officium & fidem Pharmacopœi, quod auctoritate propria inconſulto Medico, in vtentis & præſcribentis fraudem,rem arduam, & cum periculo humanæ ſalutis coniunctam, ſuo arbitrio & iudicii imbecillitati malitioſe & clancularie committat. *Quæ enim bona nituntur & conſtãt ratione, & experientia multiplici comprobata ſunt,in his,ne ſapientiſsimus & perſpicaciſſimus quiſque mutare quippiam, facile animum induxerit.* Nicolai Præpoſiti animaduerſio hic locum inuenire nequit,*Diagrydium* non vt acuens quodam, & cætera ſegniora irritans, ſed pro baſi poſitum inditumque eſt, &

Examen.

& tales habet adiunctos ſuæ violentiæ refrænatores, & obices, vt quamuis maiori quantitate veniat, nihilominus tuta & ſecura ſit vſu. *Aloe* enim, quod omnium vehementiorem inſolentiam moderatur & caſtigat, pari cum *diagrydio* pondere inſertum eſt. Accedunt inſuper *roſæ* & *maſtiche*, quæ cum huius, tum *colocynthidis* inſanam vim, qua inteſtina & viſcera vellicare queant, inhibent, & ventriculum, iecur, parteſque nobiles roborẽt. (Interim notandum, Foëſium & Cordum accipere *maſtichis* ℥ iß. Auguſtanos & Braſſauolam duntaxat ℥ j. nos Cordum ſequimur.) *Crocus* cor, ventriculum & calorem natiuum reficit, coctionem promouet, obſtructiones reſerat, & quia innata vi caput petit, medicaméti virtutem ad cerebrum ſenſuumq; organa vna ſecum defert. *Fœniculum* obſtructa aperit, medicamento ad interiores epatis, renum, veſicæque, & vteri receſſus viam parat, pituitam flatuſque in inteſtinis tenuat, digerit, & ad exitum iuuat, vim remedii ad cerebrum, ſenſoria, & oculos cumprimis inſtigat. *Apium* maſcule deobſtruit viſcera, viaſque ad vterum, renes, & veſicam liberat. *Aniſum* ventriculi flatus & pituitam digerit, & ſi qua tormina inter operandum ex ventoſorũ humorum agitatione ſuboriantur, componere ſatagit. *Mucago tragacanthi* purgantium violentiam, & in primis acumen *colocynthidis*, quo inteſtina arrodere ſolet, ſufficienter retundit.

Sunt, qui harum pilularum maſſam, quod cæteroquin ſatis corrigentium complectatur, abſque *mucagine tragacanthi*, cum *melle roſato* conformare iubent, quod ex glutino ilico induratæ præpropere lapidea inſequatur durities. Verum Braſſauolus reſpondet, lentore *tragacanthi* arctiſſime ſimplicium virtutem conſeruari, & maſſam, quantumuis indurata eſſe appareat, continuo, cum liquorem ſenſerit, colliqueſcere. Si quis ex *melle & tragacanthi mucagine* maſſam coagmẽtare velit, ne nimis propere aut duriter lapideſcat, virtuſque ſimul retineatur, is præter rem haut faciet. *Componendi modus.*

Ratione *aloes* bilem è ventriculo, meſenterio, & primis viis hæc fabrica ducit, virtute *diagrydij* eandem à remotis partibus, veluti capite, iuncturis, & quouis corporis angulo pene colligit. *Colocynthis diagrydij* opera irritata pituitam & glutinoſos humores trahit è longinquo. Epar, itaque, renes, & vterum purgat, aperitque, frigidos è meſenterio, inteſtinis, & ventriculo humores vna cũ bilioſa colluuie, ſcoromis in committentes educit, coctionem iuuat, flatus pellit, caput expurgat, ſenſus oculoſque emundat, & horum aciem acuit. Stomachicis, colicis, nephriticis, & inflatis prodeſt. Si melanagogi quippiam veluti *extractum hellebori nigri rite præparati* admiſceas, omnes compendioſe purgabit humores, Catholicique locum demerebitur. *Vtilitas & vſus.*

Quælibet harum pilularum dragma

gma continet *diagrydii grana* præterpropter, duodecim, & *aloes* totidem, *colocynthidis* grana duo cum dimidio, doſis à ℈ ij. ad ʒj. Robuſtis maior dari poteſt, quod purgantium vis ſit ſatis coercita.

Cap. XXXVIII.

Pilulæ Arabicæ Nicolai.

℞. *Aloes opt.* ʒij.
Radicis bryoniæ,
Mirobalan. Chebulorum,
Indorum,
Belliricorum,
Emblicorum,
citrinorum,
maſtiches,
diagrydii,
aſari,
roſarum ana ʒß.
caſtorei ʒiß.
croci ʒß.
ſucci fœniculi q. ſ. fiat maſſa.

Cur hoc nomine ſint inſignitæ hæ pilulæ, auctores inexplicatum reliquerunt, neque enim an ſic dictæ, quod ab Arabibus primum inuentæ, vel in ſolemni & frequentiore corũ vſu fuerint, ſatis liquet.

Harum vero talis apud Nicolaum extat deſcriptio. Foeſius aliam ex Gilberto Anglico *capite de arthritide* deſumptam ponit, verum quæ illic inuenitur deſignatio Arabicarum, nequaquam cum illa, quam ex Nicolao poſuimus, congruit, Recipit enim

Aloes Epaticæ ʒ iiij.
bryoniæ,
maſtiches,
Baccarum lauri,
ſcammonei,
Garyophyllor. ana ʒ j.
Cum ſucco caulium aut fœnicul. f. pilulæ.

In vſum arthriticorum ait, addenda,

hermodactylos, colocynthidem vel euphorbium.

Ex iiſdem noſtratum conſtructionem non eſſe mutuatam, ſatis manifeſte patet.

Nicolaus aſſerit, in longum tempus imo in centum annos perdurare harum integritatem, & virtutem: verum enimuero certo cõſtat tum has, tum reliquas omnes, niſi liquore aliquo lento & tenaci, puta *melle, ſyrupo vel mucagine tragacanthi* comprehendantur, & ſimplici ſaltẽ liquore coaduuentur, ſubito indureſcere, virtutem perdere, & in puluerem demum diſſolui. Proinde hæ vtiliter cum *melle*, in quo *ſuccus fœniculi* decoxerit, parantur. Eximias idem & pene ſtupendas, quod multi in admirationem trahunt, eiſdem aſſignat virtutes, quæ an reuera ineſſe poſſint ex potiorum ingredientium conſideratione liquido conſtabit.

Diagrydium & *bryonia* quo ad purgandi efficaciam, harum baſin conſtituunt, *aloe* & *myrobolani* ſimul ſumpta longe maiore quantitate hanc texturam ingrediuntur, & magna ex parte conſtituunt. Quod vero *aloe* omnia ſenſoria *Examen.*

ſenſoria & viſcera emundet, emendet & roboret, à putredine vindicet, & conſeruet, iam *ſupra* ſæpe ſæpius dictum eſt. *Mirobalanos*, præterquam quod omnis generis humores formali proprietate educant, viſcera omnia roborare, cor recreare, ſtomachum & inteſtina laxa confirmare, & in his *emblicos chebuloſque* intellectum cum primis acuere, viſum illuſtrare, cerebrum neruos & ſtomachum mirifice iuuare, ſapientum rata eſt ſententia. *Citrini* flauam, *Indi* atram bilem, *Chebuli, bellirici, emblici* pituitam blanditer alliciunt. Vide *lib. 2. cap. de mirobal.*

Bryonia. *Bryoniæ radix* pituitam, bilem & cum primis ſeroſos humores ſpecifica formæ proprietate extrahit, incidit, attenuat, obſtructiones viſcerum expedit, proprietate quadam cerebro, neruoſo generi & vtero conducit, ad epilepſiam, apoplexiam hyſtericoſque affectus palmarium præbet remedium. Vnde apud Meſuen Democrati Electuarium *diabryonias* ad hos affectus adprime vtile deſcribitur, quod *lib. 2. huius tractatus proprio capite* annotatum eſt.

Aſarum. *Aſarum* calidæ ſiccæque complexionis, pituitam primo, deinde bilem ſatis ſtrenue ducit, viſcera deobſtruit, craſſos humores attenuat, menſes & vrinas ciet, icterum febreſque abigit.

Caſtoreū. *Caſtoreum* non eſt teſticulus febri, vel caſtoris, ſed geminus folliculus, naſcens in inguinibus tam maſculi, quam fœmellæ, magnitudine oui gallinacei, inuolucro craſſo, & quaſi carnoſo conſtans, meatu peruius, humore ſubcraſſo, liuido, oleoſo, intus vndiquaque ſcatens. Eſt impenſe calidum & ſiccum, tenuiumq; partium. Cerebro, neruis, neruoſiſque partibus, vtero, ventriculo, inteſtinis, & veſicæ, eorumque affectibus ex frigida cauſa oriundis operam ſuam dicauit. Epilepticis, apoplecticis, tremulis, reſolutis & conuulſis, caro, comati, lethargoque medetur. Galenus è *melicrato* cum *pipere* exhibuit. Flatus mirifice diſcutit, craſſam pituitam digerit, ventri diſtento, ventoſo, pituita craſſa circumfluenti torminibus vexato, & ſingultienti ſtomacho auxiliatur, & vbi diſcrimen impedit colicæ, vterive dolore afflictis, vt in tremorem, paræſin, conuulſiones aut contracturas incidant, euidenter opitulatur. Cum *pulegio* & *calamintha* ex *melicrato* hauſtum, menſes ducit, partus & ſecundas eiicit, tumores contumaces diſcutit, & ſcirrhos abſumit, neruis & neruoſarum partium è frigida cauſa vitijs vtiliter adhibetur. De *croco, roſiſque ſupra* actum eſt.

Ex his omnibus eluceſcit, hoc remedium benigne purgare cum primis bilem, & dein pituitam, ratione *diagrydij* (quod per *myrobalanos, maſtichen, roſaſque* ſufficienter corrigitur) *aloes, bryoniæ, aſari, mirobalanorum, chebulorum, belliricorum, citrinorum, emblicorum*; & humorem melancholicum *Virtus.*

vi *Indorum*, ſed quia hi ſoli ad euacuationem atri humoris inſunt, imbecilliter eundem trahere. *Aſarum* & *caſtoreum crocuſque* pituitam craſſam attenuant, obſtructiones eximunt, bilis feruorem *roſæ* & *myrobalani* reſtinguunt, acrimoniam temperant. *Succus fœniculi, crocus, caſtoreum & bryonia*, vim catarcticorum ad cerebrũ, neruos, neruoſaſque partes vterum & ſenſoria deferunt. *Myrobalani* cor & omnia viſcera ſuauiter roborant, vt merito hanc compoſitionem ad cephalalgiam, hemicraniam, vertiginem, mentem, viſumque acuendum, auditum reſtaurandum, vertiginem, ſcotomiamque auertendam, memoriam roborandam, lætitiam generãdam, triſtitiam abigendam, ad ſtomachi viſcerumque vitia emendanda & virtutem fulciendam ſeruandamque, ad lienis affectus, dentium gingiuarumque integritatem Nicolaus commendarit. Luminare maius addit huic compoſitioni *dragmam vnam zinziberis*, quam cæteri codices non habent. Doſis eſt à ℥ iß, ad ℥ ij.

Quibus affectibus cõueniant.

Doſis.

CAP. XXXIX.

Pilulæ lucis maiores D. Meſuæ.

℞. *roſarum*,
violarum,
abſinthij,
colocynthidis,
Turbith,
cubebarum,
calami aromatici,
nucis moſchatæ,
ſpicæ nardi Indicæ,
epithymi,
carpobalſami (*aut ſuccedanei eius, videlicet cardamomi*)
xylobalſami vel xyloaloes,
ſeſelios, ſeu ſileris montani,
ſem. rutæ,
ſchœnanthi,
aſari,
maſtiches,
Garyophyllorum,
cinamomi,
aniſi,
fœniculi,
apij,
caſsiæ ligneæ veræ,
croci,
macis ana ℥ ij.
mirobalanorum citrinorum,
chebulorum,
Indorum,
bellericorum,
emblicorum,
Rhabarbari ana ℥ iiij.
agarici,
ſenæ ana ℥ v.
euphraſiæ ℥ vij.
Aloes ſocotrinæ ad pondus omnium, id eſt, ℥ viij. & ℥ iij.
ſucci fœniculi q. ſ. Fiat maſſa.

Pilulæ lucis minores D. Meſuæ.

℞. *xylobalſami*,
carpobalſami ana ℥ j.
chelidoniæ maior. ℥ v.
roſarum,
violarum,
abſinthij,

Euphra-

Euphraſiæ ana ℥ iij.
ſenæ,
epithymi,
mirobalanorum citrinorum,
Chebulorum,
Indorum,
Bellericorum,
Emblicorum,
Agarici,
colocynthidis,
ſchœnanti,
lycii,
lapidis lazuli loti ana ℥ iiß.
Aloes optimæ ad pondus omnium
ſucci fœniculi aut chelidoniæ q. ſ.
fiat maſſa.

Hæ pilulæ oculares dictæ ſeu lucis nomine donatæ ſunt, quod cumprimis oculorum aciem hallucinantem reſtaurare, viſum acuere, & corroborare, caputq; à ſuperfluis liberare debeant. Quę maiores dicuntur, id nominis non ab efficacia operandi, ſed multitudine ingredientium, præſertim aromatum, ſine ratione & iudicio, vti ſentit & æſtimat Muſa Braſſauolus, conglomeratorum, indeptæ ſunt. In purgando admodum mites & remiſſæ ſunt, quod *turbith & colocynthis* modica quantitate ingrediantur, *mirobalani* vero *aloe, Rhabarbarum, ſena, & agaricus,* ex benignioribus ſint catarticis, de quibus omnibus *ſuperius* vberius. Plus roborant, quam purgant caput, neruos, oculos, ſenſuumque organa, ad quæ potiſſimum directa videntur. Aromata enim, & ſemina attenuantia, quorum farragine purgantium facultas penè oppreſſa & offuſcata eſt, pituitam incidunt, tenuant, digerunt, coquunt, & humores tenaciores ad faciliorem eductionem parāt, caput, cerebrum, neruos, oculos, ſenſoria, ſtomachum, inteſtina, roborant, ſpiritus illuſtriores reddunt, acuunt, augent, *viola & roſæ* ſuaui ſua temperie cæterorum acrimoniam tēperare & ſpiritus demulcere, atq; ſerenare conantur, *myrobalani* ſenſuum organa roborant, &c. vt autem ad oculos eorumq; aciem acuendam, roborandamque formaliores reddātur, faciunt cum primis *euphraſia, ſuccus ſemenque fœniculi, chelidonium,* & *ruta*, quod & ſuo rhythmo exprimit ſchola Salernitana.

Fœniculum, verbena, roſa, chelidonia, ruta,
Subueniunt oculis dira caligine preſſis.

Euphraſiæ apud vetuſtiores nulla fit mentio, cuius vſum ante annos præter propter ducentos, rei medicæ ſcrutatores, ad oculorum caligines, & morbos pituitoſos inuenere, & experti ſunt, ſaluberrimum, vnde & ophthalmica ſeu ocularis dicta eſt. Calida eſt & ſicca, ſaporis amari, quoquo modo adhibita, viſui conducit. Vtuntur ea exſiccata, & recente ad omnia oculorum vitia, quæ viſus claritati officiunt, quare trita & impoſita, aut ſuccus inſtillatus caligines delet, aciem reſtituit. Idem præſtat exſiccatæ puluis, ſi tribus eius partibus, cum vna *macis* remiſtis, cottidie mane cochlearis menſura ſumatur, per ſe,

Euphraſiæ ſeu ophthalmica virtus.

Ad oculorum affectus remedium ex euphraſia.

ſe, aut cũ *ſaccharo* vel *vino*. Neq; ſolum oculorum aciem, ſed & memoriam ſingulariter roborat, amiſſamque reparat. Arnoldus de Villa Noua *vinum euphraſiatum* parat, muſto herbam infundẽdo, cuius vſu ſenum oculi reiuueneſcant, & quodcunque viſus impedimentum remoueatur.

Vinum Euphraſiatum Arnoldi Villanouani quibus conducat.

Vbi obſeruandum, iſto haut vtendum *vino*, quin corpore & capite exquiſite purgatis; deinde idem oculorum affectibus ex calida cauſa ortis, nõ tam conducere, quam nocere, quod & ego fluxione calida vexatis euenire memini. Pena notat, quendam ſuum ſodalem, qui primum ſimplici fluxione laboraſſet, iſtius vini vſu, earum inundatione adeo oppreſſum, vt pene oculis priuatus ſit. Proinde ſenibus & qui frigidis pituitoſiſq; oculorum affectibus laborant vinum potius conducit, cæteris vero puluis & decoctum rationali lege temperatum.

Chelidonium latinis hirondinaria, calfacit & ſiccat ordine tertio completo, abſtergendi & incidendi vim obtinet inſignem. Plinius *lib. 25. c. 8.* hirundines, vnde nomen ſortita eſt, huius herbæ vſum primũ commonſtraſſe mortalibus, ſcribit. Cum enim hirundinum ſtercus, quod viſui maxime detrahit, vti etiam ſacra pagina dictitat, teneros pullorum oculos corrumpit, excæcatis feruntur parentes admota hac herba viſum reſtituere, quod ſi ne fabulis cæteris ſit accenſendum, vti vult *Cornel. Celſ. lib. 6. cap. 16.* ſiue vero ſit conſonum, in medio relinquimus, & experientiæ fidem facimus, quæ teſtatur, potiſſimis oculorum remediis pro viſus claritate vindicanda cõparatis, recte miſceri chelidonium, quæ id, quod craſſum circa pupillam colligitur, digeſtione & diſcuſſione remoueat.

Chelidonij virtus ad oculos.

Proinde *ſuccus è tota planta, folijs, floribus & radicibus expreſſus*, viſum acuit, oculorum maculas & nubeculas, argemas, & cicatrices inſtillatus delet. Verum cum acerrimus ſit, monente Matthiolo, ſyncerus inſtillandus non eſt, ſed benignioribus permiſcendus, vti *lacti muliebri, aquæ roſaceæ, florum cyani, liliorum alborum*, & ſimilibus. *Radix* dolori dentium confert, & *ſuccus* cauitati inditus eos frangit & eiicit. Decoctum ex *vino albo cum ſemine aniſi*, commendat Galenus ad ictericiam, ex iecoris obſtructione, quo ſecundum methodum medendi characteriſticam Paracelſiſtarum nihil præſentius eſſe oportet.

Collyrium ex chelidonio.

Ad ictericiam.

Aëtius *ſuccum chelydonij inſpiſſatum, & in trochiſcos redactum*, ad omnia epatis mala eiuſque atoniam corrigendam, vniuerſim commendat. Ego in affectibus epatis frigidioribus, & cachecticis, me eius *ſucco* ſynceriore, *ſyrupis miſto vel inſpiſſato*, cum ægrorum ſingulari emolumento vſum eſſe cõteſtari poſſum. Sed & accurate notandum, *chelidonij ex aceto decoctum*, optimum in peſte & peſtilentialibus febribus eſſe remedium, ſi rite vſurpetur, ſudorque promoueatur. Ob-

Succus chelidonij inſpiſſatus epatis ſpecificum remedium.

Peſtis remedium chelidonium.

ſeruatum

ſeruatum eſt, infectos, quibus tempeſtiue & mature ſatis, ante videlicet virium omnimodam proſtrationem exhibitum fuerat, & item alios aliis præſtantiſſimis fruſtra adhibitis, huius vſu à peſte & febribus malignis conualuiſſe.

Ad febres malignas.

Ruta ſylueſtris in quarto *hortenſis* in tertio eſt calidorum ſiccorumq; ordine, guſtu acri & amaro, vt craſſos lentosque humores incidere, vrinas ſtrenue mouere, inflationes coli, vteri & recti inteſtini ſedare, Veneris appetitum & ſeminis prouentum, vi valenter ſiccante inhibere poſſit. In viris fertur ſemen, quod acre & calidum eſt, conſumere, & potentiam aphrodiſiam extinguere, ſecus, quã in fœminis, quarum frigidius ſperma concoquit, & ad libidinem incitat. Verum, cum in his, etiam extinguẽdo ſemen, hyſtericas ſuffocationes ſiſtat, an huic ſententiæ per omnia credendum, ambigo. *Cruda, ſale condita, & comeſta*, viſus aciem intendit, quamobrem antiqui ſculptores & pictores ea affatim veſcebantur. *Rutæ, & fœniculi ſuccum, cum melle remixtum*, ad acuendum viſum vulgo vſurpant. Aduerſus quæcunque lethalia venena facit, ſumpta vel admota. *Folia* vel per ſe præſumpta, aut cum *nuce iuglãde aridáq; ficis* ineſſicaces venenorum vires reddunt & ſerpentis virus retundunt. Pompeius Mithridate deuicto, inuenit manu regia conſignatam antidotum, ex *duabus nucibus ſiccis, & totidem ficis*, cum *rutæ foliis viginti, ſimul tritis, addito grano ſalis*, quæ à ieiuno ſumpta aduerſus omne venenum præmuniat. Cum *anetho ſicco decocta*, ſedat tormina, facit ad pectoris laterumq; dolores, difficultatem ſpirandi, tuſſes, coxendicum articulorumque cruciatus & horrores febrium circuitu repetentes. Fœminas à vuluæ ſtrangulatu liberat, ſi à genitali ſedetenus ſubiiciatur.

Rutæ virtus.

Ad oculorum aciem acuendam.

Contra venena.

Antidotus Mithridatis aduerſus venena.

Ad tormina, vteri ſtrangulatus, pectoris laterumq; dolores.

Pilulæ hyſtericæ ex *Galbani*,
ſagapeni,
caſtorei ana p. æ.
cum ſucco rutæ rite componuntur.

Ad capitis dolores ex *oleo roſato & aceto* illita prodeſt. Iuxta Dioſcoridem trita & naribus indita ſanguinem profluentem ſiſtit.

Fœniculum Græcis *marathrum ſemine* præſertim excalfacit, tertio, ſed nõ eodem inſtar rutæ, verum primo ordine ſiccat, quocirca lac procreat, vrinas & menſes pellit, viſcerum renumque infarctus expurgat, calculos exigit, tormina tuto & valide ſedat, ſuffuſis auxiliatur. Democritus exiſtimauit, ſerpentes & vermes venenatos, *recẽtis fœniculi ſemine* paſtos, ſenectã exuere, oculorum aciem eius ſucco reficere initio veris, vnde intellectum eſt, hominum quoque caliginem eo præcipue releuari. Aciem itaque oculorum reficit, virulentarum beſtiolarum ictus ſanat, flatus diſcutit, quod eſt in verſu ſcholæ Salernitanæ:

Fœniculi virtus.

Semen fœniculi pellit ſpiracula culi.
&

Bis duo dat marathrum, febres fugat, atque venenum,
Et purgat ſtomachum, lumen quoque reddit acutum.

Succus viſum acuit, auribus inſtillatus, vermes necat, ſtomachum roborat, nauſeam ſedat, calculum, vrinam, & menſes pellit, lac multiplicat. Radix recens nonnihil purgat, & cum vino cocta, prodeſt hydropicis. *Herba viridis in lacte bubalo decocta*, lac mulierum mire auget; quidam ex *ſeminis* ℥ ß. *& ſacchari* ℥ iij. puluerem in eundem vſum nutricibus conficiunt.

Ad augendum lac.

Seſeli, officinis vulgo *ſiler montanũ*, quatuor conſtat ſpeciebus, videlicet *Maßilienſi*, *æthiopico*, *Peloponenſi*, *& Cretico*. Iuxta Galen. *lib. 6. de ſimp. facul.* calfacit & ſiccat ordine ſecundo, & eſt tenuium partium; in vſum venit *radice* & *ſemine*, ſed hoc frequentius. *Maßilienſe*, *Peloponẽſe & Æthiopicum* eiſdem prædita ſunt viribus, inter quos tamen præcellit *Maßilienſe*. Valet ad flatus diſcutiendos, ſtomachi viſcerumque concoctionem iuuat, craſſos humores extenuat, vrinas mouet, menſes fœtumque excludit, tuſſim veterem ſanat, orthopnoicis medetur, comitialibus & ſuffocatis opitulatur.

Virtus ſeſeleos.

Apium, aliud *hortenſe*, aliud eſt *paluſtre*. *Radice & ſemine* in vſum venit: in illa tamen vis maior. Calidum ſecundo, & ſiccum tertio receſſu, cerebro eſt inimicum, proprietate enim quadam humores ad eius ventriculos pellit, vnde epilepticos paroxyſmos irritat, fœtui pariter & mulieri lactanti infenſum. Cur itaq; in hanc venerit compoſitionem, non video.

Venarum, arteriarumque obſtructiones abſtergendo attenuandoque ſoluit, flatus diſcutit, contra ſerpentũ venena facit, anodynis, thoracicis & pectoralibus ad tuſſim remediis, vtiliter miſcetur. Mamarum duriciem ex lacte concreto diſcutit impoſitũ. *Succus apij* ad detergenda & expurganda vlcera & abſceſſus eſt efficax, & in plurimo ſaluberrimoq; vſu.

Succus apij optimum eſt deterſiuum vlcerum.

Petroſelinum vulgare, Plinio *apium ſatiuum*, Græcis *ſelinum* dicitur, calidum eſt ordine ſecundo & ſiccum tertio. *Foliis, ſemine & radice* obſtructiones tollit, vrinas ciet, renes & veſicam abſtergit, eorumque calculos comminuit, & ad hæc foris cum fotu tum inſeſſu confert.

De cæteris ingredientibus *ſupra* actum eſt. *Carpobalſamo* ſubſtituuntur *cubebæ*, ſed quia hæ alioquin ingrediantur, *cardamomum minus* aſſumatur.

Etiamſi à maioribus magna ſimplicium & aromatum confundatur farrago, vt purgantium facultas aliquo modo obruta videri poſſit, tamẽ non ſine omni iudicio compoſitas eſſe, apparet, quod auctor conſiderando cerebri neruorum opticorum & oculorum ſpirituumque ſubſtantiam, conſtructionem, & temperiem, blandis catarcticis quæ plura roborantia & reficientia, quam turbantia cõiuncta haberent, aliquo tẽporis

Quomodo cerebro, oculis & ſpiritibus animalibus hę pilulæ proſint.

poris ſpatio continua ſerie exhibitis, tractanda putauit. Non enim ferunt nobiles, & delicatæ iſtæ partes vehementes purgationes, ſed mitioribus, quibus eaquæ conſtitutionem eorũ proprie roborant, ſunt miſta, rite curantur. Modeſta eorum doſis ℨ ij. capere poteſt. Si vero pituitæ, vel bilis euacuatio magis ſit neceſſaria, Manardus ad hanc vberius ducendam aureis, ad illam cochicis hasacuere ſuadet.

Maiores potiſſimum ad vſum vocantur: minores propter *lapidem lazuli* de cuius natura & virtute vide *lib.* 2. ad purgandum melancholiam magis videntur directæ.

CAP. XL.

Pilulæ, ſine quibus eſſe nolo, Nicolai.

℞. *Aloes lotæ* ℨ xiiij.
myrobalanorum flauorum,
cepulorum,
belliricorum,
Indorum,
Rhabarbari,
maſtichis,
Abſinthii,
roſarum,
violarum,
ſenæ,
Agarici,
caſſutæ ana ℨ j.
Diagrydii ℨ vi ſ.
ſucci fœniculi quantum diagrydio per pannum colando, & cæteris pulueribus comprehendendis ac in maſſam cogendis ſatis ſit, quæ manibus oleo violato, aut amygdalino peruunctis, pro artis præcepto formetur.

Hodie Pharmacopœi pulueres tritos cum *ſucco fœniculi* miſcent, adiecto ſub finem *ſcammonio* per ſe trito. Alii *ſcammonium* per ſe tritum cæteris pulueribus miſcent, quos *melle, cum quo ſuccus fœniculi coquendo conſumptus ſit*, excipiunt.

Pilulas lucis merito in ordine proxime ſequuntur illæ, quibus auctor titulum fecit, *ſine quibus eſſe nolo*, quod propter ſummam neceſſitatem eas ſemper debeamus habere paratas ad manum. Sunt enim pariter ad oculorum affectus directæ, & efficaciores, vt quod illarum ope effici nequiuerit, harũ poteſtate perficiatur. Compoſitionem, qui examinant, eas bilem humoremq; melancholicum dragmæ pondere extrahere docent, *Aloen* adiutam à *myrobalanis, chebulis, emblicis, belliricis & agarico* pituitam trahere, *diagrydium* vi colliquante frigidum iſtum humorem in auxilium venire, *ſenam & myrobalanos Indos* atrum & melancholicum elicere humorem. Verum enimuero bilem hoc remedio ex capite, & ab oculis ſatis commode duci, idque vi *diagrydij*, cuius grana decem poſſidet dragma huius fabricæ quælibet, ad quam *aloes, Rhabarbari & myrobalanorum citrinorum* virtus accedit, non eo inficias, quamuis *aloe* in ſingulas dragmas vix grana viginti duo, & *Rhabarbarum*

duo

duo ad ſuppetias conferat, adeo vt vis cholidocha vni *diagrydio* plurimum imputanda, cuius tamen doſis ad ſufficienter, & correctio ad beneuole purgandum ſatis bene conſtituta eſt. Verum cum *agarici* & *myrobalanorum* ad purgandum pituitam, & *ſenæ Indorumque* ad melancholiam trahendam, vix duo grana in qualibet concurrant dragma, quomodo hoc pharmacum ſimul poteſt eſſe phlegmagogum & melanagogum? Dices, virtutem horum acui à *diagrydio*: atqui ea, quæ acuuntur, maiori vulgo quantitate ponuntur, & acuentia minori vtpote granorũ pondere. Imo quomodo duo gr. *ſenæ* vel *agarici* ab alio diuerſæ naturæ remedio purgante ſic poſsũt acui, vt ſibi correſpodẽtẽ humorem educant? Abſonum hoc eſt. *Agarici turpethiq;* ſcrupulos & dragmam ad vberius ducendam pituitam paucis *diagrydij* granis acui poſſe, non nego; duo autem eorum grana, copioſo adiecto *diagrydio*, ad eandem ducendam intendi pernego, quod *diagrydij* talis quantitas, q̃ ſuæ doſis menſuram accedat vel ſtatuat, non alios, ſed ſibi familiares humores attrahat. Si reponas, quodlibet purgans primo humorem ſibi deſtinatum, deinde & cæteros educere, ex eo ſequetur, omnia purgantia tam ſimplicia, quam compoſita eſſe catholica. Ducunt equidem omnia catarctica primo ſibi appropriatum humorem, dein etiam alium vel alium; omnes vero, ab vno ſimplici, ſimul exturbari, per accidẽs contingit, cum copia nimia aut malignitate laceſſita natura, non ſolum ad ſuperuacaneorum, ſed etiam ſanguinis, quem tamen nullum pharmacum proprietate extrahit, effuſionem irritatur; aut cum exhibitum purgans, peculiarem ſuum humorem non inueniens, ad alterius, qui copioſe inſit, expulſionem, ſtimulet naturam. Vti enim vi ſpecifica peculiarem & correſpondentem attrahunt humorem, ita irritatrice & naturæ inimica qualitate ſæpe aliquid alterius exprimunt materiei.

Quomodo purgantia alium, quã quem proprie reſpiciunt, & morem vacuent.

Statuimus itaque, bilem hoc remedio ſatis cõmode, è cerebro, neruis & oculis educi, qui vero alios vna extrahere velit, eum oportere horum, quæ eos trahant, doſin augere, aut intenſiore vi id perficientia miſcere.

Ducunt autem hæ pilulæ ſine moleſtia humorem à capite calidiorem, & proſunt oculorum ſuffuſionibus, obſcuritatibus & caligini, viſum cuſtodiunt à prauis ſuperfluitatibus, aurium dolorem ſanant, iliacos iuuant. *Aloes* calor lotura remittitur, *mirobalani*, *roſæ*, *violæ*, *maſtiche* vim *diagrydii* excedentem ſuauiter temperant, ventriculum roborant, aſcẽſum vaporum ad caput prohibẽt. Proinde non ſolum capiti, ſed & ventriculo multis ſuperfluitatibus ſcatenti, & illi potius, ſi ex conſenſu eius oculorum capitiſue affectus foueantur. Neque inutiles erunt ad dolores articulorum, & febres bilioſas, materia iam cocta & obſtructionibus

nibus reſeratis. Doſis ℥ j. vt ex ſupradictis liquet.

Cap. XLI.

Pilulæ de octo rebus ſeu octomera Nicolai Præpoſiti.

℞. *Aloes,*
Diagrydii ana ℥ ij.
epithymi,
colocynthidis,
Agarici,
Maſtiches,
Dauci Cretici,
Myrobalanorum chebulorum
abſinthii ana ℥ j.
Cum ſucco ſolani formetur maſſa.

Ad caput & oculos cum etiam directæ eſſent hæ pilulæ, cæteris eiuſdem intentionis & virtutis harum ſubiungere deſcriptionem æquum fuit.

Ratione *diagrydii*, cuius in ſingulas dragmas tredecim, totidemq; *aloes*, grana aſſumũt, bilem ſatis ſtrenue ducũnt, pituitam verò beneficio *colocynthidis & agarici*, quorum cuiuſque ad ſingulas dragmas ſex grana accedunt, non inſtrenue extrahunt.

Tantam vero fortiter purgantium quantitatem & inſolentiam non eſſe, iuſta refrænantium & corrigentium idoneorum mixtione coercitam & temperatam, ipſa ſtructura indicat. Licet *aloe, mirobalani & maſtiche, diagrydii* præcipitantiam quodammodo remorari poſſint, tamen nullum proprie ſpecificeque corrigens pro *colocynthide & agarico* inſertum eſt. Proinde corrigentibus & temperantibus cõpoſitio eſt ſtabilienda, aut cum in vſum vocatur, correctioribus vt *alephanginis* &c. miſcenda.

Dauci tria ſunt genera, *Italicus, Creticus, & vulgaris*, qui in Germania & Bohemia *coriandri foliis & ſemine cumino* ſimili prouenit. *Daucus* omnis calfaciendi & extenuandi facultatem acrimoniamque obtinet. *Agreſtis domeſtico* potentior eſt; vrinas ciendi, menſes, ſecundas & fœtum mortuũ expellendi vim habet. *Semen* cæteris plantæ partibus præfertur, quod adeo vehementer impellit, vt etiam calculos excludat.

Radix & ſemen domeſtici flatuoſum quidpiam & venerem ſtimulandi virtutem complectuntur. Inſignis eius eſt vſus ad matricis adfectus, & tormina à partu, & colicos à flatu cruciatus. Lienem, renes & eparaperit, icteritiæ & calculo medetur, fœminarum ſterilitatem abigit. *Daucus vteri affectibus medetur, & colico cruciatui.*

Cap. XLII.

Pilulæ de nitro Alexandri Tralliani Diacolocynthidos dictæ.

℞. *aloes,*
colocynthidos,
ſcammonei,
bdellii,
Hellebori nigri præparati,
Gummi arabici ana ℥ ij.

Euphorbii præpar.
nitri ana ℥ j.
Cum ſucco braßicæ &
melle cocto fiat maſſa.

Alexander has pilulas de *colocynthide* nominat, & tribus in locis, videlicet *capite de hemicrania, epilepſia & paralyſi* harum deſcriptionem tradit, ſed neutram alii reſpondentem. Recentiores cum animaduerterent, partim eorum, qui recenſuerunt, partim typographicis erroribus id commiſſum collatione inter illas & hãc, quam Meſue *capite de epilepſia tradit*, facta, numeris ſuis redintegratum & ad mentem auctoris reformatum hoc nobis ſchema reſtituerunt, cuius vſu rite & rationaliter inito nõ infœliciter perfruimur. Simplicium purgantium vires, præparationes, & doſes ex *ante* dictis & *libro ſecundo* ſatis ſuperque innotuere.

Bdellium quid ſit. *Bdellium* Arabicæ arboris lacruma eſt, probatur guſtu amarum, translucidum, inſtar taurini glutinis, intus pingue, ſuffitu odoratum, vngui ſimile. Quidam puriores eius partes verum *bdellium*, minus puras *mirrham* eſſe, perperam ſentiunt. *Vires.* Calfacientis & emollientis eſt virtutis, coquit & modice digerit, duricies & bronchoceles, & hernias aquoſas diſcutit, ieiuna ſaliua ſubactum. Malagmatis additur cõtra durities & neruorũ nodos. Vuluæ ſpiracula laxat appoſita, ſuffitu partus & humiditates extrahit. *Ad calculum.* Calculos pota comminuit, vrinam ciet, tuſſientibus & à ſerpentibus demorſis vtiliter datur; valet ad rupta, vulſa, laterum dolores, & diſcurſantes ſpiritus. Recentius humidum, pingue & reſinoſum magis emollientis eſt virtutis, antiquum guſtu amarum, acre & ſiccum ab eorum, quæ indurata emolliunt, mediocritate excedit.

Nitrum Arabibus *Baurach*, antiquorum ab vſu noſtro propter penuriam receſſit. *Baurach* Recentiorum factitium, quamuis in aliquibus veterum qualitates imitetur, tamen non eſſe ad internos vſus recipiendum monet Matthiolus. Contra teſtatur experientia cotridiana, id ſalubriter intus etiam vſurpari, & præſtantiſſima ex eodem comparari remedia. *Spiritum* enim *nitri* noſtri factitii ad paſſiones colicas mirifice vtilem multi ſunt experti. *Nitri ſpiritus & vſus.* *Lapidem prunellæ ſeu nitrum cum ſulphure* vel *ſalis ammoniaci* deflagratione fuſum ad tunicæ linguæ & œſophagi palatique inflammationem, ſitim, æſtum præcordiorum, pleuritidem, febres igneas, cauſodes & malignas ſummaſque putredines, maxime vtilem eſſe, ipſamet iamdudum teſtatur experientia; *Conducit febrium ardoribus pleuritidi & prunellæ.* Chirurgi caſtrenſes eius facultatem obſeruarunt præſtantiſſimam, in reſtinguenda vſtione à puluere pyrio, vi bombardarũ vel ſcloppettarum in corpus adacta. Internos enim calores & vſtulationes, puluere *nitri præparati* cum ſyrupis & aquis refrigerantibus exhibito, præſentanea ope compeſcunt. *Sal nitri* ad ℥ iß. exhibitum, craſſas educere materias, teſtatur

mes at. teſtatur Braſſauolus. Pueris ℈j. pondere exhibitum necare vermes, iam ſatis probatum eſt. Datur illis commode cum *ſaccharo & cinamomo* ex iure quopiam.

Gummi Arabicum verum, ex *acacia* Ægypti *ſpina* non habetur; ſed eius loco hodie, quod ex Perſicis, prunis, & ceraſis colligitur, officinæ ad vſum recipiunt; id præfertur, quod vermiculorum in morem contractum eſt, & vitri modo pellucidum ac purum. præſtantiſſimum è prunis colligitur. Refrigerat & ſiccat, eſtque facultatis emplaſticæ, quamobrem omnibus medetur aſperitatibus, nec ventriculum relaxat. Cutis meatus obſtruit, & medicamentorum, quibus miſcetur, acrimoniam hebetat.

amen. In hoc itaque medicamento *bdellium* reſinoſo ſuo lentore, & *gummi Arabicum* refrigério terreſtri & emplaſtico inſolentem *euphorbij, ſcammonij & colocynthidis* vim & acrimoniam ſummam coërcere & ligare debent; ſimulque *ellebori* potentiam elatiorem mitigare. *Aloe*, vt *omnium purgantium prædicatur corrigens*, ita hic quoque eorum acumen remittere debet. *Valentia* enim *remiſsis miſta remittuntur*. Cũque, operæ pretium ſit, violenta & virulenta iuſto diutius in corpore nõ detineri pharmaca, ex lentorum adhæſu, adiectum eſt *nitrum*, quod eorum exitum promouet, & ſi quid maligni inſidere moliatur, extergat, internoſque calores & igneam acrimoniam temperet. Vtile fuiſſet in hanc compoſitionem ex acutiſſimarum & acerrimarum virium ſimplicibus cõſtantem plura magiſq; appoſita corrigentia, & quæ naturam contra eorum inſolentiam certius munire poſſint, miſcere.

Quæ itaque aſſumuntur ſimplicia, vti *euphorbium*, *colocynthis*, *diagrydium & elleborus niger*, ea oportet primum accuratiſſime corrigere, quod quibus modis perficiatur lib. 2. vidimus. Securius vſurpantur hæ pilulæ, ſi aliis, quorum vis non adeo acuta, quæque magis ſint correctæ, miſceantur.

Quælibet dragma habet *colocynthidis*, *diagrydii ellebori nigri ana gr.* viij. *cum dimidio*, *Euphorbii gr.* iiij. vt in vniuerſum teneat grana viginti octo violentiſſime purgantium, dantur à ʒß. ad ℈ij. cum ℈j. vel dimidio aliarum mitiorum, vel magis correctarum, vti *alephanginarum*, *hieræ ſimplicis*; *arabicarum* vel ſimilium, aut cum *aloe inſuccata*. Doſis.

Mirari ſubit Foeſium, qui ſcribit, à tribus vel quatuor ſcrupulis ad ſex ſine moleſtia dari, quæ quantitas tres iuſtas ſimplicium purgantium complectitur doſes pro robuſtiſſimo quocunq;.

Conducunt ad pertinaces capitis, cerebri, & neruorum affectus ex pituita craſſa tenaci, & humore melancholico atrabilario, vſtoq; natos, ad hemicraniam, & inexpugnabilem capitis dolorem, epilepſiam, paralyſin, vertiginem, iſchiadicos iunctu- Vires. Quibus conducant morbis.

rarumque dolores. Muſa Braſſauolus inquit: *à capite vehementer educunt, ab extremis partibus & iuncturis omne materiarum genus tam craſſarum, quā tenuiū, pituitoſarum, atrabilarium & bilioſarum expurgant. Inueni*, inquit, *has pilulas in iuncturarum doloribus miras, in podagra, chiragra & capitis dolore, in gallico cruciatu, ea vidimus, quæ dictu fere incredibilia*, hactenus ille.

Ad arthritidem cephalæam, Gallicam luem.

Ad hanc luem multi ſingulariter his vtuntur pilulis, quod non niſi vicioſorum & contumacium ſuccorum, pituitæ videlicet, & melancholiæ fortioribus euacuationibus, cedat & concedat.

Cap. XLIII.

Pilulæ de colocynthide Meſuæ ſeu Ioannis Damaſceni.

℞. *pulpæ colocynth.* ℥ vj.
Mirobalanor. Indor.
citrinor.
ſagapeni,
bdellii,
ſarcocollæ ana ℥ v.
aloes ℥ vij.
Nigellæ,
cumini carmeni Oriental.
origani Cretici,
Naſturcii albi ſatiui,
ſalis gemmæ,
abſinthii Romani ana ℥ j.
ſucci porri quantum ſufficit.

Baſin huius compoſitionis conſtituit *colocynthis* quam præparatam & in trochiſcos conformatam recipi debere, ex antecedentibus notum eſt. Huic adduntur, quæ ipſius violentiam cicurant, virtutem requiſitam, ad cerebrum, neruosque magis dirigant, & mediocriter iuuent. *Sagapenum* ſingulari proprietate vim *colocynthidis* exorbitantem delinit, & nihilominus intentionem eius mirifice iuuat.

Quomodo autem ſpecifice corrigat *colocynthidem* vide *lib. 2. c. de capite proprio*, ducit etiam craſſos & viſcoſos humores, à cerebro, neruis, iuncturis, vtero, inteſtinis & veſica, confert cephaleæ, hemicraniæ, epilepſiæ, paralyſi, conuulſioni, vertigini adeoq; efferam *colocynthidis* vim temperat, & in operatione ad loca affecta deducit. *Sarcocolla* omnia hæc ſed tamen remiſſius præſtat. *Examen.*

Nigella calfacit & ſiccat ordine tertio, eſt tenuium partium, amara, calefacta & fricta, odoratu deſtillationes ſiſtit, cerebro opitulatur, ſumpta flatus diſcutit, lumbricos interimit, orthopnæam iuuat, menſes ob viſcoſitatem & humorum craſſitiem detentos iuuat, & vtilis eſt, vbi inciſione, exterſione, deſiccatione, & calefactione opus eſt. *Nigellæ vires.*

Naſturcium calidum & ſiccum ordine tertio adurentis pene facultatis, excalfacit, attenuat, incidit, extrahit, reſoluit, confert aſthmaticis, lienoſis, ſcorbuticiſque ex *oxymelite*. Viſum & animum acuit. *Naſturcii vſus.*

Origanum calidum ſiccumque ordine

dine tertio calefacit, digerit, incidit, reſoluit, ſiccat. *Succus* bilem educit, lienoſis ex *aceto* potum confert, menſes peculiariter ciet, omnis generis obſtructiones aperit, acida ructanti prodeſt, tuſſientibus ex *melle* datur, ſtomacho faſtidienti & nauſeæ marinæ medetur.

Origani vires.

Cumini facultates.

Cuminum pariter ordine tertio calefacit & ſiccat, nonnihil adſtringit, tormina inflationeſque diſcutit, ventriculum roborat, albos mulierum fluxus, menſiumque abundantiam cohibet, ictericis & ſtranguria affectis vtiliter datur, vrinas promouet, tritum in aceto & naribus obiectum ſanguinis profluuia cohibet.

Sal gemmæ.

Sal gemmæ extenuat, purgat, extergit, diſſipat, reprimit, adſtringit.

Porrum excalefacit, craſſos humores extenuat, glutinoſos incidit, vrinam & menſes pellit, ad thoracis vitia prodeſt. *Succus* cum *aceto* & *manna thuris*, hæmorrhagiã narium ſiſtit, fertur enim aliquid adſtrictionis & proprietatis pariter ad illam rem habere.

Porri ſuccus ſpecificè hæmorrhagiam narium reprimit.

Ex ingredientium examine & anatomia liquet, *myrobalanos Indos & citrinos*, *ſagapenum*, *bdellium* & *aloen colocynthidis* violentiam refrænare. *Aloen* & *mirobalanos* bilis nonnihil in vehiculum craſſæ viſcidæque pituitæ allicere, & hos ſimul cor, ventriculum, & epar aduerſus *colocynthidis* malignitatem munire. Cætera cerebrum, neruos, neruoſaſque partes, articulos, vterum & veſicam reſpiciunt, ventriculum & inteſtina calore ſuo recreant, pituitam incidunt, attenuant, liquefaciunt, & vt obſequatur trahenti pharmaco, diſponunt, meatus & viſcera aperiunt, torpentes in ſoporiferis affectibus ſenſus excitant, *Abſinthium* & *ſal gemmæ* aperiunt, abſtergunt, roborant.

Quibus conducat affectibus.

Conducit itaque affectibus cerebri, neruorum, articulorum, vteri & remotarum neruoſarum partium, à craſſa pituita ortis, vti epilepſiæ, caro, lethargo, paralyſi, ſtupori, conuulſioni, antiquo capitis & articulorũ dolori, menſibus remorantibus, contumacibus viſcerum à craſſo humore obſtructionibus, melancholicis, alphis & vitiis cutaneis. Quælibet dragma habet *colocynthidis* gran. nouem. Doſis à ℈ iiß. ad ℈ iijß. *Doſis.*

CAP. XLIIII.

Pilulæ de agarico D. Meſuæ.

℞. *agarici,*
Iridis,
Marrubii ana ℥ j.
Turbith ℥ v.
ſpecier. hieræ picræ Galen. ℥ iiij.
colocynth.
ſarcocollæ ana ℥ ij.
mirrhæ ℥ j.
ſapæ quantum ſufficit.
fiat maſſa.

Ordinis ratio & tranſitio.

Pilulis cephalicis, quæ cerebrum, neruos & ſenſoria potiſſimum con-

cernunt excuſſis,ad illa remedia,quæ pectus,lienem,vterum, aliaſque partes reſpiciunt,peruenimus. De ſtomachicis & epaticis *paulo ante* in lenientium examine vidimus.

Pilularum de agarico intentio, & operatio eſt,craſſam & viſcoſam pituitam è thorace,pectore & ſpiritalibus partibus potiſſimum educere, ad quarum baſin ſtatuendam confluunt *agaricus, turbith & colocynthis.* Ille reſpicit pectus & primario inde pituitam educit,quodq; non facit *agaricus*, efficit *turpethum*, & quod huic minus obſequitur, pmouet *colocynthis*, adeo ſocia & coniuncta vi à pectore craſſa & tenacia educunt. *Colocynthidis* vim corrigit & iuuat *ſarcocolla*, quæ proprie à pectore & neruoſis partib⁹ ſpiſſum phlegma trahit, & emplaſtica glutinoſaque qualitate, illius violentiam temperat, & amarore, qua etiam prædita eſt pectoris infartus expedit.

Examen.

Species hieræ picræ agaricum & turpethum corrigunt,horum virtutem intendunt,irritant & excitant. *Mirrha, iris & Marrubium* pectus reſpiciunt & in illo contentam pituitam incidunt, attenuant, ductilem faciunt & ad exitum promouent.

Mirrha.

Mirrha enim tuſſi veteri,aſthmaticis, orthopnoicis, pectoris laterumq; dolore afflictis,abſtergendo, calfaciendo,& ſiccando prodeſt, abſterſione grata non exaſperante arteriacis opitulatur.

Iris affectus pectoris ex frigida cauſa natos potiſſimum reſpicit,craſſam ibi collectam pituitam incidit,attenuat,expurgat, eiuſque & iecoris, lienis,renum obſtructiones reſerat, icteritiam ſanat,vrinas exigit, recipienda florentina.

Marrubii vires.

Marrubium,quod & *praſium* & *ballote* Dioſcoridis, calidum in ordine ſecundo completo, & ſiccum medio tertii, thoracem & pulmonem expurgat, *ſuccus* iuxta Dioſcoridem vtiliter cum *melle* datur ſuſpirioſis, tuſſientibus, & ad tabetudinem redactis. Iecur & lienem obſtructione liberat, epaticis & aqua intercute laborantibus prodeſt, menſes promouet, relictas à partu ſecundas ducit, vermes necat. Iuxta Dioſcoridem craſſam è pectore pituitam cum *Iride* eiicit. *Succus* per nares morbum regium purgat, cum *melle* illitus viſum acuit, auribus inſtillatus inueteratos dolores tollit, obſtructiones auffert.

Decoctum ad Icteritiam.

Ex *marrubii* ℥ ij.
radic. cichorei vel bugloſſi,
elenii,
eupatorii ana ℥ ij.
Rhabarbari,
agallochi ana ℥ iß.
cum vino albo paratur decoctum
præſtantiſſimum ad icteritiam ex craſſorum obſtructione prouenientem.

Recte hæc pilularum maſſa cum *ſapa* conformatur, quæ pectori grata & virtutis eſt aſſeruatrix optima.

Deſcriptionem Meſue tradit *capite de aſthmate prope finem.* Bauderonius fruſtra

fruſtra putat, Meſuen huic compoſitioni non addidiſſe *mirrham*, citatum inſpiciat locum, inueniet, quod inueniri pernegat. Sunt, qui *crocum* addunt, neque id inepte, quod pectori maxime dicatus ſit, verum Meſuæ ſyſtema illum non comprehendit. Auicenna pilulas ex *agarico* deſcribit pondere potiſſimum variantes. Serapio eaſdem mutato nomine tradit, & pilulas pectus abſtergentes vocat. Habet etiam alias de *agarico* non pectorales, ſed alterius intentionis.

Quibus proſint affectibus. *Pilulæ de agarico Meſuæ* craſſam & glutinoſam pituitam à pectore & ſpiritualibus partibus maxime educunt, earumque infartibus & obſtructionibus extricandis prope deſtinatæ ſunt, adeo, vt tuſſi veteri, orthopnæç, & affectibus pectoris à frigida cauſa natis ſpecialiter proſint. Interim à capite, cerebro, neruis, ſpina, meſenterio, ſtomacho & viſceribus craſſos & viſcoſos humores pariter euellunt, obſtructa reſerant, ſuperuacua educunt, quo nomine febribus diutinis optime proſunt. Et quia ſatis correctæ ſunt, doſis earum eſt à ℈ iß. ad ʒ iß. dragma vna modeſte purgat.

CAP. XLV.

Pilulæ de fumaria Auicennæ.

℞. *myrobal. citrinorum,*
chebulorum,
Indorum ana ʒ v.
Aloes ʒ vij.
ſcammonei ʒ v.
ſucci fumariæ q. ſ. eſt.

Omnia in puluerem redacta ſucco fumariæ iam dicto, comprehendito, ſiccarique poſtea ſinito: dehinc trita nouo ſucco rurſus excipito, ſiccato, & ſic tertium iterato, ac poſtmodum in maſſam formato.

Deductio ad lienis. Perſcribratis iis, quæ ſuperiorē & medium ventrem, hoc eſt, caput & pectus reſpiciunt, pilulis, ad has, quæ infimi ventris, vbi naturalis facultatis officina collocata eſt, partes concernunt, deuoluimur, cumque illa, quæ ventriculo epatique deſtinata erant, in lenientibus pertractauerimus, recta ad lienis pharmaca deferimur, initium capientes ab examine *pilularum de fumaria.* Quod nominis adeptæ ſunt, non ex hoc, quod illa baſin conſtituat, ſed quod ter quaterque imbutæ ſucco fumariæ, ſpecies demum ſyrupo eiuſdem conformentur in maſſam, cuius baſis, quod eſt *diagrydium*, ad aduſtos, retorridoſque omnis generis ſalſi phlegmatis humores educendum, eo ipſo dirigatur, & quaſi informetur. Iſte enim ſuccus, preterquam quod ſanguinem ab aduſtis, ſalſis, acribus humoribus per aluum & vrinas liberet, emundetque, epar & lienem deobſtruit & roborat. Præparatio harum rite inſtituitur, quando ſatis imbutis ſpeciebus, maſſa ipſa, nō cū ſimplici ſucco liquidiore, ſic n. ſubito in lapideā duritiem faceſſit, aut rauceſcet, ſed ad ſyrupi vel extracti ſpiſſitudinem redacto, coagmentetur, vel cum ſyrupo eiuſdem paretur. Magis adaptabis

bis inſtituto hanc pilularum maſſam, ſi ſpecies abſque *aloe* ſeorſim ter *ſucco fumariæ* imbuantur, hæc vero, modo *ſupra* cõmoſtrato peculiariter, quinquies vel ſepties, eodem nutriatur & inſuccetur, & ſi purgantiorem atræ bilis velis *ellebori nigri rite præparati extractum* duarum vel trium dragmarum pondere adiiciatur.

Compoſitio.

Lenes alioquin ſunt hæ pilulæ & ratione *myrobalanorum Indorum cepulorumque* bilem atram & pituitam modeſte ſollicitant; quibus *diagrydij* feruor pariter reſtinguitur, & concurrente *aloes* opera humorum eductio clemẽtior comparatur. Etiamſi quælibet dragma duodecim vel pene tredecim aut præter propter grana *diagrydij* obtineat, tamen, ſi quid notatu dignum educere debeant, quod eius virtus maximopere cæterorum mixtura ſit repreſſa & hebetata ad ℈ iiij. aſcendendum erit. Harum pilul. vſu viſcera deobſtruuntur, purgantur, roborantur, lien in primis à fæce melancholica & morbis ſibi familiarib. liberatur, ſanguis ſincerior & defæcatior redditur, eiuſque impuritas exuitur, vt ad febres quartanas & chronicas, ad corporis habitum emendandum & vitia cutanea, videl. impetiginem, ſcabiem, pruriginem, & pſoram, aliaq; mala ab humorum impuritia, ſalſedine & acrimonia oriunda proficiant.

Doſis.

Virtus & vſus.

Cap. XLVI.

Pilulæ Indæ Haly ex Meſue.

℞. *Mirobalanor. Indorum,*
Hellebori nigri præparati,
polypodii ana ℥ v.
epithymi,
ſtæchados ana ʒ vj.
agarici,
lapidis lazuli loti,
colocynthidos,
ſalis Indi aut gemmi ana ʒ iiij.
ſucci eupatorii inſpiſſati,
ſpicæ Indicæ ana ʒ ij.
Garyophyllorum ʒ j.
Hieræ picræ Galeni ʒ xij.
Fiat maſſa cum ſucco apii.

Præmiſſis ex liene viſceribus & ſanguine aduſtos, bilioſos & ſalſos humores modeſtius expurgantibus, ſequuntur quæ maiori & excellentiore ad ea perficienda ſunt virtute prædita.

Ingredientium vires ex ſuperioribus patent. In Meſuæ compoſitiones eiuſdem *Eupatorium*, quod *ageratum*, vulgo nominatur, recipiendum, id vero viſcera aperire, abſtergere, roborare, bilem & pituitam leniter purgare ex ſuperioribus notum eſt.

Stœchad. vires.

Stœchas calida eſt in primo, & ſicca in ſecundo gradu. Conſtat partibus igneis & ſubtilibus à quibus ineſt, vt ait Meſue, acuitas & amaritudo, & frigidis terreis, quarum vi nonnihil adſtringit. Sed acuitas amaritudinem, & amaritudo, vim adſtringendi ſuperat, proinde & ſubtiliatiua, reſolutiua, aperitiua obſtructionum, abſterſiua, putredinem prohi-

bens,

bens, & ex parte ſtipticitatis paucæ, confortatiua cordis, cerebri neruorum & viſcerum eſt. Educit bilem atram, cerebrum, neruos, & organa ſenſuum emundat, & quocunq; modo vſurpata eorum ægrimoniis ſuccurrit, quia vero languidè educit, vis eius acuitur *ſale gemmæ*. Si iungatur *ſquillæ*, vel huius *aceto*, præſtans euadit remedium ad epilepſiam & vertiginem, cum *lapide lazuli & ſale Indo* aliisque valentibus conducit ad melancholiam. Conuenit obſtructionibus epatis, ſplenis, & viſcerum, doloribusque neruorum & iuncturarum.

Stœchas cum aceto ſquillitico præſtans eſt remedium ad epilepſiã & vertiginem.

Ad melancholiam.

Syrupus de Stœchade quartanis & chronicis ex phlegmate febribus medetur.

Quid ſit Sal Indum.

Sal Indum eſſe *ſaccharum* è cannis Indicis lacrumæ in morem tranſudans, quo hodie deſtituamur, Medicorum præſtantiſſimi arbitrantur.

Succedaneum ſalis Indi.

Verum cum Indi ſuum habeant ſalem, & vel ex Orómeno monte copioſe effodiant, & *ſalem Indicum* cæteros præcellere Plinius dictitet, nulla ratione compellimur ad hanc aliasue compoſitiones purgantes, vbi *ſalis Indi* fit mentio, *ſaccharum* recipere; Quare *ſal gemmæ*, loco *Indici* ex Oromeno eruti, commode ſubſtituitur, quod *polypodii, epithymi, ſtœchados, agaricique* vim inſtigare ſimulque phlegmatis aliquid educere valeat.

Polypodiũ.

Polypodium bilem atram, & phlegma mucilaginoſum ducit, & ad ſplenis duriciem cum *ſale Indo* facit, eiusq; (Meſue dicente) inflationem, & obſtructionem tollit, & hypochondriacorum paſſionum eſt remedium. Vide *lib. 2. cap. peculiare.*

Epithymus

Pari ratione agit *epithymus*, viſcera deobſtruit, atram bilem & phlegma educit, hypochondriacis, quartanariis & ſcabioſis prodeſt.

Lapis lazuli.

Lapis Lazuli peculiariter è cerebro humorem melancholicum trahit, ſplenem purgat, & quoquo modo adhibitus melancholicis affect.b. opem fert. Præparatur lotione cont inuata donec ſaporem & colorem nullum in aquam amplius deponat.

Helleborus itaq; & *lapis lazuli* vehementer; *mirobalani, polypodium, epithymus, ſtœchas*, clementer purgant humorem melancholicum, & atrabilarium, vireſque *ellebori* remittunt & *colocynthidi* frœnum quodammodo iniiciunt. *Agaricus, colocynthis & ſal gemmæ* pituitam promouent. *Hiera picra* bilem & craſſos ex ſtomacho humores educit, eundemque roborat & vehementiorum purgantium vim exorbitantem corrigit. *Spica & caryophylli* calorem natiuum reficiunt, ventriculum & viſcera roborant & aperiunt. Verum cum *Helleborus & colocynthis* ſufficienti deſtituantur correctione, illum rite præparatum, hanc trochiſcatam recipere oportet. Braſſauolus efficaciſſimas has pilulas prędicat, ad morbos atrabilarios, duritiem & dolorem ſplenis, icterum, alphoſque nigros, cancrum, lepram, & elephantiaſin, & vt compendio dicã, ad omnes affectus ex atra & aduſta bile.

Vires & vſus.

Quibus morbis conducant.

bile. Idem ſe in hypochondriaco flatu vſurpaſſe, & mire contuliſſe affirmat. Et quamuis primo impetu obfuiſſe viſæ fuerint, tamen ab eis celeriter ſecutum emolumentum, quod *in flatulento affectu omnia medicamenta rite adhibita prima fronte videantur obeſſe*, & tamen ab eorum vſu, cum parum ceſſamus inſignis ſentiatur vtilitas.

Doſis. In conſtituenda doſi non eſt imitandus Meſue, qui ad ʒ ij. cum ℈ ij. procedit, cum vnius dragmę vel ℈ iiij. quantitas ſatis vehementer & efficaciter operetur.

Cap. XLVII.

Pilulæ ex lapidibus melanagogis.

Pilulæ de lapide Armenio: Doct. Meſuæ.

℞. *lapidis Armenij loti & præp.*
Hieræ picræ ana ʒ v.
epithymi,
agarici,
polypodij ana ʒ viij.
ſcammoneæ coctæ in cydonio ʒ iij
Garyophyllor.
ſalis Indi aut gemmei ʒ iß.
cum ſucco endiuiæ,
Conficiatur maſſa.

Pilulæ de lapide lazuli ſiue cianeo Doct. Meſue.

℞. *Lapidis lazuli loti* ʒ vj.
epithymi,
polypodij ana ʒ viij.
ſcammonei præp.
Hellebori nigri
ſalis gemmæ ana ʒ iiß.
agarici trochiſ ʒ viij.
Garyophyll.
aniſi ana ʒ iij.
ſpecier. Hieræ ſimplicis. Gal. ʒ xv.
ſucci endiuiæ q. ſ. Fiat maſſa.

Hæc quatuor pilularum genera ordine enarrata, videlicet de *ſucco fumariæ, Indæ, de lapide lazuli, & Armeno*, reſpiciunt humorem melancholicum & atrabilarium, eiuſque receptaculum lienem, venas meſenterii, & præcordiorum receſſus, & quoslibet ex pertinaciſſimo iſto humore prognatos morbos, ſiue in cerebo, ſiue alia corporis parte, aut habitu nidificantes. Differunt partim ingredientibus & efficacia, quod de fumaria ſint remiſſiores Indis, & hæ illis, quæ de *Lapide laZuli*, omnium autem vehementiores, quæ de *Armenio* dictæ ſunt. In *lazulinis* Cordus tantum *Garyophyllorum* & *aniſi ana* ʒ iij. ponit, Meſue vero ipſe, & ex eo Auguſtani cuiuſque ʒ iiij. aſſumunt.

Exigua inter *lazulinas* & *Armenias* eſt differentia, eadem quippe doſi vtriuſque compoſitio continet *agaricum, epithymum* & *polypodium*, *ſpecies* autem *hieræ picræ, diagrydium, ſal gemmæ, & caryophyllos* variato pondere *helleboro nigro & aniſo*, quibus intertextæ ſunt *Lazulinæ*, deſtituuntur *armeniæ*. Lapides ipſos, baſin compoſitionum ſtatuentes, quod attinet, adeo inter ſe cognatæ ſunt naturæ, vt armeniũ, materiam & rudimentum Lazulini ſtatuant auctorum probatiſſimi. Qua

autem

autem virtute & quomodo atrabilarios educant humores, & quali præuia præparatione in vſum ſint trahĕdi, *libro præcedenti capite peculiari* explicatum eſt.

virtu-us lapi-m ad rgãdum morem lancho-um.

Facultatem & laudes præcipue *armenii*, Trallianus, Aetius & Actuarius ſatis deprædicarunt. Tantopere autem faciunt ad morbos melancholiæ, vt *Armenius*, rudimentum. *Cyanei* promptiſſime educat atrabilarios humores, quæ virtus neceſſario in lapide perfectiore augmentum ſumpſit, in quem non tantum formalis incidit abſolutio, ſed alia illa, quæ in rudimento & maſſa imperfectiore nondum eſt animaduerſa facultas, qua cor ſpiritusq; & vitalis virtus maxime roboratur, ſimul innata eſt, adeo, vt ad humorem atrabilarium purgandum, & affectus mæſticiæ prauæque imaginationis ab eodem inductos pariter conducat, qua de re *loco citato* vberius.

amen & rtus pil. ulina-m.

Pilulæ lazulinæ primario ducunt humorem melancholicum & atrabilarium, idque potiſſimum vi *lapidis cyanei* magna quantitate ingredientis, & *ellebori nigri*, quorum virtutem iuuant *epithymus & polypodium*, acuit *diagridium*, irritat *ſal gemmæ*, incitant ſimulque roborant *ſpecies hieræ picræ, Garyophylli, ſemen aniſi*. Ratione *agarici, Garyophyllis & ſale gemmæ* correcti, & exacuti, pituitæ quidpiam vna educitur, & bilis propter *diagrydium & hieram*. *Succus endiuiæ*, quo ſubigitur & conformatur maſſa, *diagrydii* acriumque vim temperat, viſceribus feruidis & humori vſto conuenientiorem facit. Quælibet dragma poſſidet *diagrydii* grana duo cum dimidio, totidemque *ellebori nigri, & ſalis gemmei*, *lapidis lazuli grana quinque cum dimidio, agarici, polypodii, & epithymi ana grana octo & ſpecierum hieræ picræ quatuordecim*, proinde doſis pilularum à ℨ j. ad ℨ iß. extendi poteſt.

Doſis.

Pilularum de lapide Armenio ſyſtema continet *diagrydii* pene *quinque & lapidis Armeni grana nouem*, quocirca *lazulinis* fortiores cenſentur, & minori pondere exhiberi debent, doſis à ℨ j. ad ℈ iiij. *Cyaniæ* correctiores ſunt. Quoniam vero *ſuccus*, quó ex mente auctoris coagmentantur, ineptior ſit, pro conſeruanda virtute, & integritate, celeriter enim in lapideam duriciem denſatur maſſa, præſtat vtriusque ſyſtema formare cum *ſyrupo de pomis Saboris*. Vtraque *de lapidib.* compoſitio conducit ad omnes melancholiæ affectus, & peruerſas imaginationes, triſtitiam & mœrorem ſine cauſa, & vitia ex atrabilario humore nata, cancrum, elephantiaſin, quartanam, hypochondriacam affectionem, lienes tumidos, infartos, & humores terreos nigroſque è ſanguine & venis, vniuerſoq; corpore & quålibet eius parte ducendos.

Pilularum de lapide Armenio doſis.

Quibus affectibus pilulæ de lapidibus melanagogis conducant.

CAP. XLVIII.

Pilulæ fœtidæ maiores D. Meſuæ.

℞. *Sagapeni*,

ammoniaci,
opopanacis,
bdellii,
colocynthidos,

Harmel.

Harmel ſeu ſeminis Rutæ agreſtis vel hortenſis ſiccæ.
Aloes,
epithymi ana ℥ v.
Hermodactylorum,
Eſulæ præparatæ ana ℥ ij.
ſcammonei ʒ iij.
cinamomi,
ſpicæ Indicæ,
caſtorei,
croci ana ʒ j.
Turbith ℥ iiij.
zinzib. ℥ iß.
euphorbii ℈ ij.
ſucci porri depurati q.ſ.

Elegans eſt harum pilularum ſtructura, & ad morbos complures, præſertim pertinaces vtiliſſima, neq; ſunt audiendi, qui eam propter ingredientium excellentium vehementiã formidare iubent, aut notare auſint. Artificioſa enim corrigentium, naturamque corroborantium, & munientium miſtura, ita cicurata & temperata ſunt, vt abſque ſymptomatum inflictu, & viſcerum quaſſatione, ſtomachi & inteſtinorum torminibus, officium faciant, imo hæc à cauſis frigidis inducta maximopere releuent. Cõſtant enim ex emollientibus, & fundentibus craſſos induratoſque humores, & ex attenuantibus & incidentibus, ex aromaticis naturam caloremque natiuum roborantibus, & purgantibus partim validiſſimis, partim leuioribus.

Gummatum vires & quid in hac compoſitione perficiant.

Gummatum vero *Sagapeni, ammoniaci & opopanacis* multiplex eſt officium; *primo*, humores craſſos & duros emolliunt, cæterorumque, vt *euphorbii* & *aromatum* calore adiuta fundunt & colliquant; *deinde*, pertinaces viſcerum obſtructiones reſerant, viaſque, per quas fluant humores, aperiunt; *tertio*, inteſtinis, vtero & veſicæ ſunt grata, iiſque opitulantur; *quarto*, peculiariter cerebrum, neruos, neruoſaſq; partes roborant; *quinto*, purgantium virtutem eo ſingulariter dirigant & ducunt; *ſexto*, pituitam craſſam, à cerebro, neruis, articulis, inteſtinis, ventriculo, & vtero leniter trahunt, & maiorum purgantium vim congruentem iuuant, excedentem reprimunt, quia *remiſſum remittit intenſum: ſeptimo*, peculiariter acutas, acres & virulentas *colocynthidis, eſulæ, diagrydii & euphorbii* qualitates mitigant, cohibent, & ligant.

Sagapen[um] colocynt[hi]dos corr[e]ctor.

Sagapenum enim, vti *ſupra* demonſtratum, *peculiaris colocynthidis corrector eſt*, *Bdellium* Serapioni refrænat vim *euphorbii*, vt pro illo perperam ſubſtituerit Rondeletius *mirrham*. Huc accedit *aloe*, quæ fertur *omnium vehementer purgantium moderatrix*, & nihilominus vim leniter bilem primo, dein pituitam eliciendi, promouet. *Diagrydium* additum eſt, vt ſopitam in craſſiore *turpethi* & *hermodactylorum* ſubſtantia vim excitet & inciret, naturamque, vt violenta remedia non

Aloe om[]nium v[e]hementi[er] purganti[um] modera[]trix.

Examen

nimis

nimis diu intus retineat, ad eiiciendum irritet, bilem & tenues humores adducat, quorum mixtura craſſiores ad effluendum aptiores, paratioreſq; fiant. *Epithymus* epar & lienẽ aperit, craſſum humorẽ incidit & attenuat, eiuſque eductionem benigne iuuat. *Caſtoreum* pituitam comminuit, flatus diſcutit, cerebrum, vterum, inteſtina, veſicam calefacit & roborat, neruos neruoſaſque partes cumprimis iuuat, epilepticis, caroticis, paralyticis & hyſtericis prodeſt. De eo vide examen *pilul. arabic.* *Semen rutæ* impenſe calidum ſiccumque extenuantis & penetrantis eſt naturæ, & à Dioſcoride ad affectus articulorum commendatur, vide examen *pil. lucis.* Inanis eſt Rondeletii metus, verentis, ne pro *ſemine harmela, cicutæ,* quod præſentaneum eſt venenum & Harmel nuncupetur, à quibuſdam aſſumatur, nemo enim tam obeſæ mentis eſt, vt in hoc Quiricum de anguſtis ſequatur. *Zinziber hermodactylorum* & *turpethi* noxam corrigit, virtutem ſopitam acuit, pituitam incidit, digerit, ventriculi & inteſtinorũ calorem fouet. *Spica* & *cinamomum* cor & viſcera ſpirituſque roborant, obſtructa aperiunt, naturæ vires conſeruant, digerunt, corrupta & putrida emendant; *crocus* coquit, digerit, vteri pectoriſque vias aperit, ſpiritus reficit. *Succus porri* calefacit, tenuat, vrinas & menſes ciet, calculos pellit, pectus aperit.

Harmel.

Baſin medicamenti conſtituunt *colocynthis, turpethum, hermodactylus, euphorbium, & eſula*, quæ craſſos frigidoſque humores, pertinaciter viſceribus impactos, & diſtantioribus, vti cerebro, neruis, articulis, vtero, veſicæ, partibus inhærentes extrahunt, horum vim, naturæ congruam, *gummata* iuuant, immoderatam frænant, *diagrydium* promouet, vti *ſupra* traditum.

Conueniunt itaque cerebro, neruis, articulis, eorumque frigidis affectibus, cephaleæ, hemicraniæ, apoplexiæ, epilepſiæ, paralyſi, vertigini, tremori, arthritidi, gonagræ, podagræ, ſpinæ, iuncturarum ventriculi & coli dolori. Pertinaces viſcerum infartus tollunt, vteri mucum impurum emungunt, menſes cient, vitia cutanea, impetiginem, ſcabiem, vitiligines lepram & elephantiaſin emendant.

Quibus morbis cõueniant.

Quælibet dragma poſſidet *colocynthidis, ſagapeni, opopanacis, ammoniaci, aloes, epithymi, ana grana quinque, ſcammonei grana tria, euphorbij paulo vltra dimidium granum, Turpethi grana quatuor, eſulæ & hermodactylorum ana grana duo.* Doſis à ℈ ij, ad ʒ j.

Doſis.

Cap. XLIX.

Pilulæ de Sagapeno D. Meſuæ.

℞. *Sagapeni,*
ammoniaci,
opopanacis,
bdellii ana ʒ iiß.
ſem. apij,

ammeos,
aniſi,
Rutæ agreſtis ana ℥j.
acori ſeu calami aromatici,
lepidij ſeu Iberidis,
calaminthæ,
Folij, vel eius loco ſpicæ Indicæ
centaurii minoris,
polii,
coſti, vel eius loco Zedoariæ, aut angelicæ,
ſalis gemmæ ana ʒß.
colocynthidos ʒv.
Aloes ʒvj.
Excipiantur ſucco porri, marrubii vel matricariæ.

Cordus *gummatum* ſingulorum duas duntaxat drágmas ponit, cum tamen ipſe auctor huius compoſitionis Meſue di[illegible]im duabus adiiciat.

Seitargi. Idem pro *ſeitargi* recipit *caßiam ligneam*, ſed ſi ea, quæ Serapio de *ſeitargi* ſcribit, conferantur cum his, quæ Dioſcorides & Galenus de *lepidio* tradunt, palam fit, illud nil aliud, quam *lepidium* eſſe, vti etiam prolixe demonſtrat Muſa Braſſauolus in examine *pilularum aggregatiuarum*. Hoc vero eſſe *Iberidem*, iam *ante* à claſſicis auctoribus demonſtratum eſt. Eſt autem viribus *naſturtio* proximum, & in tertio calefacientium ordine cõmendatur ab Aetio & Paulo *lib.3.* ad Iſchiadicum dolorem, quem prorſus eo perſanari affirmant. *Herbam tuſam cum axungia porcina* applicant, & ad miraculum ciſpelli & expungi affectum afferunt.

Lepidii ſeu Iberidis vires. Commendatur porro ad frigidos ventriculi affectus, vertiginem, icteritiam, coli cruciatum, hydropem, renum obſtructiones à pituitæ glutino & calculis, dyſuriam, morſum canis rabidi, & venena. *Acetum infuſionis vel decoctionis lepidii*, obſtructo lieni tumefacto & indurato prodeſt, cum *melle* ſuccus vlcera oris & gutturis perſanat. Non incommode ad ſcorbuti curationem accerſitur, & ad hunc ciſpellendum prodeſſe certa conſtat experientia.

Acetum infuſionis lepidii lienoſis conuenit.

Lepidium ſcorbuticis conuenit.

Coſti hiſtoria & vires. *Coſtum* non ſine magno errore officinæ hactenus expoſuerunt *dulcem & amarum*, cum de omnis coſti veri nota interiore & maxime propria ſit, admodum amarum eſſe. Non minus hallucinantur, qui *zedoariam maiorem*, *coſtum verum*, vel pro eo ſumendum eſſe duxerunt; Proſtat hodie Arabicus, Indicus, Syriacus: Quo ad qualitates & notas, ſuauiter odoratus, candidus, læuis, amarus, acris & aromaticus, ſit, corticis ad inſtar *cinamomi*, ſed craſſioris, ſpeciem repræſentans, vnde Germanis weiſſe Zimmetrinde nominatur. Amaritudine & acrimonia mordicante linguam ferit, omniumque aromatum ſapores, odoreſque in ſe tranſtuliſſe videtur. Habet enim acrimoniam *zinziberis*, & *Garyophyllorum*, amaritudinem *zedoariæ*, feruorem *piperis*, fragrantiam *caßiæ*, & *cinamomi*. Vnde potenter calfacit, craſſos flatus diſcutit, tardi atem coctionis emẽdat, ciborum corruptionem prohibet, colicos dolores

Coſti veri boni notæ.

Vires.

res à flatu & pituita componit, pectoris inflationes tollit, ventris tineas exigit, vrinam & menſes ciet, impurum vterum tam ſuffitu, quam fotu expurgat, ad concipiendum iuuat; rupta, conuulſa & laterum dolores ſanat, ex mulſo Venerem ſtimulat, venenis & viperarum morſibus medetur, quocirca antidotis miſcetur, neruoſis partibus reſolutis inungitur, & ante febrilem acceſſionem veterum decreto ex oleo corpori affricatur.

Polij Quali, vires & vſus. *Polium* duorum eſt generum, maius & minus. Vtrumque guſtantibus eſt amarum, viſcera omnia obſtructione liberat, vrinam menſesq; ciet, vi reſerandi, incidendi, attenuandi & abſtergendi præditum eſt. Polium minus, quod & teûtrium vocant, maioris perhibetur efficaciæ, & acrius atque amarius, adeo vt in tertio ſiccantium, & ſecundo completo calefacientium ordine ponatur. Hydropicis, morbo regio, lienoſis ex aceto, & ſerpentum ictibus medetur, aluum & menſes ciet, à partu ſecundas mortuumque fœtum eiicit, ſtomachum male habet, & caput dolore afficit. Recens aduerſus oculorum ſuffuſiones fronti alligatur, viride tritum, magna vulnera glutinat. *Iuam muſchatam* ad polii genera refert Dioſcorides.

Calaminthæ ſpecies & qualitas. *Calamintha* tres recenſentur ſpecies, *montana, Nepeta*, quę *pulegio* ſimilis, ſed maior & tertia *menthaſtro* cognata. *Nepetæ* potior eſt vſus. Folia ſunt acria & feruentia, radix ſuperuacanea, calida & ſicca eſt ordine tertio, eſſentiæ tenuis, guſtu acri & nonnihil amaricante, aſſumpta manifeſte calefacit, ſudores ciet, digerit, exſiccat. Vehementer incidit, abſtergit, & infartus omnes expedit, vrinas impellit, regium morbum expurgat, orthopnææ & aſthmati, ex *oxymelite* confert, menſes adeo valenter ciet, vt cōceptum, ſeu pota, ſeu admota, interimat, & eiiciat. Capitis diuturno dolore affectis, vertiginoſis, veternoſis, ſtupidis, reſolutis, conuulſis, comitialibus, anheloſis & ſuſpirioſis, ventriculique torſionibus à flatu prouenientibus, confert. *Succus* naribus inditus pituitam fortiter trahit, viſum acuit; Per ſe vel ex *oleo decoctionis* illita, contra febrium facit rigores; *ſuccus* aſcarides & lumbricos necat. In ægritudine Iſchiadiaca, coxæ applicata, ex profundo trahit, totum articulum calefacit, dolorem componit. Elephanticorum idoneum eſt remedium, quorum tenues humores digerit, & craſſos extenuat. Cicatrices & ſugillata delet. Ex *calamintha* nobilis illa confectio exſtruitur & nominatur, quam Galen. *lib. 4. de ſanitate tuenda* contra cruditates primarum venarum, & præcordiorum inflationes commendat, quæque vtiliter ad menſes remorantes vſurpatur.

Quibus affectibus calamintha conducat.

Menſes violenter ciet.

Folium. *Folium*, ſeu *malabathrum*, à procera quadam Indiæ arbore decerpitur, quæ in locis aridis fruticare fertur. Calidum eſt in ſecundo gradu, odoratum,

ratum, vrinam mouet, halitum oris commendat, veſtium tineas arcet, & qualitate viribusque *nardo* eſt ſimillimum, quæ in illius penuria recte ſubſtituitur.

Ammi, cumino adeo affine, vt id, quod in Æthyopia naſcitur, *cuminum æthyopicum* nominent, quo tamen multo minus & candidius eſt, *origanumque* ſapit. Proinde quod in officinis vulgo nigro colore reperitur, verum & genuinum eſſe nequit. Calidum eſt & ſiccum ordine tertio, tenuium partium, guſtu ſubamarum & acre, incidit, tenuat, calefacit, ſiccat, facit ad tormina, vrinæ difficultatem, ſerpentumque ictus, menſtrua ciet, mirifice ad fœminarum fœcunditatem facit, ſi alternis diebus dragma vna ex vino meraco aut carnium iure aſſumatur. Quo die fœmina id hauſit, cum marito congredi non debet, ſuffitum cum *vua paſſa*, vuluam emollit.

Ammi ſemen quib morbis conueniat

Fœcunditatis remedium ex ſem. ammi.

Hæ pilulæ quodammodo affines ſunt fœtidis, propter gummata, quorum opera, earum virtus ad articulos defertur, viſcerum durities emollitur, infartus expediuntur & *colocynthidis* malitia retunditur, violentia remittitur, vti Rhaſes ſtatuit, *Serapinum* ita Serapio arbitratur *ammoniacum* corrigere *colocynthidem*. Ratione itaque *aloes* à ventriculo & propinquis, *colocynthidis* vero materias craſſas, pituitam, & melancholiam à longinquis partibus euehunt, vt iſchiadico dolori, podagræ, & articularibus morbis conducant, viſcera indurata & infarta emolliant, & aperiant, & ſolemnis earum ſit vſus ad obſtructiones omnis generis, præſertim lienis, eiuſque ſcirrhum. Menſtruum profluuium ſi quid aliud, certo experimento ſtrenue prouocant, & vteri dolores ex menſib. remorantib. ſedant, *aloe* n. venas reſerat, cætera ſemina, radices, & folia, calore, tenuitate, acrimonia & ſubſtantiæ tenuitate, vterum aperiunt, humores craſſos ſecant, fundunt.

Examen pilularum de ſagapeno.

Quibus morbis pil. de ſagapeno conducant.

Menſes ſtren ue peculiariter prouocent.

Quælibet dragma comprehendit *colocynthidis* grana vndecim cum dimidio, *aloes* vero tredecim, doſis eſt ℥ j.

Cap. L.

Pilulæ de opopanace Meſuæ.

℞. *opopanacis,*
Hermodactylorum
ſagapeni,
bdellii mollis,
ammoniaci,
colocynthidos ana ℥ v.
croci,
caſtorei,
myrrhæ,
zinziberis,
piperis nigri,
longi,
caſsiæ ligneæ,
myrobalanor. Citrinorum,
emblicorum,
belliricorum ana ℥ j.
ſcammonei ℥ ij.

Turbith

Turbith ℥iiij.
aloes ℥ xij.
Infunde lacrumas in aqua caulium, & forma in maſſam.

Hæ *fœtidis* maxime reſpondent & conformes ſunt, niſi quod *eſula & euphorbio* careant.

perum ſtoria. *Piperis* tria vulgo ſunt genera, *album, nigrum, & longum.* Albi & nigri quoad plantam, nulla eſt differentia, neque dignoſcuntur, niſi fructu maturo. Succreſcunt iuxta arborũ radices, ad quarum faſtigia, conuoluendo ſcandere ſolent. *Fructus* vuarũ more racematim cohærent, ſed minores ſunt vuis, *piperis racemi*, qui virent, donec ſiccentur. *Longi piperis* plantam, Garcias ab illa diuerſiſſimam ſtatuit, ſed Cluſius contra eidem effigie & qualitate ſimilem refert.

iperum ires. Excalfaciunt & ſiccant omnia exceſſu quarto, valenter vrunt, & exulcerant corpus. *Candidum nigro* eſt calidius & acrius; hoc enim quaſi perongum nducit licæ paſoni. affatum & ſuperexſiccatum eſt. *Longum* colicæ paſſioni præcipue medetur. Omnia vero genera cõcoquunt, extrahunt, diſcutiunt, abſtergunt oculis caliginem obuerſantem, vrinã cient, horroribus febrium circuitu reuertentibus proſunt, partus extrahunt, tuſſi medentur, Venerem è lacte ſumpta excitant. Grana quinque integra cottidie ſumpta, eos iuuant, qui ventriculi dolore ex cruditate, & flatu oborto laborant.

Examen ilularum *Hermodactyli, Turpethum & colocynthis*, ampla quantitate hanc compoſitionem ingredientes eiuſdem baſin conſtituunt, qua præcipue pituita craſſa, viſcida à remotis partibus, capite, neruis, & iuncturis educitur. *Colocynthidis* vim efferatam gummata temperant, quæ etiam, excepto bdellio, eoſdem humores, leniter ducunt. *de opoponace.*

Scammonium, Turpethi & hermodactylorum virtutem, in craſſa materia ſopitam irritat, *Zinziber, caſſia lignea, mirrha*, eorum malitiam corrigunt, *caſtoreum, piper nigrũ & longũ, crocuſq;* pituitam craſſam incidunt, tenuant, liquant, remediorũ vim ad abditas cerebri, neruorum, & articulorum partes deferunt, earumque temperiem confirmant.

Myrobalani excedentem *diagrydij* aromatumque caliditatem & acrimoniam temperant, viſcera roborant, & eductionem humorum ita iuuant, ne fluxus præcipitetur. *Aloe* ventriculum & inteſtina extergit, roborat, & purgantium exceſſum moderatur.

Hæ pilulæ, efficaciter pituitam craſſam, ab articulis & iuncturis, dolore affectis, trahunt. Reſolutionem & incontinentiam neruorum, ſpaſmum cynicum, gonagram, podagram, vniuerſam arthritidem, morbosq; neruoſarum partium frigidos maxime leuant. *Vires & Vſus.*

Quælibet dragma comprehendit *hermodactylorum & colocynthidis ana gr. v. totidemque ſagapeni, & opopanacis. Turpethi grana quatuor, ſcammonei grana* *Doſis.*

Doſis. *duæ & aloes duodecim.* Doſis itaque ſit à ℈ij. ad ʒj. in robuſtioribus.

Cap. LI.

Pilulæ de ſarcocolla D. Meſuæ.

℞. *ſarcocollæ* ʒiij.
Turbith ʒiiij.
colocynthidos,
Zinziberis ana ʒjß.
ſalis gemmæ ʒj.
Aquæ roſarum quantum ſufficit, fiat maſſa.

Quoniam hæ minus correctæ ſint & aliæ eiuſdem intentionis, atque efficaciæ, ſed rectius compoſitæ & ad vſum ſecuriores inueniantur, & cum *cochiis* pene ſint ſimiles, niſi quod *diagrydio* careant, & pro *ſpeciebus hieræ ſarcocollam* & *ſal gemmæ* recipiant, paſſim neglectæ euiluerunt.

Veteres propter multiplicem, qua gummata pollent vtilitatem, ex quocunque horum additis congruentibus, peculiarem pilularum maſſam conformare, vel ſaltem denominare annixi ſunt; verum, qui vnam alteramue compoſitionem, ſeu *fœtidas* ſeu de *ſagapeno* vel *opopanace* rite in vſum trahere norit, is cæteris facile carere poterit.

Recentiores non minus ad interna, quam externa corporis mala, adprime eadem conducere animaduertentes, veterum exemplo, ad affectus curatu pertinaces, & rebelles, videlicet quartanam, hypochondriacas paſſiones, viſcerum infartus à craſſis, glutinoſis & indomitis humoribus dependentes, pilularum nouas de *ammoniaco* & *ſagapeno* ſtructuras excogitarunt. Huius farinæ eſt fabrica *pilularum de ſagapeno* Camilli, contra quartanam, apud Quercetanum in *pharmac. dogmat.* quæ ſic habet.

Pilulæ de ſagapeno contra Quartanam.

℞. *ſagapeni gummoſi præparati* ʒvj.
ammoniaci præparati ʒiij.
extracti trochiſcorum alhandel ʒj.
ſcammonei præparati ʒß.
ſalis gemmæ ʒiß.
Cum ſyrupo violato fiat maſſa.

Ex qua formentur pilulæ piſi, vel ciceris magnitudine.

Datur initio paroxyſmi pilula vna, humoribus ante præparatis debite, & inungitur ceruix atq; collum cum ſpina *linimento ex theriaca, aqua vitæ, ſaluiæ,* vel *ſpicæ oleo pauxillo* remiſtis. In hac quoque ſtructura *gummata* vehementium purgantium vires frænant, & violentiam moderantur, & interim humorum lenticiam tenuant, & viſcerum infartus expediunt.

Idem ad lienis obſtructiones, duritiem, ſcirrhum, quartanam, cottidianam, & cachexias, tradit pilulas de *ammonico.*

℞. *aloes præparatæ* ʒiiij.
gummi ammoniaci in aceto ſquilltico ſoluti, & per ſetaceum traiecti,
mirrhæ præparatæ ana ʒß.
maſtichis,
ſpecierum diatrionſantalorum ana ʒiß.

croci

croci ℈ ij.
ſalis fraxini vel abſinthii ℈ iiij.
Cum ſyrupo de ſtœchade vel de ſucco roſarum fiat maſſa, quæ conuenienter acuitur *extractis albandel, vel diagrydij*.

CAP. LII.

Pilulæ arthreticæ Nicolai iuxta Cordum.

℞. *Hermodactylorum*,
Turbith,
agarici ana ℥ iiij.
colocynthidos,
caſiæ ligneæ veræ,
ſpicæ Nardi Indicæ,
Garyophyllorum,
xylobalſami,
carpobalſami,
macis,
galangæ,
zinziberis,
Maſtiches,
aſæfœtidæ,
Fœniculi,
aniſi,
ſaxifragæ,
ſeminis aſparagi,
ruſci,
roſarum,
granorum milij ſolis,
ſalis gemmei ana ℥ ß.
ſcammonei ℥ ij.
Aloes optimæ ad pondus omnium
ſucci fœniculi q. ſ.
fiat maſſa.

Variæ harum deſcriptiones exſtāt, prima & originaria eſt apud Nicolaum Myrepſium, quæ ponderibus variatis ſic habet.

℞. *Hermodactylorum*,
Turpethi ana ℥ iß.
myrobalanor. cepulorum,
Indorum,
citrinorum,
agarici trochiſcati,
colocynthidis,
aniſi,
Garyophyllor.
ſpicæ,
zinzib.
ſaxifragiæ,
piperis longi,
ſem. apij,
dauci,
roſarum,
amomi,
ſalis gemmæ,
maſtiches,
granorum Solis,
ſem. aſparagi,
fœniculi ana ℥ ß.
Aloes ℥ ß.
Diagrydij ℥ j.
ſucci abſinthij q. ſ.
Fingatur maſſa.

Hanc Nicolaus Præpoſitus immutauit variando doſin, & pro *hermodactylorum turpethiq́; vncia vna ſemis, dimidiam cuiuſque ſumendo*, iisq́; *agaricum* æquando, *colocynthidem, myrobalanos cum pipere* expungendo, *xylobalſamum & carpobalſamum*, (quod nullum forte arbitratus ſit efficax fore medicamentum balſami expers) inſerendo, & aloen ad pondus omniū adiiciendo. Hunc ſequutus Cordus *colocynthidem* retinuit, ſed pro vncia vna

diagrydii dragmas duas poſuit. Foëſius *colocynthidem*, *diagrydium*, & *aſam fœtidam* non habet. Auguſtani *Hermodactylorum*, *turbith* & *agarici* ana ℥ ij. *diagrydii* vero ℥ ß. ponunt, *colocynthidem* expungunt. Cum *hermodactylorum*, *turpethi* & *diagrydii* iuſto maior videretur quantitas, in originaria deſcriptione Cordi paradigma ſeruandum & vſurpandum eſſe duximus.

Aſam nonnulli diſtinguunt in *fœtidam* & *odoratam*, ſiue *dulcem*, & vnius ſpeciei plantæ ferulaceæ, in diuerſis locis prouenientis ſuccum eſſe dictitant. *Odoratam* & *dulcem*, ex radice in Cyrenia proueniente, ſtillare, & *laſer Cyreniacum* & *Belzoinum*, aliis *ſuccum medicum* nũcupari fœtidam ex radice Mediæ aut Syriæ lacrumam ſuccumve profluentem eſſe.

Aſa dulcis ſeu Benzoinquid.

Verum enim vero, legitimum noſtrum *Belzoinum* veteribus incognitum, lacruma arboris Samatræ, Ioaæ & Martaban eſt, ex qua vulnerato cortice ſucci in morem profluit. Toto itaque genere diuerſa eſt *aſa fœtida*, ab *aſa dulci*; Neque etiam hæc *laſerpitii* vel *ſucci Cyreniaci* aut *mirrhæ* ſpecies eſt, nec, vt alii contendunt, *angelicæ vel Imperatoriæ ſuccus*, reſinoſus, ſed arboris Samatræ Sian Malacæ aut è dictis regionibus, liquor.

Aſa fœtida hiſtoria.

Aſa fœtida Germanis *ſtercus Diaboli* dicta, *Laſerpitii*, ſtirpis ferulaceæ, lacruma, ſeu gummi quoddam, ex radice vel caule collectum eſt, illud *radicarium*, hoc *ſcaparium* Theophraſto cognominatur. Naſcitur in Armenia, Lybia, Syria, vnde aliquando vocatur *ſuccus Lybicus*, vel *Medicus* & *Syriacus*, olim *Cyreniacus*, quod ex Cyrenenſium agro copioſiſſimus & probatiſſimus adueheretur, quo nunc prorſus caremus.

Altich, Maſpeton, Magudaris.

Aſer itaque latinis, *aſa*, Arabibus ὀπὸς Græcis, lacruma eſt *laſerpitii*, quod ſylphium eſt Dioſcoridis, & *altith* Auicennæ, folium eius nominatur *maſpeton*, radix *magudaris* vel *magydaris*. *Aſa* alia eſt pura, ſyncera, & trãſlucens, alia turbida *ſagapeno* ſophiſticata, furfure vel farina remiſta.

Aſa fœtida, calida & ſicca eſt gradu tertio, moderni potiſſimum vtuntur, ad vteri aſcenſum, & aberrationem. Ad pectoris, neruorum, cerebri, ventriculi & matricis morbos vſurpatur. Cum *ouo ſorbili* raucedinem, & ex *oxymelite*, tuſſim perſanat, ictericiæ & hydropi medetur, menſes & ſecundas pellit, hauſta cum *pipere* & *mirrhæ* ex *aceto ſquillitico*, vel *mulſa*, facit ad epilepſiam.

Quibus affectibus aſa fœtida conducit.

Electuarium ex *ſucco Cyreniaco ſeu aſa fœtida*,

pipere,
zinzibere,
folijs rutæ,
ſale nitro,
& *melle* conducit ad quartanã & chronicas febres. Carbunculos & bubones peſtilentiales *ruta ſale nitro* & *melle* miſta rumpit, eodemque modo clauos extrahit, oculorum aciem exacuit, & incipientes ſuffuſiones cum *melle* illita diſſipat, aduerſus anima-

animalium venena pota & applicata conducit.

Milium. *Milium ſolis*, Græcis *lithoſpermon*, à ſeminis duritie dictum, duum eſt generum, maius & minus, illud legitimum, calet & ſiccat ordine ſecundo. *Semen* è vino potum, calculos comminuit, vrinas pellit, ſtranguriam diſcutit, vtriusq; *ſemen* ſeſquidragmæ pōdere, addita *aſplenii ſemidragma, & ſuccini ſcrupulis duobus*, ex *ſucco plantaginis*, aut *lactucæ*, ad gonorrhæam cohibendam datur. *Ad Gonorrhaeam.*

Ad facilitandum artum. Minoris lithoſpermi ℥ij. cum *lacte*, certiſſimo experimento dantur ægre parturienti fœminæ.

Aſparagus. *Aſparagus* in actiuis temperatus, primum ſiccitatis gradum excedit, radice & ſemine valet, vrinam ciet, calculos pellit, renes, iecur, & pulmones infartu liberat, icteritiæ medetur, ſtranguriam & dyſuriam ſanat, ſemen genitale auget, venerem ſtimulat, viſum acuit, vtile ad hæc omnia eſt acetarium, ex *aſparagi caulibus iunioribus modice elixatis, cum ſale, aceto, pipere & oleo factum. Radix cum ciceribus rite elixatur.*

Aſparagus ſylueſtris hortenſi efficacior eſt, & quamuis *radice* & *caule* temperatus ſit, tamen *ſemen* ordine ſecundo calet.

Ruſci vires. *Ruſcus* in ſecundo calidorum & ſiccorum eſt ordine, ſapore amaricat, *radice* potiorem efficaciam poſſidente plurimum in vſum venit, qua vel ſola, vel *folijs* & *baccis*, ex *vino* potis, vrina pellitur, eiusque ſtillicidium abigitur, calculus deteritur, menſes moventur, morbus regius curatur, euocandi pituitam è pectore vim habet, *ſuccus foliorum cum ſaccharo ſumptus* hæmoptoſi medetur, calculum renum pellit, menſes aperit.

Saxifraga quanam vera. *Saxifraga* calida & ſicca eſt ordine ſecundo, è vino pota, calculos terit, ſtranguriam ſanat. An pimpinellæ, quæ etiam *ſaxifragæ* nomine venit, num vero plantæ quæ proprie *ſaxifraga alba* ad differentiam eius nominatur, *ſemen* ſit recipiendum, merito dubitatur. *Pimpinellæ* locum potius dandum arbitror, quod hæc in tertio calidorum ſiccorumque gradu exſiſtens, digerentis & attenuantis ſit facultatis, potenter calculos frangat, & pellat, menſes, ſecundas, & mortuum fœtum exigat, obſtructiones iecoris, lienisque expediat, icteritiam ſanet, ventriculi coctionem iuuet, eiuſdem cruditates digerat, inteſtina confirmet, colicos cruciatus ex flatibus & pituita mitiget, antiquis febribus & paralyſi admodum profit. *Radix* maſticata, dentium dolores ſopit, multo foras educto humore ex *aceto* venenis & lui peſtiferæ reſiſtit. *Virtus pimpinellæ.*

Galanga minor hic aſſumenda, quæ eſt radix nodoſa, intus & foris rubra, per internodia contorta, odorata, acerrimi ſaporis, figura & habitu cyperi, vnde *cyperis macedonica* quibuſdā vocatur. Eligenda grauis, ſapore acerrimo, quę inſtar *piperis*, vel *zinzibe-ris* linguam vellicet. Calfacit & ſicca ordine tertio, ventriculum eiuſque calorem

Galanga vires.

calorem mirifice roborat, dolores à flatu & pituita mitigat, colicos cruciatus ſopit, & vteri flatuoſis affectibus prodeſt, cordis palpitationem ſanat, venerem inſtigat, halitum cõmendat, cerebro neruiſque refrigeratis opitulatur.

Zinziber eſt planta in pluribus Indiæ inſulis prouenicns, optima cum primis in Maluar, foliis Iridis aquaticæ, ſed paulo anguſtioribus, magiſque nigricantibus. Radix recens in fruſtula conciſa, vrentis expers eſt facultatis, ideoque inter cætera acetariis miſcetur, ſiccata vero & limo obducta (hac enim ratione minus à carie, cui admodum eſt obnoxia, infeſtatur) vel etiam viridis, ſaccharo cõdita, ad nos aduehitur. *Zinziber*, quod ſponte naſcitur, exigui eſt momenti; id, ꝙ ex ſemine vel radice natũ, præfertur. Eſt autem in tertio calidorũ ordine, & humidorum primo, ſapore & viribus *piperi* reſpondens, niſi quod tardius, & dein diutius calefaciat.

Zinziber zerumbeth & zedoaria quomodo differãt.

Differunt autem *zinziber*, *zerumbet*, & *zedoaria*. Zerumbet, quoad vultum, & radicem magnam habet cum *zinzibere* affinitatem; ſed radices obtinet craſſiores, & folia lõgiora, eſtque ſtirps graminacea, quæ plurimum ſeritur in Maluar, & ſponte in ſylueſtribus etiam prouenit, vbi *zinziber* ſylueſtre nominatur.

Zerũbeth vires & natalis.

Commendatur aduerſus venena, & ad exhilarandum cor, & partes interiores roborandas & conſeruandas. In defectu *zerumbeth*, *zedoaria* rotunda ſumi poteſt; nam vtraque planta, vt nominis, ſic virtutis & generis eiuſdem non male putatur eſſe, non ſecus, quam *cyperus longus & rotundus*.

Zedoaria hiſtoria & vires.

Zedoaria zinzibere eſt odoratior, magis amara, ſed non adeo acris & calida. E Sinarum regione ab extremis Indiæ finibus aduehitur. Eam Auicenna *cypero*, alii *coſto* aſſimilant; verum aromaticitate & viribus, quam vultu ſunt ſimiliora, eſt enim *zedoaria* ordine ſecundo calida & ſicca, flatus diſcutit, colicis doloribus opitulatur, necat vermes, reſiſtit venenis, miſcetur antidotis.

Zinziber magna vi aromatica pollet, vẽtriculum roborat, natiuum augendo calorem, concoctionem iuuat, flatus diſcutit, humores craſſos attenuat, aquoſos abſumit, languentem appetentiam à cauſa frigida prognatam excitat, maxime cum adhuc vires recensq; ſaccharo condita aſſumitur, ſic in ſenibus pituitoſis & male coquentibus pituitam liquando, leniter aluum emollit, eaque exonerata admodum confirmat interiora. Obſtructiones præterea ſoluit, craſſum pulmonum humorem attenuat, tenuem coquit, tuſſis veteris, aſthmatis, frigidorumque affectuum familiare remedium, efficax ad ea, quæ caliginem oculis offundunt; antidotos ingreditur, cibis ſaporem conciliat, *ſenam* corrigit. *Agarico & turpetho* ad frangendum malitiam & operationes faciliores edendum vtiliter miſcetur.

Hæc pilularum fabrica, craſſos & pituitoſos humores è iuncturis, cerebro, neruis, neruoſiſque partibus, renibus, veſica & vtero ducit, vrinas & menſes remorantes remouet; vi *hermodactylorum*, *turpethi*, & *agarici*, craſſam pituitam è dictis & longinquis partibus trahit, horum vim incitant, malitiam corrigunt, calorem natiuum roborant, naturam iuuant, pituitam fundunt, obſtructiones viſcerum, & neruorum reſerant, virtutem deducunt *galanga*, *zinziber*, ſuccedanea *xylobalſami* & *carpobalſami*, *lignum aloes & cubebæ*, *caſsia lignea macis*, *ſpica Indica*, *Garyophylli*. *Aſa* ad vterum neruoſque deducit, *ſemina* miſta renes veſicamque reſpiciunt. *Maſtiche* ventriculum & viſcera roborat, vti & *roſæ*, quæ etiam acrimoniam acutorum mitigant.

Pilularum e hermodactylis examen & vires.

Diagrydium cæterorum purgantiū virtutem inſtigat, & acuit. *Sal gemmæ* abſtergit, *aloe* omnium purgantium immoderationem moderatur, ventriculum & inteſtina confirmat. *Succus fœniculi* (alii habent *abſinthii*) neruis, oculis, capiti, vtero, veſicæ applicat, flatus diſcutit, obſtructiones auffert. Quælibet dragma in Cordi paradigmate; complectitur *hermodactylorum*, *agarici*, *& turpethi*, *ana grana quinque*, *ſcammonei grana duo cum dimidio*, *colocynthidis granum dimidium*, *aloes ſemidragmam*. Doſis à ℨ j. ad ℈ iiij. vel ℨ jß.

Doſis.

Cap. LIII.

Pilulæ de Hermodactylis maiores Meſuæ.

℞. *Hermodactylorum*,
mirobalanorum citrinorum,
Aloes,
Turbith,
colocynthidos,
Bdellii mollis,
ſagapeni ana ℨ vj.
caſtorei,
ſarcocollæ,
euphorbii,
opopanacis,
ſem. rutæ ſylueſtris vel ſatiuæ,
Apii ana ℨ iij.
croci,
ſucci braſsicæ ſiue caulium quantum ſufficit,
Formetur maſſa.

Quoniam ſimplicia, tam purgantia, quam cætera roborantia, & præparantia, in *ſuperioribus* ſatis cribrata, & examinata ſunt, præter rem fecerimus, ſi eorum indaginem huc arceſſere, & apponere velimus. Nominantur de *hermodactylis* maiores ad differentiam minorum, quas ad calidorū, vti illas ad frigidorum eductionem comparatas eſſe, dictitant. Verum vtraq; compoſitio vtriuſque tam calidi quam frigidi humoris quiſquilias ita educit, vt alterius, videlicet minorum miniſterio & vſu carere queamus, qua de cauſa Cordi & Auguſta

guſtanorum diſpenſatorio non eſt inſerta.

Conſtat autem maiorum fabrica talibus,quæ pituitoſum maxime humorem exhauriunt,induratum molliunt,fundunt,craſſum attenuant,& ad faciliorem eductionem aptum reddunt,& his,quæ viſcerum robur conſeruant. Craſſos proinde humores potenter ab extremis partibus præſertim ab articulis euellunt, conducunt morbis capitis & neruorum, iuncturarumq; frigidioribus.

Examen. Hermetici, gummoſos & craſſos humores, à concretis & reſinoſis gummatibus fundi, & liquari perhibent,quorum vim, vti valde intendit,ita ab iiſdem viciſſim temperatur *euphorbium*, *Semen rutæ apij*, *& caſtoreum*; catarcticorum facultatem ad articulos neruos, neruoſasque partes deducunt,& *turpethum*, *hermodactylosq;* incitant,*crocus* coquit,digerit, roborat, *mirobalani* ventriculum & viſcera roborant, contra prauorum affluxum ſtomachum confirmant, vehementer purgantium violentiam retundunt,in quo munere *aloe* pariter occupata eſt.

Doſis. Quælibet dragma tenet *hermodactylorum,turpethi, colocynthidis,ſagapeni, aloes, & mirobalanorum ana grana* vj. *Euphorbij grana tria*,Proinde doſis vltra dragmam vnam non erit extendenda. Renodæus *pilulis de ſagapeno & opopanace* has præfert, & illis poſthabitis vſurpandas cenſet.

Cum autem vulgo arbitrati ſint, *pilulas de hermodactylis maiores*, ſimpliciter extrahere humores craſſos & frigidos, minorum compoſitionem adiecerunt, quæ ſic ad bilioſarum & calidarum ſuperfluitatum in arthritide calida eductionem ſit comparata,vti maiorum ad frigidarum & craſſarum.

Verum conſuetudo inualuit, vt maiores duntaxat, quod ad calidos frigidosq; humores educendum ſatis diſpoſitæ ſint, in vſum recipiantur.

Ne quis tamen minorum cognitione defraudetur,earum paradigma hic deponimus, in quo notandum, *myrobalanis & roſis*, *diagrydii* inſolentiam quidem retundi, ſed pro *hermodactylis* genuinum corrigens non eſſe adiunctum.

Recipit autem ſtructura
Hermodactylorum ℥ v.
ſcammonei ʒ iiß.
mirobalanor.citrinorum ℥ iij.
roſarum ʒ ij.
Aloes ℥ x.
Cum electuario de ſucco roſarum Meſuæ laxatiuo fiat maſſa.

Cap. LIIII.

Pilulæ de Euphorbio D. Meſuæ.

℞.*Euphorbii,*
colocynthidos,
Agarici,
bdellii,
ſagapeni ana ʒ ij.

Aloes

Aloes ʒ v.
cum ſucco porri fiat maſſa.

Hactenus quæ à ventriculo, primis viis inteſtinis, meſenterio, epate, liene, renibus, veſica, vtero, capite, neruis, ſpina, articulis & artubus educunt, vidimus, reſtant, quæ ex abdominis cauitate, cerebro & neruis, omnium vehemẽtiſſime extrahunt, quales pilulæ de *Euphorbio.*

Harum fabrica prudenter eſt conſtruenda, & vſus religioſe & ſumma cum cautione ineundus; neque enim niſi in morbis vehementiſſimis, natura viribuſque adhuc conſtantibus, & habitu robuſto exhibendæ. Etſi enim *extremis morbis extrema debeantur remedia*, tamen teneræ conſtitutionis naturis, & texturis facile ſolubilibus, & ſenſibilibus quacunque ęgrimonia affectæ fuerint, nequaquam offerre licebit.

rrectio ularum euphor- Primo itaque aduertendum, vt *euphorbium*, non, niſi debite & curioſe correctum, recipiatur, & *colocynthis* cum *agarico* in trochiſcos redacta, hic alioquin, ſuo corrigente deſtituta. Etſi vero *ſagapenum* iuxta Rhaſin *colocynthidis*, & ex mente Serapionis, *euphorbii* peculiaris ſit corrector, quali virtute etiam *bdellium* pollere aſſerunt, tamen cum acrimonia & pernix violentia viciſſim accendatur, magiſque igniculetur *porraceo ſucco*, operæ pretium fuerit, eius loco ſurrogare *ſuccum portulacæ, ad ſyrupi conſiſtentiã redactum*, qui ſpecifice *euphorbii* flammam reſtinguit; atque vt *agaricus* & *colocynthis*, è ventriculi & inteſtinorum tunicis, promptius abſtergerẽtur, & deſcenderent, *ſalis gemmæ* modicum adiici, non præter rem foret. *Aloe* inteſtina roborat, & vehementium violentiam moderatur.

Hęc fabrica maxime prodeſt, cum frigidus humor, totum corpus, aut potiores præſtantioreſque partes & ſenſuum organa occupauit, vt in apoplexia pituitoſa vſuuenit, vbi cerebri, neruorum totiuſque calefactione opus eſt; & in hemeplegia & paralyſi contumaci, partium ſyderatione, anæſtheſia, veterno, comate, caro, catoche, aliiſque ſopotiferis affectibus, ſtuporibus & reſolutionibus. Craſſam lentamque pituitam è neruis, eorumque membranis, & poroſis cauitatibus, ex ipſis articulis, juncturis, & artubus euellunt. Quocirca in morbo Gallico etiam probatiſſimus eorum eſt vſus, & in colica à vitrea pituita. Et quia in abdominis cauitate, detenta hydropicorum aqua, ſeu ſerum, nullos conſpicuos, per quos penetret, meatus inuenit, adeoque difficillime ad aluũ & vrinas attrahatur, virtute *euphorbii* potiſſimum occultos naturæ ductus, quibus totum corpus perſpirabile eſt, aperiunt, idque cum ſanie pituitoſa & ſtabulante ibidem colluuie fortiter in aluum trahunt. Quælibet dragma continet *euphorbii* grana nouem, totidemque *colocynthidis* & *agarici*. Doſis à ʒ ß. ad ℈ ij. in robuſtiſſimis ad ℈ ijß.

Vſus

Ad morbos cerebri vehementiſſimos.

Articulorum.

ad colicam à vitrea pituita.

Hydropem. Ad morbũ Gallicum.

Aaaa CAP.

Cap. LV.

Pilulæ de mezereo D. Meſuæ.

℞. *folior. mezerei præpar.* ℥ v.
myrob. citrinor. ℥ iiij.
chebulor. ℥ iij.
cum manna vel tamarindis in aqua endiuiæ ſolutis, *Fiat maſſa.*

Quid ſit verum *mezereon*, num *laureola*, ſeu *Daphnoides*, an vero *chamalea*, proxime *præcedenti lib.* diſquiſitum eſt. Horum alterutrum, fideliter præparatum, potius tamen illam recipiendam eſſe, *ibidem* pariter definitum eſt. Cum vero vtraque excedentis & nefariæ ſit violentiæ, vitæ principium, eiuſque miniſtros ſpiritus diriter conuellat & lancinet, viſcera aduret & inflammet, venarum ora erodat, ad violenter expellendum ſurſum deorſumque naturam impellat: tenerioribus nequaquam & nunquam, ſed robuſtis, prudenti cum circumſpectione & religioſe inde conformatæ pilulæ dabuntur.

Caute & religioſe hæ pilulæ ſunt vſurpandæ.

Foliorum præparatorum puluis, myrobalanis & manna miſcetur, ad reprimendam malitiam, & efferatam virulentamque poteſtatem. Manardus cenſet, eis *Rheum* eſſe admiſcendum, vt ſecurior & conuenientior earum ſit vſus.

Mirifice & potenter hydropicorum aquas educunt. Dosis à ʒß. ad ℈ ij. & porro ʒ j.

Doſis & vſus.

FINIS LIBRI TERTII.

AVRO-

AVRORÆ MEDICORVM IOANNIS FREITAGII
LIBER IV.
DE CHYMICORVM CATARCTICIS EX mineralium familia accerſitis, & varie conformatis.
CAPVT I.
De mercurii natura, definitione, & differentiis; quid ſit venenum: Mercurium tam forma, quam qualitatibus eſſe venenum, naturæ noſtræ maxime infenſum, extus ſumme frigidum, intus acerrime calidum, & quas nobis infligat noxas.

CONFECTA perſuaueolentia vegetabilium tempe via, ad chymicorum luſtra & adyta, Delio vrinatore ſcrutanda deferimur, vbi omnia inextricabilibus labyrinthis intricata, & quæ per ſe alioquin plana erant, liuore inuidiæ, abditam eruditionis abyſſum perſonato inſcitiæ prætextu ementientis, obſcurata ſunt. Sed ne cum laruis diu multumque luctemur, rem ipſam adoriemur, & cum perſpectis, venerandæ antiquitatis, veræque & rationalis medicinæ catarcticis, naturæ humanæ tutioribus, & conuenientiorib. propoſitum ſit, chymicorum, ex mineraliũ familia accerſita, cõflata, & dedolata pharmaca potiora, diſpicere, eaque ex mercurio & antimonio plurimum exſculpentur, ad illius examen abſq; comperendinatione tranſibimus.

Inexhauſtus ad omnis generis morbos theſaurus, ex *mercurio*, chymicis depromitur. Eſt vero illis non vniformis, ſed *alius*, pro omnium rerum materiatarum principio cõſtitutiuo, ſeu mixtionis venit, *alius* nuncupatur *mercurius metallorum*, quando videlic. arte è metallo quouis extractus ſit, *Mercurii nomẽ quot modis vſurpetur.*

alius philoſophorum, qui philoſophice elaboratus, & *alius*, qui hydrargyrus vulgo & argentum viuum dictus, illud nominis ab argenti colore, ſuaq; mobilitate & tenuitate ſortitus. Artificialiter iuxta Dioſcoridem, vulgaris ex *cinabrio* educitur, naturalis, eſt *minerale quiddam productum in formam liquidam & aquam ſiccam.*

Mercurius artificialis & naturalis quid ſit.

Mercurii definitiones.

Libauio definitur, *liquor mineralis, ex aqua viſcida, metallica, terraque ſulphurea exacte contemperatus, ſpirituoſus, frigidus, humidus, albus in manifeſto, calidus, ſiccus, citrinus, rubeus in occulto, familiariſſimus metallis, quibus intime adhæret, eaque reſoluit, & ſe accommodat; vnde eorum materia prima appellatur.*

Beguinus, definit mercurium, *corpus minerale compoſitum, ex terra ſubtili ſulphurea, & aqua fortiter admixta.*

Meus quondam in Academia Iulia Helmæſteti, cum ſummos artis medicæ honores & lauream impetraremus, competitor, Clariſſimus D. Duncanus Burnettus ſcotus, celeberrimæ in Anglia Reip. Nortuicenſis Medicus, in ſua Iatrochymia, determinat argentum viuum, quod ſit *liquor mineralis, ex aqua metallica viſcida terraque ſulphurea exacte contemperatus, ſpirituoſus, frigidus, humidus, coloris argentei, ponderoſus, familiariſſimus metallis, quibus adhæret intime, & ſe ad naturam eorum accommodat.*

Duncanus Bornettus Medic. D. celebris.

Mercurii natura, forma & qualitates.

De huius natura ſeu forma, & qualitatibus, non omnino purus, putusque inter auctores eſt cōſenſus. Dioſcorides ad venenorum claſſem retulit, clariſs. Bornettus, male, aut nō præparatum, ſummum & lethale, ſi aſſumatur, eſſe venenum, aſſerit. *Omne* autem *venenum vel ratione formæ & formalis occultæque proprietatis, aut vi apertarum qualitatum tale eſt.* Hoc vero totius formæ proprietate & poteſtate aduerſum, eſſe, & in nos agere, conuincitur, ex eo; quod calido & humido noſtro radicali, & natiuo, ſummopere inſidietur, noſtramque adeo ſubſtantiam ſolo vapore, vel illitu, ſed ſumptum penitius depeculetur. Vti enim medicamentum, id eſt, quod, à calore noſtro in actum perductum, alterando in qualitates corporis agit, & alimentum, quod ab eodem iuxta ſubſtantiam & qualitates eam patitur mutationem, vt in naturam alti ſeu nutriti conuertatur, ita prorſus ad venenorum claſſem id pertinet, quod ſua vi indomita non tantum qualitates & temperamentum, ſed & ipſam humani corporis ſubſtantiam corrumpit, ſoluit, & calori natiuo, eiuſque pabulo primigenio, vnice inſidiatur, quod, ſi quicquam, certe mercurius perpetrare natus & comparatus eſt, qui non tantum manifeſtis ſuis qualitatibus, cerebri neruorumque craſin plane ſoluit, ſed occulta formalique proprietate, primo humiditates tam natiuas, quam excrementicias, per os ſyelyſmo, & per aluum violenter turbat, & deinde carnium ſolidarumque & ſpermaticarum partium ſubſtantiam colliquat, & fundit, donec ipſa oſſa etiam

Quid ſit Venenum.

Mercurii ratione formæ & qualitatum eſſe venenum.

etiam corrumpat. Nulli quippe manifeſtæ qualitati, ſed formæ proprietati, id debet mercurius, quod ſolo illitu, humores, præſertim craſſos & lentos, ex corporis habitu, & vniuerſa mole, in ventriculum, & pulmones, & ex his in fauces, & os, continua mucoſi ſputi profuſione regerat. Neque tantum ſurſum, ſed & deorſum pernicioſa purgandi vi præditus eſt, quam à forma cuiuſque pharmaci, cui ineſt, dependere, totius venerandæ antiquitatis irrefragabilis & immota eſt ſententia, & ſane adeo alte huic immerſam videmus, vt ne vſtione quidem eā deponat, ſed, quod nullis aliis purgantibus conceſſum, in cinere ſuperſtitem ſeruet, multo etiam, quam ante vehementiorem.

Quomodo Mercurius ratione qualitatum elementarum ſit venenum.

Quibus autem manifeſtis qualitatibus ſit præditus, & an harum merito etiam ſit venenum, porro expendendum. Auicenna, eumque ſecutus Fernelius, & Palmarius, frigidum & humidum ſtatuunt. Recentiores, qui non ſolum opera ſummæ frigiditatis, ſed & ignei inſidioſique & erodentis caloris in eo obſeruarunt; (*omnis enim effectus probat ſuam cauſam*) atque ob id ex ſulphure ſubtiliſſimo, & aqua viſcida compoſitū definiunt, extus magis frigidum, in penitioribus vero ſumme calidum cēſent, qua ratione his pernicialiter eſt frigidus & humidus in quarto gradu, ſed intus proprie venenum calidum & ſiccum in vltimo.

Quatuor perniciales Mercurii affectiones.

Quadruplici, vniuerſim efficacia inſignitum deprehenditur, videlicet catarctica per ſuperiora, vt in ſielyſmis & vomitionibus; per inferiora cum magnis torminibus, magnarum deinde putrefactionum & corruptionum, quibus viſcera adoritur concitatrice cerebri, neruorumque corruptrice, & oſſium dentiumque corroſiua, adipis, opera frigiditatis congelatiua & meatus obſtruente, caloris natiui & ſpirituum reſolutiua; q̄ & ipſi Chymiæ defenſores & propagatores acerrimi docent. Summa ſane affectus eſt frigiditate, in ſubtili penetrabilique liquore hærente, quod ſolo affrictu aut vapore, cerebrum neruorumq; principium ita refrigeret, molliat, & laxet, vt rheumatiſmos, ſurditatem, tremorem, reſolutionem, conulſionem, mentis ſtuporem, epilepſiam & apoplexiam cōciliet, aſthmati oportunos faciat, totum corpus morbis non modo pituitoſis obnoxium reddat, ſed & partes omnes præcipue neruoſas & carnoſas, ſuo frigore lædat, labefactet & imbuat.

Quod autem neruoſarum partium ſubſtantiam, in ſeroſam ſaniem, ore profluentem colliquet, carnoſas & molles in ſudores digerat, viſcera & interiora omnia, mirifico incendio torreat, & fere putrefaciat, oſſaque corrodat; id ſane iracundi intimitus in eo hærentis caloris eſt argumentum.

Et vt in externis affectibus calidis, ſępe auxiliatur, dum ſanguinis incen-

 dium,

dium, biliſque ardores, & exeſiones extrinſeca applicatione mitigat, ſcabiem ſiccam & ſerpentem, alioſque affectus externos, nullis cæteroquin remediis cedentes, tollit, ita frigidos, prædures, ſcirrhoſoſque tumores ſuper omnia emollit & ſoluit.

Summas autem *qualitates in mixtis veneni rationem importare* iamdudum confirmata, & rata Doctorum eſt ſententia.

CAP. II.

An vlla ratione, & præparationum machinis, poteſtas veneni mercurio adimi poſſit, vt fiat ſalubre remedium. Purgandi virtutem non dependere à ſale, neque ſpiritibus primo ineſſe.

CVm hæc negare, nec auſint, nec poſſint, qui nimium ſunt mercuriales, tamen è venenorum claſſe vindicare mercurium conantur his rationibus; quarum *prima* eſt, quod vtilia & in vſum corporis humani idonea, ex eo comparentur remedia; *ſecunda*, quod debita præparatione vis veneni edomari & expelli queat. Primæ reſpondetur, non idcirco è venenorum claſſe eleuandum eſſe *mercurium*, quia medicamenta inde præparari vtilia poſſint, cum idem de *arſenico*, *opio* aliiſque fiat, vt in *ladano*, *philonio*, *requie* & aliis *opiatis* videre eſt.

Secundam quod attinet, cum inferunt præparatione veneni naturam ipſi exui, eo teſtatum faciunt, & largiuntur, crudum, neque præparatum, eſſe venenum, & malignæ qualitatis participes, ſeq; magnam feciſſe iniuriam venerandæ antiquitati, quã ignorantiæ hoc ipſo accuſant, quod pro veneno reputarit.

Verum enim vero an præparatione aliqua, poſſit ſua ſpoliari venenoſitate, imo ſalubre reddi, & in contrariam adeo perduci naturam, vt cordiale fiat medicamentum, quemadmodum nimis inepte docent chymici quidam, nondum euidenter demonſtrarunt, quod ſi, vti affirmant, ita eſſe conuicerint, præmium à ſeruo ſuo fugitiuo merebuntur condignum, neque nullam ab eo inibunt gratiam. *An mercurius ſic præparari poſſit, vt deſinat eſſe venenum, & fiat natura vtilis.*

Verum noxæ mercuriales, vel à manifeſtis, vel ab occultis formæ proprietatibus & qualitatibus dependent.

Solam purgationem externam ſiue per *acetum*, *ſalia* vel *ſublimationem* ſolitariam etiam reiteratam, qua eum eſſentificari docet Paracelſus, ipſi apertas vel occultas non adimere vel ſufficienter cicurare qualitates, iam in confeſſo eſt.

Progrediuntur itaque ad talem præparationem, qua vel ſola alteratione eum immutent, & venenum aboleant, vel alterius cuiuſpiam rei adiectione infringant, ligent, vel corrigant.

Sola alteratione immutatur, dum acribus liquoribus, veluti *aquis fortibus*, *ſpiritu ſulphuris*, & ſimilibus corroſiuis,

roſiuis ; in puluerem præcipitatur: quo ipſo, etiamſi externas qualitates frigidas & humidas depoſuiſſe videatur, quomodo is vere pellem ſuam externam exuiſſe dicetur, cum vix ac ne vix ſic præcipitari & corrodendo vexari poſſit, vt reuiuiſcere & ad priſtinam naturam redire nequeat?

Et quamuis ſtygiarum aquarum igniculatione, humiditatem & frigiditatem maxime penetrabilé deſeruiſſe videatur, tamen, tali viciſſim armatur acrimonia & corrodendi vi, imo, excitato interiore ignis ſeminario, & in acriorem æſtum perducto, frigoriſq; repagulo adempto, ſic intenditur vt dictu arbitratuue difficile ſit, plusne malignitatis hac præparatione & præcipitatione exuerit, vel induerit.

Et cum purgandi facultas, & veneni, quo potiſſimum naturæ aduerſatur ratio, à forma ſimul quam proxime dependeant, hæc autem tali alteratione nequaquam afficiatur, exquiſitior eius nocendi virtus neceſſario intacta relinquitur. Non enim vis purgatrix in ſpiritibus, quæ ſunt inſtrumenta formæ, vi & proprietate prædita, primo conſiſtit, nec in ſalino principio. Si enim ſal quatenus principium materiale conſtitutiuum eam poſſideret, fruſtra eſſet forma; à *quo enim potior eſt rei eſſentia, ab eodem etiam perficitur actio, quia eſſentiæ perfectionem, ſequitur agentis facultas, & vt res ſeſe habet in eſſe, ita etiam in operari.* Vt itaque *mercurius* per ſuam formam eſt talis, ſic actionum vis à forma emanat, quam vel immediate, vel mediate, per qualitates, quas in materia ſua, ſibi idoneas, ſeu occultas ſeu apertas generauit, excercet. *Formis* vero cum *nihil ſit ad contrarium*, ex accidenti tantum corrigetur *mercurius*, qualitatum cicuratione; quin imo cum *occultarum non ſit correctio, neque formæ primaria actiuitas*, quæ ſine qualitatum miniſterio perficitur, *poſſit inhiberi*, & in apertis qualitatibus, ſi aboleatur frigiditas, pernicioſius inualeſcat calor, & reſtincta caliditate, lethale euigilet frigus, ſi item quando nimio vulcano ſpiritus conſumantur purgandi ratio, dictante Crollio, pereat, quod ideo continget, quia tam arcte à forma dependeant, vt nonniſi ea ſublata euaneſcant, hac autem perdita *mercurii* ratio neceſſario intereat, quomodo *mercurius* vlla præparatione ſic diſponi aut edomari poſſit, vt naturam veneni deponat, aſſequi non poſſumus.

Vis purgandi non conſiſtit in ſale neque in ſpiritibus primo.

Interim fatendum, nulla fere ſimplici præparatione magis cicurari *mercurium*, quam præcipitatione per aquas fortes, vbi tamen obſeruandum, quod Crollius dicat, nequaquam eadem illum ſic arrodi, quin in priſtinam naturam redire poſſit. Et quamuis Chymici potiores, in eo plurimum conſentiant, *mercurii* venenum recte, & quantum poſſibile ſit, edomitum eſſe, cum maxime fixus & omnibus ſpiritibus volatilibus, virtute & diuturniore ignis examine ſpo-

liatus

liatus, & ab acrimon'a ſoluentium affuſione impreſſa liberatus fuerit, tamen fatetur Crollius, eum ſi ſpiritib. omnino ſpolietur, omnem ſimul purgandi vim omiſſurum, vnde ſequitur, quod quamdiu illam obtinet, ſecum etiam ſpiritus volaticos veneni & malignitatis participes characteres habeat.

Cap. III.

Definitio mercurij ſublimati. Duabus potiſſimum de cauſis ſublimatus non eſt innoxius.

QVomodo *mercurius* ſyncere, ſine aliorum miſtione ad deponendam malignitatem præparari debeat, & an illa affectus venenum depoſuerit, vidimus, reſtat, vt diſpiciamus, nũ & qua ratione aliorum acceſſione, miſtura & opera ſic diſponi poſſit, vt naturæ noſtræ noxiam labem exſuat, & tuto in vſum recipi queat. Quocirca de *ſublimato*, de *mercurio vitæ, turpethis, & Bezoarticis mineralibus* porro agendum erit, quo & *aquæ mercuriales & tincturæ*, aliaque innumera reduci poſſunt.

Sublimatum præcipitato violentiorem, & virulentiorem naturam habere, ipſi fatentur Chymici, cuius rei duæ potiſſimum poſſunt aſſignari cauſæ. Prima eſt, quod non ſyncerus, ſed acrium ſalium, ex quibus eleuatur, ſpiritibus, & mixtura partim conſtet, quales ſunt *armoniacus, nitrum, vitriolum*, commune, aliaque, prout variè à variis ſublimationis apparatus adornatur.

Definitio Mercurii ſublimati.

Vnde Libauio definitur *magiſterium compoſiti argenti viui, cum ſale vitrioloque potiſſimum, per ſublimationem ad ſpeciem coagulati cryſtalli.* Sales enim, & cum primis *ammoniacus, atramentũque ſutorium* hanc compoſitionem ingrediuntur. Eius vſum eſſe primarium in tincturis metallicis; vel ad noxia animalia, veluti muſcas, mureſque, ſi *arſenico* iungatur, perimendum, in medicina vero externis duntaxat inſeruire, vt ſcabiei, quo nomine vnguentis vel aquis peculiaribus miſceatur, auctor eſt Libauius; ad mangonia quoq; vſurpari, ſed quam cautiſſime adhibendum, quod totum corpus celeriter penetret, & viroſum quid in linguam ſentiri faciat, etiam extremis pedibus cruribusve illitum.

Duæ ſunt cauſæ, cur ſublimatus virulentior ſit.

Quamobrem (ait porro idem) *intra corpus nemo eum adhibuerit, niſi improbus.* Corrigi quidem poſſe malignitatem per rectificationes chymicas, & præſertim fixiones non negat, ſed nullam putat neceſſitatem nos cogere, vt in tam ſuſpecto medicamento, ad hunc finem elaboremus.

Altera cauſa eſt, quod *ſublimatus* ſpiritibus mercurii maxime volatilibus conſtet, in quibus violentia inſolens, & malignitas præcipua ineſſe fertur. Quod enim volatile fuit, id cumprimis eleuatum eſt, & omnem correctionis & adimendæ *mercurio* mali-

mali-

malignitatis rationem & modum conſiſtere in fixatione & volatilium noxiorumq; exhauſtu per Vulcani miniſterium, rata & comprobata Chymicorum erat ſententia. De *mercurij* vero *meteoriſati* & cum crudo denuo & aliquoties ſublimati viribus & natura quid ſentiamus, paulo poſt dicetur.

CAP. IV.

Mythologia Paracelſi de viribus & efficacia mercurii vitæ, qui ipſi fertur, iuuentutem reducere vetulis, ſubſtantias mutare & innouare, digne refutatur. An rerum exſiſtentiæ ſint perennes, uti vult Paracelſus, qui genera & ſpecies cum indiuiduis confundit, & palingeneſiam ac pythagoricorum metempſychoſin reducit.

AD *mercurium vitæ* chymicis ſic nuncupatum deuoluimur. Hic monſtroſas, & homine Chriſtiano indignas opiniones imo diabolicas phantaſias in proſcænium educit Paracelſus. Qui enim pudori, veritati, pietati, & religioni valedixit, cui perinde ſit, ſiue à Sathana & ſpiritibus, & geniis cuiuscunque generis, ſine Chriſtianis erudiatur magiſtris, quomodo aliter ſentire & loqui poteſt? Effutit itaque, *mercurium vitæ*, ferrum & aurum in primam materiam ducere, & viciſſim in ſuam ſubſtantiam priſtinam reducere, & tranſmutare poſſe, & ex hoc concludit, eum non ſolum poſſidere virtutem perſonas, nec non alia ſubſtantialia tranſmutandi, ſed & vetuſtate, & ſenio corrupta renouandi, & iuuentutem reſtituendi; ſic enim renouat herbas, vt defloreſcentes & effætæ de nouo floreant, ſic innouat pecudes, vt inueterati eorum artus, & pene marcidi conſumptique reiuueneſcant. Sicanus (hic ars ſeſe exſerit præſtantiſſima, arrigite aures Medici, inhiate auro, captate opes, & pretioſi quicquid totus orbis complexu ſuo fouet, ſiquidem hic illud diu deſideratum, multis exoptatum, & nunquam hactenus oblatum vel inuentum diſcitis, artem videlicet, qua vetulæ tranſmutentur in puellas, & vt, præ gaudio, ſcilicet, vernacula lingua exprimam, hie lernet man vom Paracelſo alte Weiber jung machen. Vah! putidum mendacium) anus inquam, menſes ſeu ſanguinis fluxum menſtruum & amiſſum iuuentutis florē, & concipiendi, ſobolemque procreandi facultatem recipit. Audite theologi, iam Saræ fæcunditas deſinit eſſe miraculoſa. Sed conſideremus Paracelſicum argumentum, quod ex ſimilibus ductum valde imbecille eſt, & parum concludit, minusq; veritatis hic importat. Eſt autem tale: *Vti mercurius vitæ poteſt ducere aurum & ferrum in primam materiam, & ex hac viciſſim in priſtinam ſubſtantiam conuertere, ita & ex vetula puellam, ex ſene iuuenem*

Paracelſi ars mutandi vetulas in puellas, per mercurium vitæ.

Paracelſi argumentum.

uem creabit. Sed, *Euge Paracelſe, reduc vetulā* in prima ſua principia, in ſemen ſanguinemq; maternum, aut ſaltem in partes ſpermaticas & ſanguineas, tales, quales erant, cum in corporis recentis coagmentationem coirent; da exemplum facti, aut fac experimétum. Animam, quæ domicilii ſui miniſterio caloris natiui & ſpirituum tanquam inſtrumentorum proximorum architectrix fuit, collapſo & deſtructo, quod inhabitarat, corpore iube non excedere; calore natiuo exſtructo, cuius abolitione mors certa incumbit, ex cœlo vel Iliado tuo nouum reuoca, reelementationem nouam procura, forma, in forma, genera, crea, fac opus Dei & naturæ; deſine impietatis & blaſphemiarum in creatorem. Sed anne putas naturam humanam tolerare mutationes, quales metalla ferunt. Hæc igne eiuſque opera exaltari, ſynceriora reddi & prouehi poſſe concedimus chymicis, non vero homines, niſi velis ſagas tuas, ex cinere, quod ipſis earū patronus & magiſter diabolus polliceri ſolet, nec tamen præſtare poteſt, reſurgere, & reuiuiſcere, inſtar phœnicis, cuius exemplū vel fabuloſum, vel omnino ſingulare eſt. Si Paracelſo concederemus, *mercurium exaltatum*, ſuæ naturæ cognata metalla ſoluere & in perfectiorem ſtatum reducere, an in humano corpore eiuſque natura metallis diſſimillima quo ad eſſentiam & temperaturam, ſimile patrare poſſe ſtatuendum erit. *Mercurius*, vt alterum metallorum eſſentiale & intimum principium iiſdem ſeſe & potiſſimum auro, quorum ſubſtantiam conſtituit, facilius inſinuat, mutat & ſoluit, humanæ vero naturæ, quam nec ingreditur, vt pars eſſentialis (abſit luſus ſimilium & analogicus Paracelſi) nec ei familiaris, amicus aut cognatus, ſed toto genere ab eo diſtans, maxime contrarius & venenatus eſt, adeo vt vel ſolo vapore, & contactu eam depeculetur & deſtruat. Quæſo, Paracelſe, ex vetula *mercurio* tuo inſtar auri ſoluta reduc puellam. Si humanum corpus ex metallis realiter conſtaret (vti fere nugantur) cor videl. ex auro, cerebrum argento, oſſa ferro, lien chalybe, renes cupro, pulmones ex mercurio (quorum tamen balſamus, iuxta Paracelſum, ſulphur eſt) aliquid rectius, non tamen ad veritatem omnia dixiſſet Paracelſus. Proinde ſcelerata iſta, & exſecranda eius mendacia, quibus artem medicam peruertit ac corrumpit & præſtantia tot ingenia à veritate ad impoſturas, à pietate ad magica deliramenta & diabolica phantaſmata ſeduxit, prouide & prudenter cauenda ſunt.

Paracelſus mendax, & ſeductor ingeniorū.

Sed cum videat, ſe apud cordatos nil niſi riſum promeriturum, alia abſurditate, ſuam de *mercurio vitæ* ſententiam tueri, & palliare conatur, reponendo, *mercurium* illum, non nouam rebus eſſentiam conferre, aut recoquere, ſed tantum quintam illam interiorem, quæ in omnibus rebus æterna & imortalis ſit, liberare à corpore corruptibili putrido & cadaueroſo,

roſo, quo oppreſſa erat; annoſi enim idcirco conſenuerunt, quod corruptibili corpore & induuiis fuerint amicti, quibus ceu cadauere remoto, quinta eſſentia, quæ nequaquam in ſenibus perit, ſed æque exſiſtet vegeta, vti in iunioribus, liberatur, vt reſpirare, & reduce iuuentute florere, & reuireſcere poſſit. Sed, audi Paracelſe, *oportet mendacem eſſe memorem*, *ſuperius* dicebas, *Mercurium vitæ*, adeo etiam tranſmutare rerum eſſentias, vt ex ferro ad primam materiam redacto, vbi ſane quinta intercidit eſſentia, idem ferrum reducat, atque hoc perinde hominibus contingere, vnde non liberationis quintæ eſſentiæ à corpore cadauerofo, ſed tranſmutationis per te inducta eſt ratio.

Verum, an vegetabilia & homines ſecundũ exteriorem pellem & induuias ſeneſcant, & interior quinta eſſentia, in qua vitam ponit, perpetuo maneat, ſitq; impatibilis, nihil ſentiat, & patiatur detrimenti? illa ne humido caloreque ingenito perſtat, eiuſque refectione, cum in perpetuo ſit fluxu, conſeruatur: quod enim ſtirpibus eſt ananſis, id hominibus eſt ſenectus, quæ ad penitioris ſubſtantiæ corruptionem via eſt. Cur indigemus humidi natiui refectione per alimenta, an hæc duntaxat inutilem maſſam qua quinta iſta immortalis eſſentia tegitur, nutriet non hãc ipſam? Si quinta illa eſſentia impatibilis, ſi æterna, incorruptibilis, ſi per *mercurium* (quis quæſo animæ vſus erit in homine?) *vitæ* à circumſtante corruptibili, adeo liberamur, vt reuireſcamus, floreſcamus, iam æterna iuuentus, ipſaque immortalitas nobis per Paracelſum reſtituta eſt; hoc eſt, quod etiam mendaces iſti & veteratores, fratres roſeæ crucis, ante paucos annos, celeriter diſploſis mẽdaciis, & fraudulentis fabulis, profitebantur. Si per Paracelſum, immortalitas rerum ſublunarium reſtituta eſt, gaudete & plaudite poſteri; quibus tanto beneficio demum in hac mundi canicie (qui Paracelſo atheo æternus) perfrui conceſſum; doleant aui, proauique, imo ploret, quacunque demum plaga hæreat, in quinta ſua eſſentia Paracelſus ſuperſtes, quod artis ſuæ in ſe ipſo fœlicius non fecerit experimentum. Merito exclamet Ouid. *lib. 15. metamor. fab. 3.*

Fratres roſeæ crucis. Veteratores.

O Genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid ſtyga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum falſiq; pericula mundi?
Corpora ſiue rogus flamma, ſeu tabe vetuſtas
Abſtulerit, mala poſſe pati non vlla putetis,
Morte carent animæ ſemperque priore relicta
Sede nouis viuunt domibus, habitantq; receptæ,
Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc

Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, èque feris humana in corpore tranſit,
Inque feras noſter nec tempore deperit vllo.

Paracelſus Apoſtolus diaboli. Miror Paracelſum, in quo tanquam impuro Orci vaſe, & Apoſtolo Diaboli, omnes impuritiæ magicæ, & quicquid incantamentorum à Zoroaſtro & ſequaculis in hæc vſque tempora prognatum eſt, reuixit, hic *mercurio vitæ* adſcribere, quod alibi ſuæ magiæ tribuit, quodq; non confugiat ad Medeam ſuam, quam ex Orco ipſi, cum Galeno & Auicenna, quod iactat, haut impoſſibile, euocare, eamque de herbis, quibus ſenectutem recoxit, conſulat & quærat, de qua Ouidius *lib.* 7. *Metamorphoſ. fabul.* 3.

Interea calido poſitum medicamen aheno
Feruet, & exſultat, ſpumiſque tumentibus albet.
Illic æmonia radices valle reſectas,
Seminaque & flores & ſuccos incoquit atros;
Adiicit extremo lapides Oriente petitos,
Et quas Oceani refluum mare lauit, arenas.
Addidit exceptas Lunæ, de nocte, pruinas.
Et Strygis infames, ipſis cum carnibus, alas,
Inque virum ſoliti vultus mutare ferinos
Ambigui proſecta lupi: nec defuit illi,
Squamea Cinyphei tenuis membrana Chelydri,
Viuaciſque iecur cerui: quibus inſuper addit,
Ora, caputque nouem cornicis ſecula paſſæ,
His, & mille aliis, poſtquam ſine nomine, rebus
Propoſitum inſtruxit mortali barbara munus,
Arenti ramo iampridem mitis oliuæ,
Omnia confudit, ſummiſque immiſcuit ima,
Ecce, vetus calido verſatus ſtipes aheno
Fit viridis primo: nec longo tempore frondes
Induit: & ſubito grauidis oneratur oliuis.
At quocunque cauo ſpumas eiecit aheno
Ignis, & in terram guttæ cecidere calentes:
Vernat humus floreſque & mollia pabula ſurgunt.
Quæ ſimul ac vidit, ſtricto Medea reſoluit
Enſe ſenis iugulum; veteremque exire cruorem
Paſſa replet ſuccis, quos poſtquam combibit Æſon
Aut ore exceptos aut vulnere: barba comæque
Canitie poſita nigrum rapuere colorem,
Pulſa fugit macies, abeunt palloꝛque, ſituſque
Adiectoq; cauæ ſupplentur corpore rugæ:
Membraque luxuriant. Æſon miratur, & olim
Ante quater denos hunc ſe reminiſcitur annos.

Paracelſici mercurii virtus,& huius fabulæ veritas pari paſſu ambulare videntur,ſed vt ſerio ad rem redeamus, ſatis apparet, Paracelſicum illud cõmentum ,alio niti paradoxo, videlicet ſublunarium genera & ſpecies ,in indiuiduis & exiſtentiis ſuis ſpecialiter & ſingulariter incorruptibilibus eſſe perpetua, vbi ſanæ Philoſophiæ ſuo more denuo oggruñit & oppetit Hæc enim opinio decernit , omnia exiſtentialiter eſſe æterna; rerum ceu (exempli grati)roſæ,eſſentiam exſiſtentialem, non perire, ſed abire ad Orcum,depoſito corpore externo,& quotannis aſſumpto ex elemẽtis nouo,innata ſcientia, & prædeſtinatione redire,perſonã ſuam in hoc mundi theatro oſtentare,eaque dein exuta & externis corruptibilibuſque induuiis reiectis , ad ſuos auos proauoſque in Orcum Iliadumque Paracelſicum redire,anne hoc ipſo contra ſana, & hactenus immota , ac veriſſima ſolidæ Philoſophiæ fundamenta, adſtruit rerum genera & ſpecies,non in eſſentiis,ſed exſiſtentiis indiuiduorum perpetuare; vbi turpis generum, ſpecierum , & indiuiduorum confuſio introducitur,& generationis corruptioniſque naturalis ignorantia oſtenditur. *Nihil enim à ſeipſo,ſed quidquid eſt, ab alio generatur.* Sed penitius veteratoris commentum eſt conuellendum.

An rerum exſiſtentia ſint perpetua.

Quinta illa eſſentia in rebus ſublunaribus , eſt vel earum forma , vel materia, vel aliquid ex vtriſque compoſitum. Si materia ſit, erit corruptibilis, & patibilis, & deſtructioni obnoxia; ſi forma,concludendum fuerit , rerum ſublunarium formas vnà cum anima rationali & immortali ſeparatim in perpetuitatem exſiſtere, quam abſurditatem ſana Philoſophia & Theologia hactenus non admiſit. Si quiſpiam regerat,eſſentiam illam , ex forma & intima exquiſitiore illuſtrioreque rei materia æternum cohærentibus conſtare , conſequitur mortem hominis , & rerum interitũ non eſſe corruptionem ſubſtantialẽ, ſed accidentalem, videlicet externarum in oculos incurrentium induuiarum,indiuidua interim in formis & limpidiore ſubſtantia incorruptibili æternare.

Quo igitur iſtæ boum ,equorum , omniumque cæterorum animantium eſſentiæ perennes, ſeu formæ ſolæ,ſeu ſubſtãtiæ compoſitæ, poſt obitum diuerſ ntur ? an in orco , vel Iliado Paracelſi,an in cœlo,vel aquis ſuper cœlos,vel regione idæarum aut hortis Heſperidum , aut valle Elyſiã , vel nouo magni anni Platonici orbe, vel dic vbi? vide cordate lector,gentiliſſimum Paracelſi , immortalitatem pecudum & Pythagoricorum metempſychoſin,& palingeneſiam , reducentis.

Si induuiis ſuis relictis , quintæ & ſpirituales demigrant eſſentiæ , ad beatitatis ſuæ palatia ; quomodo ex ſale roſæ, cuius Quercetanus mentionem facit,admoto calore , ſpiritu-

aliseſſentia continuo emerſit, & exſurrexit, eoque retracto, in ſui cineris gremium ilico relapſa defluxit; cui commento cum fidem non facerem, quidam rerum meatum, præter meritum tamen, Ariſtarchus, & cenſor iniquior, rationibus meis illæſis, & præteritis, me vituperare & chymiæ olorem temerario auſu nominare non eſt veritus. Sed ſciat ille, me veræ, & Chriſtiano homine dignæ, ſinceriorisq; philoſophiæ & medicinæ, non ineptiarum, aut prodigiorum fallacium, aut mendacium, à pſeudochymis adductorum eſſe amatorem, & definat veritatis cultores temere criminari.

Cæterum pudet, & tædet, in his fanatici hominis deliriis cribrandis, plus otij & operæ conſumere, vnum tamen ad maiorem eius dementiam oſtendendam adjicere libet. Ex hoc fundamento, quo ſtatuit, quintis eſſentijs in rerum interitu nihil decedere, concludit ſtercus humanum magnarum virtutum eſſe, quia nobiles in ſe contineat *eſſentias*, videlicet cibi, & potus, de quibus admiranda ſcribi poſſent, quod corpus eſſentiam ab ijs non extraxerit. O ſtupida natura, relinquis in ſtercore, quod optimum eſt. Ecce quintam ciborum in ſtercore, famelicorum Paracelſicorum digno opſonio, eſſentiam.

CAP. V.

An aliorum adiectione mercurij malignitas ſatis frænari vel elui queat, de mercurio vitæ quatenus ex antimonio & hydrargyro præparatur.

TEmpeſtiuum nunc eſt deſpicere, ex qua pixide eleuſinum illud mercurii vitæ ſacrum; & arcanum, cuius virtute tanta fiunt miracula, ſit deſumptum. Partes eius eſſentiales, ſunt *mercurius & antimonium*; ſublimatione vel deſtillatione per ſpecialem encheiriam coadunata, & copulata. Ex horum deſtillatione puluis quidam albus, quem poſtea deſcribemus, reſultans id nominis ſibi paſſim vendicat. Quidam *flores*, ex *antimonio & mercurio remiſtis*, *ſublimatos*, *mercurium vitæ* vocant, ſed crudi iſti & ſaturi ſpirituum volatilium; & malignorum adeo diuinum medicamentum conſtituere nequeunt. Audiamus Crollium; is ex *antimonio* & *mercurio*, deſtillatum per retortam liquorem, ait vulgo nominari *mercurium vitæ*, cum tamen ſit ſumme corroſiuus; & fuiſſe quoſdam adeo temerarios, vt cum illo impune luſerint de corio humano. In hoc liquore affuſione aquæ calidæ ſolui ſalia corroſiua, & puluerem, de quo dictum, quem ille pro veris habet *antimonii floribus*; nec niſi fortibus naturis exhibendum eſſe, docet, fundum petere & colligi. Varii varie & illum puluerem, & ex his duob. principiis ſuum *mercurium vitæ* præparant. Sed vti hæc diſcreta & ſeorſim per ſe

ſumma participabant malignitate, ita neque ſic coniungi, nec adeo cicurari poſſe, vt plane innoxia fiant remedia, dummodo ad purgandum vſurpari debeant, ex iis, quæ *ſupra* propoſita ſunt, facile liquet. Cum enim malignitas *mercurii* non tantum in ſpiritibus iſtis inſit volaticis, ſed ab ipſa eius eſſentia potiore ſeu forma dependeat, neſcio, quomodo ex eodem, hac ſalua & non deſtructa, ſalubria purgantia confieri & confici poſſint. Experimur eum, quomodolibet fere tentatum, fixatum, deſtillatum, ad priſtinam formam recrudeſcere, qua ſi prorſus ſpolietur, iam nō amplius ex ſe ſuaque ſubſtantia conſtans poterit medicamentum ſuppeditare.

An mercurius virulentiam deponat aliorum miſtione.

Sed conſiderandum, an ſeruata forma proprietates & efficaciæ formales, malignitatem explicantes benignorum miſtura & artificioſa præparatione poſſint corrigi, inhiberi vel cicurari. Chymici, quia in ſpiritibus volatilibus vim malignam & ſimul purgatiuam ponunt, hos violentia ignis atterendos, non tamen omnino conſumendos eſſe, putant, quod alioquin purgandi facultas plane exſpiret. Atque vt apertarum qualitatum noxam (quibus tamen noua ex ſalibus corrodentibus introducitur) retundunt, ita porro diuturna calcinatione & ignis examine prolixiore, ſpiritus volaticos malignoſque exhaurire, mercurium figere, et ſi ita figi nequeat, docente Crollio, quin reuiuiſcat) & præparare ſatagunt, vt magnam violentiæ & malignitatis partem, licet non omnem integre exſuat, naturiſque robuſtis adminiſtrari poſſit. Cum enim, ipſorum teſtimonio, in ſpiritibus volatilibus eius tam malignitas, quam vis purgans conſiſtat, neque, dummodo aliquid huius virtutis in eo relinqui debeat, illi omnino figendi, vel exhauriendi ſunt, ſequitur, tantum ineſſe malignitatis, quantum facultatis purgantis remanſerit.

Alterum denique ineunt Galenicos imitati, correctionis modum, quo videlicet eius malignitatem vel benignioris vel contrarii miſtura refrænare & inhibere ſatagunt.

Si quidquam, quod eidem ſpecifica formæ proprietate aduerſaretur, aut conueniret, eiuſque peculiare alexipharmacum & antidotus foret, qualis *napello, anthora, euphorbio, antieuphorbium, &c.* daretur, iam res eſſet plana, neque de tam laborioſis corrigendi modis deſudandum; frequenter n. ſeſe contrarietate naturali mutuo ita adoriuntur, vt ſumpta corpus non infeſtent, vel talia adduntur, quę vim pharmaci ita coërceant, ne malignitatem corpori affricare aut imprimere poſſit, ſed hæc, necdum à Paracelſiæ myſtis tradita vel inuenta ſunt. Malignorum coniunctione, veneni vtriuſq; naturam ex actione mutua ita aliquando retundi, vt innoxie ſumantur, Auſonius Burdigalenſis *epigrammate ſuo* teſtatur.

Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum,
Miſcuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc, ſi quis faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceßit lethalis noxa ſalutiferæ,
Protinus & vacuos alui petiere receſſus,
Lubrica deiectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum, prodeſt crudelior vxor,
Et cum fata volunt bina venena iuuant.

Supereſt igitur ille modus, quo benignorum miſtione vel communium & receptorum alexipharmacorum admiſta adiunctione inhibeatur malignitas.

Chymici in auri & argenti miſtione, omnem corrigendi vim ponunt, chymiatri quidam in *theriaco* & *mithridatio*, aliiſque antidotis. Sunt, qui *pulueres mercuriales*, vel ex *mercurio* facta purgantia non exhibent quin additis granis aliquot *diagrydii* aut *guttæ gummi*, vt horum incitata ſtimulis, celerius eiiciantur ne diuturniore mora inhærentem & ſuperſtitem malignitatem corpori imprimant.

CAP. VI.

Nulla ex Metallis naturæ humanæ ſatis grata ſeu purgantia ſeu roborantia comparari remedia, quod illa tota ſua ſubſtantia ſint noſtræ temperiei inimica humidumq; primigenium & vitæ florem violenter depeculentur. Fundamenta medicinæ Paracelſicæ vniuerſim pene eruderantur.

SEd operæ pretium erit, naturam & vim remediorum ex famalia, mineralium euocatorum excutere. *Mercurii* multoties *ſublimati* vires mirifice depræconiantur, & vt in illo per præcipitationem & calcinationem exhauſtis ſpiritibus volatilibus & venenatis vel alia ratione fixis & ligatis aut vi auri argentiue coercitis malignitatem corrigunt, ita in hoc crebriore eleuatione & in meteoron deductione ſinceriſſimum & beniгniſſimum, & ad vſum conuenientiſſimum reddi aſſerunt. Verum alij non ignobiles chymici, haut omnino inepte autumant, crebris ſublimationibus non tam cicurari & mitigari, quam accendi, penetrantiores & calori natiuo ad inſidiandum alacriores, & acutiores ſpiritus volatiles, imo ſubtiliores, & ad nocendum aptiores fieri, nec cœleſtem ad iuuandum, vti vulgo volunt, ſed ad officiendum ſtygiam acquirere vim. Quis enim

enim, vt verbis clariſſimi Libauii vtar, non in ſepties vel nouies etiam ſublimato acrimoniam & viroſam qualitatem animaduertit? imo nec ipſi dentes faucesque aut oculi *mercurij criſtallini dulcis* contactum ferũt. Malignitatem horum plurimũ corrigunt, ligando vel exurendo ſpiritus malignos. Illud ſi fiat, quæritur, an in corpus demerſa vi caloris natiui non reſuſcitentur, & cum venenata omnia naturæ ita ſint contraria, vt admota obiecto ſpecifico, in quod agere nata ſunt, an actionem ſuſpendant, & ſe per Iouem, Saturnum vel lunam, ligari & naturalem inclinationem inhiberi patiantur. Hoc ſi tentes, vſtione edomitis ſpiritibus, neceſſum eſt, vim cauſticam, rebus metallis, eorumq; ſalibus fixis conciliari, eamque hoc ipſo maiorem induci, quo materia, quæ vritur, ſit aut penetrabilior, aut durior, ſicciorque. Si enim inſigni pollẽt acrimonia vegetabilium & herbarũ cineres, multo magis eadem excellent metallica. Hanc virulentiam & empyreumã, nullis aquis cordialibus, aut delenificis poſſe elui è calce metallica, aſſeuerat Seuerinus, Quercetanus & alii de gente chymica. At pone elui poſſe, & vinculum ſalium fixorum, quo ligati erant, ſolui, quid tum fiet, nunquid in priſtinam naturam & formã redibunt? cui fini igitur adhibiti tot labores & impendia? Auffer *mercurii* malignitatem, & noxiam facultatẽ, & è medio tolles ipſam vna, quam deſideras purgandi rationem & operationem, quæ à ſola eius forma dependet. Hanc abolere neceſſum, ſi illam plane exhaurire voles nullo ſiquidem pacto, debite inhibetur malignitas, principio, à quo dependet, ſaltio. *Mineralia itaque nunquam eo perduci poſſe, vt grata & naturæ amica ſiant purgantia, aut ex iis corroborantia cudantur remedia, certum eſt: habere quidem vim, qua in nos agant, non pernegamus, ſed eam eſſe violentam, noxiam, quaque in opere purgandi magis turbando, quam placide & electiue trahendo operetur, extra dubium eſt. Agunt enim & purgant ſola naturæ irritatione tam violenta, nauſeabunda & laceſſente, vt id, quod noxium & ſuperfluum, deinde, quod vtile eſt indiſcriminatim excutiat.* Neceſſum enim eſt, *omnia pharmaca, quæ non magis familiari à forma proprietate oriunda tractione, quã irritatione & corporis turbatione vacuant, eſſe violentiſſima, deinde eadem non peculiarem & reuera noxium vel morbum pro tempore committentem, & fouentem, ſed quemcunque & primo ad fluendum aptiorem & ſuperuacaneum ſimulque vtilem adoriri, neque etiam ſic attemperari & dirigi poſſe, vt vel ſigillatim è prima, ſecunda aut tertia corporis regione, aut regionis parte definite vel ſpecialius educant, quod comparata ſint ventriculum, venas, viſcera, totumque corporis habitum penetrare & peruagari, obuia accendere, fermentare, agitare, fundere & naturã ad eorundẽ expulſionem tum facultatis irritatione, tum humorum quaſſatione irritare & impellere; quas vires inſolentiamque* cum *in tenui &*

Ex mineralibus corroborãtia & purgantia, naturæ humanæ præ cæteris propitia non poſſe præparari.

exili quantitate plurimum poſſideant, ad venenorum potius, quam medicamentorum claſſem redigenda videntur.

Metallica corporibus & naturis noſtris tota ſubſtantia ſunt contraria.

Metallica verò corpora, ſumme compacta & ſolida ſunt, adeoque ſicciſſima, tam apertas, quam occultas, nobis perniciales qualitates, habentia ex *ſulphure* & *mercurio*. Vti enim huius merito frigus penetrabile neruis & oſſibus maxime aduerſum & ſimul ignis in penitiori parte ſeminarium, quo ſolidiora colliquat, & tabefacit, ita ex illo ſqualor & depaſcens ineſt æſtus. Vtriuſque principii qualitates, tam occultæ, quam manifeſtæ humido radicali & viuifico inſidiantur, id violenter exſorbet & conſumunt. Nulla ex iis humidi inſiti & radicalis nutritio aut refectio, ſed violenta depaſtio, & caloris viuifici in ignem ſeipſum conſumentem accenſio exſpectanda.

Quanto autem labore principiorum vires ex ſolidiſſimis & ſicciſſimis metallorum corporibus eruderandæ & exſculpendæ, quæ, vt prodeant, eadem aquis fortibus, Stygiis, mercurialibuſq; arrodenda, ſoluenda & comminuenda; ignibus videlicet potentialibus aut actualibus *olea*, *ſpiritus*, *liquores*, *flores* extundenda. Cumque materiis cauſticis, & penitus vrentibus præparantur, quibus innata malignitas non modo non temperatur, ſed magis acuitur, accenditurque, adeo, vt id malitiæ, quod ex menſtruorum virulentorum & corrodentium affuſione accedit, nullius edulcantis delinitione, ipſo Chymicorum teſtimonio elui poſſit, & ipſa præparatione calori natiuo, humido archigono periculoſiora reddantur; tantum abeſt, quod innatam metallicam ſiccitatem depeculātem naturam humanam deponant, & humido ſubſtantifico affinem quādam temperiem gratamq; & reſtaurationi idoneam virtutem vnquam aſſumant, quid eſt, quod ſpretis vegetabilibus, naturæ noſtræ conuenientibus, quorum moderatione reficimur, morbique benigne & ſine omni violentia & vlteriori naturæ quaſſatione, humidiq; innati & caloris diſpendio ciſpelluntur, ſubſtantialia noſtra reſtaurantur, imo quibus, quoad viuimus, alimur & ſuſtentamur, quæque Deus ter Optimus Maximus, cum ad ſubſtantiæ noſtræ refectionem, vt alimenta, tum ad eiuſdem defenſionem, vt remedia proprie condidit & liberaliſſime propoſuit, ea, quæ naturæ humanæ ſumme ſunt aduerſa & pernicioſa, vehementer appetimus, laborioſe præparamus, pretioſe comparamus, periculoſe vſurpamus, cum virium vitæ & conſcientiæ damno adhibemus, & frequentiſſime vniuerſas facultates, imo vitam ipſam in eorum fabricatione conſumimus? Quid illa ſibi vult humana malitia? Tentatne id arte & ingenii infirmitate medicamentum facere, quod Deus remedium eſſe noluit? Creator & ſapientiſſimus noſtri corporis architectus, non metallica

ca

ta viſcera, ex auro, ferro, cupro, vel argento, aut rebus mineralibus nobis creauit, nec eorum fortitudinem ex ſoliditate auri, argenti, ſimiliumve quærendam commonſtrauit. Si in ferrea, vel cuprea, aut vlla metallica ſiccitate & ſoliditate viſcerum noſtrorum & partium robur conſtaret, vtique ex horum coalitu & vſu ipſis ampliſſima valetudo & firmitas conciliaretur. Verum, quod vel milies, ſed fruſtra bardis & barbaris iſtis nugatoribus eſt inculcatum, vita, vires, & incolumitas noſtra, vti in commoda primarum partium temperie, humidi & calidi natiui iuſta moderatione perfuſa & determinata conſiſtunt, ita metallorum ſiccitas & ſoliditas, imo vehementior, tam occulta, quam manifeſta qualitas, ſiue ea innata, ſiue labore chymico induċta, non tam robur & fulcimentum ſubſtantiæque augmentum, quam detrimentum & ſummam labem violentiamque inferunt. *Vita*, inquam, *& vires non in ſiccitate & ſoliditate cōſiſtunt, quippe quod quanto ſicciores, tanto morti viciniores ſumus, & quantum ſiccitatis, tantum ſenii & infirmitatis habemus, in humido autem primigenio, calore viuifico & ſpirituoſo perfuſo, vitæ perennatio & flamma, vti illius caloris extinctio mors eſt, ita humidi, in quo hæret exſiccatio, eius eſt abolitio.* Et ſane, ſi rē recte putemus & penſitemus, quid *argento viuo* cum *ſtella mercurij*, quid *cupro* cum *venere aſtrica*, quid *argento* cum *luna*, & *ſoli cum auro*, & denique quid his omnibus cum cerebro, corde, pulmonibus aut renib. commercii? an qualitatibus communicent? nequaquam, an ſubſtantia conueniant? quis eſt expertus. Nugamenta & delira ſunt philoſophemata, ocioſorum phantaſtarum ſectæ Paracelſicæ, & horum, ex quibus eorum Patriarcha hanc veſaniam ſuxit & hauſit. Vnico, ſed ſuaui, & formoſo, nec minus ipſis eleganti (videte ſodes) nituntur principio: *omnia, quæ ſunt in maiori mundo, eadem quoque in homine ſeu microcoſmo ineſſe*: in hac analogia & ſimilitudine (quis enim eo veſaniæ deueniat, vt identitatem ſtatuat) omne ſuæ philoſophiæ collocant fundamentum, quo reuera nullum magis lubricum. Quid ſi dicas, cor eſſe regem microcoſmi, & calore ſuo corporis vniuerſi partes conſeruare, illuminare, recreare, imo ipſam vitam fouere, veluti ſol in inferioribus ſuaui ſuo lumine & calore fouet, recreat, generat, & generata conſeruat, nunquid ex eo deduces, aurum regē metallorum, cætera mineralia vel metallica regere, gubernare, ſpiritū & vitam infundere, generare, generata conſeruare, & ſine auri viuifica influentia perire, aut ex iſta pariter ſimilitudine concludes, quia aurum ſit rex metallicus & vti cor microcoſmi, quod iſti reges idcirco eiuſdē vel paris ſint ſubſtantiæ, mixtionis, texturæ, temperiei & virtutis. Mi Paracelſice, parce vanis his & inanibus ſomniis & næniis indulgere: *vires rei*,

Fundamēta medicinæ Paracelſicæ euertuntur.

non ex ſimilitudine, *ſed cuiusq; forma & temperie, quatenus in certa ſua materia eſt determinata, conſiſtunt*, vnde conſpicue iam elucet analogici philoſophematis vanitas.

Sed redeamus ad examen, quod paulo ante inchoauimus purgantiũ ex mineralibus præparatorum, diximus, ea non electiue certum humorem, ſed quemcunque aggredi, malum cum bono, coctum cum crudo, & ad fluendum aptiores primo, dein cæteros, & tandem vtiles, quos natura arctius retinet, excutere, idque non ex deputata quapiam regione, aut parte, ſed toto indifferenter corpore, quemcunq; obuium inueniant & offendant.

De violentia & virulentia purgantium ex mineralibus.

Si enim medicamenta, ex vegetabiliũ claſſe familiariora, cum nihil inueniant ſuperfluitatum, ſanas carnes colliquant, vt ex iis quippiam exprimant, quid non faciat *mercurius*, qui proprie virulentia & violentia innata, neruos, neruoſas partes & carnulentas, demumque ipſa ſimilarium ſtamina in ſaniem colliquat, oſſa adoritur, & per intima minutiſſimaque totius graſſatur?

Cum vero tam crudos, quam coctos humores violenter excutiant mineralia, factum eſt, quod Paracelſus nullo humoris, quoad ſpeciem reſpectu, nulla cruditatis aut concoctionis habita ratione, aut minoratiui vel plenariæ purgationis conſiderata neceſſitate, nec temporum morbi attentione, vel diſcretione, abſq; omni methodo rationali, quemlibet morbum adoriatur, eiuſque cauſam materialem, ſiue naturæ dominio parentem, & obſequioſam, ſiue indomitam, crudam & reluctantem, continuo exturbare doceat. Naturæ iuuenum robuſtæ, interdum hunc impetum, & remedii inſultum ſuſtinent, dum magna humorum omnis generis ſaburra violenter & cum ingenti totius anguſtia, ſpirituum viſcerumque concuſſione celeriter liberatæ, innato vigore ſeſe ſubito & ſponte recolligunt, mediocris autẽ conſtitutionis indiuidua, vehementiore ſurſum deorſumque perturbatione facta, liberantur quidem ab illuuie copioſa, ſed vt plurimum viſceribus impreſſam remedii malignitatem ſeruantes de virium defectu & debilitate à pharmaco contracta toto vitæ tempore conqueruntur, delicatiores autem & tenerioris texturæ, aut ætatis & ſexus imbecillioris, nec viſcera, nec partes adeo robuſtas, ſed exquiſite ſenſiles poſſidentes, in ipſa operatione frequenter deficiunt, & conuulſiones, animi deliquia, ſyncopen & mortis anguſtias, aut neceſſitatem ſæpe incurrunt animamque cum illuuie mota, & promota euomunt, quod non vni, ſed pluribus, qui videbantur etiam habitu corporis ſatis robuſto, & virium eſſe conſtantium, cum à temerariis Paracelſiſtis & nudis, puris, putiſque chymicis pharmaca aſſumpſiſſent, accidiſſe memini, cuius plura exempla,

Irrationalis & empirica Paracelſi purgandi & curandi ratio.

Paracelſica medendi ratio & methodus barbara ciſſilitur.

pla,

plæ, ſi non odioſum foret, recenſere poſſem.

Paracelſica medendi ratio & methodus barbara eiſpellitur. Et hinc eſt, quod Paracelſus, ſpreta omni rationali totius antiquitatis methodo, nullo naturæ ægrotantis habito reſpectu, omnem recte medendi rationem in medicamēto ſpagirice parato ſitam eſſe doceat, eique naturalem & innatam morbi & cauſarum morbificarum notitiam affingat, quia, vbi in corpus ſumptum fuerit, per omnes eius angulos circumferatur, & eas quærat, inuentas hoſtiliter aggrediatur, violenter exturbet, cum tamen ex Oraculo Hippocratis, *naturæ ſint morborum medicatrices primario, & infelix ſit medicina, non opitulante natura, cuius, niſi Medicus ſequatur ductum & nutum, conſiderando, quid ferat, quomodo & quando remediis iuuanda, adeoque non magiſter, ſed miniſter eſſe ſatagat, eius item ordinem & legem ſequatur, qua primo cauſam materialem ſibi obœdientem reddit, aut coquit, deinde ſegregat, & tandem expellit, nihilque ea inuita intempeſtiue, aut non adminiculante, vel tolerante moueat, & aggrediatur, ſed Paracelſica fatuitate vnius remedii induſtriæ indoli & efficaciæ expugnationem & curationem morbi committat, non ſolum empirice, ſed & crudeliter curabit, & in vitam humanam ſicario more graſſabitur.*

CAP. VII.

Paracelſicorum phreneſis, qua comprehenſi opinantur aurum corroborare naturam aduerſus omnium morborum inſultum, curatur. Non aurum, non aliud quippiam ex ta hominem in ſubſtantiam humano corpori ſimilem aut humido radicali æqualem vlla arte conuerti.

C*Orpus noſtrum, & quæ ſecundum naturam ſunt, conſeruantur ſimilibus, quæ præter naturam expelluntur contrariis.*

Aurum vero humanæ naturæ gratificabitur, quatenus illam ſimilitudine ſua ſubſtantifice inſtar alimenti conſeruet, vel vt medicamentum à morbis eorumque inſultibus vindicet, aut contra eoſdem muniat. Hoc præſtabit qualitatibus primis vel ſecundis. Primas ex vegetabilibus minore opera, & pretio, conuenientiores, magis cognatas, ac familiares habebimus, ſiquidem in *roſis, Garyophyllis, violis, ſantalis* cæteriſque cordialibus vegetabilium, promptior & melior, quam in auro poteſtas, ad reficiendum & grata temperie afficiendum cor. Secundæ eius qualitates ad naturæ noſtræ roborationem ineptiores ſunt, quod *partium principalium virtus non in metallica, vt paulo ante declarauimus, duricie & ſoliditate, ſed temperamento conuenienti menſura ac proportione caloris natiui cuique definito conſiſtit.*

Erit itaq; auri virtus in illo vt tamquam medicamentum à ſuperuacuis corpus liberet, vel inſtar alimenti ſubſtantiam reponat, & humidum radicale augeat. Si illud, neceſſum erit

per aluum, vrinas aut ſudores & diaphoreſin euacuare. Sed neutrum horum per ſe, & poſtremum etiam per accidens; quatenus in calcem multis molitionibus & acutis menſtruis, redactum, penetrandi ſubtilitatem & poteſtatem omnibus ſalibus & calcibus communem acquiſiuit, efficit. Si hoc, videlicet vt ſubſtantiam reficiendo maxime roboret, quam virtutem gens chymica in eo maxime defendit, & aſſerit, neceſſario nutrimentalem vegetabilemque deſerta claſſe & natura metallica conditionē, induet & aſſumet. Audiamus docte, vere & ſubtiliter clariſſimum Libauium, diſſerentem, & de re ipſa, quod res eſt, dicentem *lib. 2. ſyntag. arcanor. c. 19.*

Libauii ſententia de auro, an humidi primigenii ſubſtantiā reſarciat.

Conſiderandum eſt, inquit, *quaenam ſit proportio temperamenti auri & caloris noſtri natiui. Si calor noſter natiuus, qui ſine ſpiritu & humore radicali ſaepe non intelligitur, excitatur & defenditur auri craſſi, quia id fiat per ſe à ſimili, neceſſe eſt, aurum potabile concoqui poſſe & in ſuccum alimentarium ſpiritumque verti. Impoſſibile enim eſt, alias ſimilem & conſeruatiuum exſiſtere, nec quicquam fit ſimile partibus in nobis, niſi per aſſimilationem ex concoctione & generatione, quam praecedit corruptio prioris. Ita ſi humidum denſitate & ſoliditate reddit ſolidius, nutrire neceſſe eſt, & tenuandi penetrandique vim obliuiſci. Debet enim tranſire in ſubſtantiam humidi, venireque in locum partis abſumptae, in quo ſimul euenit alteratio, qua denſum tenaxque nutrimentum, ſimiliter alterat membrum, quod nutritur. At aurum poculentum nutrire niſi per accidens, ne chymici quidem dixerint, ſi ſapere pergent.* Et paulo poſt idem *eodem capite. Ponitur in corporibus humidum primigenium & radicale. Huic omnino ſimile dicitur id humidum, quod ex auro per artem Chemicam extrahitur, adeo vt in ſubſtantia augeſcat, ſed quomodo quaeſo poteſt in ſubſtantia omnino eſſe ſimile auri humidum, quod nec generatione humana, quae ſimilitudinē generantis pro fine habet; nec concoctione naturali intra hominem, iam naturam habentem, & ſibi aſſimilantem nutrimentum, concoctum alteratumque iuxta ordinem & vim homini propriam, ſimile factum eſt? aut natura in auro iſto ſpectanda eſt, aut ars.* Illa materiam Medico praebet, & nutrimentum coquo, ab initio plane diſſimile, adeo, vt per multas actiones paſſionesque tandē poſſit reddi ſimile, neque tamen ad eam praeſtantiam peruenire, qua erat radicale humidum à principio generationis ex ſemine & ſanguine. Ars autem ſimile in ſubſtantia non facit, niſi coctione naturali per illud agens, quod iam habet naturam ad ſui ſimile motiuam. Fatui ſunt, qui ignem elementarem aut phyſicum vllum alchymiae, opinantur ſimilitudinem ſubſtantialem inter medicinā & hominem procreare poſſe, citra hominis naturam. Et ſi poſſet in genere humano affinitatem procurare, quia tamen, quod Petro ſimile, id Paulo diſſimile eſt, non aſſequeretur ſpecialem diſpoſitionem, ita in vno homine

An ars poſſit vllū nutrimentum extra corpus ita comparare vt humido natiuo ſimile & par ſubſtantia fiat.

Nihil ſubſtantia humana ſimilitudinē induit extra hominem.

homine oſſi ſimile non eſt carni ſimile. Inſuper quod ſimile in ſubſtantia fit, id neceſſe eſt ad talem materiam redigi, qualem habebat humidũ radicale ab initio, videlicet ſimilem corpori genituræ & ſanguini diſpoſito, quis autem ille artifex eſt, qui hoc poſſit ſine natura ſingulari? Alia forma & craſis auri eſt, alia humidi radicalis in homine, & vtraq; ſubſtantialem complectitur miſtionem, ex aliis idem non fit, niſi mutatione, non qualibet, ſed determinata. Multa quidem dicuntur de corde myſtico & cœleſti, ſed quæ aut falſa ſunt, aut alio ſenſu accipienda. Non ſunt tanti fornaculæ, catilli, menſtrua, & extractiones chymicæ, vt minerale cor tam familiare reddere poſſint animali, humanoq;, vt ſine coctione, & aſſimilatione naturalis agentis in homine, alterum per alterum in ſubſtantia augeatur. Finge, poſſe per artem aliquid ad identitatem ſubſtantialem ex toto genere diſſimili producere, at ſine ſpeciali, oſſis, carnis, cutis, & neruorum natura, nihil fit adpropriatum omnibus. *Qualibet pars ex communi nutrimento haurit id, quod ſuum eſt, quodque potentia eſt id, quod pars exſiſtens actu, & ſic propria vi immutat materiam, in ſubſtantiæ ſocietatem admittendam.* Neque eſt, quod dicant alii, calidum innatum auro potabili auctum, homogenea omnia in corpore cõgregare, heterogenea diſgregare & ſeparare, morbos omnes curabiles expellere, & incurabiles moderando mollire. Age ponatur calidum innatum auctum: Aut intra terminos naturæ humanæ quam optime ſanæ id intelligendum eſt, aut extra. Si illud, bene conſtituto calido non erit dandum aurum potabile, quia augebit calorem vltra diſpoſitionem natiuam, & πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, vt ſenex noſter ſcriptum reliquit. Deinde, ſi non debet naturæ calorem vltra terminum gradumque debitũ augere, nihil poterit amplius ratione caloris, quam quod calor optimus poteſt. At hic nequit reſiſtere morbis, quin veniant. Finge, infantem ab vtero calidiſſimum optimeq; diſpoſitum, ita vt ſi aurum potabile ei daretur, neceſſario calor deprauaretur, ignisque auctus igni conſumeret humidum, vel etiam excedens calor auri, natiuum prærepto pabulo deſtrueret. Si caloris natiui virtus ſumma morbis obſiſtere nequit, quid ſperandum eſt de acceſſorio? ſed quid qua ſo eſt homogeneum vel heterogeneum in corpore? ſint ſuperfluitates & excrementa heterogenea. At hæc depellere non eſt opus caloris, cuius proprium effectum eſt calefacere. Natura vero excretrix non ſolo calore conſiſtens eſt depulſoria. Tribuetur itaque vni, quod eſt alterius, & quod ſimul eſt ſociarum virium, adſcribetur ſingulari agenti.

Morbi autem & imbecillitates illis vocantur heterogenea. Sana ergo conſtitutio homogenea erit. At, vt hæc conſtat, ſimilarium & diſſimilarium

rium natiuo temperamento, & reſpondente actionum harmonia, ita morbus contrariis; cumque ſanatio ſit contrarium morbo inducere, neque ſanitas vna ſimplici re, & ſolo calore conſtet, neceſſe eſt, illud aurum poculentum non omnia efficere caloris præſidio. Quomodo enim depelletur nimia caliditas? Hæc calori eſt homogenea; & tamen depellenda.

Contraria genere conueniunt, corpus agit in corpus, qualitas in qualitatem. Sed quis vnquam medicamentum ſanitati homogeneum eſſe credere poteſt? Quis calorem toti naturæ ſanæ, & quidem calorem auri? Homo homini affinior eſt auro. Et tamen Pythii calor, non eſt calor Xerxis, & alter alteri, licet genere cognatus, tamen ſpecie diſſentaneus. Multo magis mineralis metalli. Mirum vero, ſi heterogenea tam robuſta vi eiiciat, cur nō incurabiles morbos eiiciat, q̄ maxime ſunt heterogenei: ſed illi, q̄ ſic diſputant pro auro, videntur non minus eſſe ſubtiles, quam erat Paracelſus, cum videret tertianam febrē euomi, & in pauimento feruere.

Aurum itaque poculentum nec natura eſt, nec fit natura in homine.

Sed amplius aſſerunt potulenti auri propugnatores: illud humidum non eſſe corpori alimentum, nec ſimpliciter medicamentum, ſed eſſe de natura primigenia ſuæ originis, quę ipſam naturam reuocare cupiens, eam augeat & conſeruet, omniaque vtilia in ea amplectatur. Vnde ſequitur, canitiem diutius retardari cauſa eius remota, & hoc humidum eſſe cenſent, quod multi Philoſophi appellarunt *potabilem materiam primam, aurum Philoſophorum*, &c.

Tria vero ſunt, quæ in hominum conſtitutione & conſeruatione conſiderantur; materia ſcilicet generationis ſeu ſemen, nutrimentum, & medicamentum. Illi fatentur quodammodo ſeu κατά τι eſſe medicamentum; nutrimentum negant, principiis conſtitutionis accenſent. Conſequens eſt, quanquam aliqua vis medicamentaria ad ſanandum morbos inſit auro potabili, tamen id nō tam hac ratione iuuare, q̄ quia quaſi denuo nos generat, vt tandem neceſſe ſit, homines aureos fieri. Sed quid eſt deſipere, ſi hoc non eſt? *His alimur, quibus conſtamus, & contra.* Si eſſet aurum poculentum aliquod originale noſtræ naturæ, deberet eſſe magis nutrimentum, quám medicamentum, cum conſeruatio & nutritio ſit per ſimile in ſubſtantia, & eadem, quæ ex ſanguine nata eſt caro, debeat ſanguineo nutrimento creſcere & conſeruari. Sed quis vnquam tam extreme inſaniit, vt putauerit, naturam humanam conſeruari, & inſtaurari ſecundum indiuiduum per materiam, ex qua primum erat factus, ſed & analogum quid eſſe, finge: dico, nutrimentum eſſe neceſſe eſſe. At non eſt. Figmentum ergo eſt purum putum. Generati quidem ſumus, ſemine parentum naturali ortu,

tu,ſed,vt conſeruemur in indiuiduo, nec illorum, nec noſtro ſemine opus eſt. Cibus à DEO deſtinatus, cumque benedictione temperanter ſumptus ſufficit. *Seminis motus eſt à non ente ad Ens, ſed cibi, vt ens id, quod eſt, maneat.* Itaque in locum ſeminei principii venit.

CAP. VIII.

Nullo artis chymicæ aut alterius molimine, vel opera vnicam chyli, chymi, ſanguinis aut ſeminis prolifici guttam comparari nec aurũ in nutrimentalem conditionẽ ab ipſa noſtra natura conuerti poſſe, multo minus in humidi radicalis abire ſubſtantiam, vt vitam extendat.

NIhil vitam noſtram extendere poteſt,niſi quod illam materiã, in qua conſiſtit,augeat & conſeruet, atque hæc eſt humidum innatum radicale, calore viuifico & ſpiritibus perfuſum & igniculans, quod primo vitæ die vberrimum,& vltimo, ſi naturaliter morimur,pauciſſimum obtinemus. Cum vero actione caloris natiui in humidum vita conſiſtat,neque æqualis ſubſtantiæ & bonitatis ei,quod conſumptum erat, ſubſtitui poſſit,quæritur,an detur quicquam, quod ita reficiat, vt ſit maneatque æquale perdito & conſumpto, bonitate & præſtantia.

Chymici Paracelſici ſupra & extra Dei,& naturæ ordinem,adamantinumq; decretum,hoc in auro quærunt, ex quo liquorem parare ſatagunt,qui æquale humido natiuo perdito,reſtituat, & damnum ex detrimentoſo & continuo noſtræ ſubſtantiæ defluxu plenarie reſarciat, vnde immortales aut certe macrobios euadere neceſſum eſt.

Sed quo modo? nihil in ſubſtantiam noſtram & humidum radicale, quod ſubſtantiæ noſtræ potior pars eſt,tranſibit, niſi nutriat, & ſic per tranſmutationem nutrientis in ſubſtantiam nutriti eat, tale proinde nutriens erit potentia, quale nutritum actu. Potentia vero debet eſſe tam propinqua, vt vno ſpecie indiuiduo in actum deduci poſſit.

Proinde quæritur, an metallum ita ſit diſpoſitum, vt vlla arte vel natura in humidum noſtrum vitale conuerti poſſit.

Si ſolida vegetabilium ligna, nullo artificio eo perduci queunt, vt fiant alimentoſa, quomodo ſolidiora & magis compacta, & quæ vehementiſſimis ignibus vix liquantur & funduntur, à calore noſtro ſubigentur in benignum & alimentalem liquorem? deinde *humido noſtro natiuo ſuaui, benigno & delicato, nihil magis aduerſum, quam metallica ſiccitas & ſqualor, quæ adeo ſibi inuicem inimica ſunt, vt nec artis, neque naturæ beneficio conuenire poſſint*, quod nullo molimine metallica iſta qualitas penitus aboleri queat.

An itaque aurum ſic diſponi poſſit artificio chymico, vt fiat nutrimentum & proximi alimen i naturam induat? Chymicus affirmat; ſed Cain mentitur. Ipſe enim omnibus ſuis fornaculis & ignibus ne vnam guttam chyli, chymi vel boni ſanguinis procreare poteſt. *Nihil nutrit, quod tres ordine coctiones non pertranſierit, harumque mutationes vniuerſim ſuſtinuerit.*

Calor enim ignis à nemine Chymicorum ita dirigi poteſt, vt faciat opera caloris animati hominis. Calor ab anima directus facit opera animæ, coquit, digerit, miſcet, generat à forma ignis inflexus, facit opera ignis, vrit, conſumit. Neque enim illum gradum & temperiem extra animantia & animæ eiuſq; inſtrumentorum directionem vſpiam inueniet chymicus. Ita calor idioſyncraſia ventriculi epatiſque commenſuratus chylificat, & chymificat, in oſſe, neruo, carne conueniens ſibi parat humidum ad reſtaurationem ſubſtantiæ. Neque extra animatum corpus, chymicus quiſpiam, ſanguinem, carnem, os, ſemen aut ſimile aliquid generabit.

Paracelſi abſurda axiomata. Paracelſus duob. vehemẽter abſurdis axiomatib. ſeduxit & ſeducit credulos ſuos & philoſophię rudes chymicos. Primum eſt: *ex quolibet, arte fieri poſſe quidlibet*; Secundum: *artem poſſe omnia, quæ poſſit natura.* Et hinc eſt, quod in diuinam inuolet potentiam, & modum artificioſe generandi & fabricandi homines ſeu homunculos ſuos (ne dicam diabolos) diabolice profiteatur. Verum ipſe nec ex lapide panem, neq; ex auro vnquam faciet ſanguinem vel humidum radicale, quantumuis liquato, fuſo, vel in orco, ſtygiis ignibus, vel in æthere ſolaribus vſto. Reſtat itaque, vt expendatur, an arte vlla ſic diſponi poſſit, vt à natura in alimentum & demum in humidum radicale vertatur. Propter materiæ ineptitudinem & inhabilitatem hanc formam recipiẽdi, id minime fieri, certum eſt, quia corpus eſt metallicum, & ſolidiſſimum, quod igni maximo vix cedat, nec vnquam eam conditionem ſubeat, vt ſuauem & naturalem mollitiem & liquiditatem induat, qua mediante in Chymum & ſanguinem opera caloris natiui conuerti queat. Nulla ars ita cicurare poteſt metallicam naturam, vt ſqualorem & ſiccitatem prorſus exuat, imo fere vt acrimoniam & cauma liquorum, quibus ſolutum & corroſum fuerit, deponat. Sed & impoſſibile eſt id, propter principia, ex quibus conſtat naturæ noſtræ maxime contraria & pernicioſa. *Mercurius* enim potiſſimum & *ſulphur* minerale, ex ſe & tota indole natiuum illud humidum depeculari, deſtruere, conſumere, abſorbere; exſiccare, calorem archigonum diſſipare, & exſtinguere nata ſunt. Oporteret itaque aurum non in liquorem, ſed in principia ſua cultro ignis ſecare, & horum viciſſim naturam & vim

perni-

perniciosam, qua humido primigenio inſidiantur, auferre, prorſuſque abolere, quod fieri nequeat, quam diu ſub iſtis aſſeruentur formis, à quibus hæc malitia dependet. Proinde & hæ abolendæ, & ad aliam naturam vel priora, in quæ neceſſario redeant principia, redigenda; deinde, quo pacto alimentum fieri poſſint, cogitandum. Sed mehercle noua hic mixtione & generatione non vnis, quæ Dei & naturæ opus ſunt, opus erit. Apage has blaſphemias Paracelſe, deſine artem tuam Deo & naturæ adæquare. Morti neminem auro, ſiue ſolido ſiue liquato eripies, nec vitam vltra terminum in natura definitum propagabis. Deſine velle contra Devm & naturam ex eo alimentum facere, quod pro alimento homini nõ ꝓpoſuit, nec promitte immortalitatem, quæ neque in alimento vllo, neque in auro, ſed ſolo ſanguine Christi eſt.

Alimentis vtimur, vt reficiamur ad deſtinatum & præfinitum in natura terminum, non, vt humidum noſtrum ad perpetuitatem reſtauretur, & immortales ex eo fiamus.

Cap. IX.

De ſpagyricis porro remediis agitur, & demonſtratur multis ſolidiſque rationibus, ea, quæ ex metallorum accerſuntur, & adaptantur familia, non corroborare & fulcire tantopere naturam vireſque, & humidum calidumque radicale, ſed potius eidem inſidiari. De humido calidoque natiuo, & naturalibus humiditatibus & viribus agitur, aliæque vtiles quæſtiones agitantur.

Vt quæſtioni *proxime præcedenti capite* motæ accuratius ſatisfiat, accedendum ad examen remediorum ex metallicis rebus chymice præparatorum, quæ apud Paracelſum & ſequaculos eius, in tanta ſunt laude, vt eorum vſu ſenibus iuuentutem reducem, iuuenibus ageraſiam, æternamque fere iuuentam polliceatur, quibus vires fere penitus ablatæ reſtitui, præſentes mirifice conſeruari poſſint. Huius rei veritas, vt dignoſcatur, duo primum inquirenda; *Primo*, in quonã vires vitaque conſiſtat, & quomodo alimenta, medicamenta, & venena in noſtrum corpus agãt, vel ab eodem patiantur. Conſiſtunt autem vires, teſte Galeno *lib. 9. method. c. 5. in ſolidarum partium, ſpirituumque temperie & ſubſtantia*, & *lib. 9. meth. cap. 13. has conſeruare, nihil aliud eſt, quam vitam ipſam conſeruare, quia vita ſunt vires, vel virium actiones.* Solidæ partes primo dicuntur, quæ ex ſeminali ſubſtantia natæ, reuera tales ſunt, ſecundo carnoſæ, quæ ex ſanguine, illarum quantitas ſemper manet: ſed in iis, qui adhuc augentur numero duntaxat, qui vero conſiſtunt, abſolute et- *Vires in quo conſiſtant.*

iam magnitudine: carnoſæ vero ſubſtãtiæ magnitudo variatur, etiamſi p̃terea non augeatur animans. Spiritus in duplici ſunt differentia, radicaliter inſiti, & ab his geniti influentes. Illi omnibus partibus innati, maxime vero principalibus, & cum primis cordi, copioſe inſunt. Stabulantur autem in humido primogenio ſeu ſeminali tinctura calido natiuo vndiquaque inſtructiſſimo, vt vnum ex his conſtituatur, quod cõcretiue loquendo calidum natiuum, humidum primigenium, ſpiritus inſitus, quia horum neutrum ſeorſim, ſed calor in ſpiritu, & hic vndiquaq; humido permiſtus, conſiſtat, vocatur, *Humidum illud, calidumue radicale vere vita, & virium pabulum & ſtabulum, eſt totius & partium omnium quaſi entelechia, cuius integritate omnia vigent, quo violenter deficiente, homo extreme deficit, ſenſim autem naturali curſu tabeſcente ſeneſcit, quodque ſemel exhauſtum, ſimili bonitate nunquam redintegrari poteſt.*

Humidum primigeniũ quid ſit.

Id vt adhuc luculentius conſtet, humiditates in humano corpore, & ex earum conſumptione prognatæ ſiccitates, conſiderandæ erunt. Harum alia Elementaris, alimentaris, & primigenia rite vocatur. Ratione alimentaris humiditatis triplex contingit ſiccitas, *Prima* cum ea, quorum ſubſtantia ex humore concreto conſtat, vt caro & adeps, diffluit peritq;, teſte Galeno *lib. 7. meth. c. 6. Secunda*, cum eą humiditas, quę proprium nutrimentum, ceu ros per interiora membrorum ſparſus, appoſitusque conſumitur. *Tertia* à reliquis diuerſa, eſt in propriis cuiuſque partis exilibus arteriis venisque nutrituræ humiditatis carentia. Hæ tres humiditates ſunt propter humidum primigenium, vere ſolidis partibus, proprie & peculiariter maxime inſitum, vt id, quod in perpetuo fluxu & conſumptione fit (cum *viuere nihil aliud ſit, quam continuo ſicceſſere*) reſtaurent, in qua reſtauratione & reparatione, virium vitæque conſeruatio conſiſtit, propter quam nutrimentum tot extra corpus præparationes potiſſimum, tot in corpore mutationes, cõcoctionesq; ſubit, vt, quantum fieri poſſit, demum aſſimiletur, cumprimis humido archigono. Cum vero nunquam id adeo commode fieri poſſit, vt paris æqualisque cum eo, quod effluxit, bonitatis humidum reſtituatur, fit, vt conſumptione eius, tandem ſicceſcamus, ſeneſcamus, & intereamus.

Triplex humiditas alimentaris & triplex ſiccitas.

Humiditas elementaris in viuo homine non p[illegible] vel [illegible]

Id humidum ſi violenter patiatur in iuuene, exoritur intemperies ſicca, quæ id eſt in iuuenib⁹ ægris, quod ſenium naturale in ſenibus ſanis. Gal. *lib. 7. meth. c. 5.* Hæc autem humiditas, ſi æque reſtitui poſſet, vt priores, ipſa quoque ſenectus corrigi, iuuentus recuperari, æternumque conſeruari poſſet.

Quomodo [illegible]

Diximus, calidum illud archigonon in ſeminalibus ſolidisque partibus, & abundantius in corde, & epate collatum, iugi irradiatione influxuque

Calor natiuus dupliciter perit.

ꝯq; vitam & virtutem cæterarum partium conſeruare; Vbi notandum, quod humidũ primigenium, calorẽ, cuius extinctione mors definitur, quoad ſuperet, conſeruat, quodq; ille haut pereat, huius ſuperſtite, definita portione, niſi κατὰ τέχνην violenter extinguatur cum alioquin deficiamus naturaliter deficiẽte κατὰ μαρασμὸν calore ex conſumptione humidi. Supereſt & adhuc aliud in ſolidis partibus humidum, quod elementare nominatur, & non ineſt partibus, vt vitales animatæq;, ſed quatenus mixtæ ſunt. Illud humidum, cum ſuo calore in viuo homine impatibile eſt; nec enim eſt, quod dicas, in gangræna alicuius partis diuerſum apparere, cum ibidem plane ſit totius corruptio, quo ad ſit animata & mixta. Homo itaque perit, non vt mixtum, cuius corruptio eſt putredo, ſed vt animatum viuens, idq; vel violenter, & ἐξ αβίαιον oppreſſo calore vitali, vel violenter aut naturaliter exhauſto eiuſdem pabulo, videl. humido natiuo, vitæ viriumque theſauro. *Vitam proinde conſeruare nihil aliud eſt, quam iſtius humidi defectum, quantum poßibile, reſtaurare, & ſiccitatem, à qua ſenectus & mors, prohibere.* Qui itaq; iuſtam hanc temperiem ſubſtantiamq; calidi humidi ſpirituoſique corporis conſeruat, vitam vireſque conſeruat.

Humiditas elementaris in viuo homine non perit vel patitur.

Quomodo vita conſeruetur.

Calor natiuus duplex citer per...

Diſpiciamus nunc etiam illa, quæ in corpus ingeruntur, qualia ſunt alimenta, venena, & medicamenta. Venena vel pure actiua potentia ſunt prædita, vt corpus humanum caloremque natiuum corrumpant, immutent, & depeculentur, quæ, vt id faciant, vel opus non habent, vt à calore noſtro prius in actum deducantur, qualia ſunt ſcorpii, viperæ; & hæc in exigua & incõprehenſibili quantitate, præſentiſſimam nocendi qualitatem, & efficaciã habent, & alimentis proprie opponuntur. Alia opus habent, vt à calore noſtro in actum ducantur, mutationiſque initium capiant, ſi nocere debeant; Quæ varii generis ſunt, nec adeo tota ſubſtantia noxia & minori quantitate ſumpta ſunt innoxia.

Venena ſunt duplicis generis.

Medicamenta corpus non corrumpunt, ſed à non naturali ſtatu ad naturalem alterãdo perducunt, ſumpto mutationis initio à calore noſtro. Vt enim in corpus noſtrum agant, oportet prius à calore noſtro in actum deduci.

Medicamẽtum quid ſit.

Alimentum vero quatenus tale, pure potentia paſſiua præditum eſt, & veneno primigeneris ex diametro opponitur. Nam vt illud potentia actiua præditum erat, corpus nullo mutationis à noſtro calore ſumpto initio, non tantum alterandi, ſed & tota ſua ſubſtantia ſubſtantiam noſtram corrumpendi; ſic alimentum potentia mere paſſiua præditum eſt, non tantum, vt à calore noſtro alteretur, ſed etiam in ſubſtantiam noſtram conuertatur. Quare inter nutrimentum, & id, quod nutritur, ſimilitudo ſubſtantiæ eſſe debet, ſicut

Alimentũ quid ſit.

inter venenum, & id, cuius eſt venenum, ſubſtantiæ diſſimilitudo, quamuis *non in omnibus alimentis eadem ſimilitudo, neque in omnibus venenis eadem diſſimilitudo, quod & de medicamentis dici poteſt. Quamobrem quædam alimenta medicamentoſa, & quædam medicamenta alimentoſa, & ex venenis quædam venena medicamentoſa dicuntur.*

Nutrimentum, vt ſimile fiat nutrito, requiritur totius ſubſtantiæ ſimilitudo. Debet enim alimentum primo potentia, deinde actu corpori ſimile eſſe, quod *Nutritio ſit alimenti in ſubſtantiam nutriti conuerſio.* Omnia vero animantia ex proportionato ſuæ temperaturæ alimento naturaliter aluntur, cum ſimilia ſimilibus conſeruare oporteat, ita pueri, quia humidiores, ſolo potu, lacte videlicet, aluntur, ſicut & populi quidam à Galeno propoſiti. Animalia perfectiora à prædominio qualitatum calida & humida vocantur (ex ſemine enim generantur, & ſanguine nutriuntur, quæ calida & humida eſſe dicuntur) & quod in ipſorum reſolutione continuo perit, humidum eſt & caloris pabulum, qui perpetuo id conſumit, ad cuius exhauſtum ipſe vna emarceſcit & euaneſcit, vnde neceſſario ſequitur alimenti rationem, quod detrimentoſum noſtri diffluuii damnum reſarcire debebat, in calido & humido potiſſimum, tum conſiſtenti ad reſtitutionem duriorum, tum fluidioris ad mollium reparationem cõſiſtere oportere, cum & ipſa ſalus & vita animantium à tali temperie pendeat.

Quæ cum ita ſe habeant, ſequitur, quod tam famis & ſitis obiectum ſit humidum, illius humidũ conſiſtens, huius vero diffluens: eſt enim coctio quaſi terminata humiditas, & reſpectu humidi conſiſtentis fames Galeno dicitur appetitus ſicci, cum alioquin omne alimentum humidum eſſe debeat, quod calor viuentis, non ſiccum, ſed humidum cibo reſtaurandum conſumat.

Ex quibus omnibus liquet, quod vires ipſaque vita maxime defendantur reſtauratione & conſeruatione calidi humidique innati. Hoc enim qui conſeruat, is & ſubiectum & temperamentum vitale tuetur, à cuius integritate & ſolidarum partium ſubſtantia & temperies, & ſpirituũ, quorum propagatio ſemper eſt in actu ſecundo, integritasq; dependet. Conſentit itaque Galenus, vires in ſolidarum partium ſpirituumque ſubſtantia & temperie ponens, eas potiſſimum calidæ humidæque & ſpirituoſæ in ſolidis reſidentis partibus ſubſtantiæ defenſione cõſeruari: Ipſa autem ſolida ſubſtantia ætate non minuitur, quo ad quantitatem, & carnoſa cum extenuatur, eo ipſo nocet, quod humidiori pabulum ſurripiatur, ſiccitatiſque & frigiditatis tum exponamur iniuriis, cum corporum ſiccitatibus neceſſario ſuccedat frigiditas, ex defectu influere ſoliti nutrimenti calidi.

Condita

Condita itaq; hac maxima, quod optimum reficiens, conſeruansque vires debeat eſſe nutrimentum, idq; calidum humidum, eo, quo dictum, modo, ne videlicet excedat, proportionem caloris & humidi innati, ad metallicarum rerũ à Paracelſo eiuſq; ſymmiſtis tantopere pro reficiendis virtutibus deprædicatum examen progrediar, & percunctabor, an in illis iuuentus, abactio ſenii, virium immenſa materia, an denique tam pretioſæ remediorum formæ, humanæ naturæ adeo vtiles delitescant, & beneficio chymiæ exinde erui poſſint.

Nullum metallorũ poſſe tranſire in naturam alimentum.

Quod autem nullum metallorum in naturam nutrimenti tranſire, aut perduci poſſit, primo ex eo patet, quod hoc fine à natura non ſint condita, vt nutriant, vel nutrimenta fiant. Deinde quod inter nutriens & nutritum magna debeat materiæ eſſe ſimilitudo, & affinitas, talisque, vt nutrimenti ſubſtantia id ſit potentia non remota, quod eſt actu nutritum, quæque ab vno agente & in actum ducente, hoc actu fieri poſſit. Corpora noſtra variis multiplicibuſque miſtionibus, intercedentibus procreata ſunt, vt nihil in rerum vniuerſitate magis compoſitum ſit, vtpote rerum miſtarum finis, ſupremum inter Elementaria gradum conſecuta, quod tam nobilis animæ, ſeu intelligentiæ hoſpitia & organa eſſe debeant. Metalla vero pauciſſimis intercedentibus nata miſtionibus, ſeſeque ex Elementis leui conflata cõfuſionis temperie, noſtris corporib, ſimilia euadere nequeũt, priuſquam toties alterata, miſta remiſtaq;, quod nec ab arte, nec à natura noſtra fieri queat. Nulla enim elixatione aut coctione inſtar alimentorum emolliri, liquari & eſculenta fieri poſſunt. Oportet enim, quæ alimenta futura ſint, in liquorem fundi & in ſanguinem verti poſſe. Atque nec arboribus & lignis, nedum metallis, propter ſummam ſiccitatem accidere poſſe, notum eſt.

Neq; enim ea, q̃ vehementiſſimo igne olea & ſpiritus è metallis educta ſunt, pro nutrimentis quiſquam apponet, cum proportionem calidi & humidi natiui qualitate natiua & ex præparatione adſcititia penetrantiſſima vi plurimum, longe ſuperent, depeculentur & deſtruant. Cum itaque inter alimentum & corpus, quod alitur, nulla alia ſit ſimilitudo, quam quod alimẽtum potentia proximiore id ſit, quod actu corpus eſt, ſequitur, quod omne inſuperabile à natura noſtra, actu & potentia diſſimile ſit, nec alimentum dici fingique poſſit. Et licet res alia atque alia potentia nobis ſit, proximior tamen de ea nunc potentia agimus, quæ ab vno ſpecie motore poſſit in actum perduci. Metalla vero nec concoqui, nec diſſolui à calore noſtro poſſe, teſtis eſt Ariſtoteles 1. *problemat.* 24. *Ariſtoteles* Si vero metalla humana induſtria eo perduci poſſint, vt nutrimenta nobis fiant, poſſent etiam ſic miſceri & tem-

temperari, quomodo res animatæ miſcentur, & temperantur ab anima, quæ miſtionis in animatis cauſa eſt. Atqui naturæ vim arti adſcribere, vt ſimiliter miſcere & temperare poſſit, ſtultum eſt. Si enim ars veram miſtionem procuraret, vtiq; etiam formas generaret, educeretque. *Impoſſibile namque, vt corpora aliqua per veram miſtionem vere vniantur, quin ſimul temperationi, conueniens forma rei ſic miſtæ, continuo vna exſurgat & naſcatur. Vt enim forma materialis, non niſi in propria materia ſic quoque peculiariter miſta temperatáque materia ſine forma exſiſtere nequit.* Quomodo itaque Paracelſici alterabunt, varieq; remiſcebunt materiam metallorum, vt tandem fiat apta nutritioni? Si vero id fieri poſſet, (cum tamen *mixtio* ſit *Dei & naturæ opus*) variis miſtionibus forma metallica aliquoties aboleretur, & res alterius euaderet eſſentiæ, per aliam atque aliam ex noua mixtione ſuccedentem formam. *Materia* itaque *metallica non poteſt euadere nutrimentum, niſi per varias miſtiones aptetur, & tunc metallica eſſe deſinit.* Quamdiu etiam qualitates metallicæ materiæ inhærent, ipſa nutritioni inepta eſt, cum nutriens nutrito ſuas impertiat qualitates, noſtra vero corpora nec vnquam recepere, nec eaſdem recipere apta ſint.

Quis in carne noſtra vidit metallicam conſiſtentiam, vt bilis colorem, & piperis calorem? *Suas vero metallis qualitates adimere prorſus impoſſibile eſt, niſi extrema in elemẽta reſolutione.* Quod ſi enim corrupta non retinerent aliquas materiæ illarum rerum, ex quibus per corruptionem genitæ ſunt, qualitates, non differrent vini, ſanguinis, lactis, lotii, aliorumque liquorum cadauera, ſed eadem eſſet omniũ natura, adeoque ex quolibet, quidlibet fieret. Largior, Chymicos metalla ſoluere, corrumpere, in cineres redigere, oleum humoremve alium elicere, metallicam vero naturam, priuſquam in elementa redeant, auferri poſſe, veriſimile non eſt. Cum itaque metallicas qualitates, & vehementiſſimam ſiccitatem non deponant, ſed ignis præparatione eandem vehementiorem acquirant, quomodo calido humidoque natiuo ſimilia euadere aut prodeſſe, & non multo magis inſidiari & nocere poſſint? Licet enim obiicias, ſubtiliſſimos igne educi ſpiritus, qui per omnia penetrent, noſtroſque mirifice recreent, hoc tamen manet, quod eoſdem metallicam naturam vel exſuiſſe, vel ſeruare neceſſum ſit. Si hoc, res naturæ alioquin ingrata non eſt melior, ſed perniciosior vſtione & vi ignis reddita: ſi illud, labor omnis eſt ſuperuacaneus, ꝙ ex aliis naturæ familiariorib. minore labore parcioriq; impendio & meliora & conueniẽtiora ꝑparari potuiſſent. Atqui Paracelſus reponit, corruptibile ab incorruptibili magis conſeruari. Sic aurum minus obnoxium corruptioni humana corpora ab eadem tuetur. Vbi quærendum, num

num qualitate, an ſubſtantia tueatur? Si ſubſtantia, vel materia ſua, neceſſum eſt, vt in noſtram tranſeat eandemque alat. Si alit, vertitur in rem nutritam, & deſinit eſſe aurum, vt ſit caro humana.

Fortius itaq; eſſet corpus noſtrum mutans, quam aurum mutatum, cum aſſimilando ſibi alimentum, nutriatur, aurumque ſimile reddat. Perdet igitur aurum ſuam ſtabilitatem, & corruptibile fiet, ſicut noſtra corpora. Verum enimuero aurum nec nutrire, vt nec omnia corruptibilia ab incorruptibilibus nutriri poſſe, *ſuperius* demonſtratum eſt. Contradictoria ſunt, *aliquid non corrumpi, & aliud tamen nutrire.* Sed dictum eſt, metalla propter ſummam duritiem & & terreſtreitatem inepta eſſe ad nutritionem. *Quod enim molleſcere nequit, id quoq; molle corpus alere non poteſt.* Neque enim metalla fuſa liquata aut in liquores redacta, metallicam naturam depoſuerunt. Sed dicis: ex ſententia Paracelſici, nihilominus verum eſſe, quod metallica in liquorem redacta, inſigne robur viſceribus, addendo ſolidam conſtrictionem, & flacciditatem corrigendo, concilient. Verũ quidem eſſet, ſi ferrea vel auri duritie humani corporis robur conſtaret. *Ex metallorum ſane ſoliditate & duritia non eſt aſtimanda humanorum corporum firmitas, ſed mediocritate illa, qua idonea ſunt ad obeundas anima functiones, quarum cauſa facta ſunt.* Quanto itaque duriora ſunt, tanto ineptiora ad omnia opera naturalia efficiuntur. *Quantum ſeneſcimus, tantum ſiccata duritiei contrahimus, viribus interim nihil accreſcente commodi. Conſiſtit enim virium eſſentia non in ſoliditate vel duritie, ſed iuſta temperatura ſolidarum partium, & ſpirituum quantitate,* velut, *ſupra* dictum.

Vires itaq; fouet, qui conuenienti alimento partium ſubſtantiam innatumque humidum & calidum fouet, temperiem conſeruat, aut lapſum reducit, non qui partibus duritiem inducit. Sed metalla nec ſpiritus, nec alias corporis partes nutrire valent. Et metallica remedia, quæ intus dantur & ne ſpiritus diffluant cogent & conſtringent, tali ignis vi euaſere cauſtica & acria, vt eorum beneficiũ, madorem & ſubſtantiam potius extenuent, diſſipent & conſumant. Debent enim quæ vires conſeruare & reſtaurare nata ſunt, naturæ amica & grata eſſe, temperiei ſuæ mediocritate adblandiri, ſubſtantiam diſſipabilem vnire, augere, nec tam longe ex metallicorum familia auſtera peti, vel ignea præparatione in ſummam acrimoniam, temperiei, humidoque natiuo ingratam penetrabilitatem eſſe perducta. Proinde naturæ familiaribus ſatius eſt vti.

Accurate eſt hic notanda Galeni diſtinctio, *lib.7.meth.c.*11. inter veram & notham corroborationem, dicit enim, *virtutem partis tueri, nihil aliud eſſe, quam temperiem ſeruare, & vt imbecillitas eſt intemperiei ſoboles, ita vera corro-* *Corroboratio duplex.*

Eeee *boratio*

boratio eſt temperiei reſtitutio.

Quæ ex metallis corroboratio expectanda.

Notha corroboratio adſtringentibus perficitur, qualis potiſſimum virtus in metallis conſpicitur. Non itaque vera, ſed notha ex metallicis medicamentis corroboratio exſpectanda.

Neque ob id ex metallis educta (vti ſpiritus penetrantiſſimi) meliora ſunt, quod non magnopere opus habent à calore noſtro natiuo in actum deduci, vt eo minus negotii naturæ imbecilli vtentium faceſſant, quod hoc ipſo magis noxia ſint, ſummamque vim ei inferant, & ad venenorum naturam proximius accedant. *Ea enim, quæ in exigua quantitate maximam habent efficaciam (vti ſpagyrica pleraque remedia) neque neceſſe habent, vt à calore noſtro in actum deducantur, ad veneni naturam potius feruntur. Quo minus opus habent, vt actuentur, eo magis infenſa ſunt debili naturæ,* quod eam ſubito promptiſſima ſua virtute depeculentur, & facultatum noſtrarum pabulum ſymmetriamque penetrabili ſua qualitate exhauriant. *Non ſunt amica, quæ ſumma vi facile in nobis fortiter agunt penetrantque per omnia; ſed quæ & facile alterantur, vincunturque, & virium ſubſtantiæ gratiā afferunt. Quando vero eo peruentum ſit, vt natura medicamentis ſemetipſa in operationem perducentibus indigeat, nec id amplius præſtare poßit, iam mors eſt præ foribus; Sunt enim naturæ ipſæ morborum medicatrices, vt & medicamenta, non nimis inepta & plumbea in actum perducant, earumque contra morborum operationem promoueant, iuuent & moderentur. Plurimi enim ſolius naturæ, opera ſine artis beneficio, nulli ſola arte, abſque naturæ auxilio, conualuere à morbis internis.*

Quæcunque vero remedia humidum natiuum violenter depaſcere, calori noſtro inſidiari, eiuſque ſymmetriam lædere nata ſunt, tantum abeſt, vt vires noſtras reſtaurent, quod etiam in vſum traducta, inemendabilem labem nobis imprimant. Talia vero ſunt metallica, & ex eis penetrabiles ſpiritus, chymice præparati. Extenuantia enim illa pharmaca, ſubtilitate & acrimonia celeriter quidem penetrant, ſed partes ſolidiores valide nimis calefaciē do, exſiccandoque debilitant: ſanguinem fundendo, vel extenuando, ſeroſum reddunt, vel calore & ſiccitate adurendo denique bilioſum, aut melancholicū, ſpiritus eiſdem his qualitatibus agitationeque nimia diſperdunt, in omnibus fere occultam malignitatem relinquunt, quæ latenter inſitum calorem eneruat, corrumpit, exedit, ſtrangulat.

Quomodo è metallis educta remedia vitæ noſtræ inſidiantur.

Hac de cauſa teſtantur Crato, Eraſtus, Chriſtophorus Heil, Cronenbergius aliique celebriores Medici, & innumeri viri docti, quod *Baſileæ omnes intra anni ſpacium perierint, qui pharmaca Paracelſi haurire non ſunt veriti:* licet in præſentia præclare contuliſſe putarentur. Ipſa denique experientia teſtatur, *Medicamenta quædam præparatione fieri nocentiora. Antimonium crudum*

crudum non æque ac vitrificatum terribilia ſymptomata pari pondere datum, excitat. Mercurius præcipitatus crudo magis noxius eſt, & teſtibus Chymicis ipſis, *ſublimatus præcipitato nocentior eſt*, quod ſubtilior exſiſtat & promptius ad cor penetret.

Magnam neceſſario contrahunt acrimoniam corpora ſolida, dura & terrea, quæ ſumma ignis vi non prius in cineres vertuntur, quam fere aqueas aëreaſque partes, quib. cohærebant, amiſerint. Vehementer itaque acria & erodentia fieri neceſſum eſt. Si cineres palearum, ſtraminum, herbarum, & lignorum, acres & erodentes ſunt, quid de duriſſimis his dicemus corporibus? *Quo enim res quæque durior eſt, tanto acrior calx gignitur ex eadem*, vnde, *quæ vehementium ignium vi ex metallis conficiuntur pharmaca, neceſſario acerrima ſunt.*

Accedit, quod pleraque ſine acribus & erodentibus ſolui, & in calcem verti nequeant. Vt enim quintas eſſentias parent, vtuntur calcinatione, cementatione, ſublimatione, &c. Adiiciunt modo ſales, ſulphur, aquas fortes, aliaque, quæ licet ſe ſeparare viciſſim ſatis eleganter poſſe, verbis profiteantur, tamen re ipſa raro fit ſeparatio eorum, quæ tanta vi ignis miſta ſunt, tamque profunde inhærent, quicquid etiam de ſua quiuis priuatim ſomniet & garriat præparatione. *Et quamuis guſtu acrimonia non ſemper ſentiatur, tamen illa pharmaca ſæpe tranſeunt partes laxiores & in ſolidioribus hærent, inſtar fulminis*, quod loculis illæſis aurum liquat, id quod magna calamitate multi ſunt experti. Quamobrem nec ſenſus, nec experientia, & vſus, nec perita chymicorum confeſſio aliud docent, quam metallica hæc remedia, quæ virtute vehementiū ignium præparata ſunt, valde acria erodentiaq; exiſtere, tum propter empyreuma materiæ ſolidæ impreſſum, tum propter rerum aliarum acrium & erodentium, ſine quibus parari non poſſunt, permiſtionē. Iactitant quidem alii aliam, cheirotechniam, aliamq; præparandi rationē quib. ſe aliqd ſcire & ſapere præ aliis ꝓfiteri volunt, ſed dum res in lucem erumpit, nullos nouos Parnaſſos ꝓferunt. Varii varie varia tētant, explorāt, & frequenter noui quippiā inueniſſe videri ſatagunt, magnaque Arcana iactitant, quæ ſi vſurpent & probent, non perficitur id ſine multo vtentis diſcrimine.

Neque enim vna probatio ſufficit, & ea dictante Galeno, in humano corpore probare, quorum certa non eſt experientia, non tantum periculo non vacat, ſed in animantis vergit. Vtinam quæ poſſidemus, ſatis exploratarum virium recte in vſum vocemus dextreque adminiſtremus. Ratum itaq; ſit, quod Galenus *lib.3. meth.* conſuluit, cum inquit. *Sane omnium internarum partium indicatio eſt, vt eligantur illa, quæ animalis naturæ maxime familiaria ſint, ſiue ſint cibi, ſiue medicamenta, fugiantur autem reſpuanturq́; huic contraria. Quamquam in iis, quæ foris ſunt,* *Galen. com.1. aphor.*

ſunt, innoxius etiam talium medicamentorum eſt vſus, vti æruginis, æris, pompholigis, lythargyri, ceruſæ. Hæc igitur & ſimilia intus exhiberi non debent. idem inquit *lib.13. Meth.* myſi, ſori, calchantum, æs vſtum, eius ſquammam & florem deuorata noxia eſſe, quod iiſdem vis corruptrix inſit.

Cap. X.

Blaſphema in Deum eſt opinio Paracelſi, qua immortalitatem arte & ex auro comparari adſtruit. Hanc Diabolus Paracelſo, & hic fratribus roſeæ crucis inſtillauit, vt à vera fiducia in Deum abduceret prurientes monſtroſarum opinionum curiones & aucupes. Quærere immortalitatem in terris, eſt nolle ad Chriſtum ire in cælos.

Diabolus, vt regnum ſuum propagaret, rem vulgo inauditã, ſummæ admirationis, ſed omnibus hominibus ſpecioſam & optabilem, qua tanquam hamo plurimos allicere connixus eſt, in medium produxit, & per electum ſuum vas & apoſtolum veritatis apoſtatam Paracelſum profeſſus eſt, videlicet, *immortalitatẽ arte comparari poſſe, eamque ex auro,* (*quod ſemper magis in crumena, quam ſtomacho iuuit*) luto illo ſplendidiore omnibus gratioſo, in pretio & æſtimio ſummis, exſculpendam docuit.

Verum quantum ſcelus ſit hæc opinio, & quam impium ita ſentire, & illam amplecti, ex ſacra pagina, & ſolidioris ſincerioriſq; philoſophiæ adytis edocemur. Illa *mortem peccati ſtipendium, & nos omnes in Adamo peccaſſe, omnibusque idcirco ſtatutum eſſe, vt ſemel moriamur, dictitat.* Quamobrem vti nemo, qui tantum homo ſit, abſq; originali peccato concipitur & naſcitur (*in iniquitatibus natus ſum, & in peccatis concepit me mater mea,* ait propheta regius) ita nec eam effugere, aut declinare poteſt, & cum per Chriſtum id recuperauimus, quod in Adamo perdidimus, quippe, *ceu in Adamo omnes morimur, ita per Chriſtum omnes viuificamur,* nemo mortis cauſam, hoc eſt, peccatum, præter Chriſtum abolere poteſt, iuxta veram & ſaluificam Chriſtianorum fidem ſine qua abſq; dubio in æternum perimus.

Proinde qui ſtatuit, arte mortalitatem, quam ex Adamo circumferimus hæreditario, poſſe arceri, & immortalitatem comparari, is veritati diuinæ & ſacræ paginæ impie oggrunnit, & in Chriſti meritum ſcelerate blaſphemus eſt, & aliunde præſidium immortalitatis quærit, quam à patre luminum, (qui ad filium ſuum, vnicum propitiatorium nos confugere iubet) adeoque Chriſti merito, fide Chriſtiana, Eccleſia & ſalute æterna excidit. Quandoquidem vero Paracelſus, propter magicas artes peſſime vndiquaq;, audire cæpiſſet, humani generis inimicus.

Fratres Roſeæ crucis, eius ſequaculos.

culos & conſœciales ſurrogauit, qui eandem blaſphemiam nouo quodam & plauſibiliori ſchemate perſonatam profitentur.

Verum exſecranda hæc doctrina, à vero Deo & merito filii eius, à Chriſtiana & ſalutifica fide ſolidaq; pietate abducens, quos in Eccleſiam moliatur cuniculos, quantum æternæ ſaluti inſidietur, non quiuis magiſtratus, & è magnis Dominis nōnulli ſatis ad animum reuocant & perpendunt, apud quos in deliciis & pretio ſunt monſtroſarum harum opinionum & blaſphemiæ mendaciorumque profeſſores. Magorum crimina, publicis, idque merito, ſuppliciis vindicantur, imo ignibus recte expiantur, ſceleratiſſima vero hæc opinio è meditullio magiæ promanans, ad academiam Sathanæ, & Eccleſiam Diaboli ſpecioſius animas hominum perducens, impune fertur, immo à multis magnis viris appetitur, promouetur. Verum niſi exempla eſſent odioſa, poſſem horum recenſere plures, qui temerariæ impietatis graues dedere pœnas, quod vel turpiter circumuenti & ære, auro, ſanitate, & vita emuncti, vel in publicas & extremas hac tempeſtate calamitates, diuino iudicio præcipitati ſunt. Cæterum quib. pietas curæ & cordi eſt, fugite hanc animarum peſtem & carcinoma, quod à vero Deo abducit, & tot præſtantia ingenia naſo circumduxit & ſuſpendit, vt veritatem ſolidæ philoſophiæ deſerentes, ætatem, vitam, opeſque in hac barbara & impia ſecta conſumpſerint. Quæſo ſodes vnde tantopere paſſim gentium inualuit atheiſmus, & magię ſtudium quam per talia fanatica hominū deſideria, quibus immortalitatem venantur, quam, cum anxie & pretioſe quærentes, nihilque inuenientes ſe deceptos ſentiunt, ne pœnitentia ducti viam mutent, in commercium tacite irrepit diabolus, eius ſectæ antiſtes, pedetentim ſuggerit & inſtillat magiam quandam eſſe albam, eamq; licitam, à ſpiritibus, qui ſint innocentes & de ſecretiſſimis & profundiſſimis ſcientiis erudiant, & cōmunicent, impune diſcendam, hos nihil latere, rerum viſibilium inuiſibiliumque doctrinam aperire, & aureum athanaſiæ ſeu immortalitatis ſchyphum propinare. Curioſa, & ſuperſtitioſa, vel ambitioſa ingenia facile capiuntur & obtemperant. Sed *quærere immortalitatem in terris, eſt nolle ad Chr. ſtum ire in cœlos.* Quæ & quanta Sancti olim perpeſſi ſunt, & exantlarunt in terris, quas non mortes oppetere optarunt, *vt Chriſtum lucrari, vt cum Chriſto eſſe poſſint? rati non eſſe condignas huius ſeculi paſsiones, ad futuram, quæ in nobis reuelabitur, gloriam.* Vitam hoc loci perennem optare, meræ impietatis eſt, & deſiderium in peccatis & cum peccatoribus diutius verſandi & conuerſandi, & in *mundo, qui mare malorum, & in maligno poſitus eſt, vlterius commorandi. Eius eſt, vitam longam exoptare, & mortem timere, qui ad*

Chriſtum recuſet ire, recte dixerunt veteres. Si ex ſacra pagina per Spiritus ſancti gratiam indeſide meditatione, & iugi precationum ſtudio, futuri gaudii rorem quendam aut guſtum minimum percepiſſent, iſti temporalium amatores, non tam remedium vitæ continuandæ, quam pie abſoluendæ anxie quærerent, & cum electo Spiritus ſancti vaſe atque organo Diuo Paulo exclamarent; *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto!*

Cap. XI.

Quid ſit præcipitatio & mercurius præcipitatus. An poſſit confici, vt non reducatur; varij præparationum modi; menſtrua præcipitantia ſunt ſimplicia vel compoſita. Quomodo rite corrigatur, optima eius correctio perficitur igne & auro. Conducit cum primis ad luem gallicam, peſtem, hydropem, venena, febres diuturnas, viſcerum contumaces obſtructiones, icteritiam, &c.

Præcipitatio *mercurij* fit, cum affuſo liquore acri in tenuem ſoluitur puluerem ſeu calcem, eſt enim vulgo præcipitatio per aquas fortes corroſio. Puluis ille ex *hydrargyro* per aquã fortem factus, *mercurius* dicitur *præcipitatus*. Eius ad vſum internum aliæ atque aliæ aliorum ſunt præparationes; fabricam præcedunt & ſequuntur correctiones. Debet enim prius, quam ſoluendi menſtruo infundatur, exquiſite purgari, quod *aceto* ſolo, vel adiuncto *ſale*, aut per corium expreſſione, elixatione in *aceto*, deſtillatione aut ſublimatione perficiunt. Sola lotione ex aceto & ſale, ac per corium expreſſione, vulgo ſunt contenti.

Præcipitatio perficitur infuſione *ſpiritus ſulphuris, vitrioli, nitri, olei ſmiridis*, aut *aquarum cauſticarum, argentariarum, regiarum, graduatoriarum, Stygiarum*. Vbi attendendum, illum præcipitatum, quem ad vſus internos accerſere propoſitum ſit, nunquam per aquas Stygias & veneni ſuſpectas, ſed *ſpiritu vitrioli, ſulphuris* aut *nitri* conficiendum eſſe.

Hic quæritur, an ſic præcipitari poſſit ad vſus internos, ne reuiuiſcat, id laborioſe, ſed fruſtra tentatum vidi, optima tamen, & ex qua difficulter reducitur, p̃cipitatio fit p̃ *ſpiritũ nitri*. Si autẽ tanta illi inducatur mutatio, vt non amplius reducatur, videlicet vt non modo penitus corrodatur, ſed & corrumpatur, rationem *mercurij* formamq; ſubſtantialem perdit. Proinde Crollius inquit, *nullus eſt præcipitatus, qui non poßit reduci: ſi enim fixus plane eſſet, non operaretur in corpus humanũ.* Vbi, quod mirum porro videatur, addit, ratione cruditatis eum operationem ſuam perficere, quod ſi verum eſt, cum Paracelſicis cruditas, ad quam dirigendam, tot tantæque ipſis ſuſcipiuntur præparationes, pro veneno venit, certe venenata quali- *An præcipitatus ſic parari poſſit, vt non reducatur.*

tate

rate adhuc ſuperſtite præcipitatum in co pora noſt a agere neceſſum eſt.

Quis, & cuius generis ad præcipitationem ſit aſſumendus potiſſimum *mercurius*, auri, an argenti, porro rogatur? Libauius eum, qui ex auro per aquas mercuriales eductus ſit præfert. Secundo loco ille veniet, in quo metalla philoſophice ſint ſoluta, vel vti vult Beguinus, qui à Sole aut Luna deſtillatus fuerit, qualis ſi haberi commode nequeat, quæratur is, qui iuxta auri & argenti metalla, aut ex horum venis & marchaſitis educitur, quiq; per lotiones ex *acida muria* vel *aceto deſtillato*, in quo ſolutus ſit *ſal armoniacus*, deſtillatus, vel per deſtillationes crebras, & per corium depuratus fuerit.

Qualis mercurius ad præcipitandum recipiẽdus.

Verum relegare ſtudioſos rei medicæ vel ipſos practicos ad *mercurium auri*, aut *argenti* nunquid eſt in irremeabiles labyrinthos præcipitare, & nodum ex nodo nectere? Quo pacto enim iſta ſoluantur metalla, vt mercurius à ſuo *ſulphure*, & *ſale* ſeparetur vix ipſimet, qui talia ſcribunt, tentarunt, deq; modo, & aquis mercurialibus ſoluentibus nec dum plane conueniunt, & cedo quo precio veniret ille *præcipitatus*, qui ex *auri* vel *argenti mercurio* præparatus ſit? Non diſputo, an *mercurius* ex *auro* prolectus cum hydrargyro vulgi eiuſdem naturæ & ad inſtar præcipitari debeat, vel poſſit, neq; me latet, quid de *mercurio* philoſophorum circumferatur à filiis, videlicet, artis.

Sed ad *præcipitati* fabricam redeundum, quæ vt legitime perficiatur, conuenientis *hydrargyri* requiritur electio, eiuſdem præuia, ante menſtrui affuſionem præparatio, dein iuſta ſolutio, ſoluti præcipitatio, præcipitati correctio.

Liquor ſoluens, quo fuerit benignior, minorisque particeps malitiæ & naturæ noſtræ acceptabilior, eo præcipitatus clementior, & ad vſum fiet conuenientior. Hic ſimplices vel compoſitos liquores aſſumunt, compoſiti ex *ſale ammoniaco*, *petra*, *vitrioli*, *alumine*, aliisque deſtillantur. Solutio, quæ fit per ſimplicia menſtrua, videlicet, *vitrioli*, *ſulphuris*, *nitrique ſpiritũ*, omnium optima eſt.

Liquores præcipitantes mercuriũ ſunt ſimplices vel compoſiti.

Correctio præcipitati.

Corrigitur in ipſo ſuæ præparationis actu, vel cum iam paratus eſt. In ipſo actu additione auri, aurũ enim ſi quid aliud eius malitiam retundit, violentiam purgandi & noxiam naturæ noſtræ vim coercet, & cum illo multiplici arctiorique vnione deuinctum, diaphoreticam vim conciliat.

Aurum omnem noxam adimit mercurio.

Præparatus duplici correctione emendatur. Prima fit per diutinam in igne vehemẽtiore digeſtionem, qua quidquid malignorum ſpirituum ſaliumq; volatilium, & viuentis *mercurij* ſuperſit, penitus exhauritur & tranſpirat. Ad flauedinem itaque vel rubedinem exactam reuerberatum volunt.

Præparati correctio. 1.

Cæteros enim colores cruditatis accuſant, rubedinem vero, quia ſit vltimus

Rubor eſt perfectionis color.

vltimus colorum in mineralibus, vltimum ignis perfectiui opus eſſe contendunt.

Altera fit affuſione liquorum, qua ſalium fixorũ corroſiuorumq; acrimonia eluitur, vel retunditur, & plerumque ea perficitur affuſione, & inſuccatione repetitaq; à præcipitato deſtillatione aquę *albuminum ouorum.* In qua operatione cauendum, ne ſales fixi ligantes & frænantes *mercurij* fluxibilitatem, nimium retuſi & fuſi in priſtinam ipſum formam recurrere & viuificari permittant. Alii magis impropriè correctionem tentant, affuſionẽ *ſpiritus vini*, qui ſalia non tam eluit, quam irritat. Sunt qui *aquam roſarum, violarum borraginis, oxalidis, plantaginis* ſimileſque affundunt, eiſque digerant, & decies ſeu duodecies deſtillẽt. Alii *vino* vel *aqua theriacali* macerant, quidam ex *aceto* coquunt, & deinde exactè læuigant. Hos omnes emendationum modos rejicit Seuerinus, & ſolo auri additamento rectè corrigi & cicurari ſtatuit.

Varia præcipitati correctiones.

Præparatio & correctio præcipitati cum auro.

In ipſo itaque præparationis actu *aurum* additur idque cum *mercurio* amalgamatum *acetoq;* ablutum *oleo vitrioli rubeo* digeritur per triduum: deinde deſtillatur per retortam, donec hæc incandeſcat. Continuato ad triduum igne, materia demum eximitur & aqua calida abluitur. Eodem modo præparatur ab aliis aqua forti affuſa.

Vel ex *auri fini & argenti vini* ana p. æ. fit amalgama ſeu paſta, quæ in phiala vitrea obturatur, & figitur in arena à tolerabili calore vſque ad ignitionem, quod fere perficitur tribus menſibus, modo non ſit admodum magna quantitas. Phiala vero oblique vel tranſuerſim poni debet in arena, vt qui ſublimati ſint flores eadẽ reuoluta, denuo eleuentur, opereq; hoc repetito tandem figantur. Similem fere præparandi modum deſcribit Beguinus c. 13. *Tyrocinii* ex Gebro depromptum. Verum hic à Beguino traditus fertur admodum blanditer purgare, is, quem ego communicaui dephoreticam potius virtutẽ exercet. Similium præparationum meminit Matthiol. *lib. de curat. luis Aphrodiſia*, & Euonymus *in Theſauro.*

Præparatio mercurii blanditer ſolutiui & diaphoretici.

Tempeſtiuum nunc eſt optimarum præparationum quoſdam proceſſus inſpiciamus. Quomodo *mercurius* ſpiritu ſulphuris acido per campanam præparato præcipitetur, tradit Beguinus & abſolute doct. Crollius, vt hic repetere ſuperuacaneum ſit.

Prima præparatio præcipitati.

Mercurius ſoluitur in aqua forti, vt præcipitetur in puluerem rubeum, exhauſta humiditate tritus imponitur matracio rubeo, affunditurque *acetum* ſtillatitium ad ſupereminentiam quinque digitorum, bulliant in igne arenæ ſpacio ſex horarum, vt integre diſſoluatur; diſſolutioni filtra-

tæ calidæ ſuperfunde *ſpiritum vini*, vel eius loco *oleum tartari*, & ſeparabitur *mercurius* à diſſoluente ſuo, qui abluatur & exſiccetur. Doſis grana quatuor vel quinque.

Alii in *aqua forti* ſoluto, affundunt aquam ſalſam, & præcipitant puluerem album, quem digerunt aqua dulci & lauant. Doſis grana viij. vel x.

Secunda præparatio.

℞. Mercurij purgati ℔ j. *diſſolue in ſ. q. aquæ fortis paratæ ex vitrioli* ℔ iij. *& ſalis nitri* ℔ ij. *poſt deſtilla per alembicum ex arena aquam & ſpiritus ſenſim; poſtquam ſpiritus aliquantulũ remiſsius eunt, auge ignem, vt vitrum parum candeat, ac ſpadiceum quodammodo appareat, ſic enim ex alembico & ad ſpondilia cucurbitæ ex mercurio flores inutiles flaui & ſubrubei eleuantur. Omnibus refrigeratis reiectis ad alembici ſpondilia floribus inutilibus, inuenies rubeum puluerem in fundo, quem aqua calida laua, donec acrimonia omnis exhauſta ſit. Exſiccato pulueri affunde oleum ſalis tartari ad eminentiam duorum digitorum, abſtrahe iterum, ter deſtillando in arena phlegma, tertia vice auge ignem, dum fundus cucurbitæ rubeſcat, atque hoc modo aſcendit mercurij quædam portio cruda ſeu viua, quæ omnino ſeparanda. Relictam in fundo materiam contunde, & aqua dulci toties elue, donec nulla ſalſedo, nullaque ſordes amplius reſiduæ fuerint, ſolo nempe puluere rubeo relicto, quem exſiccatum in cucurbitam mundam poſitum, imbibe aqua ouorum, cuius deſcriptio ſequetur. Eandem ſepties per alembicum abſtrahe, relictum in fundo aqua calida toties laua, affuſumque vini ſpiritum rectificatum ſepties deſtilla. Exempto pulueri alcohol vini affunde, vt bene humectetur, quod admoto igne accende, & ſpatula ferrea moue, donec ardendo conſumptum ſit.* Hic præcipitatus cum *diagrydio* præparato, vti proxime ſequens, rite exhibetur.

Aqua ouorum corrigens talis eſt. *Aqua ouorum corrigens.*

℞. albuminum ouorum quantũ velis, adde tantundem putaminum ouorum calcinatorum, & deſtilla ex arena per retortam igne ad extremum vehementiore, prodit cum oleo fœtido etiam aqua, quam ſeparatam deſtilla ſexies, donec clara, & à fœtore libera fiat.

Tertius præcipitatum conficiendi modus.

Deſtilla aquam fortem ex nitro, vitriolo, & tartaro, in hac ſolue mercurij ſepties ſublimati quantum voles, præcipita cum oleo tartari, affunde aquam, & exſicca, tandemque tertia vice abſtrahe acetum, vltimo ſpiritum vini affunde, & aliquot vicibus abſtrahe, hoc facto ſpiritum vini inde deſtillatum lento igne adhuc ſemel euoca, remotis fæcibus in fundo habebis turpethum inſtar ſalis. Glückradius Beguini ſcholiaſtes *mercurium* per *ſalem communem* & *vitriolum ſublimatum* ſoluit aqua fontana ebulliendo, ſolutione clara guttatim immittit *oleum tartari* & præcipitatur puluis rubeus ad fundum, cuius acrimonia lotione crebra tollitur, exſiccati dantur grana iiij. v. vel vj. cum *theriaca* vel *mithridatio*. *Præcipitatus Glückradii adſtrictam febres & venena.*

 Soluit

Soluit obſtructiones, ictericiam ſanat, in febribus diuturnis ſudores mouet, datur contra venena.

Quarta præparatio.

Alii deſtillant ex *vitrioli Romani & ſalis nitri ana* ℔ iß. *per capellam vitream lutatam ſpiritum in recipientem, qui contineat mercurÿ crudi vncias ſex. Hæc viciſſim omnia in cucurbitam mundam & lutatam immittunt, iterumque deſtillant, deſtillatum liquorem mercurio in cucurbita remanenti, iterum affundunt, atque hoc repetunt ad mercurÿ rubificationem, quem dein aquis cordialibus lauant*, datur à v. ad x. grana cum *theriaca* in hydrope, peſte &c. Matthiolus recipit *aquæ fortis* ℔ iiij. *argenti viui* ℔ iß. exſtillat aquam & præcipitatum in fundo reſidentem in forma placentæ rubræ extrahit, quod album eſt, reiiciens. Corrigit affuſione & maceratione in *aqua plantaginis acetoſæ &c.* mira de eius vſu prædicat, vide *lib. de curat. luis.*

Præcipitatus ad hydropem & peſtem.

Præcipitatus Matthioli.

Mercurium auri, argenti aut veneris metallicum cum oleo ſulphuris præcipitatum ſuper omnia commendat Quercetanus ad omnes incurabiles, deſperatosq; affectus, verum quo pretio & labore comparandus?

Quinta præparatio.

℞. mercurÿ crudi ex cinabari rectificati deſtillando per retortam cum duplo calcis viuæ ℔ ß. *fiat ſolutio ſuper cineribus calidis, quæ effundatur in peluim fictitiam continentem muriam ſeu aquam, quæ habuit ſalis quantum potuit ſoluere, mercurius ilico cadit ad fundum. Aqua decantetur & puluis albus abluatur aqua tepida pluuia, ſiccetur ad dulcedinem in charta, doſis* à gr. viij. ad xij.

Beguinus *vnciæ cinnabaris vulgaris addit ſalis decrepitati* ℥ij. *& affundit ſpiritus ſulphuris per campanam præparati* ℥iij. *digerit in cineribus triduo, deinde per arenam auocat menſtruum, idque tertium repetit. Maſſam remanentem in fundo albam edulcat, frequenti ablutione.* Doſis à vj. ad xj. grana cum *conſerua roſarum, &* ℥ iiij. *decocti zarzæ*, aliquot diebus vſurpatur.

Quomodo per tincturam *Smiridis rubei* præcipitetur in momento *mercurius* vide Beguinum *cap.* 13. vide *ibidem* præcipitatum diaphoreticum de quo poſtea.

Sexta præparatio.

Solue ſublimatum in cella ſuper tabula ferrea in aquam, filtra & munda, immitte in recipiens magnum, cui applica cucurbitam, in qua poſita ſint ſalis nitri & vitrioli ana, fiat deſtillatio fortis igne graduato ad vltimos vſque ſpiritus, vt & aqua præpoſita fiat rubeoflaua. Deinde hanc aquam cum ſuo phlegmate deſtilla in cineribus ad ſiccitatem & in fundo vitri manebit præcipitatus fixus ac mirandus. Aquã ſi deſtilles iterum in B. M. remanebit in fundo oleum metalla ſoluens. In quo ſi mercurium ſolueris & deſtillatione euocaueris, habebis ad externa vtiliſſimum remedium.

Septima præparatio.

Solue vnam mercurii partem in duabus

aquæ

Aquæ fortis, dein igne forti per arenam deſtillando auoca aquam & maſſæ in fundo remanenti tritæ iterum affunde aquam fortem, ſolue, deſtilla fortiter, idque ſepties repete, donec omnis abſumpta ſit volatilitas, ſic præparatum, in patella vitrea ſuper ignẽ agita, piſtillo ferreo, vt plene euaporet ſpiritus aquæ fortis, & rubeſcat præcipitatus, ex hoc denique omnem acrimoniam & venenum elicies aqua ſequenti. ℞. *Phlegmatis vitrioli & aluminis ana* ℔ ij ß. *aceti deſtillati* ℔ ij. *ſalis gemmæ* ℥ ij. *ouorum album. n.* xx. *deſtillentur bis ſuper fæces, per alembicũ. Huius aq.* ℔ iij *miſce cũ* ℔ j. *mercurii præparati, deſtilletur ab eodem quater & vltimo ad ſiccitatem, dein edulca ſpiritu vini per biduum, & abſtrahe per deſtillationem, id quinquies repete, donec plane dulceſcat,* ſic habes mercurium diaphoreticum dulcem. Doſis à iij. ad vj. grana ex *theriaca, Mithridatio, aqua theriacali.* Sanat peſtem, morbum Gallicum, elephantiaſin, aquam inter cutem, viſcerum obſtructiones, facit ad venena & vlceribus malignis curandis, intus, & ad putrilaginoſorum ſanationem extus, in emplaſtris vſurpatur. Ad oris ſordes eluendas cum *vini* ℥ iij. (caue dentibus) *ſacchari candi* ℥ j. *mellis cochlearibus duobus* gargariſma paratur.

Mercurius diaphoreticus dulcis ad peſtem, luem, venena, hydropem &c.

Octaua præparatio.

Mercurij crudi ℥ j. *affunde aquæ aluminis deſtillati* ℥ iiij. *exlixãdo ſolue, & per deſtillationem rurſus auoca aquam, eamque denuo affunde, & laborẽ reitera, dum erubeſcat mercurius.* Huius aiunt illam eſſe vim, vt qui ſemel vel bis toto ſuæ vitæ tempore vſurparit, à variolis & morbillis ſit immunis.

Ne quis vnquam corripiatur variolis aut morbillis.

Nona præparatio.

Beguinus *vnciæ vni limaturæ Veneris addit mercurij meteoriſati* ℥ ij. *ſalis mercurialis ſeu ammoniaci* ℥ iß. *quæ trita & miſta immittit in matraciũ firmũ dando ignẽ arenæ, donec omnia inſtar ceræ liqueſcant. Tum calens matracium in aquam frigidam ponit, vt diſſiliat, & mercurius viridis effluat, quem exſiccatum in retorta parua cum ſpiritu ſulphuris aut vitrioli incineribus per diem naturalem digerit, & poſtea cum binis cohobiis in arena deſtillat, tandemque bis vel ter, & poſtremo cum aqua cordiali, vel S. V. abluit.* Præſtantiſſimum hoc remedium Bezoarticum eſt contra peſtem, venena, intra duodecim horas, ex quo ſumptum eſt, ſubigit, expugnat, & à morte præſeruat. In lue Venerea curanda nihil hoc præſtantius. Initio quidem vomitum mouet, ſed iterato ſumptus per ſudorem tantum mineram mali pellit, Doſis granum vnum vel duo cum *theriaca.*

Præcipitatus Bezoarticus contra peſtem & luem.

Quia vero nonnulli opinantur, vix ac ne vix tuto ſumi præcipitatum, quin *auri* adiectione modificatum, id enim vel corrigit, vel vim diaphoreticam & cordialem addit, præter eas, quas initio poſuimus, cum *auro* præparationes, inſuper vnam vel alteram adiiciemus.

***

Decima præparatio.

Præparationes præcipitati cum auro.

℞. *Mercurij aceto & ſale mundati* ℥ v. *auri laminati* ℥ ß. *fiat amalgama, quod aceto abluatur, in cucurbitam imponatur, & affundatur aqua fortis ex vitrioli partibus duabus, & nitri parte vna parata, tantum, vt mercurius cum Sole ſoluatur, & in fundo pulueris forma remaneat, ex hoc aquam fortem deſtillando ſepara, & habebis puluerem rubicundum. Hunc tere in aere libero vento ſecundo & poſtea ignia-tur in teſta ſumendo ſingulis vicibus* ℥ ij. *quæ agitentur, donec rubeſcant, & ſic cum toto per partes procede.*

Vndecima præparatio.

Sunt, qui ex reguli antimonij & auri ana ℥ j. *ſeorſim in aqua forti ſolutis, &* ℔ j. *mercurij pariter ſoluti, ſolutiones omnes confundant, & noua aqua Regis affuſa deſtillent ſepties, qualibet vice ad fæces viciſsim reaffundendo, & inutile ſegregando. Materiam in fundi relictam igne forti, continuo ſpatula agitando per horas tres in crucibulo vrunt, dum aqua Regis euaneſeat, & rubeus oriatur color. Tandem affuſo ſpiritu vini per triduum macerant, demumque exſiccant.* Doſis granum vnum cum *aquæ theriacalis* ℥ vj.

Præcipitatus optimus & tincturæ vniuerſali proximus.

℞. *Calcis aureæ* ℥ j. *argenti viui optime purgati* ℥ iij. *fiat amalgama, quod ab omni nigredine purgatum miſce cum mercurio per crebras ſublimationes, ſolutiones & reductiones eſſentificato, & in primæ optimi metalli materiæ naturam reducto, in cinere exili calore putrefacito, & dein in vitro, Hermetice clauſo aucto calore coagula, dum à nigredine in albedinem tranſeat, poſſitq́; ignem ferre. Lapidem hunc album ſeu calcem ſolue in ſpiritu nitri, ſolutum digere, coagula, tertio caloris gradu citrineſcet, & demum fiet Salamandra rubra.*

Omnium optime eſſenficari *mercurium* aiunt, ſi reiterata ſublimatione admodum depuretur, & ex hoc ſoluatur per deſtillationem ex retorta, vel per deliquium, & vtrinque viciſſim præcipitando coaguletur, qui deſtillatione ſolutus eſt affuſo *ſpiritu vitrioli* aut *ſulphuris* recte præcipitatur: qui deliquio; *ſale* vel *liquore ſalis tartari* vel *puluere præcipitati*. Poſteriore modo Draco interficit ſe ipſum & ſuum venenum delet, vel caudam ſuam deuorat. Spiritus enim veneni ſe mutuo iugulant & diſſipantur fumo, manetque id, quod erat remedium homini.

Cautio in vſurpando præcipitato.

Recenſui potiores *præcipitati* formas & præparandi modos, in vſu magna cautione & prudentia opus eſt. Etiamſi enim ab aliquibus magnis extollatur elogiis, & pro incomparabili panacæa habeatur, tamen propter ingenitam *mercurio* malignitatem, qua naturam noſtram inſectatur & depeculatur, cautiſſime vſurpandus erit, & non niſi ſumma requirente neceſſitate, cum benigniora nihil

Valet cum primis ad luem veneream, lepram, elephantiaſin.

nihil opis contulerint, & natura adhuc robuſta morbusque contumax, cum primis ad Veneream luem valet, cuius alexipharmacum fertur, & ad lepram, elephantiaſin aliaq; deplorata & deſperata mala. Si autem abſq; diſcretione & rationali methodo in vſum vocetur, ægris irreparabilem calamitatem, & Medico conſcientiæ famæque vulnus non exiguum inferet. *Antaruetus ſe Cræſo ditiorem opinatur, ſi tot habeat nummos, quot mercurio præcipitato præcipitati & trucidati ſint homines.*

Et Crollius, vbi maximopere cõmendare inſtituit, ex Huſeri teſtimonio fatetur, ab illius ſumptione propter bilioſas vomitiones de faucium gutturisque ardore conqueſtos eſſe, qui ſumpſerint, vbi locorum ſi ſolo tranſitu talia patrat, quid non intus in viſceribus, vbi aliquamdiu moratur? Sed nec ſine ratione, & fideliter quidem monent, abſque maſticatione, ſola deglutitione, forma pilulari ingerendum præcipitatum, quia alias lædat dentes & ſyeliſmum concitet, & cedo, quid cauſæ eſt, quod maxima pars illum cum *theriaca*, quæ veneno opponitur, exhibeat? cur Matthiolus eius encomiaſtes maximus, cum præſtantiſſimis duntaxat cordialibus ex *aromatis*, *gemmis*, *ambra*, *moſcho*, *auro*, *argentoque* compoſitis exhibet, & ipſi chymicorum proceres ſine auri mixtione vſum eius minime tutum fatentur?

Exhibent autem vulgo cum *conſerua roſarũ*, aut *ſaccharo roſato*, vel hoſtiis inuolutũ, aut cum *ſucco liquiritiæ*, vel cum extractis purgantibus, aut pilulis iſti affectui vel parti appropriatis, ad quam eius virtutem, dirigere intendunt, veluti ſi ad affectus capitis inclinare propoſitum cum *pilulis cochicis*, ſi ad articulorum dolores, cum *pilulis de hermodactylis*. Omnium rectiſſime cum extractis purgantibus in pilularum formam redactum, ne diu in corpore noſtro moretur, aut eius qualitas & reliquiæ parietibus inteſtinarum partiũ obhæreſcant, ſimulque celeriter foras efferatur, exhiberi cenſent chymiatrorum magiſtri.

Quomodo vulgo & rite exhibeatur mercurius præcipitatus.

Illum vero, qui *ſpiritus vitrioli* opera concinnatus ſit, rite cum *diagrydio præparato* exhiberi docent. Huius autem talis eſt præparatio.

Præparatio diagrydii iuxta Glückradium.

℞. *Diagridii* ℥ ß. *tere in puluerem, & adde guttas quinq; vel ſex olei vitrioli vel ſpiritus ſulphuris per campanam facti, & guttulas tres vel quatuor olei aniſi, tere fortiter piſtillo, oleo amygdalarum dulcium illito, & euadet maſſa lenta inſtar picis, quam in magdaleonem redactam ſerua in veſica ad plures annos*, cuius grana tredecim vel xvj. aut xx. leniter ſine tormínib. aluum ducunt. Huius *diagrydii* grana tria vel quatuor miſce conuenienti doſi *præcipitati*. Quæ ex præcipitato formata ſunt, omnium commodiſſime dantur cum *oleo amygdalarum dulcium*.

Pilulæ mercuriales optimæ.

℞. *Præcipitati cum oleo vitrioli aut ſulphuris confecti & vicies affuſi ſpiritus vini*

deflagratione, correcti denuoque igniti vel reuerberati ℨ j.
croci ℨ vj.
mirrhæ ℨ iß.
Aloes epaticæ ℨ iß.
miſce cum Galbano,
formentur pilulæ, quarum doſis gr. viij.

Hunc præcipitatum pariter edulcant cum *oleo ex fæcibus vini deſtillato*, & per *tartarum calcinatum* rectificato, ſi ſepties ab eo abſtrahatur. Eundem cum fluxu appropriato in puram lunam abire tentur.

Præcipitatus flauus vel albus ſæpe cum *aqua roſarum* lotus exſiccatus, & dein cum *ſpiritu vini*, in quo *caphura* ſoluta imbibitus, & ab eodem deſtillatione in B. M. liberatus, datur à granis iij. ad vj. cum *theriacæ extracto*, horis octo ante paroxyſmum, mirifice enim pellit febres per ſeceſſum duntaxat operando, valet etiam in peſte & morbis epidemiis.

Externus præcipitati vſus. In externis malis ſecurior & ſaluberrimus etiam eius, qui per aquas fortes præparatus ſit, eſt vſus. Contra dolorem enim putridas erodit carnes, ſordida & putreſcentia ſiccat vlcera, fiſtulas ſanat. *Ad vlcera putrida & dyſepulotica.* Dyſepuloticis ac ichore arrodente madidis inſperſus vlceribus, coquit, acrimoniam humorum obtundit, ſuppurationem promouet. Contuſam, putridam, magiſque auctam carnem, cum paruo vel nullo dolore diſſipat, vulneri non modo nullum cruditatis relinquit veſtigium, ſed coctum temperatum & bene diſpoſitum reddit.

Cum *oleo & cera* in emplaſtri formam redactus (quod fit, ſi ℔ j. *olei & ceræ addatur* ℨ j. *mercurij præcipitati*,) vlcerum ſordes delet, pus excitat, dolores mitigat.

Ad craſſas putridaſque vlcerum ſordes, cum aliis ex *apio* abſterſiuis nihil proficimus.

℞. *lixiuij tonſorum* ℨ iij.
mellis roſati ℨ ij.
præcipitati ℨ ß. *Miſce.*

Nicolaus Maſſa *lib. de morbo Catholico*, *præcipitatum* vocat *puluerem Angelicum*, aitque, exſiccare, & cum corroſione abſque dolore carnem ſuperfluam remouere, vlcerum occultam & malignam qualitatem præcipue ex morbo Gallico abigere, digerere, ſaniem quamcunque purgare, corroſionem & gangrænas prohibere, duras craſſasque ſordes poſt apertionem gummatum elidere, & continuato vſu ad perfectam cutis generationem perducere. Conuenit præterea in virgæ vlceribus malignis. Ad conſumendas etiam caruncula in meatu vrinario vtuntur, ſed cautio ibi non leuis adhibenda.

Ad ſcabiem contumacem conuenientius nõ datur remedium, quam id, quod ſequitur; *Ad ſcabiem expertiſſimum.*

℞. *Mercurij crudi,*
aquæ fortis ana ℨ j.

Miſce calide ad ignem, & adde aquæ plantaginis ℔ ij. *remiſce.*

Hac mixtura lauetur ſcabies.

Suffitus *præcipitati* admodum noxius

xius eſt, quod *hydrargyrus* reuiuiſcat, in pulmones irrepat, ad cerebrum, neruos, & reliquum corpus per poros penetret, halitus aquarum cauſticarum ſecum in viſcera abducat.

Cap. XII.

Sublimati definitio. Sublimatorum acrium & dulcium præparationes. Veræ aquilæ cœleſtis & mannæ, Mercurij deſignationes, quomodo, & cum quibus, & aduerſus quos morbos rite exhibeantur.

Mercurius ſublimatus eſt acris vel dulcis: ille fit ex ſublimatione cum *ſalibus*, & potiſſimum cum *vitriolo calcinato* & *ſale communi*, *ana partibus æqualibus, aceto irroratis, & mercurio, dum diſpareat remiſtis*: aut *arſeniaco, nitro, aliisque adiectis*: aut *mercurij* ſolutione *in aqua forti*, cum qua affunditur *vitrioli* & *ſalis communis partibus æqualibus*, vnde ſublimatur: Et ſic definitur Mercurius ſublimatus magiſterium compoſiti *argenti viui* cum *ſale vitrioloque* potiſſimum, per ſublimationem ad ſpeciem coagulati cryſtalli.

Definitio Mercurii ſublimati.

Eius compoſitionem primario ingreditur *vitriolum*, dein & cæteri ſales. Proinde noxius eius vſus eſt internus, nec niſi improbus quiſque intra corpus vſurparit, vt qui necandis muribus & muſcis *arſenico* iunctus, potius conueniat, aut ad ſcabiem externaq; quædam corporis mala adhibeatur, licet etiam extremis pedibus cruribuſque illitus viroſi quiddam in os linguamque propáget.

Præparationes ſublimati vide apud Crollium, Beguinum, cæterosq; rei chymicæ myſtas.

Hunc tamen fixum reddere, & edulcare, atque adeo veneno ſpoliatum internis vſibus accommodatum reddere nituntur, idque vel crebris aquarum cordialium ablutionibus, vel affuſione aquæ ex phlegmate *aluminis*, *vitrioli*; vel ex *albumine ouorum cum aceto deſtillato & nitri modico extractæ affuſione*, imbibitione, & per deſtillationem abſtractione, quibus peractis affundunt *ſpiritum vini*, eoque digerunt, ad aliquot dies, & poſtea eundem deſtillatione viciſſim educunt, aut eo ipſo tincturam extrahunt, ac vſitato more ſeparant. Hi potiores ſunt ſublimati corrigendi, figendi, & edulcandi modi.

Hoc pacto mercurium optime purgatum & cum *vitrioli* & *ſalis nitri ana p. æ.* ſublimatum, ſecunda vice per ſe, tertio cum *alumine rochæ calcinato* & vltimo per *ſalem nitri* eleuatum & iam rubefactum, imbibunt *ſpiritu vini*, & per dies quatuordecim in igne digeſtionis collocant, ſpiritum tinctum leni balneo abſtrahunt, quod remanet moderato calore coagulāt, conterunt, in cella ſuper marmor, vt ſoluatur, reponunt, iterū coagulant, ſoluunt, idq; tertium repetunt, vnde nobilis ſublimati eſſentia exſurgit.

Sunt, qui ex *calce ouorum vitriolo, crudo & aceto* faciunt globulos, ex quibus

bus ſublimatum igne vrgent, quem deinde lento calore præcipitant, corrigunt, & fortiore demum figunt.

Alij primum cum *vitriolo rubificato*, dein ordine ſigillatim cum *alumine vſto, ſale armeniaco, limatura ferri*, & tandem *cum ſale communi* ſublimant, ſublimatum digeſtione ſpiritus vini corrigunt. Huncad dragmæ pondus tuto dari aſſerunt, ſed ego in humano corpore tale periculum non faciam, nec fieri ſuadeo.

Hactenus de ſublimatis acrimonia nondum ſpoliatis, quorum merito vſus internus debet eſſe ſuſpectus, nec facile iniri, quamuis Crollius *flores*, aut *ſublimatum rubrum, & flauum ad rubedinem calcinatum*, ſolius *ſpiritus vini* opera correcta, intus recte exhiberi, tanquam magnum Paracelſi arcanum corallinum, pſuadere conetur. Sequitur præparatio ſublimatorum dulcium.

Sublimatorum dulciũ præparatio. *Mercurium* quidam in aqua forti ſoluunt, eamq; igne arenę fortiori adeo ſeparant, vt volatici ſpiritus vna emigrent, quam ſolutionem & deſtillationem quinquies repetunt, donec volatile omne conſumptum: materiam ſiccatam tritamque igne ſubiecto vrunt, agitando continuo ſpatula ferrea dum rubeum colorem contraxerit, hanc affuſa aqua ex *albuminibus ouorum ſupra* commemorata rectificant, eaq; ſeparata, per deſtillationem, affuſione reiterata *ſpiritus vini* edulcant. Sed hic ad præcipitata potius pertinet.

Alij poſtquam in *aqua forti* ſoluerunt *mercurium*, affuſa marina ex *aqua communi & ſale marino* præparata præcipitant, & quod præcipitatum eſt, per arenam deſtillant, vt *mercurius* ad latera vaſis ſublimetur, Fæcibus in imo ſubſidentibus reiectis, quod ſublimatum eſt, eadem aqua ſoluunt & deſtillant, vt *ſupra*, & conſequuntur aquilam albicantem, cuius cum aqua cordiali abluti doſis eſt à granis x. ad xv. in morbis maxime venereis. *Aquila albicans.* Verum neque hic acrimonia omni debite liberatus eſt, neque locum inter ſublimatos dulces recte meretur, quamuis *mercurij mannam* nominent. *Manna Mercurij*

Alia itaque præparationis via ingredienda eſt.

♃, *Mercurium crudum optime purgatum, eumque cum ſalis torrefacti & vitrioli ad rubedinem calcinati ana partibus æqualibus ſublimato. Sublimatum per ſe, iterum eleua, quodque in imo & ſummo nigricat, tanquam inutile reijce, idque ſecundum repete. Cæterum in aqua communi ſolue, & ad conſumptionem mediæ partis coque, repone in cella, dum mercurius in cryſtallos coeat, quos tunde in puluerem, iterumque ſublima, & habebis veram aquilam cœleſtem, ſudorem optime & aluum clementer mouentem*, cuius in lue vſus eſt dexterrimus & fœliciſſimus. *Vera aquila cœleſtis, cuius in lue præſtantiſſimus vſus.*

Vel ♃. *Mercurij ſublimati* ℥ iiij. *mercurij viui, foliorum Lunæ finæ & talci ana* ℥ ij. *miſce, fiat puluis, quem ſublima, & parte volatili nigriore ſeparata fixiorem & magis cryſtallinam è fæcibus quater ſublima,*

ma, demumq́, per diem vnum vel alterum in arena calida repone, & remanebit puluis albicans à granis v. ad xv. ſuauiter purgans & vrinam mouens.

Supereſt alius *mercurium ſublimatum dulcem* conficiendi modus, quem tantis encomiis ornant chymiſtæ, tantis verborum obſcuritatibus inuolutum, vt ſupra vulgus diuini aliquid ſapere videantur, deprædicentur, & extra filiorum artis cognitionem effluere ſtudioſe cauerunt, quo vnico rudes multi laboratores & panacæarii, tanquam aſylo confiſi, aduerſum omnis generis morbos remedium exſculpere & adornare temeraria confidentia auſi fuerunt.

Quercetanus ait, internum illum naturæ ignem in *Mercurio* eſſentificato latentem, ſiſtere, coagulare, conglaciare, & in cryſtallinam duriciem vno momento compingere iuſtum pondus propriæ ſuæ aquilæ metallicæ & fluentis, à qua viciſſim ille ſic extinguitur, & contemperatur, vt ex contrariis vtriuſque affectis, ne minima illorum ſubſtantiæ portiuncula diſpereat, fiatque puluis Angelicus, niueus & aquila cœleſtis admirandarum virium. Poſtquam enim aquila, depaſta eſt liquorem ſeu aquam, cuiſcaturigo eſt in excelſis, ebibit, agreſtem, ferocem mortiferamq; naturam vno momento inſuauem, mitem & ſalutarem mutat, fitque theriaca ex veneno, vi detergendi, mundandi, rectificandi, purgandi per aluum & vrinas prædita. Conſiſtit autem tota ratio Eleuſini huius ſacri, & arcanæ panaceæ in ſequenti præparationis methodo. ℞. *Mercurii viui* ℥ vj. *ſublimati* ℥ viij. *Miſce in mortario ligneo, donec omnis maſſa nigreſcat*, Poſtquam enim hi duo *mercurii* triturando ſic miſti fuerint, omnis vis corroſiua & *vitrioli & ſalis* emoritur, fitque puluis dulcis, qui ſublimetur in arena. Si quod ſublimatum eſt, ſit plane dulce, recte res habet, ſi vero adhuc aliquid acrimoniæ inſit, ſublimato miſce quicquam noui *mercurii viui*, & in mortario ligneo, donec nihil viui amplius appareat, inuicem agita, & tere, quod iterum ſublimetur, id, ſi opus fuerit, tertio repete, & ſi quid *mercurii viui* aſcenderit, ſepara. Hoc Quercetanus ſuum vocat *panchymagogum, & aquilam albam, & panaceam* omnibus morbis profligādis aptam, cuius vnius ſcrupuli doſis mirandos patret effectus. Verum & hunc nec in conſeruis (quamuis *alibi* Quercetanus in rotulis ſaccharatis vſurpet) nec per ſe exhibere ſuadent chymiatri, ſed cum maſſis vel in forma pilularum, exempli gratia ℞. *mercurii dulcis gr. x. vel* xij. *& adde diagrydii grana* iij. *vel* iiij. *aut totidem trochiſcorū alhandal, & cum aliquo ſyrupo forma pilulam,* quæ fertur omnes humores electiue ſine aliqua perturbatione purgare. Miſcetur etiam dulcis ſublimatus commode extracto panchymagogo.

Mercurii ſublimati dulcis quondam primarii chymicorū arcani deſignatio.

Quercetani panacea, panchymagogum & aquila.

Quomodo dextre ſublimatus dulcis exhibeatur, & cum quibus.

CAP. XIII.

Quid ſit turpethum minerale.

TVrpethum eſt mercurius adeo fixus vt vi ignium non amplius eleuetur. Figitur autem igni potentiali, idq; per ſe, vel cum adiunctis metallis aliiſue mineralibus.

Metalla, quæ adiunguntur ſunt nobiliora vel ignobiliora. Si cum iis iungatur non turpethum, ſed aurum vitæ, vel mercurius vitæ euadit, ſi cũ ignobilioribus mineralibus, aut per ſe, aut vi ignium actualium vel potẽtialium præparetur, euadit laxatiuus, aut diaphoreticus, aut vtriuſq; facultatis particeps.

Qui per ſe figitur vi ignium, fit primo, ſi præcipitato ex nouies ſublimato aqua fixatoria ſeu ſpiritus vitrioli affunditur cum quo maceratur deſtillatur; quique iterum affunditur & deſtillatur, donec quodcunque volatile fit, penitus ſublimetur, ſecedat, aut euaneſcat, igniſque examen impune tolerare poſſit, quod poſtea edulcatur.

℞. *Argentum viuum ex cinnabari reductum, affunde ſpiritum vitrioli, ſine præcipitari, Menſtruum primum quod defagitatum eſt decapula, donec in igne durare deprehendas, quem ablue aqua albuminum ouorum vel roſacea, exhibe cum maluatico aut vino dulci.*

℞. *Mercurium aqua forti ſepties deſtillata præcipitatum, ablue aqua ex albuminib. & teſtis ouorum, calcinatis, donec erubeſcat, dein macera ſpiritu vitrioli aliquoties.*

Turpethũ corallatum.

Corallatum Turbith paratur præcipitatione vulgari & crebra abſtractione ſpiritus vitrioli, donec rubeſcat & in igni perduret. *Vulgare officinarum turpethum* præparatur affuſione aquę regiæ ſuper mercurium vt præcipitetur. Puluerem imbibunt *ſpiritu ſulphuris acido*, eumque ſuper igne exhalare permittunt, quod repetunt, donec omnino fixus reddatur.

Vulgare officinarum turpethum quomodo preparetur.

℞. *Mercurij ſublimati liquorem ſeu oleum, quod fit, ſi regia cœleſti ſublimatum eſſentiale, ſoluas in aquam & ſolutam deſtilles vſq; ad oleoſitatem. Hoc pone in conceptaculum amplum, cape vitrioli & halonitri ana quantum fuerit olei, torrefac, vt ſpiritus turbatorij excedant. Immitte in retortam & pelle ſpiritus in oleum quod eſt in recipiente, quod deſtillatum eſt, id rectifica repetita deſtillatione. Huius cape* ℔ j. *argenti viui ex ſeptimo ſublimato cryſtallino reducti* ℥ x. *ſolue, ſolutionem deſtilla, quod in receptaculum effluit, volaticum eſt.* Exibunt autem cum aqua circiter ℥ iiij. Quod in retorta manſit, eſt *turpethum* arte edulcandum.

Turpethum ſi quis iuxta decreta Paracelſi & potiſſimorum chymicorum velit præparare optimum, cum primis de *mercurio Philoſophorum* præſtantiſſimo obtinendo, laborare debet. Is autem præcipitatione, deſtillatione & ſublimatione acquiritur. Paracelſus vult nouies ex *ſale communi & vitriolo* ſublimatum, ita, vt ſemper

Quomodo fiat Mercurius philoſophorum.

per reductus, nouis medicaminibus contemperetur, exuere fuliginem & omnem impuritatem, & impraegnari *ſulphure & igne naturæ*, à quo cœleſtes accipiat proprietates, admirandasq; virtutes, & fiat verum *acetum metallicum Philoſophorum*, quod aurum & argentum ſoluat in primam materiam & ex corporibus faciat ſpiritus.

Acetum philoſophorum ex mercurio.

Alii vtuntur hoc proceſſu. *Mercurium viuum aceto & ſale purgatum, ex iiſdem vitriolo & ſale bis ſublimant, tertio addunt nouum ſalem, quarto ſublimatum illum niueum, ſordibus deterſis, cum tertia parte ſtellæ antimonij conterendo, ſuper marmore miſtum, bis ſublimant, & deinde abiectis fecibus per ſe ſublimant, donec omnis impuritas receſſerit.* Si abſq; ſtella *antimonij parare velis ter cum ſalibus & ſexies per ſe ſolum ſublima.* Atque hæc vera eſt illius tantopere decantati mercurii vitæ materia.

Mercurius vitæ celebre chymicorum arcanum.

Mercurius hic philoſophicus ſoluitur per deſtillationem ex retorta, vel per deliquium, & vtrobique viciſſim præcipitando coagulatur, ille videlicet, qui deſtillatus eſt aſperſione & affuſione aquæ dulcis aut *ſpiritus vitrioli*, hic, qui per deliquium ſolutus eſt *ſale vel liquore ſalis tartari* aut *puluere præcipitati.* Hoc enim modo poſtremo Draco interficit ſe ipſum, ſuamq; deuorat caudam & propriũ venenum delet. Spiritus veneni ſe mutuo iugulant, & diſſipantur fumo, manente eo, quod eſt remedium.

Ex quo cõuincere conatur Quercetanus, acres ſalium ſpiritus ſedare dolores podagricos, cum extus illiti, internos feruescentes doloremque excitantes impugnant, ex quorum muto feruore, pugna & conflictu vtrorumq; ſeſe inuicem perimentium fatigatio occaſus & doloris compoſitio ſequitur.

Eſt & alia, qua procedunt, via.

Quo pacto iuxta chymicos ſedẽtur podagrici dolores ſpirituũ acrium illitu.

Aquilam cœleſtem & ſeptima deſtillatione in puros pene cryſtallos redactam, perfundunt aquã cœleſti, ſeu ſepties deſtillata, cuius materia fuere *ſal & vitriolum*, & cum magis figere ſit animus, *alumen*, hac ipſa aqua affuſa ſoluitur ſublimatum, deſtillatiõne aquam ſepara & reliquum ſublima, quantum potes, id enim vere eſt *aquila cœleſtis.* Hoc in retortam transfer & deſtilla more aquarum fortium, deſtillato liquori immitte *oleum tartari* purum vel *ſpiritum vitrioli.* Medicamentum accipies ex ferociſſimo ſalutare.

Alius modus. *Mercurius per oxalmen purgatus, ſublimatur cum ſale & calchanto, repetitur ſublimatio cum alumine & halonitro, vt fiat ſalamandra rubra*, hoc eſt, *medicamentum in igne fixum*, quale euadit præcipitationibus & fixionibus per aquas eſſentiales. E puluere rubeo eſſentia extrahitur circulatione *ſpiritus vini*, qui rurſus ſeparatur deſtillatione vſque ad eſſentiam *olei albi & dulcis*, quod in conchis vitreis admota blanda pruna penitus ſiccatur, & poſtea tritum deliquio viciſſim ſoluitur, idque tertio repetitur.

Hactenus, quomodo Mercurius per ſe figatur, ſupereſt proponere, qua ratione fixus reddatur mineralium rerumque metallicarum miſtione & opera. Proinde hoc pacto cum *antimonio* paratur. ℞. *antimonii Vngarici & mercurij ſublimati ana* ℔ j. *terantur & miſceantur diligenter, & in retorta vitrea luto obducta mediocri igne in arena deſtillantur, tunc liquor inſtar butyri ſeu glaciei egreditur, qui, ſi concreſcit, in collo retortæ, vt ſæpe fieri ſolet, admota pruna forcipe comprehenſa liqueſcat, ne obſtructione impediatur deſtillatio.* Huic liquori ſemel atque iterum reiterata deſtillatione rectificato, ſi affundatur aqua calida, puluis albicans fundum petit, q ab omni ſalſedine multoties aqua calida edulcandus. Improprie Crollius hunc nomine *florum antimonii* indigetat. Etiamſi itaque hoc nomine abutantur, eos etiam, qui præcipitantur, aut fundum petunt pulueres, nuncupantes flores deſcenſorios, tamen vere & vniuoce flos eſt id, quod aſcendit, ad ſummum emergit, ſurſumque effloreſcit. Deinde perperam aſſeritur à Crollio, iſtum puluerem eſſe de eſſentia *antimonij* eiuſque *flores*, cum butyrum, quod progreditur ex *ſublimato* & *antimonio* ſimul iunctis, potius ſit *mercurius ſublimatus*, nihil vel parum participans *antimonij*, cuius opera duntaxat liquiditatem ſit indeptus, vnde *mercurius vitæ*, & *angelicus*, & *aquila alba* dicitur, aliis vero puluis emmeticus Algoreti Medici quondam Veronenſis.

Puluis emmeticus Algorethi Medici Veronenſis.

Qua ratione vero *mercurius vitæ* dici aut nominari poſſit, cum glacialem illum liquorem ſumme corroſiuum prædicet Crollius, & Quercetanus ſpumam duorum draconum ſumme venenoſam nuncupet, viderint Paracelſiſtæ. Puluerem ſane ex eo præcipitatum, quem ad febres, hydropem, luem gallicanam, & arthritidem cõmendant, vehementi totius perturbatione vomitus concitare vehementiſſimos, & quam cautiſſime vſurpandum, ipſi Chymici monent. Dantur ex eorum præſcripto robuſtis grana iiij. debilib. grana duo vel tria, ex pomo cocto vel *conſerua roſarum*. Puluerem hunc edulcatum & cum *ſale communi* tritum, per horas plures ſuper marmore, & dein à ſale per ablutionem vindicato, vomitium exuere, & ſaltem per ſeceſſus mouendi vim reſeruare, & ſic tuto granorum x. vel xj. pondere dari aſſerunt.

Quidam huic pulueri ſuperfundunt, ſpiritum vini ad supereminenti m quatuor digitorum, ponunt in furno circulationis, dum colorem ſanguineum contraxerit. Iſte liquor à puluere in fundo remanente ſegregatur, octiduum circulatur, & digeritur, poſtea per alembicũ totus forti igne deſtillatur. Hunc etiam *mercurium vitæ* ſatis improprie quidam nominant & propinant, guttas nouem vel decem cum cochleari *vini.*

Pulueris albi ℥ iiij. *affundunt ſacchari puriſſimi* ℔ j. *ſolutam ſuper ignem in aqua roſarum, addentes croci* ℥ ij. *relinquunt in concoctione, ac ſi rotulas vellent conficere, dein ſimul effundunt, l. a.* Doſin ſtatuunt

℞ ß. quæ complectitur pulueris ℈ ß. ſed hæc iuſto maior eſt.

Alii aquilam albam ſic præparant. ℞. *Mercurium ſublimatum, miſce cum pari ſtella antimonij conterendo in porphyrio l. a. deſtilla per retortas mutuas.* Prodit oleum craſſum, quod lateribus receptaculi adhæret, inſtar butyri. Liberatū cōcept. culū expone loc) humido per decendium, donec aë e ſeſe immiſcente liqueſcat. Huic liquori ſuperfunde *oleum tartari*, aut *ſpiritum vitrioli* vt præcipitetur pollen, cuius edulcati dantur à granis iiij. ad ix.

Quercetanus ex *calce viua*, & *ſale armeniaco* vna calcinatis, ſalem elicit, quem fixum ſoluit deliquio. Soluto vtitur pro aqua regia ad ſoluendum *mercurium cryſtallinum*, in hac ſi iniicias *oleum tartari* aut ſoluta metallorum habebis coagula iſta mirifica, & alia immenſæ gloriæ apud Chymiſtas medicamina, vna cum liquore mercuriali ex ſoluto cryſtallini ſublimati per deſtillationem & rectificationem facto, cuius vſum ampliſſimum proponit in ſolutionibus.

Rulandus *ſulphuri liquato argentum viuum* miſcet ſpatha ferrea continuo agitando, dum *mercurius* occultetur, maſſam exſiccatam terit, & addit portionem *ſalis ammoniaci* fixi. Hanc mixturam ſublimat, & fracto vitro, quod in imo & ſummo hæret, conterit, miſcet, eleuat, idque ſexies repetit, donec fortiore igne, omne, quod volatile ſit, aſcēdat, reſtitante *mercurio* ſolo fixo. Nunquid etiam hoc proceſſu *ſulphur* cum *mercurio* ſublimabitur in *cinnabarim*? Eſt enim *factitia cinnabaris magiſterium compoſitum ex hydrargyro & ſulphure vna commiſtis & ſublimatione in maſſam ſanguineam vnitis.* *Cinnabaris factitia quid.*

Cum ſtanno figitur, ſi eius pars vna colliquata miſcetur duabus, *mercurij vivi* ſeorſim calefactis optime agitando. Maſſam induratam explicant ſuper tabulam marmoream in cella poſitam, eique æquale pondus *mercurij ſublimati* inſpergunt, vel conterendo miſcent, liquor defluens collectus coagulatur *ſpiritu tartari* affuſo, qui ab illo ſæpius abſtrahitur, donec rubicundus figatur puluis. Hic mutua actione ſpiritus noxii, partim delaſſantur, partim dulcedine ſtannea plumbeaque corroſiui mitigantur. *Mercurius quomodo cum ſtanno figatur.*

Cum ſpiritu Iouis aut Saturni hoc pacto etiam miſcent. Alterutrum liquant, & cum refrigerari incipit, faciunt in medio foramen bacillo ferreo, in quod infundunt *mercurium*, qui ſtatim coagulatur, & teritur ſuper marmore. Hoc cum *aceto & ſale* digeratur triduum, hoc effuſo recens *acetum* additur, & ebullit cum eo ad horam vnam, ſiccatam materiam tere, & affunde aquam fortem, donec in calcem redigatur, remoue aquam fortem, & in foco mediocri fac exhalare *mercurij* volaticos ſpiritus ſuperſtites. Dein pulueriſetur denuo, & abluatur octies ſpiritu vini. Huius *Mercurius cum Ioue vel ſaturno fixus.*

etiam non verentur vſum intrinſecum, eiuſque grana quatuor exhibent cum *conſerua roſarum*, ſuperbibendo hauſtum *vini maluatici*: & vt dexterius per inferiora purget, iubent addere grana quinq; vel vj. *diagrydii*.

Turpethũ Diaphoreticum.

Quomodo figatur *mercurius*, vt fiat *turpethum laxatiuum* vidimus; ſequitur præparatio *turpethi diaphoretici*, cuius fabricam vti magnifice prædicant ita mirificis verborũ inuolucris priitus palliarunt, ne videlicet alii iſtius ſcientiæ participes fierent, ipſique ſoli ſapere & reliquis præſtare videantur. Sic autem à Quercetano traditur. Spuma cereberea & venenoſa, quam vomunt duo dracones combinati, ſimul iuncti agitati & manu artificis calefacti, coniungitur. Hæc ſpuma ad temperiem reducitur & Bezoartica redditur ſola admixtione ignis balſamici naturæ, quæ mixtio non fit ſine magnarum turbarum, ebullitionum & ſeditionum excitatione, quo bello confecto, adducitur pax, adeo, vt exquiſitum venenum, quod ipſo viperino nocentius fuit, conuertatur in ſummam *theriacam*, ſummum alexiterium & ſaluberrimum remedium Bezoarticũ, quod ſudores promouendo effectus demonſtrat ſuſpiciendos in omnibus peſtilentialibus & venenatis affectibus. Detracto autem velo ſic habet.

Turpethum diaphoreticum ſeu Bezoarticum minerale præſtantiſſimum.

℞. *Spumæ duorum draconum*, hoc eſt, *olei ſeu butyri aut glaciei ex mercurio ſublimato & antimonio remiſſis per deſtillationem, vti paulo ante tradi tum, extractæ & deſtillando ſemel rectificatæ (non autem præcipitatæ)* ℥ iiij. *His calore reſolutis affunde ſpiritus ſalis balſamici, hoc eſt, ſpiritus ſalis nitri vncias totidem, deſtilla ex arena omnem liquorem ad ſiccitatem vſque. Terram exime, cuius fixæ primo modo habebis* ℥ ii ß. *probe tere & deſtillatum liquorem reaffunde, cum vnciis duabus ſpiritus balſamici ſeu nitri: deſtilla vt prius, poſtea pulueri trito reaffunde deſtillatum cum aliis vnciis duabus vt ſupra & procede rurſus, vt prius, videbis in ſecunda deſtillatione* ℥ iij. *in tertia* ℥ iij ß. *fixatas eſſe. Maſſam tere ſubtiliter & in catillo calcina in igne forte furni probatorij continuo mouendo, videbis nihil omnino perire, adeo fixum redditur corpus, vſus eius eſt probatiſſimus & præſtantiſſimus in peſte, in omnibus peſtilentibus affectibus, febribusque malignis popularitergraſſantibus*, doſis à granis iiij. ad grana vj.

Ad peſtē & febres malignas.

Diaphoreticum hoc *turpethum*, vocant *Bezoarticum minerale*.

Cap. XIV.

De auro vitæ mercuriato & mercurio vitæ aurato, de auro vitæ, & Bezoartico metallico, horumq; variis præparandi artificijs & virtutibus ad morbos grauiſſimos, de tinctura auri & Lunæ.

QVomodo *mercurius* cum mineralibus & metallis ignobilioribus coniungatur, traditum eſt, reſtat, vt

vt qua ratione aſſocietur nobilioribus, diſpiciamus. Quia vero naturæ noſtræ hoſtis & venenoſus eſt, ſeruusq; fugitiuus, & pernicioſiſſimæ mobilitatis, excogitata eſt eiuſdem artificialis quædam mixtura cum *auro*, quod vti & *aureum ſulphur* inſtar vinculi ligat præcipitem eius inconſtantiam, & corrigit malignitatem, virtutemq; veluti cenſent, cordialem addit. Proinde ex *auri* cum *mercurio* artificioſe præparata & ſolidata miſtura, reſultat medicamentum ſupercilioſum, quod chymiſtæ *aurum vitæ* nuncupāt, comparatum tam ad purgandum, quam reſtaurandum corpus humanum, quo ſenectus abigitur, iuuentus æternum florida ſeruatur, vetulæ puellarem recuperant vigorem, omnes in vniuerſum morbi abiguntur, humidum primigenium alitur & reſtauratur, in eodem vigore ſeruatur, ſpiritus & calor natiuus floridus defenditur imo effœtæ arbores & aridæ ſtirpes reuireſcunt, omniaque ægritudinum genera perſanantur, exceptis animi morbis Paracelſiſtarum & mordicus chymicorum, quorum inſaniam & inſane ac delire illud aurum depræconiantium fatuitatem emendare nequit.

Admiranda vis auri vitæ.

Aurum vitæ ſimpliciter fit ex *auro* ita, vt *mercurius* ad eiuſdem præparationem concurrat non tamen cum eodem permaneat, nec idem cum illo corpus conſtituat.

Vel ex *auro* & *mercurio* ad vnitatem remiſtis, ita, vt vnum corpus conſtituant, idq; ſolo calore Athanoris, vel furni acediæ.

Vel fit ex *auro & mercurio* in amalgama conglobatis, cui, vt ſoluatur, aqua fortis affunditur.

Vel ex *mercurio & auro* ſeorſim ſolutis in aqua forti & ſolutionibus confuſis. Vel ex *auro, mercurio & antimonio* arte remiſtis, vt in Bezoartico metallorum, quod Crollius nominat *antimonium diaphoreticum*, & in *auro vitæ* Duncani, aliisq;.

Aurum vitæ primi modi conficitur ſequenti præparatione. ℞. *mercurium deſtillatione in aquam purgatum & ſublimatione ex vitriolo eleuatum, reduc in vitam & terge, exſicca, pone ſex eius partes in crucibulo ſuper prunas ardentes, donec bullire & fumare incipiat, tunc inijce partem foliorum aut laminarum tenuium auri itidem calefacti, moue & ſubige cum ligneo bacillo vt mercurius abliguriat aurum & ſic calidum effunde in vas aqua frigida plenum, cauendo ab halitu, laua diligenter à nigritia & amalgama purum immitte in retortam luto munitam iuſta magnitudine, affunde aquam fortem per argentum rectificatam, melius eſt, vt plus quam minus adijcias, appoſito receptaculo in fornace reuerberatoria, iuncturis bene clauſis & luto inductis ſubde ignem per gradus, donec tota aqua ſit extracta. Hoc facto, auge ignem vt argentum viuum per latera in collum aſcendat ſpecie præcipitati præſtantiſſimi, auri vero puluis rubicundus obſcuruſque in fundo remaneat, quem collectum in mundo catino, pone ſuper prunas ardentes, & ligneo bacillo verſa dum*

omnia

omnis vapor in auras euolet. Puluerem hunc ſæpius laua aqua centaurei minoris, & exſiccatum ſerua, qui pretioſiſſimus eſt ad morbos grauiſſimos, datur à granis iij. ad iiij.

Mercurius ab *auro* ſublimatus etiam ſuper igne in rubeum redigitur puluerem, qui per ſe vtilis eſt, ad putridas vlcerum carnes, per os autem datur ad morbillos, ſed tutius cũ portione *ſupra* ſcripti auri. Atque hac ratione præparatur *aurum vitæ* cum *mercurio* ita, vt ſolum remaneat *aurum*, remoto ab eius ſubſtantia in puluerem redacta, *mercurio.*

Aurum vitæ ſecundi modi ſic præparatur.

℞. auri foliati ℥ ij. hydrargiri purgati per ſublimationes & reducti, trientem, vel q.ſ. miſce pro amalgamate, quod incluſum geranio ſeu phiolæ longi colli anguſtique orificij in furnum acediæ colloca, & indies ſubiecta pruna inſpice, num aſcenderit. Quod aſcendit, deturba per bacillum aut calamum. Maneat in loco per trimeſtre vel vnum annum, donec argentum viuum ſit calcinatum, quod explorabis, ſi aliquot grana extracta cum molli panis mica ſubigantur. Si enim reuiuiſcunt, crudus nec dum fixus percoctusque eſt mercurius, nec vſurpatur, ſed reponitur ad complemẽtum concoctionis. Datur in lue venerea & hydrope ad purgandum. Nota; *niſi mercurium adeo ſpiritualem facias, vt reſoluat aurum in primam materiam, & totum coaguletur igne athanoris, operam ludes.*

Quocirca docent recipiendum eſſe *mercurium* ſepties ſublimatum & rectificatum per partem *calcis viuæ* & dimidium *tartari crudi. Huius accipe partes duas vel tres cum vna parte ſolis vel lunæ & colloca in ſuo vaſe in cinere coctio ita, vt cinis parumper excedat, da calorem lenem.*

Ita ſedet ſenex in Balneo.

Hic autem præparandi & cum *auro* amalgamandi *mercurii* vt ſpiritualis reddatur, eſt modus.

℞. Mercurij ſale & aceto purgati & per corium expreſſi ℔ ij. *vitrioli ad rubedinem calcinati* ℔ iij. *ſalis communis torrefacti* ℔ ij. *miſce cũ ſ. q. aceti & ſublimetur, repetatur ſublimatio renouatis ſalibus, deinde aliquoties per ſe ſublimetur, poſtea reducatur ad vitam* ſequenti modo. *℞. Mercurii ſublimati, calcis viuæ pulueriſatæ tartari crudi ana* ℔ j. *commiſce & deſtilla per vas vitreum retortum in cineribus; ſic habes mercurium cum auro amalgamandum.*

Vel *℞. Argentum viuum purgatum per oxalmen, miſce cum puluere antimonii & ſublima, ſublimatum reduc per aquam calentem ſuper pura lamina martis, iterumq; ſublima cum ſale & vitriolo, ſublima tertio eundem reductum, cum ſale & alumine. Reuiuificati cape ℥ vj. auri ℥ j. digere per ſe longo tempore in athanore calente, donec fiat puluis rubeus, quem acri igne proba in catino lapideo num ſit conſtans, ſic ſpiritus*

tûs crudi diſcedent. Doſis à gran. j. ad grana iij.

Aurum vitæ tertij modi ſic conficitur.

℞. Mercurij purgati aceto & ſale ℥ v. *adde auri in laminas redacti* ℥ ß. *fiat amalgama, quod abluatur aceto, donec omnis ſeparetur nigredo, pone in cucurbitam & affunde aquæ fortis ex vitrioli partibus duabus, & nitri parte vna parata, tantum, vt ſoluatur mercurius, & ſol in fundo forma pulueris remaneat, deſtillando ſepara aquam fortem, & ſupermanebit puluis rubicundus, quem in aere libero tere, & poſtea per partes in teſtam ignitam injice, & agita, donec rubeſcat, dein teſta exime, & aliam partem impone, atque vt ante procede.*

Alii hoc modo parant. *℞. auri foliati* ℥ ij. *mercurij purgati* ℥ iij. *fiat amalgama, quod ablutum, ponatur per noctem in cineres calidos, deinde affunde olei vitrioli* ℥ vß. *& digerantur in cineribus calidis per horas tres, poſtea deſtillentur per retortam, donec hæc incandeſcat. Ignem per dies tres continua. Materia exempta abluatur aqua calida. Puluere edulcato & exſiccato affunde S. V. & per aliquot dies digeratur, quo in balneo ſeparato, affundatur alius, idq́; ter vel quater repetatur, & relinquetur* puluis aureus, cuius doſis à granis iij. ad grana v.

Aliud. *℞. vitrioli, nitri, aluminis plumoſi* (quod fertur reprimere vim corroſiuam in aqua) *ana p. æ. deſtilla ad ſiccum. Deſtillati pondus nota. Cape tantum ſpiritus vini, quantum eſt aquæ, affunde capiti mortuo trito, digere per triduum, deinde igne nudo deſtilla ad ſiccum, Aquam ſerua. ℞. argenti viui ex ſexies ſublimato reducti partes duas, auri vnam: Fiat amalgama, cui affunde aquam ſeruatam. digere biduo, deſtilla vſq; ad mellis conſiſtentiam. Aquam, quæ exijt, redde reliquiis, macera, deſtilla. Fac hoc tertio. Vltimo non ad oleoſitatem, ſed perfectam ſiccitatem deſtilla; hunc puluerem edulca aqua ex putrefactis decendio albuminibus ouorum, & exaſperata ſale teſtarum, ex ouis ita, vt ſimul ſint deſtillata. Tribus vicibus aqua eſt affundenda, & ab eodem deſtillanda, nouam ſemper addendo. Hoc facto potatur vini ſpiritu, & in cella ſoluitur in liquorem rubicundum, qui dulcis eſt. Coagula, & ſerua pro vſu.* In liquore, quo datur, non ſubſidit, ſed diſtribuitur. Experire ab vno grano ad plures.

Aliud. *℞. Auri* ℥ j. *mercurij purgati* ℥ iij. *aquæ Regis* ℥ x. *ſolue, deſtilla blande, cùm refrixit cucurbita, redde tritæ materiæ deſtillatum, repete hoc nouies. Transfer maſſam in cucurbitam aliam, & affunde aliam aquam Regiam, deſtilla, reaffunde item nouies; fac idem tertio.* Quidam volunt centies repeti, vt fiat oleum. *Seu itaque puluis fit, ſeu oleum, affunde ei S. V.* ℥. iij. *moue ligneo baculo à fundo in cineribus calidis. Fit luteus puluis. Affunde huic in ſuum vitrum illato aceti ſtillatitii* ℔ j. *Macera per dies 30. in balneo vel fimo, poſt alembico addito, deſtilla lente, tandem fortiter, ad ignitionem vſque, vt omnes pernicioſi ſpiritus aufugiant. Exime maſſam, tere, macera in vini ſpiritu ter quaterq; mutato, ſemper reſiccando iterumque*

tumque puluerisando. ℞. *huius* ℥ j. *ſpecierum electuarii de gemmis, diamargar. frigidi, diambræ, diamoſchi dulcis, confectionis alkermes ana* ℨ ij. *Miſce.* Doſis in pueris octennibus gr. j. mane hora vna ante cibum. Duodecennib. conueniunt grana duo vel iij. cum *melle roſato*; adultioribus datur ad gr. x. in epilepſia & febribus. Quibuſdam vomitum, aliis ſeceſſum impellit. Datur alternis diebus, donec ſublata ſit cauſa morbifica. Interiectis diebus offertur *mithridatii* ℨ j. & ſic vſurpatur in ſcorbuto, lue Venerea, podagra, apoplexia.

Nota, beneuole Lector, quod his, & ſimilibus compoſitionibus ipſi Chymici & Thraſones Paracelſici teſtatum faciunt, *mercurium* non ſolum venenum, cum adhuc crudus ſit, ſed natura adeo malignum eſſe, vt & tantopere vexatus, caſtigatus & correctus *auroque* ſummo ſuæ vehementiæ vinculo ligatus, nihilominus maleficam vim non exuat, eiſque indigeat, quæ cordis & primariorum viſcerum vim muniant, & defendant, & quod hac optima prouiſione facta ex tota hac maſſa paucula duntaxat grana exhiberi debeant.

Quartus modus, qui ſolutione mercurij & auri ſeorſim facta & ſolutionibus confuſis maxime perficitur, tali conſtat norma.

℞. *aurum, ſolue ſeorſim in aqua regia, itidem & mercurium, ſeorſim aqua regia ſolue, ſolutiones artificioſe confunde, in cucurbita calente cinere per dies aliquot digere, aquam deſtillatione ſepara, exemptum è fundo puluerem læuiga & affuſa aqua digeſtione facta iterum deſtilla, idque repete, donec fiat puluis reuerberatus & fixus, qui edulcatur aqua ouorum.* Nobilius fieri remedium, cenſent ſi addatur ſubduplum *ſolutionis Lunæ*, & tertia pars *tincturæ ſtibij*, ita, vt coaguletur liquores in maſſam, quæ *quinta vini eſſentia* perfuſa circuletur & figatur.

Aliud. ℞. *argentum viuum ſeptics aut ſæpius ſublimatum, ſoluatur aqua regia vel mercuriali, eiusdem portione. ſoluatur etiam ſeorſim aurum, ſolutiones prudenter & artificioſe iungantur, ita, vt altera alteri guttatim miſceatur, fiat guttatim in ampla olla propter efferueſcentiam, inſtillatio* (ſic venenum veneno iugulatur & fit innoxium medicamentum) *maceratione aliquamdiu facta elicitur menſtruum vſque ad ſiccum per deſtillationem, deinde igne ſublimatorio ſublimetur. Quod ſublimatum eſt, teratur cum parte in fundo manente, donec totum ſit ſublimatum, cuius color purpureus erit.* Hoc crudo, ſublimato non eſt vtendum, quod pro remedio venenum dares, debet itaque amplius elaborari, in liquorem reſolui, & *oleo tartari* edulcari. Clar. Libauius hunc proceſſum introduxit. ℞. *ſublimatum criſtallinum, ſolue aqua regia cœleſti, ſolue & aurum è minera apyrum, miſce & ſublima toties, donec aureum ſublimatum nactus fueris. Hunc redactum in puluerem miſce cum argento viuo vulgari abluto, ſublima toties donec purum conſequaris, huius* doſis à granis

granis tentando vſque ad ℈ß.

Quintus modus parandi aurum vitæ, perficitur artificioſa coniunctione auri mercurii, & antimonii, uti ex ſequentibus videre eſt.

Solue in aqua philoſophica ex ſale communi vel etiam ex aqua forti præparata, vel regia, ſolis puriſſimi dragmas duas, huic affunde guttatim liquoris gummoſi ſeu butyri ex antimonio & mercurio ſublimato parati (de quo ſupra) *& ter rectificati vnciam vnam, & fiet maxima ebullitio. Deinde pone in alembico lutato, iuncturis bene munitis, & deſtilla, ſeruatis ignis gradibus, vt primo exeat phlegma, ex hoc fortificando ignem, dum fundus cucurbitæ candeſcat, biduo id peragitur. Refrigerato opere neglectis, quæ ſunt ſublimata, effracto vaſe terram ſiccam auream, & inſipidam collige, quæ in catillo per dimidium horæ igniatur.* Eſt polychreſton, doſiâ gr. iij. ad viij. Hydroticum & diureticum efficaciſſimum, non vero catarcticũ. Valet cum primis ad luem, peſtem, podagram, hydropem, febres, obſtructiones, dolores lienis & calculum. Vti *ſuperius* absq; *auro* ex iiſdem conficiebatur id, quod *Bezoarticum minerale* vocabatur, ita adiuncto *auro* hoc *Bezoarticum metallicum* indigitant.

Bezoartici metallici preparatio.

Vires & vſus Bezoartici metallorũ.

Bezoarticum ſolare.

Aurum vitæ, cui nomen *Bezoartici ſolaris, ſolue aurum finum in aqua philoſophica, abſtrahe menſtruum in B. ſæpius ad oleiformem in fundo cucurbitæ ſubſtãtiam, poſt ſuperfunde acetum deſtillatum radicatum, & deſtilla, idque fac, donec acetum plane in ea acrimonia prodeat, qua affuſum eſt, & à ſole omnes corroſiui ſpiritus hoc modo fuerint ablati, tandem affunde ſpiritum vini proprio ſale alkalizatum, & digere per quindenam, poſtea eundem ſpiritum vini abſtrahe, deſtillando in B. vt maneat oleum ſolis, in fundo inſtar ſanguinis rubicundum. Huius olei ℞. vnciam ſemis, adde ſolutioni butyri antimonij ℥ iiij. cum ſpiritu nitri facti & procede eodem modo porro, qui in confectione Bezoartici mineralis propoſitus eſt, deſtillando & cohobando ſæpius, donec extremo loco ipſe puluis in igne docimaſtico probatus redeat in puluerem purpureum, elegantiſſimum,* diuinarum plane virtutum in omnibus morbis deſperatis, quorum cauſa eſt occulta.

Aurum vitæ Bornetti.

℞. *Auri purgati & in tenuiſſimas bracteolas deducti cum ſextupla proportione mercurii amalgamati q. v. affunde aquæ regis tantum, vt dupla proportione ipſum amalgama ſuperet & ſoluat: ſeorſim etiam flores albi Reguli antimonii æquali pondere cum auro in aqua Regis duplo ſoluuntur, ſolutiones confunduntur, & ab iis extrahitur aqua Regis ad ignitionem vitri, maſſa in fundo relicta eximitur, teritur, puluerizatur, iterum in vitro affunditur aqua Regis, & deſtillatione auocatur, iſque labor quinquies aut ſexies repetitur, ſingulis tamẽ deſtillationibus aliquid ſublimatur, vel ad alembicum, vel ad latera vaſis, idq; abiicitur. Tandem maſſa denuo exempta teritur, trita patenti vaſi fictili vitreato imponitur ſuper prunas ardentes, vt ſpiritus aquæ Regis euaporet, & puluis puniceum colorem*

Aurũ vitæ Bornetti.

lorem contrahat, hic aqua ſtillaticia in calore lento digeratur, qua decantata eodem labore edulcationis quinquies repetito, noua itentidem affundatur. Tandem exſiccato pulueri addatur aqua roſacea, quæ etiam lento calore digeratur ſpacio trium dierum, quæ tandem etiam deſtillatione abſtrahitur, affuſaq; noua aqua iſte labor repetitur.

Virtus eius eſt in lue Venerea & viſcidis craſſisque humoribus expurgandis. Huius exhibeantur grana viij. cum aqua *theriacali* aut conſerua quapiam, debitis purgationibus præcedentibus, ad curationem luis Venereæ.

Vſus auri vitæ ad luem Veneream & arthritidem.

Cum *extracti cucumeris agreſtis* ℨ ij.
extracti. Hermodactyl. ℨ j.
& auri vitæ huius ℈ ß.
Fit mixtura, cuius ℈ ß.
exhibetur cum aquæ theriacalis ℨ ij.

quod exhibetur podagricis quater vel quinquies pro vetuſtate morbi & ægrotantis viribus vere & autumno. Nam ſine vlla perturbatione ſeroſa excrementa mirum in modum repurgat.

Ad hydropem curandum talis conficitur compoſitio aquas ducens & viſcera nutritionis roborans.

Præſtantiſſima ex auro vitæ ad hydropem alioſque affectus grauiſſimos pilulæ.

℞. *Auri vitæ* ℈ j.
extracti alhandel,
Elaterij ana ℈ iß.
eſſentiæ corallor.
ſantali citrini ana ℈ ij.
extracti Hellebor. nigr. opt. præp.
Rhab. ana ℈ j.
ſpiritus vitrioli ℈ j.
olei maſtich.
cinamo. ana ℈ ß.
excipiantur puluere cubebarum & mucagine tragacanthi. formentur pilulæ.
Doſis à ℈ ß. ad ℈ j.

Exhibeatur bis in ſeptimana, ſi vires ferant, & ſi cum diaphoreticis illud *aurum vitæ* miſceatur, ſudores dûtaxat prouocat, & multis hac ratione affectibus medetur. Cum *butyro* ſolum miſtum, cancroſa & phagædenica luis venereæ vlcera curat, quēadmodum & fiſtulas & omnes calloſitates. Ex *triapharmaco* & prædicto *auro vitæ* fit emplaſtrum, quod ſi cum tenui cereo in collum veſicę imponatur, vt decet, ipſius vlcera & carunculas ſine dolore auffert.

℞. *Reguli antimonii ſubtiliſſ. triti* ℨ j. *ſoluatur in aqua regis vitro aperto. Deinde ſolue ſeorſim in aquæ regis dragmam vnam auri, & ſeorſim mercurij* ℔ j. *poſtea ſolutiones has tres coniunge & noua aqua regis affuſa deſtilletur ſepties, & ſemper deſtillatum iterum affundatur ſuper fæces & ſeptima vice abiiciatur, vt inutile. Quod in fundo remanſit, exſiccatum in igne forti in crucibulo per tres horas agitetur ſpatha, vt vratur, donec aqua regis euanuerit, & materia rubeum colorem attraxerit. Deinde affundatur ſpiritus vini, & ſtent per tres dies, rurſus exſiccentur.* Doſis granum vnum cum *aquæ theriacalis* ℨ vj. Illud *aurum vitæ* aliqui panacææ nomine dignantur.

Aliud. ℞. *antimonij & auri ana* ℨ j. *ſoluan-*

ſoluantur ſeorſim quodlibet in aqua regis, poſtea ſolutiones confunde & ter cobobando deſtilla, & ſub finem auge ignem, vt ſpiritus ſeparentur. Deinde ſolue mercurii ℥iiß. ℥ij. in aqua forti & ter cohobando aquam deſtilla, poſtea hæc in B. in aceto digere per dies aliquot.

Auri tinctura.

Tinctura auri nobiliſſima.

℞. aurum ſexies fuſum & depuratum per antimonium, deducatur in laminas tenuiſsimas; quæ ſoluantur oleo ſalis, quod euocetur deſtillatione totiesque nouum affundatur, & pariter abſtrahatur, dum calx aurea attenuata fuerit, quæ ſiccata reuerberetur cum ſale præparato, chymico more ſublimato, calx reuerberata ſiccetur ſuper cineres, cui ſiccatæ affunde ſpiritum vini terebinthinatum ad eminentiam duorum vel trium digitorum, digerantur, donec ſpiritus tingatur, qui decantetur affuſo alio nouo, ſolutiones collige, deſtilla per retortam cum cohobiis, donec tinctura exeat, menſtruum ſepara, in balneo leni. Eſſentiam circula, cum quinta eſſentia vini ad ſummam nobilitatem.

Vſus & virtus tincturæ auri.

Huius tincturæ dragmam vnam miſce cum aquæ theriacalis optimæ ℥j. cuius doſis ℈j. mane ieiuno ſtomacho ſumptus, quod continuatur decem diebus, quo temporis ſpacio omnes totius corporis humores noxios & ſuperfluos educit.

Liquor ſolis, ſeu Aurum potabile.

Liquor ſolis, eſt *aurum* in ſuo menſtruo acri o diſſolutum, ad conſiſtentiã liquoris potabilis, vna manente aliqua menſtrui portione. Exhauſto enim penitus menſtruo ad priſtinam naturam reduci poteſt. *Præparatur itaque, ſi aurum per antimonium optime purgatum, in lamellas vel folia deductum, indatur vitro longi colli, eiq; affundatur ſpiritus ſalis acerrimus, ad ſupereminentiã quatuor digitorum digeratur calore fimi ſpacio quatuor hebdomadarum, peracta digeſtione, ſpiritus ſalis abſtrahatur, non tamen totus, ſic aurum eſt ſolutum, nec tamen ſatis attenuatum. Digeritur itaq; affuſo nouo ſalis ſpiritu per ſeptemdium, eoq; effuſo iterum nouus affundatur, quod repetatur, donec tota auri ſubſtantia ſit ita attenuata, vt menſtruo accurate permiſceatur, eiusq; gutta vna, vino infuſa, vniuerſum tingat inſtar croci, citra præcipitationem ad fundum. Demum tota menſtrui quantitas, quæ prius particulatim abſtracta eſt, reaffunditur, digeritur & lento igne prolicitur non tota, ſed relicta parte, vt prius.*

Dantur guttulæ duæ vel tres cum ſyrupo aliquo leniente, vti *violaceo roſaceo*, ad viſcerum, nutritionis & facultatis animalis imbecillitatem.

Præparationem *mercurij auri*, vti & *floris & vitrioli ſolaris*, vide apud Burnetum in *Iatrochymia*.

Ad calcem huius capitis de remediis ex luna ſeu argento præparatis aliquid adiicere operæ pretium fuerit.

Tinctura Lunæ. *Diſſolue lunam in aqua forti; & affuſione aquæ ſalſæ præcipita ad fundum, in calcem candidã, quam frequenti aquæ communis affuſione edulcabis.*

Tinctura Lunæ.

Huius calcis ☽. ℥ j.
ſalis præparati ℥ ij.
ſalis ammoniaci ℥ ij.

Hæc probe miſce in mortario vitreo & reuerbera per octiduum, ex hoc elice tincturam cum ſpiritu vini alkoliZato, vel cum armoniaco fortificato. Ablato menſtruo tinctura remanet in forma liquoris.

Hæc eadem tinctura extrahitur ex limatura lunæ, cum *ſpiritu vini*, in quo aliquid *ſalis armoniaci* fuerit ſolutum, quæ auocato menſtruo & à ſalſedine liberata, recente *alcohole vini* repetitis cohobiis in oleum elaborari poteſt.

Medicamenta ex Luna præparata cerebri morbis calidioribus conueniunt.

Omnia ex luna præparata medicamenta, ſunt aliquantulum anodyna, cerebri inflammationi, neruorū cōuulſioni (puta ex cauſa potiſſimū calida) inſaniæ, & delirio melāncholico ꝓdeſt. Dātur eius guttulæ tres vel quatuor, quinque vel ſex, in *aqua meliſſæ, betonicæ, vel ſaluiæ*. Singulariter etiam conuenit in epatis lienis & menſtruorum obſtructionibus, exhibita *cum aqua cichorei, centaurei minoris, ſcolopendriæ, artemiſiæ*. Corroborat omnia membra principalia ſpiritusque animales mirifice exſuſcitat.

Oleum Lunæ cōuenit ad maniam & affectus melancholicos.

Oleum Lunæ. ℞. *argentum, calcina per aquam fortem, calx diligenter exſiccetur in tigillo igne forti, ne tamen fundatur, ſed ſtylo ferreo, aßiduo moueatur, abluatur aqua cinamomi, exſiccetur, affundantur quatuor partes olei tartari, miſce ſuper marmore, & rurſus exſiccentur, tandem ponatur in ignem reuerberij per horas viginti quatuor, tere denuo, colloca in humido loco, vt ſoluatur in oleum: affuſione aquæ tepidæ elue vim tartari.* Hoc oleum conuenit ad maniam omnesq; affectus melancholicos, & cerebrum ipſum corroborandum. Exhibentur guttulæ duæ vel tres cum *aqua florum ſaluiæ, betonicæ, meliſſæ*.

Doſis & vſus.

Sublimatum Lunare dulce. ℞. *mercurium viuum purgatum, miſce cum vitriolo rubefacto & ſalis petræ ana* ℔ j. *halonitri* ℥ iiij. *ſublima.* ℞. *ſublimati* ℔ j. (℥ xvj.) *ſalis præparati* ℥ xij. *vitrioli* ℥ iiij. *miſce & ſublima, ſublimatum hoc ſublima tertio cum ſale & quarto per ſe.* ℞. *huius* ℥ vj. *foliorum argenti* ℥ ij. *contere vt miſceantur, ſublima ex arena in matratio, vaſe refrigerato, ſpiritus volaticos tolle. Partem cryſtallinam tritam remiſce fœ:ibus, ſublima ſecundo. Idem fac tertio*, puluis ablutus aqua roſacea purgat ſuauiter doſi à gr. vj. ad viij.

Sublimatum lunare dulce.

Doſis.

Cap. XV.

De antimonii natura & principiis de qualitatibus & vſu externo, quæ medicamenta chymice præparentur ex eodem, de epate & croco metallorum Quercetani, de vitrificatione antimonii, præparatione & recto vſu aquarum Bened:ctarum Quercetani & Rulandi, & quomodo vitrum innoxie ad vſum vocetur.

Definitio antimonii.

ANtimonium ſeu ſtibium, & ſtimmi, eſt *corpus minerale, durum, terreſtre, fragile, conſtans ex ſulphure & arſenico turbido, & hydrargyro terreſtri.*

Sulphur ei ineſt duplex, purum & impurum, quod phlogiſton, & puriſſimum,

riſſimum, quod eſt internum & rubeum, cuius merito in rubram mutatur tincturam. Crocus itaque antimonii eſt *ſulphur eius fixum*. Halitum edit fœtidum, ex ſulphure fœtido volatili, & *arſenico* turbido, eumque album, quia & ipſe maiori ex parte eſt de mercurio. Paracelſus exiſtimat, quod ſit *mercurius coagulatus*, per *ſpiritum ſalis & ſulphur*, *Mercurium* vero illum eſſe craſſæ naturæ, & hoc nomine *antimonium* omnes *mercurij* vires continere. Baſilius è plumbo maxime coagulum eſſe ſtatuit, eiusque fœtum immaturum, haut ſatis embryonatum, propter *ſulphuris* ſui copiam iuſto citius excluſum & extruſum. Regulum vero eſſe *plumbum antimonii*. Hæc à Paracelſi opinione non abludunt, quia *plumbum mercurio* crudo maxime conſtat.

Crocus antimonii eſt ſulphur eius fixum.

Antimonii qualitates externæ.

Quoad externas qualitates *antimonium* eſt ſiccum & frigidum in gradu tertio, vim habet ſtipandi, adſtringendi, refrigerandi, excreſcentias carnis cohibendi; vlcera ad cicatricem perducit. Sordes & oculorum vlcera purgat, mariſcis vtiliter inſpergitur, putridam vlcerum carnẽ conſumit, vnde ſteatomati auxilio eſt. Externo illitu ex ſucco quopiam manantem, narium ſanguinem ſiſtit; lippientes & tumentes oculos cum *myrobalano citrino* & *tutia* pari pondere ex *aqua roſacea* ſanat. Vlcera purgat & replet.

Antimonii crudi vſus externus.

Antimonium eſt examen auri.

Eſt autem auri examen vexamen & ſupplicium. Vnde Paracelſus infert, quod quemadmodum aurum ita etiam humanum corpus purgat: Cõtinet enim in ſe eſſentiam talem, quæ nihil impuri relinquit in puro. *In magnæ chirurg. lib. 2. tract. 3. c. 5.* ſcribit prædeſtinationem *antimonii* eſſe, ſolum *aurum & hominem* ad ſummum vſque puritatis gradum euehere, reliqua omnia abſumere inſtar ignis, & catarcticum eſſe ſine excrementorum eiectione.

Quæ medicamenta chymice præparentur ex antimonio.

Ex *antimonio*, quæ potiſſimũ præparantur ſimplicia, ſunt *vitrum, reguli, flores, tinctura, oleum, ſal & ſulphur*, idq; per calcinationem, ſublimationem, deſtillationem, præcipitationem, infuſionem, coctionem & extractionem. Baſilius nominat calcinationẽ, digeſtionem inſeruientem extractioni, coagulationem, deſtillationem, fixationem.

Per calcinationem fiunt *reguli, flores, crocus & epar*, pulueres purgantes, & diaphoretici. Etiamſi vero plures ſint *antimonium* rectificandi & innocentius reddendi rationes, tamen nihil æque à malignitate illum liberat, quam exquiſita calcinatio, & illa præſertim, quæ fit cum *nitro*. Hac enim omnes arſenicales, mercuriales, & ſulphuris volatilis prauitates in fumos abeunt, & remanente fixo *ſulphuris* corpore, quod & per *nitrum* ſi vna deflagrarit, correctum eſt, & ab eodem diaphoreticam quandam vim contraxit.

Antimonii optima correctio in calcinatione cum nitro cõſiſtit.

Vitrificatio antimonii.

Per calcinationem primo fit *vitrum antimonii*. ♃. *antimonii q. v. tunde, & in*

tenuiſsi-

tenuiſſimum puluerem ſuper marmore tere; calcina in patina ferrea, ſtylo ferreo, continuo agitando, duret calcinatio & agitatio dum effumet puluis, interea ſi conglobetur, denuo tere & vre, idq; ſi opus ſit, repete, dum in calcem puluerеam ſit redactum, quæ non amplius fumet ſuper igne. Hunc puluerem immitte in crucibulum, & impone igni fuſorio vt colliqueſcat in limpidam, inſtar aquæ, materiam, immiſſo & retracto ſtylo ferreo frigido proba, an materia ſit translucens & vitrea, quod à vulcano niſi talis ſit, diuturniore conſequitur. Dein funde in peluim non frigidam, ne circumſiliat, ſed calefactam, & habes vitrum antimonii purum & ſyncerum ſine additione paratum. Cum additione boracis funditur rubeum & album. Si enim duas partes boracis ad vnam antimonii receperis, vnaque miſcueris, & in pollinem triueris, immiſſaque crucibulo in igne fuſorio colliquaueris, fuderiſque in peluim æneã calefactam, habebis vitrum antimonij rubrum. Si quatuor partes boracis acceperis, & vnam antimonij ſimiliterque proceſſeris, conſequeris ex liquore flauo demum album, quem pariter funde, vt fiat vitrum album.

Vitrum antimonii adhuc maligna & venenatæ qualitatis particeps eſt.

Nota vero omne antimonii vitrum peſſimam adhuc poſsidere malignitatem, & venenoſam qualitatem. Sunt, qui ex rubicundo vitro tincturã rubeã affuſo ſpiritu vini extrahere annitãtur. Alii ſoluunt in ſpiritu ſulphuris acido, eoque omnem auerruncari & edomari malignitatem arbitrantur.

Vulgo antimonii vitrificati grana ſex infundunt in vino per noctem, colaturam mane exhibent, quod per aluum & ſuperiora purgat, propter mercuriales vitro adhuc inhærentes ſpiritus.

Epar antimonii.

Secundo paratur per calcinationẽ epar antimonii. ℞. Antimonij crudi ℔ j. ſalis petræ totidem, optime trita miſce, & impone mortario ferreo ad latus poſito, dein adhibito ſaltem carbone viuo, vel quod commodius ſpatula ferrea ignita circumagendo, ſemel accende, & ſubito fiet epar antimonii: ſalpetræ poſtea ſepara. Doſis à granis duodecim ad viginti in infuſione vini albi, aquæ carduibenedicti vel alio conuenienti liquore.

Crocus metallorum Quercetani eſt Epar antimonii.

Illud epar Quercetanus crocum metallorum vocat, cum à colore croceo, tum quod antimonium ipſi radix & ens metallorum cenſeatur. Ex hoc facit aquam ſuam benedictam tali proceſſu.

℞. croci metallor. ℥ j.
aquæ carduibenedicti ℔ j. vel iij.
aquæ cinamomi ℥ ß.

Aqua benedicta Quercetani vomitiua & ſeceſſum mouens.

macera per biduum vel triduum, dein trãſcola & vſui reſerua, cuius ℥ iß. blande prouocat vomitum, & quatuor vel quinque ſedes, euacuando per ſuperiora, vel inferiora ſimul vſurpatur, inquit, rite ad omnes febres, etiam peſtiferas & pleuritides, (vide periculoſam ineptiam) alioſque deploratiſſimos ex altis radicibus dependentes affectus.

Atqui hanc non eſſe legitimam croci metallorum præparationem, aliaque Rulandum eſſe vſum, quidam contendunt. Eſt autem talis.

℞. epatis antimonii vti ſupra dictum præparati q. ſ. id pulueriſatum bulliat in aqua feruenti per horam vnam vel alte-

ram, & feces ad fundum præcipitabuntur, aqua vero colorabitur inſtar croci, quæ à fœcibus, dum adhuc calet, decantata & per chartam emporeticam tranſmiſſa relinquatur per noctem, donec rubedo probe ſubſidat, quæ remotis aquis ſale petræ fixo adhuc imprægnatis ac propterea per euaporationem in ſartagine reducendis, ſemel atq; iterum edulcata aqua communi, ac poſtea exſiccata, exhibet verum crocum metallorum Rulandi, cuius grana vj. aut xij. macerentur vel etiam bulliant in *aqua*, vel *vino*, vel *cereuiſia*, *hydromelite*, vel alio liquore ipſi morbo conueniente, cuius colatura ab ℥ß. ad ℥ij. bibatur.

Aqua benedicta Rulandi.

Et hæc eſt *aqua Benedicta Rulandi* in vniuerſa medendi ratione mirificis virtutibus prædita & prædicata, videlicet in dolore capitis, epilepſia, melancholia hypochondriaca, ventriculi affectibus, pleuritide ſpuria & vera, aſthmate, orthopnæa, peripneumonia, angina, febribus omnibus & præſertim cottidiana, in peſtis initio, vbi vomendũ fuerit. Inſignis eius eſt in clyſteribus vſus, ſi media vel integra dragma maceretur vel bulliat, vel aqua clyſteris decocto miſcenda.

Aquæ benedictæ Rulandi virtutes.

Capiti exterius applicatur in mania, phrenitide, melancholia, vbi moto prius ſomno aluum laxat, fit & aqua ophthalmica ex *croco*, quæ oculis applicata etiam ſæpe mouet ſeceſſum.

Sed & alio modo aquam benedictam Rulandinam ex *antimonio calcinato* fieri aſſerunt. ℞. *antimonii electi, ſalis communis, ſalis nitri ana p. æ. tere minutiſſime & miſce, poſtea in catino probe lutato, ita tamen vt operculum in medio perforatum maneat, commiſſuris antea rite exſiccatis expone igne venti, vt ſimul bene fluant, qui fluxus permittendus eſt, dũ ex operculi relicto foramine fumus eleuatur. Hoc enim perdurante pergendum dum fumus ceſſet, quo diſparente vrgendum igne valentiore ad horæ quadrantem, vaſe deinexempto & frigefacto inuenitur antimonium in fundo, inſtar reguli à ſupereminentibus ſalibus ſequeſtratum. Hunc regulum remotis ſalibus in puluerem rubicundum tere, eiusq;* ʒj. *in vini generoſi* ℔ iiij. *& aquæ ſerpilli ana vaſe bene obturato loco calido, donec vinum ſub aureo colore tinctum fuerit, pone; & ſic fit aqua benedicta.*

Alia ratio conficiendi aquam benedictam Rulandi.

Eundem puluerem ſine vllo ſui ponderis diſpendio in infinitum ſic infundere, & eiuſdem virtutis aquam præparare potes. Doſis eius aquæ eſt à ʒj. ad ℥ij. in vehiculis adpropriatis. Vtilitas eadem, quæ aquæ Benedictæ *ſuperius* deſcriptæ, hunc puluerem ſi velis per vomitum ſimul & aluum mouere *affunde vinum*, ſi vero per aluum duntaxat, affunde *maluaticum*. Doſin in ſubſtantia ſtatuunt à granis xij. ad grana xx. cum *ſale torrefacto* præparatum maiore pondere exhibetur, vti ex ſequenti conſtat.

℞. *Antimonii electi, quod fuſum ſtrias habet longiores & ſplendidiores, ſalis decrepitati ana lib. j. Trita & ſimul miſta reuerbera igne rotæ in crucibulo probe lutato, ſuperne rite clauſo, per duodecim ho-*

ras ignem paulatim augendo, vaſe refrigerato, ablue toties aqua dulci dum omnis acrimonia tollatur. Poſtea exſicca & cum ſale decrepitato aliquamdiu ſuper marmore tere. Tandem ſalem per aquam dulcem remoue & puluerem ſæpius eluendo edulca. Dein ſiccatum ad vſum ſerua, cuius doſis à ℈ ß. ad ℈ j.

Antimonii vitrificati præparati, vtilis & innoxia vſurpatio. Nec minus ex *vitro antimonij* catarcticum lene, ſine omni nauſea & noxa, ſine vomitu aluum tantum ſoluens & ad multos morbos vtile præparatur.

℞. *Vitri antimonii q. v. pulueriſa, & in matracio affunde oleum ſeu ſpiritum vitrioli non rectificatum (quod bene notandum) vt ſuperemineat duobus digitis, relinque in calore moderato aliquamdiu, & oleum redditur nigro puniceum* eius guttæ quatuor vel quinque vel ſex conuenienti aliquo liquore rite exhibentur.

Cap. XVI.

De regulis antimonii communibus & ſtellatis: & ſtella ſignata F. Baſilij. De croco antimonii inaurato diaphoretico, è ſcoria Reguli martis ſtellati confecto. De floribus è regulo.

PEruenimus ad regulos per calcinationem etiam fabricandos.

De regulis antimonii. Regulus eſt communis, vel martis ſtellatus. Communis ſic præparatur. ℞. *Antimonii, ſalis petræ, tartari ana ℔ j. tere, miſce, deinde colloca crucibulum inter brunas accenſas vt candeat, tunc iniice cochlear puluerum, & detonabit. Ceſſante fumo nouos iniice pulueres, & claude, idque ad finem continua. Tandem da ignem fuſionis & crucibulum moue, vt regulus fundum petat. Crucibulo frigefacto, regulum à fæcibus ſepara & ſerua.* *Regulus communis.*

Aut ℞. *Nitri & tartari quantitatem prædictam, detonent prius, tum puluerem miſce cum antimonio tenuiter trito, & in crucibulo per ſe, fiat regulus. Faeces & recrementa ſeu ſcorias regulo adhærentes diligenter collige & ſerua,* de quibus in præparatione reguli martis ſtellati proxime agemus.

Regulus martis ſtellatus.

℞. *Laminas martis aut clauorum ferreorum minorum ℥ viij. pone in crucibulo ad follem igniarium, marte candefacto adde antimonii ℥ xvj. fluant calore intenſiſſimo, poſtea iniicias ſalis petræ defæcati ℥ iiij. perſeueret calor, donec materia vniuerſa inſtar olei fluat, & tunc habebis pyramidalem ſcyphum interius cera perunctum, bene incaleſcentem. Sic materia ad follem fluens effundatur, quam refrigeratam capies ſcoriasque ſuperiores decuties & habebis regulum, quem poſtea conteres cum ℥ iij. recentis antimonii & in nouo crucibulo ponas, & ſalis petræ vt prius feciſti ℥ iij. adijcias, dum omnia liquide viciſſim fluant, in ſcyphum dictum effundas, ſcorias luteas colligas. Repete hanc operationem toties, donec regulus in ſcorias conſumptus ſit.* *Regulus martis ſtellatus.*

Ex his manifeſto liquet, regulum hunc propter ſcorias & recrementa fieri, quæ materia etſi recrementorũ facie & nomine veniat, tamen appa-

ret.

ret, maiorem earum eſſe dignitatem. Præparatur enim ex eis *oleum*, *& ſal*, quod nonnulli dignantur nomine diaphoretici aurati, & maxime virtutis prædicant: cuius talis eſt confectio.

Crocus antimonii auratus diaphoreticus è ſcoriis reguli martis ſtellati.

℞. *Fæces reguli, vel regulum in ſcorias redactum eas reduc in lixiuium, per digeſtionem vel ebullitionem*, (in hoc argentum auri colore tingitur) *illudque calide per chartam emporeticam traijce. Huic lixiuio frigefacto adde aceti deſtillati quidquam, & videbis crocum auratum paulatim fundum petere; ſepara lixiuium per inclinationem, & prædictum crocum multis ablutionibus edulcatum ſiccatumque collige*, qui erit admirabile ſudorificum, ſanguinis mundificatiuum, multis morbis, præſertim epidemicis aptiſſimum. Quidam ex hoc *croco* per *acetum* extrahunt tincturam, alii in liquorem reſoluunt; alii circulant cum *vini alcohole*.

Alia præparatio Reguli martis ſtellati.

Recta & probatiſſima reguli martis ſtellati præparatio.

℞. *Duas partes antimonij, liqueſiant vt plane igniantur, adde vnam partem martis ſeu laminati ſeu clauorum ferreorum, eamque in liquefactum immitte antimonium, ſic ſulphur antimonij ſoluit ferrum, funde in crucibulum vt refrigeſcat. Cum refrixit, ſepara regulum & concute vt ſcoria decidat, quam in vſus paulo ante deſignatos aſſerua.* ℞. *Partem vnam huius reguli & duas partes antimonii crudi, liqueſiant iterum & fundantur.* ℞. *Huius iterum vnam partem & duas antimonii, idque tertium reitera. Tandem huius antimonij & nitri æquale pondus miſce & pedetentim ſpatula immitte in crucibulum inter prunas*, poſtea *adhibe ignem fuſionis, demum refrigeſcat, decutiantur ſcoriæ aſſeruandæ, & abſtergatur ſetis, ſic apparebit ſtella ſignata Fratris Baſilii.* Verum Baſilius *duabus partibus antimonij & vni, ferri addit tartari vſti partem* & *fundit in crucibulum, ſcoria decuſſa regulum terit & addit tartari calcinati triplum, iterumque liquat & fundit, idq́, tertium repetit, & exoritur ſtella.*

Stella ſignata Fratris Baſilii.

Ex regulo primo tenuiter trito & in ollam ſublimatoriam, cui capitellum humile vicinumque ſit impoſitum, ſublimantur magno conatu flores optimi, quos collige, inferioribus ſubſidentiis, quæ vomitum mouent reiectis.

Flores ex regulo.

Cap. XVII.

De pulueribus antimonii diaphoreticis & ſecreto quodam hydrotico eorumq́, ad varios morbos vſu præſtantiſſimo.

Ex eorum medicamentorum numero, quæ potiſſimum per calcinationem parantur, ſuperſunt pulueres *antimonii diaphoretici.*

℞. *antimonij ſalis petræ, ana* ℔ j. *pulueriſata ſimul miſce, ſunt* qui iubeant *antimonium in tenuiſſimum pollinem redigere, & eidem nitrum vel nullo vel ſaltem craſſiore modo tritum miſcere. Deinde*

Pulueres antimonii diaphoretici.

pone crucibulum maius inter accenſas prunas vt candeat, tum iniice ℥ ij. aut circiter huius mixtionis, & ſtatim crucibulum operi dum fumus & ſtrepitus ceſſet. Poſtea remoto operculo nouos pulueres iniice & claude, ita ad finem continuando. Tandem da ignem liquefactionis ad horæ quadrantem (alii ad integram horam iubent protrahere calcinationem) *dum omnis fumus diſparuerit, crucibulum in aqua refrigera.*

Puluis Beguini.

Beguinus hanc materiam tritam & aqua calida lotam edulcatamque iubet reuerberare in vaſe terreo clauſo ſpatio viginti quatuor horarum, donec puluis fiat candidus, cuius à granis xv. ad ℈ ij. Turquetus & alii eandem materiam in puluerem redigunt & æquale *nitri* pondus denuo miſcent, ſimili, quo *ante*, proceſſu calcinant, totiusq; abſoluta calcinatione, relinquunt in igne per horam integram, poſtea in aqua exſtinguunt.

Puluis antimonii diaphoreticum theriacale, dictus. *Vſus diaphoretici pulueris ex antimonio.*

Huius pulueris albicantis ℥ ß. vel ℥j. cum aqua diuretica aut cordiali exhibent. Illud vocant aliqui *Diaphoreticum theriacale*. Conuenit in hypochondriaca affectione, hydrope, epilepſia, vteri ſuffocatione, in lue venerea recenti, variolas expellit, interna apoſtemata rumpit.

Aliud, quod à chymico quodam exercitatiſſimo magni ſecreti loco mihi communicatum eſt.

Secretum ex antimonio & expertum hydroticum ad multos affectus vtile.

℞. antimonii crudi partem vnam & octo partes nitri, trita accurate miſce, & portionem aliam poſt aliam pedetentim immitte in crucibulum inter candentes prunas poſitum, donec omnia colliqueſcant, nitrumq; in ſuperiore parte inſtar aquæ fluat, effunde in aquam calidam, admodum cauendo à violenta eruptione materiæ, (quæ & veſtimenta perrumpat) & ne in fumum penitus ſoluatur, & auolet, in aquæ fundo inuenies verum antimonium diaphoreticum per nitrum extractum, cuius grana vj. vel vij. ſudores mouent.

Huic illud affine videtur. *℞. ſpiritum ſalis nitri, ſolue in eo ſal gemmæ & deſtilla* hoc eſt, *rectifica ſuper ſal gemmæ, huic liquori impone mineram antimonij pulueriſatam & diſſoluetur in tria ſua principia. In fundum cadit puluis albus inſtar ſalis, quod eaſdem* habet virtutes, quas *antimonium fixum cum nitro*, eſtq; ſudoriferum, *ſulphur* ſupernatat, in aqua deliteſcit *mercurius*.

Cap. XVIII.

De floribus antimonii. Hi fiunt per ſublimationem, vel aliis rationibus. Illi ex ſolo antimonio per ſe, vel aliis miſto, eleuantur, & omnes malignitatis ſunt participes, cæteri correctiores videntur, oleum quoddam ad cancrum & deplorata vlcera præſtantiſſimum proponitur.

Vidimus potiora, quæ calcinationis opera ex *antimonio* præparantur remedia, tempeſtiuum eſt, vt quo proceſſu, quibusq; modis *flores* com-

comparentur diſpiciamus. Etſi autem *flores* ſint tenuiores & ſubtiliores corporis partes, à craſſiori per ſublimationē ſeparatæ, tamen plures ſunt modi ex *antimonio* ſynceriorem ſubſtantiam ſeparandi, *floreſque* præparandi.

In modo præparationis *florum* per ſublimationem non conueniunt.

De modo ſublimandi flores ex antimonio.

Vulgo ſublimatorio vtuntur terreo quod ad alembicum vſque arenæ imponunt, aut mutuas componunt ollas, vel pluribus ollis mediantibus artificioſe ſibi incumbentibus vtuntur, alii alembicis cæcis quinque vel ſex ſeſe mutuo, parte, qua perforati ſunt, excipientibus, cum applicatione cucurbitæ regalis, inferius ſuppoſita cucurbita prope fundum tubulata, qua in furnum collocata & ignita per canalem ſeu tubulum iniiciuntur *antimonii* portiones, ex cochleari vel ſpatha, aliæ poſt alias, quæ ſtatim liqueſcunt & vi ignis flores ſurſum exhalant. Interim ſtylo ferreo incuruato iniectum *antimonium* mouent, ſic ad diſtantiſſimum alembicum *flores* eleuantur albi, cum aliqua parte phlegmatis, quod in cucurbitam annexam diffluit & colligitur. Horum *florum* correctionem per *ſalem tartari ſpiritu aceti* impraegnatum, & adiunctam aromatum tincturam vide apud Crollium. Alii ex humili cucurbita, alembico cæco in vertice peruio vt humidi ſpiritus exhalare poſſint, impoſito, vel duabus ollis ſibi mutuo applicatis ex arena ſublimationem perficiunt.

Flores ex ſolo ſimpliciter antimonio ſublimandi.

Recipiunt vero *antimonium crudum, vel regulum, gradatim ignem admouendo ea moderatione ne fluat materia igne fortiore, ſic enim non eleuantur flores, vel ne debiliore calore intepeſcat eleuatio.*

Beguinus putat, dato per gradus igne ad decem vel duodecim horas, aſcendere *flores* albos: continuato eodem horis viginti, excipi citrinos, triginta vero ſex horarum ſpacio continuato & aucto rubeos emergere. Verum Glückradius ait, *ignis gradus hanc florum varietatem præſtare non poſſe.* De modis exaltandi *flores* vide Libauium. Alii non ſimpliciter, ſed cum additamento, ex *antimonio flores* ſublimant, hoc modo.

℞. *Reguli optimi, qui vltimo ſit ſale communi f. ſili & ſale petræ fuſus q. v. tere in pollinem, admiſce ſal ammoniacum, ſublima ter vel quater, & aſcendent flores rubicundiſsimi, qui aqua dulci abluantur, de his viciſsim deſtilletur alcohol vini.* Doſis à gr. j. ad gr. iij.

Vel ℞. *Antimonij, ſalis ammoniaci ana* ℔ iij. *ſalis communis* ℔ j. *miſta ſublimentur è terreo ſublimatorio, vti flores ſulphuris, & accipies flores rubicundos, quos materiæ in fundo relicta remiſce, & adde ſalis ammoniaci* ℥ iiij. *denuoque ſublima & habebis flores flauos, quos per ſe denuo ſublima. Hos viciſsim cum materia in fundo reſtitante miſce*

ſce, & ſublima, idque decies, totieſque repete, donec nihil amplius ſublimetur, ſic flores rubei redduntur fixi. Hos nonnulli ſpacio quatuordecim dierum per deliquium in oleum ſoluunt, quod aqua deſtillatum quinquies eluunt. Hoc Paracelſus *Balſamum dulce* vocat ad compeſcendas fiſtulas. Alii vt florum malignitatem vimque ciendi vomitum corrigant & fixiores reddant, ſpiritu vitrioli imbibunt.

Omnes antimonii flores per ſublimationem facti ſunt naturæ malignæ.

Hic accurate notandum, *omnes flores antimonii, qui per eleuationem & ſublimationem vel deſtillationem, ex retorta præparantur, venenatæ & malignæ eſſe qualitatis, naturæq; noſtræ admodum perniciosas.* Conſtant enim volatili *arſenico* & *mercurio ſulphureque* impuro & combuſtibili. *Albi* plus *arſenici* & *mercurij* habent, *citrini* vero & *rubei* vero *ſulphure* colorati ſunt. Fixa interim & melior ſubſtantia *antimonii*, in fundo reſtitat, ſublimatis floribus, hoc eſt, parte pernicioſiore in tenuiore eius volaticaq; ſubſtantia hærente, per eleuationem ſegregata. Quia vero nulla ratione *antimonium* magis, q̃ forti calcinatione, vel ſola, vel cũ *nitro*, quod oẽs ei⁹ impuritates arſenicales & mercuriales ſecũ auffert vna cũ impuro cõbuſtibiliq; ſulphure emendatur, ſequitur, quod ſublimati flores ſunt id, quod exuritur in *antimonio*, & à quo tanquam peculiari proprioque veneno per calcinationem liberatur. Ad hos autem *flores*, pertinent & illi, qui per retortam vrgentur. Vidi enim quendam, qui ex ſolo *antimonio* abſq; vllo additamento tentabat *oleum* educere, & reſignatis vaſis *flores* candidos pelluciдoſque inueniebat.

Flores magis correcti.

Flores benigniores & magis correcti, per ſublimationẽ facti ℞. *ſtibii Vngarici, ſalis petræ, ſalis tartari ana p. æ. accendantur in catino fictili & calcinentur. Dein eluatur reſiduum poſtquam eſt in puluerem redactum. Poſtea fundatur & liquetur. Iterum pulueriſetur & in breuiuſculo ſublimatorio eleuentur flores, qui ſunt puriores & minus venenati, quandoquidem arſenicale virus cum halinitro exſpirauit.*

Præparantur etiam flores *antimonij* ſequenti ritu. ℞. *Oleum ſalis gemmæ, in eo ſoluatur antimonii tanta, quantam recipere queat portio, poſtea deſtilletur per retortam, iuxta gradus & manabit oleum in magna copia, quod per cineres rectificabis, ſic videbis aſcendere oleum rubicundum ad citrinum vergens, quod eſt verum antimonii oleum. Funde deſuper aquam mundam, & flores, mox imum petent: illa remota aliam ſuperfunde, idque tam diu, donec nulla amplius in oleo antimonij ſentiatur acrimonia.* Doſis à grano j. ad ij. vel tria in febre & hydrope. Clariſſ. Bornetus comparat *flores per calcinationem, antimonij & nitri partibus æqualiter miſtis, qua per horas quatuor continuata exẽptam maſſam terit, aqua communi ſal eluit, exſiccataque denuo par pondus nitri miſcet, calcinat, eluit vt prius, qui labor tertium repetitur.* Hanc materiam nominat *flores fixos*, quos dein reuerberare iubet vt fiant citrini. Hi flores potenter ſudorem mouẽt à ℈ j. ad ʒß.

Flores Bornetti per calcinationem præparati.

exhi-

exhibiti cum *aqua carduibenedicti*, optimum ad febres intermittentes, præmiſſis generalibus purgantibus, remedium. Verum non videntur veri flores, ſed abuſiue ſic vocari, nihil enim vel parum à puluere antimonii diaphoretico paulo ante deſcripto differunt.

Idem auctoralium habet *flores rubros* faciendi modum.

Flores antimonei rubei ſalubriores.

℞. *Antimonii partes quatuor, tartari partes tres, trita ſubtiliſſime indantur tigillo fuſorio probe obturato & relicto foramine, vt ſpiritus tartarei euolare poſſint, fiat ignis circularis primo pedali latitudine à tigillo diſtans, poſt horam augeatur, & propius tigillo admoueatur & ſpacio duarum horarum fortiſſimo igne reuerberentur, quibus elapſis tigillum candens in magnum lebetem aqua communi ſtillaticia plenum effundatur. Coquatur ſpacio dimidiæ horæ, ſinito ſubſidere fæces; tandem aqua, cum rubedine ſtibii in magnum lebetem aqua communi ſtillaticia plenum effundatur, coquatur ſpacio dimidiæ horæ, ſinito ſubſidere fæces, tandē aqua cū rubedine ſtibii, effunditur in vas aliud amplum, mundum, vitreum, fæces in priore lebete relictæ abiiciantur, moxque aceti ſtillaticÿ parū affundatur, vt ſalis acrimonia à ſtibÿ rubedine ſeiungatur, ipſaque ad fundum reſideat, aqua cum ſale per filtrum abſtrahitur, cum pene tota exhauſta fuerit, reliquum euaporare ſinito igne lentiſſimo, ne rubedo aduratur, & liuedinem contrahat.* Huius grana tria vel quatuor dantur in *aqua meliſſæ, chelidoniæ* aut *vino generoſo* ad luē veneream, & omnia hinc orta vitia.

Vſus & doſis florū rubeorum.

Oleum antimonei ex floribus contra cancrum, & vlcera deplorata.

Ex *his floribus cum æquali pondere ſalis gemmæ, igne per gradus dato, & biduo continuato, deſtillatur oleum rubicundiſſimum*, quod à phlegmate ſeparatum, incomparabile eſt remedium ad omnia deplorata vulnera & vlcera præſertim ad cancrum. Flores etiam præparantur in globo phyſico, vel ouo philoſophico, per eleuationem ad ſuperficiem. *Antimonium aceto lotum vel regulum include ouo figulino compactili, vt vix tertia pars repleatur, iuncturis fortiter obſtructis totum include, & prunis impoſitum per gradus ignis flores extrahantur. Hi ouo recluſo inſiſtent pulueris ſuperficiei, aufferuntur penna & eluuntur, vt decet.* Plerumq; punicei ſunt albis miſti.

Flores in ouo philoſophico facti.

Alius florum conficiendorum modus.

℞. *Stibii electi* ℔ ij. *ſalis præparati* ℔ i. *pulueriſata miſceantur, & in vaſe terreo lato, plani fundi, ſuper fornacem reuerberii, agitentur ſpatula ferrea, continue mouendo, ſpatio quinq; vel ſex horarum vel diutius* (quia in illo temporis ſpatio non abſoluitur) *donec fumus ceſſet, & ſtibium fiat album & ſubflauum, cauendo diligenter à liquefactione & fumo. In puluerem trita materia, affuſione aquæ calidæ & ſæpius frigidæ, ſal eluitur, quod exſiccatur & pulueriſatur.*

Alii *ſine ſalis additione rectius calcinari putant ſuper tegulam, ſubiecto igne lento, nec fuſorio, continuo agitando bacillo ferreo, donec extracto fumo in cineres albicantes vertatur. Hæc materia ſublimetur per ſe in aludele, per decem duodecim vel plures horas, igne nec nimis intenſo, nec nimis remiſſo, caput mortuum tere, & menſis*

ſis

ſis ph loſophici ſeu quadraginta dierum ſpacio, reuerbera vaſe occluſo.

Ex hac rubea terra Beguinus, verum ex illis rubeis *floribus*, Glückradius affuſo *aceto* radicato tincturam extrahunt.

Cap. XIX.

De tinctura antimonii: quomodo præparatum eſſe debeat vt philoſophice & recte extrahatur, quodnam idoneum ſit menſtruum, de variis extrahendi modis iuxta Paracelſum, Bornettum, Rogerium, Quercetanum, Beguinum, Glückradium aliosque, quæ tinctura maxime innoxia & omnium ſaluberrima, & ad deploratos contumaciſſimosque morbos vtiliſſima.

HActenus de crocis, regulis, pulueribus laxantibus, & diaphoreticis, & floribus cuiuſcunque generis, ſupereſt, vt de tincturis agamus, vbi notandum, chymicos ſæpe generali tincturæ vocabulo *oleum antimonij*, & etiam *ſulphur* intelligere.

Materia tincturæ Antimonii

Materia tincturæ ſunt *flores rubei, calx ſtibij in ruborem reuerberata*, aut *vitrum rubeum.*

Menſtruum extrahens eſt *acetum deſtillatum, ſpiritus vini*, & *lixiuium tartari vel calcis*. Hoc pro *vitro* potius, illa *floribus* & *ſtibio* in ruborem calcinato inſeruiunt.

Quomodo præparatū debeat eſſe antimoniū ex quo tinctura eliciatur.

An vero ex proxime & vltimo deſcriptis floribus rubris in vaſculo vitreo, terreo, rotundo, firmo, colli longioris, beneficio graduum ignis tam diu fixatis, dum facti ſint rubicundiſſimi, iuxta Glückradium; vel num ex illa terra relicta, ex qua flores illi erant eleuati, ad rubedinem quadraginta dierum ſpacio reuerberata, ſecundum Beguinum tinctura ſit elicienda, dubitatur.

Glückradius nobiliorem partem putat eſſe flores, alterterram fixam, omnis iam malignæ qualitatis expertem, cuius adhuc reliquię in floribus inſint. Hæc lis ſic dirimenda videtur, vt capiat flores, qui velit tincturam conficere purgantem, terram vero rubram, qui ſudorificam virtutem quærat.

Proceſſus ex vtroque conficiendi talis eſt.

℞. *Flores rubeos vt ſupra præparatos & correctos, affunde acetum radicatum ſeu deſtillatum vt octo digitos ſupereemineat, atque ita cum tempore color rubeus extrahatur, toties reiteratis aceti affuſionibus, donec omnis color fuerit extractus: deinde vniuerſum acetum coloratum, in arena vel cineribus extrahatur à tinctura, quæ aqua communi ſtillatitia edulcata, alcohole vini coniuncto digeritur, vaſe clauſo per dies quadraginta, demum lenta admodum deſtillatione ſpiritus abſtrahitur, tinctura antimonii pretioſiſſima in forma olei reſtante*, cuius doſis à guttis tribus ad quinque vel octo.

Hoc medicamentum fertur renouare

Tinctura antimonii virtus incomparabilis ad morbos complures. uare & reſtaurare totum corpus, in vino exhibitum omnes vitioſos humores è corpore expellere, & quidé ſine euacuatione manifeſta, ſola prauorum humorum correctione, ſuccedente paulatim ſudore ſpontaneo, primum quidem fœtido, ſed deinde naturali, epatis obſtructionibus opitulatur, hydropem tollit & diſſipat, icteritiam curat, lienem rectificat, ſcorbuto medetur, matricis dolores ſedat, menſes mouet, calculos abigit, aliaque infinita præſtat ſubſidia, imo ad lepram & morpheam nullum efficacius præſtantiuſq; remedium experiri licuit.

Tinctura ſequens Duncani Bornetti, quo ad præparationem, & vires, iſti pene ſimilis eſt.

Tinctura Bornetti. *Flores albi per ſublimationem, ex regulo, induntur vitro oblongo, quod Hermetice clauditur, & reuerberatur, dando ignem per gradus, donec fiant rubicundiſsimi; quibus affunditur acetum deſtillatum ad ſupereminentiam octo digitorum, vt acetum ruborem extrahat, quod decantatur & affunditur nouum, toties repetito hoc labore, dum omnis tinctura ſit educta, ea dulcata aqua communi, digeritur per quadraginta dies vaſe optime clauſo tandemq́; lenta deſtillatione extrahitur à tinctura ad olei formam.* Illud remedium pariter ad omnia, quibus proxime præcedens tinctura æque prodeſt & commendatur, videlicet quod totum corpus renouet, arcanum ſit ad lepram, & morpheam, bilem vtramq; è corpore repellat, caput & cerebrum expurget, cum *extracto hellebori nigri*, conuulſioni medeatur, & ſummum ſit præſidium in morbis deploratiſſimis.

Tinctura antimonii Paracelſi à myſtis Hermeticis declarata.

℞. antimonii & ſalis armoniaci partes æquales, pone in retorta, & vrge igne forti, ſic exibit omne antimonium relictis in retorta turbulentis duntaxat fœcibus. Antimonium illud per retortam diſſolutum, à ſale armeniaco frequenti lotione ſepara, donec nulla amplius ſalſedine infectum relinquatur. Hoc exſiccatum minutiſſime tere, & in alcohol conuerſum reuerberatorio impone & accenſa flammarum igne, vnum duntaxat fumarium aperi quouſq́; ignis auctior albedinem ipſi exuat, & flauedine decoret. Amplius apparente flauedine, tertio fumario aperto ad citrinum colorem illud promoue, & quarto ad perfectam rubedinem perducito. Huic antimonio rubeo, ſpiritum vini, ex vino factum rectificatumque affunde, & eſſentiam tincturamque, clauſo vaſe, extrahe. Quando ſpiritus vini amplius non tingitur colore rubeo, eundem à tinctura abſtrahe. Hanc veram eſſe Paracelſi tincturam aſſerit Libauius in *Apocalypſi Hermetica* & alii non infimæ claſſis chymiatri. *Tinctura Paracelſi.*

Alia ex floribus tinctura.

℞. antimonium ex minera auri collectum, immitte in retortam, prius tamen aceto maceratum & reſiccatum, accommoda ei tria receptacula, deſtilla per gradus ignis, fortiterq́; pelle, & in primo conſiſtent

flores rubri, in ſecundo citrini & in tertio albi, citrinos & albos potes reuerberare, vt & ipſi rubeſcant. Deinde miſce cum croco martis ex ſcoriis extracto & ſublima ſemel atq; iterum, repone, cape ſalis tartari & communis ana ℥ iiij. ſpiritus vini ſeptena ſublimatione rectificati ℔ ij. digere, deſtilla, organis bene concluſis, ne penetrent ſpiritus. In fine da ignem gradus tertij. vt ſpiritus tartari ſublimetur, ſale in fundo ſubſiſtente: hunc extractum in aliam cucurbitam infer, & eodem ſpiritu perfunde, macera, deſtilla. Repete hoc quarta vice & vide, vt receptaculum ſit amplum. Ita paraſti ſpiritum vini alkolizatum. *Cape florum antimonii rubeorum partem vnam, affunde ſpir. vini alkolizati partes ſex, vitro clauſo in cineribus modice calentib. detine per horas viginti quatuor, vt coloretur vinum. Hoc effuſum ſerua. Adde reliquiis nouum, & iterum extrahe tincturam, repetens hunc laborem, quouſque totus color ſit exhauſtus. Extractiones coniunctas, circula leni calore, & deinde in B. deſtilla ad oleoſitatem*, cuius dantur guttę tres vel quatuor ante cibum. Tam diu purgat hoc medicamentum, donec obtuleris ægro ſorbitionem ex *vino, oui vitello, ſaccharo, cinamomo* & *butyro*, die ſequenti offertur ʒ j. *Mithridatij* ſub aurora. Interpoſitis diebus quatuor vel quinque iterum præbetur *tinctura*, ſeu *ſulphur illud antimonij*, vt reliquias morbi proſequatur, quæ ſi nōdum auerruncatæ ſunt, etiam tertio & quoties opus eſt, exhibetur. Si eſſet ad manus *auri tinctura* vera, aut ſaltem *calx* eius, iniiceretur oleo iſti pręparato, vt vim conciperet, nobilior fieret medicina.

Spiritus vini alkolizatus, quomodo paretur.

Quomodo rite exhibeatur tinctura antimonii cum calce vel tinctura auri.

Tinctura Rogeriana.

℞. Vitrioli, halonitri, ana ℔ iß. ſalis ammoniaci gemmæ ana ℔ j. ſtibij, aluminis crudi ana ℔ ß. fiat aqua regis. Hoc perfunde ſtybium ex minera pulueratum, vt calcinetur (quod ſit cum magna turba) *ſtatim vt calcinatum, eſt, regiam effunde.* Nam & ignis cauſtici vt & actualis flammei violentia perit. *Elue calcem ſtillaticia pluuiali, vel hydromelite. Siccatæ affunde acetum ſtillaticium altitudine palmi. Repone in cupam vaporis, inter herbas coctas, vel fimum equinum, vapore ſemper ſubeunte, aut vulgare ſcrobe fimi per calcem viuam calefacti, ſtet dies quadraginta, vt acetum fiat ſanguineum, quo detracto & repoſito aliud infunde, itidemque digere, repete id quarto, vt centum & ſexaginta dies conſumantur. Solutiones in B. ad ſiccum deſtilla. Si acetum adhuc acre eſt, repone id ſuper tincturam in deſtillatorio: ſi non: affunde nouum. Digere per horas 24 deſtilla, reitera id ſecunda vice. Poſtea eluatur tinctura de more ad dulcedinem & areſiat. Transfer in cucurbitam nouam, affunde vini ſpiritum. Digere in B. vt color extrahatur. Muta ſpiritum, donec color omnis ſit ſurreptus. Faeces abijce. Spiritum abſtrahe, in B. & iterum affunde, digere, deſtilla. Repete hoc, donec tinctura in alembicum aſſurgat & cum ſpiritu decurrat. Tunc aucto igne coge exire, vt procedat ſanguineus humor. Porro, quod eſt in conceptaculo, rectifica, & ſpiritum vini leniter abſtrahe, vſque ad oleum rubrum. Vti poteris*

Oleum ſeu tinctura pretioſiſſima & efficaciſſima.

teris ſpiritu in morbis non paucis cum vim aliquam antimonij detulerit. Oleum prudenter collige, eius vſus dicitur eſſe in depulſione grauiſſimorum morborum & ſenectutis inhibitione.

Vſus tincturæ Rogerianæ ad morbos deploratiſſimos.

In podagræ paroxyſmo ineunte tres dentur guttæ ex vino arthriticis idque triduo. Apoplecticis gutta linguæ affricatur, leproſis ſex guttæ cũ *Iulepo de fumaria & ſcolopendria* porrigantur primo die: ſequentibus pauciores. Hydropicis cum aqua vel vino *aſari* ſingulis diebus gutta vna, ſeptimo tres propinentur. Sic in epilepſia, peſte, febrib. putridis, melancholia & quartana adprime conuenit. Quidam dolia vini iſta tinctura alterant & ſingulis menſibus aut etiam ſæpius, vt ſingulis quadraturis aliquid de eo capiant ad conſeruandam valetudinem.

Alia tincturæ præparatio.

Alia tincturæ præparatio.

℞. *Stibij & tartari crudi ana* ℔ ij. *trita calcinentur in furno figulino, calci cõtritæ immiſce ſacchari candi* ℔ ij. *& affunde ſpiritum vini bonum vt pulticulæ conſiſtentiam accipiat, deſtilla ex retorta, per gradus ignis cum cohobiis ſi eſt opus, vt color in receptaculum deferatur, deſtillatũ in cucurbitam immitte, & abſtrahe humorem vſq; ad oleoſitatem: ſerua, caput mortuum porro ex retorta exemptum puluera, in olla vitrata ſuper pruna flagrante calcina, donec non halet amplius. Eliqua, vt vitrum euadat, ex cuius puluere per ſpiritum vini etiam tincturam extrahito, vtraſque tincturas cõiunge, digere in B. per menſem, tandemque deſtilla ad olei ſpiſſitudinem:* quo vteris ad morbos internos & purgandum ſanguinem pro ſanitatis conſeruatione, & depellendam lepram, luem veneream, alioſque affectus graues.

Tinctura ad lepram, luem veneream, alioſque affectus.

Tinctura Quercetani.

Ex ſtibio minerali per ferramenta conflã regulum, eumq; in flores ſublimatum ablue: dein affuſa aqua forti ex halinitro & calchanto ſolue, ſolutiones præcipita, per aquas dulces, de more, calcem denuo ſolue, & præcipita vt ſatis attenuetur. Deinde *reuerbera vt fiat puluis citrinus, qui aqua ſtillatitia pluuiali abluitur, vt acrimonia decedat, deinde reſiccatus perfunditur aceto vini, aut mellis vel quod ex deſtillato phlegmate conficitur, aut ex pluuia & ſtibio, vel ex rore maio & manna, extrahiturq; l. a. tinctura. Extractiones collectæ per cineres deſtillantur, vt menſtruum abſcedat à tinctura, quæ illata ſub tegulam per tres horas reuerberatur. Deinde perfunditur iuniperi ſpiritu & circulatur, donec ad ſummam rubedinem peruenerit, fiatq; puluis ſubtiliſſimus, qui in oleum reſolui poteſt, aut cum ſpiritu vini digeri & deſtillari vſq; ad oleoſitatem;* de qua dantur guttæ iij. vſq; ad x. ex vino vel alio competente liquore, ad ſcrofulas, peſtem, luem veneream, ſanguinis grumos in ventriculo, thorace, veſica, apoſtemata interna.

Cum vero ex *vitro, floribus, regulo* & ipſo crudo *antimonio* diuerſimode extrahatur tinctura idque per *lixiuium* acre, *acetum* ſimplex vel *terebinthina-*

tum, *oleum tartari & ſpiritum vini* per deſtillationem ſimplicem factum vel *ſpiritum vini alkolizatum*, è quibus duo poſteriora *florum* extractioni potiſſimum inſeruiunt, quæritur, quo proceſſu tinctura intus vſurpanda, quam optime præparetur? ad quod reſpondemus, neq; ex crudo, neq; vitrificato recte extrahi tincturam, quod in his arſenicales & mercuriales impuritates adhuc hæreant, neq; ex floribus etiam veris, qui corpore ipſo, è quo eleuantur, nocentiores ſunt, quod contineant arſenicales mercuriales, & ſulphuris volatilis malignitates, nec ita probe exurantur, calcinentur & figantur; vt non aliquid harum remaneat. Proinde *antimonium* cum *tartaro* deſtillatum, vel *nitro* calcinatum, & in puriſſimum lilium purpuraſcens, omnibus diuturno ignis examine virulentis halitibus ſpoliatum, veram innocentis tincturæ materiam præbere ſtatuimus: huic extrahatur coctione rubedo, quæ ſeparata, *aceto* radicato denuo extrahatur, eoque deſtillatione euocato affundatur ſpiritus vini, cum quo circuletur, vel ex lilio iſto purpuraſcente, ſeu *antimonio*, vt dictum, præparato, per acetum radicatum extrahitur tinctura, & eo ſeparato, circulatur cum *ſpiritu vini*, qui deſtillatione ad oleoſitatem abſtrahatur.

Vera & ſalubris antimonii tinctura quomodo præparetur.

Varii à variis tincturæ comparandæ modi ſunt excogitati, vel enim ipſe regulus in reuerberatorio tam diu calcinatur, donec ex albo fiat luteus, ex luteo flauus, rubeus, purpuraſcens, Illud lilium ſeu florem per ſpiritum vini extrahunt. Alii flores ad rubedinem & fixionem vſq; calcinant, & *aceto* vel *ſpiritu vini* extrahunt, vel *antimonio* cum *tartaro* in reuerberio calcinato, aceto crebro mutato eſſentiam educunt, extractiones coagulant, vel eliquatum in catino, paulatim effundunt in ollam *aceto* ſemiplenam, exemptum iterum liquant, & in idem infundunt, eũdem laborẽ ſepties repetendo, reſtinguendoque fuſum *ſtibium*, ſi minuatur *acetum* ſupplendum, innatans rubedo colligitur, *acetum* vero coquitur, vt diu aporet, ad conſiſtentiam olei, vel deſtillatur in cineribus, quod poſtea edulcatur aqua ſtillaticia.

Quidam *ſtibium* cum *tartaro* in aqua coquunt, eamque claram refrigeratione rubeſcentem effundunt, & inſpergunt *aceti* nonnihil, vt rubedo fundum petat.

Beguinus capitello ex cinere clauellato, *calce viua* & cineribus communibus facto, ſoluit epar *antimonij*, digeſtione & ebullitione tincturam extrahit, eandemq; ſeparat & filtrat, & per *acetum*, in puluerem multis poſtea ablutionbus edulcandum, præcipitat, doſis ab vno ad duo, tria vel quatuor grana.

Omnibus tamen præfertur illa tinctura, quæ ex *antimonio* exactiſſime & vltimato calcinato, ſeu lilio extrahitur, vel *ſpiritu vini*, vel *aceto*, & dein per ſpiritum vini rectificatur.

Id

Potiores recte & philoſophice corrigendi antimonii modi.

Id vero in genere notandum *tres eſſe potiores antimonij corrigendi modos*, *videlicet ſi per ſe calcinetur ad ſaturatam rubedinem*, *vel calcinetur aliquoties cum nitro*, *vel affundatur floribus ſpiritus ſulphuris acidi per campanā præparatus*. His adiiciunt digeſtionem menſtruam *florum* in proprio *aceto*, quod in horum ſublimatione primo egreditur.

Extractio florum per ſpir. Terebinthinæ leniſſimum purgans facit.

Aiunt extractionem florum per *ſpiritum terebinthinæ* deorſum leniſſime purgare; *vitrum* item per ſex horas cum *ſale communi* tritum, amittere vim vomitiuam; idem accidere *croco metallorum, mercurio vitæ*, cæteriſque, ſi ita tractentur; præterea aquam *carduibenedicti* ex *vitro antimonij* educere *ſalem, vinum* autem *maluaticum* ſolam vim purgandi per inferiora.

Cap. XX.

De panacæa ſeu lapide ignis antimonij vti ex oleo, mercurio, & ſale eiuſdem præparetur.

℞. Mineræ antimonij & ſalis nitri ana p. æ. pulueriſentur, miſceantur, pone crucibulum in ignem circulationis, vt excandeſcat, dein iniice per partes mixturam illā, ita, vt ſingula pars detonet. Omnibus iniectis igne fuſionis adhibito l. a. confice vitrum infundendo in peluim æneam. Huius vitri extractio debet fieri cum proprio ſuo aceto, ſpatio ſex ſeptimanarum, quibus elapſis deſtillatione euocetur, & relicto pulueri affunde ſpiritum vini vt extrahatur. Huius extractionis cape ℔ ij. ſalis antimonij ℥ iiij. circula per menſem in vaſe clauſo, ad vnionem ſalis cum eſſentia; deinde à fæcibus ſepara, & primo lente deſtilla ſpiritum vini in B. M. & viciſsim remanebit puluis, quem deſtillabis igne violento & aperto in oleum rubicundum & pellucidum. Hoc rectifica in balneo. ℞. iam vnam partem mercurij antimonij per oleum vitrioli præcipitati, ſuperfunde huius olei partes tres in phiola nuda ad Athanor, & primo age, vt in vnum oleum redigantur, & poſtmodum per continuum philoſophorum ignē conuertantur in puluerem philoſophorum, fixum & miraculoſum.

Præparatio mercurii antimonii.

Mercurii antimonii præparatio.

℞. Reguli antimonii partes octo, ſalis vrinæ ex lotio humano præparati, armoniaci, tartari, ana partem vnam, ſalia hæc commiſce, & affunde acetum vini acerrimum, immitte in vas vitreum luto arctiſsime clauſum, digere per menſem vnum, calore continuo, tandem immitte in cucurbitam, deſtilla ad ſiccitatem, & miſce dein tres partes terræ venetæ ſeu terræ cæruleæ fullonum, (alii *bolum* ſumunt) *iterumq́; forti violentoq́; igne exige per retortam, & exibunt ſpiritus miraculoſi ſoluere potentes ſtibium, hos funde ſuper regulum prædictum tritum, digere per duos menſes calore putredinali, tandem liquorem deſtillatione auoca, eiq́; quod remanet, miſce quadruplum pondus limaturæ chalybis, & fortiſsimo igne per retortam vrge, ſic ſpiritus ſalini vna educent mercurium in forma fumoſi vaporis, quos inter deſtillandum appoſito recipiente amplo aqua ſemipleno excipe, & reſoluentur ſalia in aqua, mercurius vero coagula-*

gulabitur & fundum petet ibiq; viuus conſpicietur. Hunc mercurium per corium exprime, & expreſſo affunde olei vitrioli rubei partes quatuor, deſtillando ſepara oleum & olei ſpiritus adhærebunt, vrge igne fortiore & fiet ſublimatio, quod ſublimatum eſt collige, & cum terra in fundo relicta miſce & viciſſim tantundem olei vitrioli affunde, iterumq; ſublima, quod tertium repete, ſublimatum tere & quarto miſce terræ in fundo reſtitanti optime terendo, & habebis puluerem cryſtallinum, quem in circulatorium vas immitte affundendo olei vitrioli parem quantitatem, & triplum ſpiritus vini, circula, donec ſeparetur & mercurius in oleum, quod inſtar olei oliuarum ſupernatat, ſepara, & immitte in vas aliud circulatorium, affundendo acetum vini acerrimum ad dies viginti, tunc recuperat grauitatem ſuam oleum illud fundumq; petit, & id, quod adhuc inerat malignitatis, tranſit in acetum, quod turbatur & ſpiſſius euadit.

Oleum antimonii mercuriale.

Illud *oleum ex antimonio mercuriale* tantæ tamque inſcrutabilis & admirandæ virtutis eſt, depræconiante Baſilio, vt quartam totius medicinæ columnam conſtituat. Perſanat enim apoplexiam, ſpiritus cerebri excitat, ſenſus & intellectum acuit, adeoq; ſi quiſpiam aliquo temporis decurſu vtatur, omnes totius ſanguinis & totius ſubſtantiæ corporis impuritates exigit, vt lepram vniuerſalem ſanet, & vtentis pili vngueſque veteres excidant, & homo in priſtinam iuuentutem renouetur. Morbum gallicanum leuiter ſaltem vſurpatum, funditus exſtirpat, mirandaq; alia & indicibilia patrat.

Oleum antimonii mercuriale eſt quarta medicinæ columna ſanans morbos grauiſſimos.

Sal antimonii.

Salis antimonii præparatio.

℞. *Antimonii & nitri ana p. æ. fiat regulus, hunc in arena ſublima, tam diu reddendo fæcibus, vſq; dum non amplius aſcendat, & per ſe eſt fixus & præcipitatus in rubeum puluerem. Hunc repone in cella vt ſoluatur in oleum* (quod fit diuturnitate temporis) *ſolutum filtra & deſtilla ad conſiſtentiam, ſic habebis cryſtallos perpulchros rubicundos, ſi ſolutio aut correctio adhuc ſemel procedat, fiunt albi, qui verum ſunt antimonij ſal.* Ex eodem *fixo antimonii flore* per coctionem in aqua potes elicere *ſal*, idq; coagulare, per deliquium ſoluere, iterumq; ad cryſtallinam puritatem indurare.

Præparatio aceti antimonii.

Acetum antimonij, quod etiam ad præparationem huius panaceæ requiritur, hoc modo conficitur. ℞ *mineræ antimonii* ℔ ij. *tritam immitte in phialam vitream, affundendo aquam pluuialem deſtillatam, ad medietatem vitri, pone in fimo equino, ad putrefactionem vſq; dum reddat aliquam ſpumam, dein exime & deſtilla in arena, ſic prodibit aqua acida & aliquid ſublimabitur. Hæc deſtillata redde ſuis fæcibus & viciſſim deſtilla, toties reiterando, quouſq; acetum reddatur acidum, prout acetum commune, ſi adhuc velis acetum fortius, repete opus cum noua antimonij minera.*

Panacæa antimonii.

Panacæa itaq; *antimonij* componitur ex *ſulphure* extracto è regulo per *acetum & vini ſpiritum, & oleo mercuriali*, eiuſdemque ſale hic ordine deſcriptis & artificioſe iunctis.

CAP. XXI.

De extractionibus antimoniali-bus, per quas præparatur eſſentia dulcis, oleum panacæam valens, eli-xir, arcanum, puluis fixus, item al-bus emmeticus, & alius mirabilis F. Baſilij, & Balſamus.

Extractio eſſentiæ dulcis ex anti-monio.

Eſſentia antimonii dulcis.

℞. *Antimonij in pollinem triti* ℥ iiij. *limaturæ chalybis* ℥ ij. *ſalis communis mo-dicum, fundatur in regulum, qui reuerbe-retur cum ſale communi, quater in aceto ſoluto & coagulato, ſic fiet puluis rubeus, huic affunde acetum deſtillatum ad dies quatuordecim, extrahe tincturam rube-am, à qua ſeparato aceto habes eſſentiam antimonij rubeam, & ſacchare dulciorem,* cuius doſis grana quinq; vel ſex.

Extractio vitri antimonii.

℞. *Vitri puri, translucidi ſine additio-ne boracis parati, q.v. affunde ſpiritum a-ceti acutum, & ſatis rectificatum, extraha-tur tinctura rubicunda, reiterata noui ace-ti affuſione, & digeſtione in calore leni, do-nec non amplius tingatur. Auoca acetum in B. M. & puluerem rubicundum in fundo, edulca aqua pluuia deſtillata affuſa & per deſtillationem viciſſim ſeparata, & deinde tere in pollinem, & affunde ſpiritum vini rectificatum & acutiſſimum ad ſuperemi-nentiam trium digitorum, digere in mode-rato calore vt extrahatur tinctura rubea, quam decantatione ſepara à fæcibus in imo relictis,* in quibus ait Baſilius remane-re venenum. Hæc extractio trium vel quatuor granorum pondere da-ta pellit luem Gallicanam, lepram, e-mundat & emendat totius ſanguinis maſſam, iuuat aſthmaticos & ortho-pnoicos, laterumque dolore affe-ctos.

Extractio vitri anti-monii ad lepram & aſthma-ta.

Oleum an-timonii, quod ſit balſamus vulnerum.

Puluis ille rubeus, qui *aceto* primū erat extractus, ſi teratur ſuper por-phyrite, calefacto & includatur oui albumini indurato, loceturque in cella ſubterranea, in flauum ſoluitur liquorem. Hic eſt balſamus vulne-rum, ſanans omnia recentia, ſi penna illinatur. Perſanat itidem omnia in-ueterata, fœtida, ſerpentia, erodentia & maligna vlcera, lupum, cancrum, herpetem.

Oleum an-timonii Panacæam valens, ad-mirandarū & ſtupen-darum vi-rium.

Si vero puluerem *antimonij per a-cetum* primo extractum & dein per *ſpiritum vini* in tincturam, vti *ſupra*, re-dactum, per menſes vnum vel alte-rum in circulatorio digeras, poſtea-que, ſed ſingulari cheirotechnia de-ſtilles, conſequeris *oleum antimonii* per alembicum deſtillatum, quod eſt quinta eſſentia eiuſdem, cuius doſis guttæ viij. cum *vino* exhibeantur. *Hæc eſt vera morborum omnium panacea, qua inſtructus Medicus nullo amplius habet re-medio ad curandum opus*, iuuentutem renouat, vetulas in puellas cōuertit, & inſtar phœnicis cremati (define mirari Nicodeme) nouam reddit na-tiuitatem, omnia corporis mala om-neſque corporis impuritates cuiuſ-cunque generis expellit. Virtus eius

æqua-

æquatur *auro potabili.* Vbi notandum, quod *extractio vitri antimonij primo per acetum, dein per ſpiritum vini facta, nunquam vomitus ſeceſſuſque excitet, ſed ſolummodo per ſudorem & vrinam ſputumque morbi radicem exigat, & quod extractio per ſpiritum vini primo facta vim aluiducam ſatis fortem inuehat.* Proinde F. Baſilius inquit, *vere magnum eſſe ſecretum, in antimonio cognoſcere, quod omnis extractio primo per acetum facta, ita figat ſpiritus antimonii purgantes, vt per vrinas, ſudores, & ſyeliſmum duntaxat operetur, nec fiat aluiducum, etiamſi poſtea ſpiritu vini extrahatur: & quod omnis eiuſdem extractio per ſpiritum vini primo facta, virtutem per ſeceſſus operandi concilliet & ſeruet, etiamſi aceto iterum extrahatur.*

Extractio & præparatio arcani antimonij.

Arcanum antimonii. ℞. *Antimonij & ſalis ammoniaci tenuiter tritorum & remiſtorum ana p. æ. deſtilla per retortam: materiam in recipientem compulſam aqua deſtillata calida edulca, puluerem è fundo album collige, ſicca calore leni, affuſoque ſpiritu vini digere, igne vaſeque circulatorio, ſeu pellicano, donec arctiſsime vniantur, deinde deſtilla per alembicum integre, adde nouum ſpiritum vini & ſecundo digere circulatorie, & ſeparabuntur fæces à vera tinctura vel arcano cũ ſpiritu vini vnito. Hoc iterũ rectificetur.* Huius arcani paucę guttulæ (*ratio captiuanda*) ventriculum reſtaurant, noxæ, ſi quid inhæreat materiæ conſumunt, coctionem promouent, melancholiam plane curant, ſanguinem emendant, mirifica & ſecretiore virtute aſſenſum matricis, & colicos dolores inhibent.

Extractio antimonii in Elixir.

℞. *Antimonij crudi partem vnam; ſalis ammoniaci partem dimidiam, miſce, tere, & ſublima, quod ſublimatum eſt, collige, deſtilla per retortam vitream id ter repete, ſemper remouendo reſtib les in retorta fæces, elue deinde ſal armoniacum & reuerbera puluerem antimonij igne non nimis violento, dum fiat inſtar cinnabaris, deinde affunde acetum vini deſtillatum, extrahe tincturam, à qua viciſſim deſtillando ſepara aceti ſpiritum, affunde de nouo ſpiritum vini & denuo elice tincturam, & remoue fæces huic tincturæ adhuc inhærenti ſpiritui vini miſce modicum tincturæ corallorum, & quintæ eſſentiæ Rhabarbari.* *Elixir antimonii.* Illius mixturę quatuor vel quinq; guttæ ſine omni paſſione purgant aluũ; perluſtrant penetrant, emũdantque totum corpus, neque enim exprimi verbis aut calamo ſatis & ſuffi. ienter deſignari poteſt huius virtus à F. Baſilio, qui tamen meminiſſe debebat, quod paulo ante dixiſſet, & pro generali regula poſuiſſet, *antimonium* primo per acetum extractum, adeo vim aluiducam deponere, vt nulla ſpiritus vini affuſione & extractione eadem recuperetur. *Oportet virum bonum ſui eſſe* memorem. *Baſilius notatur.*

Extractio & præparatio pulueris fixi.

℞. *anti-*

℞. Antimonij q.v. affunde aquam fortem ad ſupereminentiam duorum digitorum, pone in digeſtione leuioris caloris per decendium, vaſe arctiſsime clauſo: aquam tinctam decanta, fæcibus inferioribus ſeparatis. Tinctam iſtam immitte in cucurbitam. & deſtillando ex arena vel cinere, aquam fortem ſepara, & remanebit in fundo puluis flauus, cui affunde aquam pluuiam deſtillatam, igne continuo digeratur, dum tingatur liquor, quem in B.M. viciſsim ſepara, deſtillando ad ſiccitatem. Huic pulueri affunde acetum deſtillatum ex vino præparatum, digere calide & induet rubedinem, deponens fæces albas. Hoc viciſsim euoca per deſtillationem in cineribus & remanebit puluis rubicundus, quem toto triduo apertis flammis reuerbera, eiq; poſtremo extrahe tincturam cum ſpiritu vini & iterum ſubſidebunt fæces, quas ſegrega.

Puluis antimonii fixus. *His peractis educ ſpiritum vini in B. M. & habebis puluerem rubicundum fixum,* cuius quotidie ter dragmam ſemis exhibere licet ad apoſtemata interiora curandum, aperiendum & ſanandum, aut expellendum, ad tollendã luem gallicanam, radicitus, & renouandum totum hominem.

Extractio florum antimonii.

Tres numero alembicos vtrinq; perforatos ſibi inuicem impone, & forti igne ſurſum vrge flores, quos albos, flauos & rubicundos excipies.

Extractio florum antimonii *Rubeis admiſce colcothar vitrioli & tertium ſublima. Sic enim vna eleuabitur eſſentia calchanti, floribus ſic præparatis affunde ſpiritum vini ad extrahendam tincturam, & vt fæces ad fundum ſecedant. Spiritum vini poſtea in B.M. ſepara, & remanebunt flores optime præparati in forma pulueris.*

Hi non vſq; adeo violenter aluum mouent, & febres tertianas & quartanas mirifice abigunt, variiſq; ægrimoniis conducunt.

Alia extractio antimonii per proprium acetum.

℞. Mineræ antimonij vel vitri tenuiter triti q.v. affunde acetum eius proprium, quod ſimul prodit in deſtillatione florum alborum, fortiore igne eleuatorum ex minera, in vaſe philoſophico. Repone ad ſolem, vel ignis teporem, & induet tincturam rubeam, tinctum decantato, & per bibulam papyrum cola, denuoque ex arena per alembicum deſtilla, & habebis oleum ſeu tincturam miraculoſe ſanantem lepram, & militum affectus recentes, qualis ſcabies gallica & ſimiles. *Extractio per propriũ acetum.*

Extractio epatis antimonii.

℞. Antimonii & tartari ana p. a. terendo miſce, vt fiat pollen tenuiſsimus, includatur vaſe optime lutato, calcinetur igne aperto, donec omnino exuſtus & conſumptus ſit tartarus. Materiam comminue & aqua calida elue, ſic habebis epar antimonii, cui affunde ſpiritum vini, tincturam extrahe per emporeticam, cola, dein in B.M. deſtilla ad remanentiam tertiæ partis. Hęc autem extractio cautione magna eſt vſurpanda. Et notandum, *ſpiritum deſtillatione ſeparatum nunquam viciſsim vniri, ſed ei inſtar olei innatare.* *Extract. epatis antimon.*

Alius etiam extrahitur puluis ex *antimonio* per *aquam fortem ex æquis part. ſalis communis & vitrioli deſtillatam; qua affuſa digeritur, dum cæruleo colore tingatur, tunc affundatur aqua communis, vt præcipitetur ad fundum puluis albus*, per ſeceſſum purgans, & lenem, vt aiunt, vomitum ſimul mouens.

Puluis albus emmeticus.

Extractio & præparatio pulueris albi fixi & mirabilis.

℞. *Nitri optime depurati & antimonij Vngarici crudi ana p. æ. miſce & per partes in crucibulum igni impoſitum fac detonare materiam, denuo tere, elue aqua dulci, ſicca & pari pondere viciſſim miſce nitrum, atq; vt ſupra procede, idq; tertium repete, materiæ, quæ ſupermanſit, affunde ſpiritum vini optimum, & circula per menſem, quo facto nouum affunde ſ. v. & accende, nouies deciesq; recenti affuſo & accenſo ſpiritu ſicca pulueram & viciſſim in crucibulo fuſorio per diem calcina. Hunc pulueram ſuper vitrea lamina in loco ſubterraneo humido vel in oui albumine coctione indurato ſolue in liquorem, qui ſuper calore leni denuo in pulueram coaguletur.* Hic eſt puluis antimonii fixus F. Baſilii Valentini, mirificæ vtilitatis & facultatis, omnia ſiquidem interna aperit, & ſanat apoſtemata, ſi cottidie quater vel quinquies dentur grana xv. cum *vino Rhenano* optimo. Totam quin etiam ſanguinis maſſam purgat, & omnes ex cacochymia & impuritate humorum morbos, ſcabiem, luem, lepram.

Puluis antimonii fixus mirabilis efficacia F. Baſil.

Extractio Balſami antimonii.

Ex antimonij & tartari partibus æqualibus & nitri dimidia fiat regulus, cui affundatur ſpiritus iuniperi aut terebinthinæ ſubtiliſſimus, dum ſaturata rubedine tingatur, deinde decantetur & digeratur ſpiritu vini. Huius vires æquant virtutem *balſami ſulphuris*. Tres vel quatuor guttulæ pro doſi exhibitæ ſanant phthiſicos, empicmaticos, aſthmaticos, veterique tuſſi & diuturna pulmonum ægrimonia affectos.

Balſamus antimonii ad phthiſin & morbos pectoris.

CAP. XXII.

De oleis antimonii excellentioribus, & operoſioribus.

℞. *Antimonii quantum velis, laua, purga & comminue cum aceto; exſicca, & iterum contere cum vitriolo ad rubedinem calcinato & ſale fuſo, deinde ſublima, flores cum ſulphure vel aqua forti calcina, tere in marmore, pone in cella ſubterranea, aut affunde ſpiritum vini vt ſoluatur, deſtilla oleum primo igne leni, deinde fortiori, donec totum exiſſe compuleris.*

Sulphur ſeu oleum antimonii eius pollentiæ, vt Balſamus vitæ dici mereatur.

℞. *Antimonium Vngaricum crudum, affunde acetum philoſophicum, optimum, ſuo ſale impragnatum, & in cucurbita bene obturata digere in fimo equino, vel B. M. per quadraginta dies, vt reſoluatur corpus, & tingatur acetum rubedine, tinctum effunde, nouumq; affunde, idq; repete, donec non amplius coloretur. Transcola per bibulam, & ſimiliter digere in vaſe vitreo optime*

Sulphur & Balſamus vitæ antimonii.

ine clauſo, per dies quadraginta, ſic nigerrimum contrahet colorem quo facto deſtillando ſepara acetum, & materiam in fundo remanentem aqua communi deſtillata edulca, exſicca & in circulatorium immitte, ſpiritum vini optimum affunde ad ſupereminentiam quatuor digitorum, vaſe arctiſſime clauſo, in calore leni digere per menſes duos & extrahetur tinctura inſtar rubini rubicunda. Spiritum vini defunde, cola per emporeticam, deſtilla ex cucurbita per cineres, vt ſpiritus vini ſecum ducat tincturam. Hanc auream viciſſim digere per decendium in circulatorio, & ſeparabitur oleum, quod fundum petit à ſpiritu vini innatante, hoc ſeparetur à S.V. quod eſt vitæ balſamus, & oleum regale nominari meruit admirandarum & ſupra captum humanum virtutum. Renouat enim & regenerat integrum hominem, ſanguinem vniuerſum emundat & purificat, ſcabiem quamlibet, lepram & melancholicos affectus ſanat, ſi exhibeatur cum *magiſterio corallorum*. Ad cordis affectus, & imbecillitatem præſens eſt remedium, dummodo cum *eſſentia perlarum* exhibeatur. Vim memoratiuam acuit, & in extremis virium deliquiis, & ſyncope, datur certiſſimo emolumento cum pari pondere vel ſex guttulis *olei cinamomi*, illitis ſimul carpo & naribus *eſſentia croci*.

Oleum admirandarum virtutum ad varios pertinaciſſimos morbos.

Oleum vel ſpiritus ſalis antimonij.

℞. *Reguli ex antimonio cum tartaro & nitro præparati q.v. tere, & immitte in cucurbitam latam, cum capitello, fiatq; lenis & continuata arenæ calore ſublimatio florum: quod eleuatum eſt, pluma abſterge, & in fundum viciſſim deprime, id reitera, & continua operationem eandem, donec nihil amplius eleuetur, omniaq; in fundo fixa remaneant:* ſic indeptus es *regulum antimonij* fixum, ad cuius præparationem longo, quod notabis, temporis ſpacio, opus eſt. *Hunc per ſe fixum regulum, cape, & in puluerem redige, impone lapidi glabro, in cella humida per menſes quinq; vel ſex, & reſoluetur demum in liquorem rubeum, quodcunq; ſalinum fuerit, fecibus non liquefactis. Filtrato liquore per deſtillationem ſepara phlegma dum videatur incraſſari: denuo repone id, quod à phlegmate depuratum eſt in cellam, & coagulabitur in criſtallos rubicundos, quos iterum ſolue, coagula, & conſequeris albos, verum ſcilicet antimonii ſalem. Hunc ſicca & cum tribus partibus terræ Venetæ miſtum deſtilla igne forti, & exhibit primo ſpiritus albus, deinde ruber, qui etiam demum albeſcet. Hunc rectifica in B. M. & habebis ſpiritum vel oleum ſalis antimonii,* vtile tam ad quartanas, quam alias febres, ad calculi veſicæ attritionem, expulſum, vrinæ promotionem, podagram, ſanguinis purificationem. Extus illitum depaſcentia & vetera ſanat vlcera, nec tamen proxime antecedentis olei, in quo ſulphuris vis ſumme exaltata eſt, facultatem adæquat.

Oleum ſalis antimonialis.

Cap. XXIII.

Variæ inſuper oleorum ex antimonio

monio præparationes & vſus recenſentur.

OLea præparantur ad vſus internos, vel externos, ex *antimonio crudo*, vel *præparato*, vtpote *calce*, *vitro*, *regulo*, *ſtella*, *floribus rubris*, affuſione liquoris cuiuſdam acris (*aquæ cauſticæ & gradatoriæ ad olei præpar. non faciunt*) & corroſiui eſſentiam extrahere potentis, quale eſt *aqua ſalis*, *liquor tartari*, *ſalis gemmæ*, *oxymeli*, *ſuccus berberorũ*, *limonum & ſpiritus liquorum ſolidorum deſcenſorij*. Omnia vero menſtrua antecellit *acetum*, & cumprimis quod exaſperatum eſt *ſale armeniaco*, *ſale gemmæ*, *tartaro calcinato*, *aut acetum ſtillaticium*, quod *radicatum* vocant, aut *acetum philoſophicum*, factum ex aqua pluuia, ſuper *ſtibio* putrefacta, cuius præparatio & virtus traditur à Fratre Baſilio Valentino in *curru triumphali antimo. fol.* 223. Digeſtione ſufficienti præuia euocatur menſtruum ad oleoſitatem; quam *vini ſpiritu* perfundunt, cumque ſæpe mutatum abſtrahunt, tandem per retortam agunt, oleumq; rectificant. Sunt, qui *ſpiritum vini* omittant & extractiones per ſe deſtillent. Præfertur ad vſus internos inter omnia *oleum antimonij dulce*, cuius talis eſt præparatio.

Oleum antimonii dulce internum. **Purgans ſine violentia à remotis partibus.**

℞. Stibium tenuiter tritum, & tamdiu ſuper marmore læuigatum, donec metallicam formam amittat, poſtea in cucurbitam immiſſo affunde acetum & digere per menſem. Hinc leni calore acetum deſtillando abſtrahe, vt relinquatur materia pultis inſtar, quam valido igne deſtilla ſic aſcendet oleum rubeum ſaccharo dulcius; quod exhibeatur à ʒ ß. ad ʒ j, cum ſyrupo aliquo purgat à remotis ſine noxa.

Frater Baſilius *antimonium tenuiter tritum ſine vllo additamento vrget per retortam igne luculento, id ter quaterq; repetit, vt rubeum puluerem, quem alij pro flore habent, conſequatur*, huic *affundit acetum & eſſentiam extrahit*, *extractionem in circulatorio digerit, igne leni per dies decem, quo facto igne fortiori vrgetur oleum per alembicum, quod in pellicano circulatur, donec viciſſim ſeparata humiditate fiat pu[illegible] qui denuo per deſtillationem in oleum redigitur*; cuius guttæ aliquot cum *aqua carduibenedicti* dantur ad ciendum ſudorem tertianariis & quartanariis, quos fælicitet à febre liberat, datur item fælicite r ad peſtem, & febres malignas cum *aceto deſtillato*.

Oleum F. Baſilii ad febres communes, malignas & peſtem.

Alii *ſtibium* tritum coquunt in *lixiuio ex calce*, & *cinere fagino* præparato, per horas quinque, filtro deinde aquoſitatem abducunt, *acetum ſtillaticium* ad duos digitos affundũt, macerant, mouendo indies vicies, *acetũ* mutatur quinquies, donec color & eſſentia ſit extracta, extractiones deſtillantur primo igne lento ad rubedinem ſanguineam, quæ per retortã fortiori igne exigitur, adhibitis, ſi opus eſt, cohobiis. Reliquiæ in ſalem ſoluuntur.

Alia olei præparatio.

Proprie vero *oleum antimonij* cum *oleo tartari* ſic præparatur.

Aliud olei.

Liquorem tartari coagula in ſalem, ſolue iterum in liquorem aqua ſtillaticia pu-

ra,

ra, filtra, coagula, repete hoc quinquies, & deinde funde ſuper paſtam ex antimonio & aceto, vel quod melius eſt, ſuper tincturam, quæ extracta eſt per acetum & coagulata ad oleoſitatem, digere, deſtilla per alembicum & prodibit oleum dulce.

Aliud Ad luem Gallicum, epilepſiam, & omnes pene morbos.

Aliud. ℞. *Antimonij flores rubros vel antimonij per horam ſuper foco calcinati ℔. ß. adde aceti ſtillaticij ℔. ß. miſce & biduum digere, deinde addito ſacchari ſini triente fiat deſtillatio per retortam.* Huius olei dantur ℈ ij. ad gallicam luem cum Iulepo aliquo, aut *decocto ligni*, Alii addito *caſtoreo* præbent gran. duo ad epilepſiam & cum *aqua vitæ* ad omnes pene morbos.

Aliud F. Baſilij.

℞. *Vitri antimonij vulgaris in puluerem læuigati q. v. affunde ſuccum vuarum immaturarum, & cum eodem tere in marmore, donec metallicam formam amittat, digere per aliquot dies & dein deſtilla, ad ſiccitatem, poſtea adde ſacchari clarificati duplum, & cum aceti ſpiritu contere, vt bene humeſcat & irrigetur.* Tandem *deſtilla per retortam, bene obſeruatis ignis gradib. & prodit oleum rubeum, quod ſpiritu vini ad perſpicuitatem perducitur, ſeu extractione tincturæ ſeu digeſtione ſuper eo crebra.* Datur citra noxam ad epilepſiam.

Oleum ad epilepſiam.

Quid ſit lilium antimonii & leo rubeus.

Nota autem hic, *non omnem tincturam elaborari per deſtillationem, nam & eadem per ſe oleum dicitur, pingueſcitque; ſi crebro ſpiritu vini perfundas :: & oleum rubicundum appellari leonem rubeum, & lilium antimonii.*

Aliud eiuſdem, oleum ſulphuris antimonii dulce.

℞. *Antimonii* ℔. j. *ſalis armeniaci* ℥ iij. *miſce & fiat igne leuiore ſublimatio, qua vi ſalis eleuatur ſulphur antimonij. Sublimatum tere, & adde antimonij* ℥ x. *iterumque ſublima. Puluis ille ſublimatus, facile in humido loco ſoluetur. Verum præſtat illum ſublimatum puluerem edulcare, & à ſale per affuſionem aquæ dulcis liberare, denuoq; exſiccare. Sic habes ſulphur flammam facile concipiens.*

Sulphur antimonij.

Huic affunde acetum deſtillatum, extrahe tincturam, à qua in B. M. ſegrega acetum, & reliquum exige per alembicum igne fortiore, & conſequeris oleum dulce omnis corroſiuæ facultatis expers, vtile ad affectus pulmonum, aſthmata, pleuritides. Duæ guttulæ cum ſpiritu vini ſumptæ, pectus ab omni ſuperfluitate liberant, eiuſque anguſtias ſoluunt. Liquor ille ex ſolutione *ſublimati antimonij*, cum *armeniaco* præparatus, per deliquium in loco humido cutis impuritates auffert, mixtus cum *oleo tartari*, ſanat lichenes & herpetes & ſcabiem pertinacem.

Oleum ſulphuris antimonij.

Alia eiuſdem olei ſulphuris antimonii præparatio.

℞. *Pulueris antimonii q. v. coque in acri lixiuio cinerum fagi per horas duas vel vltra, filtra, liquori affunde acetum & præcipitatur ſulphur ad fundum, decanta liquorem, & exſicca puluerem rubicundum, ex quo affuſo aceto deſtillato eſſentiam extrahe :: aceto ſeparato tincturam in oleum redige per deſtillationem vt in proxime antecedentis*

Oleum ſulphuris antimonij.

tecedentis præparatione factum, præcedens vero oleum eſt efficacius, quia eius corpus *ſale armeniaco* magis erat ſolutum.

Oleum antimonij aliud.

℞. *Antimonij, tartari crudi ana* ℔. ij. *tere cum ſpiritu vini vt fiat pulticula: deſtilla per retortam. Accipies liquorem puniceum, quem in B. deſtilla ad oleitatem. Caput mortuum in olla ſuper prunis ſtrata in latus calcina, donec non amplius fumet, deinde conſla in vitrum, quod ſexies ſeptieſue repete. Ex hoc pulverato per vini ſpiritum infuſum ad tres digitos, extrahe eſſentiam, quam addes oleo priori & ana vtrũque circulabis in B. per menſem, non ſeparato ſpiritu, ſed relicto. Tandem peracta circulatione deſtillatur ad olei ſpiſsitudinẽ,* quod eſt vſus interioris. Puluis ſeu calx, quæ ſua eſſentia eſt ſpoliata, cõducit ad vlcera. Si olei ſemunciam (videlicet eius, quod ex tinctura factum eſt) menſuris viginti vini optimi miſceas, antixylon erit, & dari poterit vice *decocti ligni*.

Huc pertinet Quercetani *Panaretos in Tetrade*. ℞. *Calcis albæ ſtibii* ℔. ß. *ſyrupi ex ſaccharo & circulato minore ſeu ſpiritu vini tartariſato* ℔. j. *digere in B. M. per quinque dies, dein gradatim deſtillentur*, & exibit primo liquor albus ad vlcera, ſecundo flauus ſuſque deque purgans, tertio ruber, qui ter quaterque rectificatur deſtillando, & ablutione *aqua roſaceæ*, ad lepram dantur guttæ ſex cum *aqua fumariæ*. — *Liquor purgans*

Cap. XXIV.

De oleis antimonii compoſitis.

℞. *Stellæ antimonii iuxta F. Baſilium præparatæ, & ſupra deſignatæ q. v. teratur, & cum armeniaco ſale ſublimetur in flores rubros, ex quibus fit oleum deliquio ad chirurgiam.*

Eadem ſtella cum ſerpente lapideo, id eſt, *mercurio ſublimato*, *ſæpe per ignem traiicitur*, hoc eſt, *ſublimatur ſepties, fitque medicamentum igneum, quod eliquatur in oleum per deſtillationem ex retorta exaltandum & rectificandum, vt purum clarumque fiat.* Exhibentur guttæ duæ vel tres ex ℥ ij. Sed raro & cautione maxima.

Polychreſton Quercetani.

℞. *Stellæ antimonii* ℔. j. *ſublimati criſtallini* ℔ jß. *miſce, vrge per retortam. Gummoſum, quem excipis liquorem, perfunde ſpiritu ænomelitis, & ſæpe mutatum abſtrahe vſque ad dulcedinem relicto in fundo oleo antimonii:* cuius guttas à iiij. ad guttas vj. dantur ad febres, quibus prodeſt vomitum mouere & aluum ſoluere. — *Oleum polychreſton Quercetani.*

Oleum antimonii mercuriale Zuingeri.

℞. *Reguli ſtibii & mercurii ſublimati ana p. æ. deſtilla per retortam more aquarũ fortium.*

In collo vaſis ſubſtantiam concretam — *Oleum antimonii Mercuriale.*

colligè, quæ eſt diaphoretica. Criſtallinam vero glaciem è recipiente extractam deſtilla denuo per retortam, excipies oleum quo vti potes pro cauſtico, ſed ſatius eſt cõuertere in medicinam purgantem. Proijce ergo in aquam calentem, coagulabitur & fundum petet. De capulata aqua (qua potes corallia ſoluere) coagulum exſicca, effuſoq; iterum & abſtracto vini ſpiritu edulca, id quod ſæpius fieri debet. Hoc per ſe vomitiuũ eſt, ſi vti velis, perge & affuſo vino generoſo macera calide, deſtilla ſpiritum cum phlegmate & remanebit liquor purgans.

CAP. XXV.

De aliis medicamentis ex antimonio, videlicet de ſyrupo, ſchypho, globulis, annulis, nummis, gemmis purgantibus & de clyſtere antimoniali.

Syrupus antimonij.

Syrupus antimonii purgans. ℞. *Vini albi* ℥ vj. *aquæ roſarum* ℥ ij. *Infunde per noctem antimonij* ℥ j. *in colatura per inclinationem facta diſſolue ſacchari albiſſimi* ℥ viij. *fiat ſyrupus mediocriter coctus.* doſis ab ℥ ß. ad ℥ j. ex cochleari poſt hauſtum ius pulli aut carnis vitulinæ, valet cumprimis (aiunt chymici) hac ratione vſurpatus ad cruciatus colicos in paralyſin vergentes.

Sunt, qui calices, globulos, annulos & nummos purgantes ex *antimonii vitro, croco, regulo* vel *calce* præparant.

Calix. Calix integer vitriformis vel alia ratione paratus, liquori infuſo vehementiam nimis efferatam operandi communicaret, proinde fundum obducere *tabella*, aut *vitro antimonii* ſufficeret.

Sunt, qui globulum perforatum conformant, eumq; filo alligatum alte in rectum inteſtinum pro glande intrudunt.

Globuli antimonii purgantes. Vel globulos integros ex *regulo* aut *vitro plumbi* vel *marchaſita* deglutiendos præſcribunt, & aſſerunt horum potiorem, quam pulũerum eſſe vſum, & tantum alterare formaliter & ſpiritualiter.

Alii capiunt gemmam ex *vitro antimonii* paratam, eamque ſolido *auro* forma annuli ita, vt ab vtraque parte emineat, includunt, vel plures gemmulas per circuitum auro infigunt, vel ex vitro nummum purgantem conficiunt. Hæc quando vſurpare volunt, per noctem vino hydromeliti vel aquæ immittunt, mane circumactum liquorem exhibent, & in lecto, ac ſi ſudandum foret, permanere iubent, annulum vero vel nummum abſterſum in vſus plures recondunt.

Clyſter ex antimonio. Tandem tuto & vtiliter dragmam dimidiam vel integram in liquore competente infundere, infuſum pro clyſtere ſubiicere aſſeuerant chymicorum præſtantiores.

Atq; ita breuiter pro inſtituti ratione, diſpeximus, quo pacto remedia ex antimonio intus potiſſimum vſurpanda præparentur, idq; per calcinatio-

cinationem igne ſolo, vel cum *ſale petræo*, aut *aqua regia* vt ſpiritus ille vomitiuus exſpiret, & exhauriatur, vel quo modo in *oleum*, *tincturam*, vel *panaceam* reducatur, aut *cryſtalli* ad febres diuturnas, & intermittentes conficiantur, vel *flores* calore impellente eleuentur, vomitiui quidem, ſed qui, dummodo *ſpiritu vini mellis vitrioli*, aut *ſupra* monſtratis rationibus artificioſe tractentur, omnem vehementiam exuant, ſola deiiciendi facultate ſeruata, aut deniq; quo pacto *ſtibium auro* ſociatum fiat hydroricum eximium *hydrargyro* copulatum euadat *mercurius vitæ*, cuius virtutes ſint vere vitales, ſi aurum accedat.

Breuis anacaphaleoſis doctrina de antimonio tradita.

GRATIARVM ACTIO.

Tibi æterno omnipotenti Deo, Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum filio vnigenito, & Spiritu ſancto, Sacroſanctæ & inenarrabili Trinunitati ſit maieſtas, honor, & benedictio, qui in hac cadaueroſa mundi canicie & ſeculorum ſenecta, inter mauortios armorum fremitus & fatales rerum mutationes, meis laribus tuta Halcyonia, mihi animi & corporis vigorem viresque tales impertiri dignatus es, vt hoc qualecunque opus, tenue quidem & extra Parnaſſos natum, at Reipubl. medicæ perneceſſarium, multisque optatum & vtiliſſimum, tuo inprimis honori deſtinatum & publico bono liberaliter legatum & indultum, necquicquam interpellantibus laboribus practicis, hoc biennio elucubrare, dedolare & ad vmbilicum ducere potuerim; Tibi etiam atque etiam Sacroſanctiſſima Trinitas & incomprehenſibilis vnitas ſit maieſtas, honor, gloria, & benedictio omnibus ſeculorum ſeculis; AMEN.

SAcer itaque eſto hic liber
Non Theologis, quod careat myſteriis,
Non Iureconſultis, quod ſit expers litium,
Non Philoſophis, quod Stoico indulgeant ſupercilio,
Non politicis, ne decore ludar;
Non medicaſtris, quod officioſe occidant,
Non empiricis, quod impune iugulent,
Non aulis, quod pleræq; plures alant Placentinos quam Veronenſes,
Non mundo, quod totus agat hiſtrioniam.
Non vulgo, quia deſipit,
Non ſeculo, quia peſſimum,

Cui ergo?

Tibi DEO VNI TRINVNI

Quod

Ab vno omnia, & omnia ad vnum:

&

MEO PRINCIPI:
Atq; ex hoc
Cuicunq; cordi candido.

F I N I S.

INDEX RERVM ET MATERIARVM IN *Aurora Medicorum comprehenſarum abſolutiſsimus.*

Prior numerus librum, alter caput eiuſdem libri, poſtremus numerum paginæ notat.

A.

Abſinthij genera, qualitas & virtus l. 2. c. 6. 220.

Abſinthium bilem & pituitam purgat, prodeſt cachecticis ictericis, & ſtomachicis ibid.

Abſinthij vſus ad hydropem, preſeruationem à colica paſsione, ad grumos ſanguinis in veſica & quartanam ibid.

Abalzemer Perſis eſt ſena Arabum lib. 2. cap. 18. 266

Acetum an conueniat in morbis ab humore melancholico l. 1. c. 11. 61

Alui fluxus quomodo conducant in acutorum morborum initio l. 1. c. 26. 139

Ad animi deliquium in quot caſibus ſanguinem educere liceat l. 1. c. 29. 155

Ad animi deliquium nunquam purgando procedendum l. 1. c. 29. ibid.

Acorus verus, officinis calamus aromaticus: eius vires & vſus l. 3. c. 29. 498

Antimonii correctio extractio reguli flores albi citrini rubei, epar, tinctura, ſulphur & ſal l. 1. c. 7. 44

Aqua Benedicta Rulandi Hartmanni & Quercetani ibid. 46. 47

Antimonio num poſsit adimi vis vomitiua, manente aluiduca & an electiue trahendo num vero turbando purget ibid. 47

Aqua antipodagrica l. 2. c. 11. 239

Apozema & ellebor. nigro ad hypochondriacas affectiones l. 2. c. 20. 276

Alimentum quid ſit l. 4. c. 9. 583

Antidyſentericum ſpecificum ad dyſenteriam l. 1. c. 34. 177

Aphoriſmorum Hipp. de purgatione veræ explicatio l. 1. c. 24. 124

Acetum philoſophorum l. 4. c. 13. 605

Aloes qualitas & virtus formalis l. 2. c. 5. 211

Aloes mirabilis efficacia & virtutes ibid.

Aloe ventriculo potiſsimum prodeſt & affectibus ab illo dependentibus ibid.

Aloe eſt natura balſamus, vermium antidotus, ab arthritide præſeruat ibid.

Aloe intus ſumpta venas & cum primis in anu reſerat, hæmoptoſin ſedat, & extus applicata eas claudit. ibid.

Aloe ante cibum, cum cibo, & poſt cibum vtiliter datur ibid.

Aſthmatico ſumente paroxyſmo an conueniat purgatio & quomodo in aſthmate purgandum l. 1. c. 2. 7

Aſthmatis remedium l. 2. c. 11. 235

Apoplexia incidente ſtatim violenter purgandum l. 1. c. 17. 90

Anguria quid ſit, eius vires & vſus l. 3. c. 5. 426

Angina vena ſectionem & purgationem celeriter requirit l. 1. c. 17. 89. 90

Alopeciam

Alopeciam ſanat Euphorbium l.2.c.34.345
Anginarum occultarum curatio per Elaterium ex Aetio l.2.c.42.396
Æſtate an & quomodo conueniat purgatio l.1.c.28.147
Æquinoctia in purgando reſpicienda ibid.
Agerati vires l.3.c.34.514
Ageratum necat vermes ibid.
Aquæ matricocæphalicæ ad vteri cerebri & neruorum mala præſtantiſſimæ deſcriptio l.2.c.23.296.
Aminoniacum purgat pituitam à neruis & articulis, efficaciſſime viſcerum obſtructiones tumores & ſcirrhos ſoluit, intus extuſq; adhibitum l.2.c.25.301
Argumenta Saluiani contra vſum minoratiuarum purgationum in principio & ſtatu morborum omnia euertuntur l.1.c.23.116.& aliorum c.24.124.
Aqua lactis terebinthinata ad nephritidem l.2.c.11.236.
Ariſtolochiæ genera l.2.c.22.285
Ariſtolochia rotunda vera purgat pituitam, conducit epilepſiæ, aſthmati, dolori ex inflatione ventriculi & ſplenis, menſes ſecundas & fœtum mortuum & arthritidem ibid.
Apii virtus, vſus, & noxa l.3.c.39.528.
Aſparagi vires & vſus l.3.c.52.551
Autumno & vere purgare vtiliſſimum l.1.c.28.147.& ſeq.
Aſthmatis remedium l.2.c.22.286.
Arthritidis remedium ibid.& c.25
Aſthmatis & orthopnææ expertiſſima remedia l.2.c.25.303
Ammi ſemen vrinæ difficultatem ſanat, menſes ciet, fæcundat, conciliat l.3.c.49.546
Aſæ fœtidæ & dulcis hiſtoria, vires & vſus l.3.c.52.550.
Aloes noxæ quomodo corrigantur vt ſenibus, epati, hæmorrhoidibusq; ſit innoxia l.2.c.5.217
Aloes eſſentia ibid.
Aloes inſuccatio ibid.
Aloes inſuccatæ optima deſcriptio ibid.
Aloes præparatio & directio ad certas partes affectas ibid.
Agaricus ducit craſſam pituitam à meſenterio ventriculo & pectore l.2.c.28.316.
Agaricus per vomitum & ſeceſſum operatur ib.
Agaricus reſpicit maxime pectus idq; per ſuperiora & inferiora euacuat ibid.
Agarici vis quomodo ad partes affectas deducatur ibid.
Agaricus ad cauſam datur & contra venena ibid.
Agaricus vti in varia formetur remedia ad morbos pectoris ibid.
Aſarum purgat pituitam & bilem per ſuperiora & inferiora l.2.c.31.326
Aſarum medetur febribus ictericiæ, hydropi, ciet vrinas & menſes & ſudores, iuuat iſchiadicos ibid.
Aſari radix an puluis efficacius purget ibid.
Aſarum pellit venena, & ſanat morſus venenatos, ſanat ſtranguriam, medetur aſthmati & contracturæ ibid.
Aurum nullo artis beneficio in ſubſtantiam humido natiuo ſimilem eamq; reſarcientem tranſire aut adigi poteſt l.4.c.7.576
Aurum nunquam ita conformari poteſt vt naturam corroboret aduerſus morborum inſultus ibid.
Arthritici doloris theriaca eſt hermodactylus l.2.c.32.332
Ad articulares dolores cataplaſma ex hermodactilis ibid.
Aqua nephrocatarctica l.2.c.26.355.

Aqua ſpecifice hydrotica ad hydropem l.2.c.38. 365
Aqua deſtillata compoſita, hydropicorum aquas per aluum, ſudorem & vrinas propellens ibid.
Aqua antipodagrica ibid.
Aqua antiarthritica Libauii & Quercetani ibid.
Arthritidis remedia optima ibid.
Aloe quomodo omnium pilularum baſin vel corpus conſtituat l.3.c.28.490
Aloes inſuccatio ibid.
Aloes depuratio, extractio, inſuccatio pilularum angelicarum potiſſimam rationem conſtituit ibid.
Aloe aromatibus, ſpeciebus, catarcticis extractiſq; aucta vel remixta omnia pilularum genera promit ibid.
Angelicarum pilularum apud Venetos vſitatarum deſcriptio ibid.
Angelicarum pilularum varia paradigmata ibid.
Alephanginarum pilul. compoſitiones, correctio, & vires l.3.c.29.495
Aurum nec ab arte nec à natura in nutrimentum & ſubſtantiam noſtram vt vitam conſeruet, verti poteſt l.4.c.8.579.
Aquila cœleſtis ſeu mercur. ſublimatus ad luem præſtantiſſ. l.4.c.12.602
Aurum vitæ mercuriatum vel mercurius vitæ auratus l.4.c.14.609
Auri vitæ variæ præparationes & virtutes l.4.c.14.ibid.
Auri vitæ admirandæ virtutes l.4.c.14.ibid.
Aurum vitæ Bornetti, eius vſus & virtus ad luem veneream, arthritidem & hydropem ſingularis ibid.
Auri tinctura l.4.c.14.613
Antimonii definitio, natura, principia l.4.c.15.616
Antimonii qualitates & vſus externus ibid.617
Antimonium eſt examen auri ibid.
Antimonii quæſit optima correct. ibid.
Antimonii remedia chymice præparata ibid.
Antimonii vitrificatio ibid.
Antimonium vitrificatum malignitatis eſt adhuc particeps ibid.
Antimonii vitrum quomodo præparetur vt innoxie ſumatur ibid.
Antimonii præparationes pro conficienda aqua Benedict. Rulandi ibid.
Aquæ benedictæ Rulandi compoſitiones ternæ, earumq; vſus ibid.
Aqua benedicta Quercetani ibid.
Antimonii Regulorum communium & ſtellatorum martis præparatio & vſus l.4.c.16.620
Antimonii crocus auratus diaphoreticus è ſcoriis Reguli Martis ſtellati factus ibid. 621
Antimonii pulueres diaphoretici, eorum confectio & vſus l.4.c.17.621
Antimonii diaphoreticum theriacale ibid.
Antimonii flores qui per ſublimationem fiunt, ex ſolo eo vel alij mixto eleuantur l.4.c.18.623
Antimonium per ſublimationem facti flores omnes malignitatis ſunt participes ibid.
Antimonii per calcinationem parati flores & aliaratione parati ſunt minus maligni ibid.
Antimonii oleum ad cancrum & deplorata vlcera præſtans remedium ibid.
Antimonii florum variæ præparationes, doſis & vſus ibid.
Antimonium quomodo debeat eſſe præparatum vt recte extrahatur ex eo tinctura l.4.c.19.626.
Antimonii extrahendi quæ ſint menſtrua ibid.
Antimonii tincturæ vires incomparabiles ad grauiſſimos morbos l.4.c.19.627
Antimonii tincturæ iuxta Bornettum, Paracel-

ſum, Rogerium, Quercetanum, Beguinum Glückradium alioſq; l. 4. c. 19. 627
Antimonij mercurius quomodo præparetur l. 4. c. 20. 631
Antimonii oleum mercuriale ibid.
Antimonii ſal vt præparetur ibid.
Antimonii acetum vti fiat ibid.
Antimonii Panacæa ex oleo ſole & mercurio eius vt præparetur l. 4. c. 20. 631
Antimonii extractiones variæ l. 4. c. 21. 633.
Antimonii eſſentia dulcis ibid.
Antimonii vitrificati extractio ad lepram & aſthmata ibid.
Antimonii oleum qui ſit balſamus vulnerarius ibid.
Antimonii oleum panacæam valens ibid.
Antimonii arcanum ibid.
Antimonii elixir ibid.
Antimonii puluis fixus, albus, emmeticus, & alius F. Baſilii mirabilis efficaciæ ibid.
Antimonii per proprium acetum extractio ibid.
Antimonii florum, & item epatis extractio ibid.
Antimonii Balſamus ibid.
Antimonii ſulphur & Balſamus admirandarum virtutum ad inexpugnabiles morbos lib. 4. c. 22. 639.
Antimonii ſalis oleum polychreſton ibid.
Antimonii olea varij generis l. 4. c. 23. 638
Antimonii oleum dulce purgans ſine violentia à remotis partibus ibid.
Antimonii oleum ad febres communes, & malignas & peſtem ibid.
Antimonii oleum ad luem Gallicam & epilepſiam multoſq; morbos ibid.
Antimon. oleum ad epilepſiam ibid.
Oleum ſulphuris Antimonii ibid.
Antimonii liquor rubeus purgans ibid.
Antimonii olea compoſita l. 4. c. 24. 640
Antimonii oleum polychreſtum ibid.
Antimonii oleum mercuriale ibid.
Antimonii ſyrupus purgans l. 4. c. 25. 641
Antimonii globuli, gemmæ, annuli, nummi & ſcyphi purgantes ibid.
Antimonii clyſter. ibid.
Anacæphaleoſis doctrinæ de antimonio tradita ibid. 642.

B.

Balſamus ſulphuris ſingulare remedium in ſyeliſmo & affectione hypochondriaca l. 1. c. 11. 62
Baſis eamque perficientium inuentio lib. 1. c. 35. 185
Baſis quid ſit l. 1. c. 36. 186
Baſis ſpeciem qualitatem huiuſque gradum & doſin indicat morbi ſpecies & quantitas lib. 1. c. 36. 186
Baſis ſimplex à ſimplici indicatur affectu, compoſita à compoſito l. 1. c. 36. 188
Baſis indicatione à natura affectus inuenta, conueniens redditur per condicantia à parte affecta & natura ægri, & illius conſtitutione l. 1. c. 37. 185.
Balſamus ſulphuris terebinthinatus l. 2. c. 11. 235.
Balſamus terebinthinæ vulnerarius ibid.
Balſamus Podagricus l. 2. 25. 308
Balneum pedum ex colocinthide menſes ciens l. 2. c. 33. 340
Braſſica vulgaris an tanta virtus vt veteribus & vulgo hodie perſuaſum l. 2. c. 30. 331
Braſſicæ marinæ natura, temperies, & facultas ducendi ſeroſas hydropicorum aquas ibid.
Braſſicæ marinæ varia remedia ad hydropem ibid.

Braſsicæ marin. extractum ibid.
Braſsica marina non eſt remedium violentum & virulentum vti ſenſerunt veteres ibid.
Bryoniæ qualitas & temperies & vis hydragoga l.2.c.37.355.
Bryonia cerebro, vtero & neruis ſpecifice medetur ibid.
Bryonia aduerſatur ſpecifice venenatis beſtiolis & vermibus in humano corpore natis l.2.c.37. ibid.
Bilis feruida præparatur frigidis & humidis, mobilis & auſteris & acerbis, craſſa acidis, viſcoſa detergentibus l.1.c. 9.55
Bilem vitellinam porraceam æruginoſam præparantia ibid. 57
Bilis porracea æruginoſa & atra vt plurimum lethales morbos producunt ibid. 56.57.
Balneum pedum menſes prouocans l. 2. c. 37. 359.
Beſtiolarũ venenatarum ex corpore expulſio. l.2. c.37.359.
Baccarum ſambuci extractum ad hyſtericas affectiones l.2.c.38.363
Bilem per ſudorem ſenſibiliter exigit cyclaminus l. 2.c. 39.375.
Benedicta laxatiua compoſitio examen vſus & doſis l.3.c.11.444. & ſeq.
Benedicta laxatiua quibus affectibus conueniat. ibidem.
Bilem atram & humorem melancholicum conuenienter euocans potio ex confectione Hamech & decocto Helleb. nigro l.3.c. 16. 458. & ſecuntur.
Benigniora purgantia paulo ante cibum ſumpta fælicius & vberius purgare l.3.c.27.487
Balſamus veterum quid fuerit. l.3.c.29.500
Balſamus neotericorum quid ſit ibidem.
Balſami neotericorum vires & vſus ibid.
Balſamorum Indicorum & Peruanorum vires & remedia ad febres, contracturas, aſthmata, dolores colicos, vteri & veſicæ aliaque corporis mala l.3.c.29. ibidem.
Bdellium quid ſit, eius virtus & qualitas & vſus l.3.c.42.532.
Bdelliũ menſes ducit, vrinas ciet, calculos pellit...
Blaſphema in Deum eſt opinio Paracelſi quâ immortalitatem arte & ex auro poſſe comparari aſſerit. l. 4.c.10.590
BeZoarticum minerale ad peſtem & febres malignas. l.4.c 13. 608
BeZoartici metallici præparatio vſus & præſtantiſsima virtus ad graues morbos l. 4. c. 14. 609.
Bezoartici ſolaris conſtructio vſus & vires, ibi.
Baſilius notatur l. 4. c. 21. 634
Balſami antimonÿ extract. l.4.c.21.636

C.

Cacochymiæ cauſæ, differentiæ, ſedes, c. 1. l.1.3
Cacochymiæ debetur purgatio, vti plethoræ venæ ſectio l.1.c.12
Cacochymia ſine putredine ſolam purgationem perſe requirit cum putredine & febre purgationem & venæ ſectionem l.1.c.19.95
Cacochymia ſecundæ regionis quæ ex prima originem ducit & fouetur nequaquam vena ſectione educenda l.1.c.19.96
Chalybeata remedia an & quomodo hypochondriacis, Cachecticis & fluxione infeſtatis proſint l.1.c.12.67
Chalybis pulueres, vina, maluaticum chalybeatum, tinctura, extractum, ſyrupus. ibidem
Calculi remedia lib.2.c.11.237
Cataplaſma ad dolores podagricos l. 2. c. 38. 369.

Caſtorei virtus, vtilitas & quid ſit l. 3. c. 28. 490.
Centaurium minus bilem & pituitam purgat, febres, vermes, & menſes pellit, iſchiadicis & neruorum vitijs opitulatur, viſcerum obſtructa ſoluit l. 2. c. 7. 223
Centaurij maioris vires & vſus ibid. 223
Centaurium magis contrarijs viribus & præditum, aperit & adſtringit. ibidem
Chamædrys bilem purgat, obſtructiones eximit, febres pellit, viſceribus, cerebro & neruis conuenit, podagricos iuuat l. 2. c. 8. 224
Clyſteria ad dyſenteriam l. 1. c. 34. 179
Colici doloris remedium l. 2. c. 11. 235
Calculum & arenas pellentia remedia ibidem.
Capillamentorum herbis adnaſcentium varia genera l. 2. c. 16. 259
Caſſutha humorem melancholicum incidit, attenuat, viſcera aperit, ſimulque roborat, omnes ſanguinis impuritates adimit, quartanis & cotidianis medetur l. 2. c. 16. 260
Caſſutha ita conuenit epati quemadmodum epithymus lieni ibidem.
Confectio Paracelſi de lapide Lazuli ad hydropem l. 2. c. 19. 269
Catharro ſuffocatiuo incidente purgare periculoſum l. 1. c. 2. 10. 11.
Caßiæ vires, qualitas & lenientia ex ea preparata remedia l. 3. c. 2. 419
Catarrhi ſuffocatiui remedium & ſecretum ex croco l. 3. c. 29. 503
Cibus an recte detur paulo poſt ſumptum pharmacum, an pharmaci operatione abſoluta, an cibo conuenienter miſceantur vel interponātur l. 1. c. 28. 151
Confectionis Hamech examen, vires, vſus & doſis l. 3. c. 16 460
Confectio Hamech recte cum decocto Hellebori vſurpatur ibid.
Chriſtalli vomitorij ex vitrido martis viridi l. 1. c. 7. 44
Concoctionem veram ſolus ſanguis & ſanguinei humores putreſcentes recipiunt. l. 1. c. 8. & c. 20. 51. & 102
Cruditas duplex, alia ſubſtantiæ vt in ſanguine putreſcente alia in qualitatibus ibidem & cap. 16. 81
Concoctio an ſit exſpectanda in febribus ab excrementitiorum humorum putredine natis ibidem. 83
Croci martis varia genera l. c. 13. 69
Cocta medicari oportere de ſolis ſanguineis humoribus intelligendum, cæteros quacunque praua præparatione recte educi, ſi vires tolerent. l. 1. c. 16. & c. 20. 83. & 104
Concoctionis veræ tres notæ l. 1. c. 20. 104
Concoctionis definitio & natura iuxta Ariſtot. & Galen. l. 1. c. 20. 104
Cruditas quid ſit ibidem.
Cruditas naturæ & differentia & qui humores reuera ſint crudi l. 1. c. 21. 107
Cruditas quam late accipiatur medicis. ibid.
Cruditas & concoctionis doctrina à Fallopio tradita refutatur l. 1. c. 25. 128
Conſeruatio quomodo perficiatur l. 1. c. 28. 145
Curatio quomodo fiat ibid.
Curatio hypercatarſeos l. 1. c. 33. 169
Curatio dyſenteriæ methodica l. 1. c. 34. 174
Carthami ſemen purgat pituitam & ſeroſos humores l. 2. c. 21. 283
Carthami ſemen eſt adpropriatum remedium ad dolorem colicum l. 2. c. 21. ibid.
Carthami ſemen peculiariter confert pectoris morbis & viſcerum obſtructionibus, ictericiæ & hydropi ibid.
Cancri & fiſtularum remedia l. 2. c. 22. 286

Caryo-

Caryocoſtinum Bairi & recentiorum cui proſit morbo l. 2. c. 32. 333
Colocynthidis temperamentum & violentia l. 2. c. 33. 355.
Colocynthis ab articulis & ex abdomine potiſſimum purgat craſſos, pituitoſos & ſeroſos humores ibid.
Colocynthidis vera præparatio in diuturna maceratione conſiſtit ibid.
Colico dolori ſumptus admotus & infuſus medetur cyclaminus l. 2. c. 39. 373
Clyſter ad hydropem vtiliſſimus. l. 2. c. 40. 384
Caſsiæ extractæ pro clyſterib⁹ & per os aſſumendæ compoſitio, examen & vſus l. 3. c. 3. 421
Cinamomum quid ſit, an verum habeamus: eius vires & vtilitas l. 3. c. 29. 495
Cinamomum idem eſt quod caſsia vera. ibid.
Croci vires & vſus l. 3. c. 29. 502
Crocus eſt anima pulmonum ibidem.
Crocus omnibus pectoris morbis medetur. ibid.
Crocus cordi ſummopere intus & extus opitulatur. ibidem.
Chamelæa ſpecies mezerei l. 2. c. 45. 409
Chamelææ virtus, vſus & correctio ibid.
Cataplaſma ex ſemine Rizini vomitum citans l. 2. c. 45. 412.
Claretum purgans ex Rizino ibidem.
Conſerua roſarum ſuauiter purgans l. 3. c. 8. 435.
Confectionis de manna Galeni compoſitio & vſus l. 3. c. 26. 486
Cubebarum hiſtoria & vires l. 3. c. 29. 498
Cubebæ menſes & ſecundas peculiariter pellunt. ibidem.
Cardamomi differentiæ, vires l. 3. c. 29. 499
Cardamomum valet ad paſsionem colicam & calculum ibidem.
Cachexiæ medentur Ruffi l. 3. c. 30. 505
Chelidonii virtus ad oculorum affectus l. 3. c. 39. 529.
Collyrium ex chelidonio ad oculos ibidem.
Chelidonii virtus ad peſtem & febres malignas, & epatis mala ibidem.
Cumini virtus l. 3. c. 43. 535.
Coſti veri boni hiſtoria, notæ & vires. l. 3. c. 544
Calaminthæ genera, qualitates, vires & vſus. l. 3. c. 49. 545.
Calmintha menſes ſtrenue ciet, obſtructa aperit, orthopnææ & aſthmati medetur ibidem.
Cyclaminus pituitam & aquas purgat, omnium viſcerum obſtructiones ſoluit, menſes & hæmorrhoides aperit, fœtum corrumpit, bilem per ſudorem ſenſibiliter expellit l. 2. c. 39. 374.
Cyclaminus purgat illitu ventris ex quo inuenta eſt compoſitio de arthanita ibid.
Cyclaminus quocumque modo adhibitus medetur ſcirrho & tumori lienis l. 2. c. 39. 375
Corroboratio eſt duplex vera & notha l. 4. c. 9. 581.
Crocus antimonii & ſulphur eius fixum l. 4. c. 15. 617
Clyſter antimonii purgans l. c. 25. 641

D.

Dauci virtus & vtilitas l. 3. c. 40. 531
Daucus vteri cruciatibus confert ibi.
Dactylorum natura, qualitas & correctio l. 3. c. 12. 497.
Decoctum veteris Galli ad hypochondriacam affectionem & ſcorbutum l. 2. c. 14. 256
Decoctum hydragogum l. 2. c. 38. 364
Differentiæ concoctionis l. 1. c. 1. 4
Differentia purgationis l. 1. c. 20. 103
Differentia cruditatis l. 1. c. 21. 109

Dignitas & officium partis affectæ quid indicet. l.1.c.37.192
Digeſtiua chymicorum fiunt ex tartaro l.2. c.10.230
Diagrydij varia præparatio & exhibitio l.2. c.13.245
Dentes vt excidant l.2.c.25.309.
Dentium dolorem mitigans l.2.c.28.317
Doſin purgantis certa & infallabilis inuenien-di & recte conſtituendi ratio l.1.c.38.198
Doſis pharmacorum ſimplicium ad mixtionem concurrentium ibidem.
Doſis in compoſitis purgantibus vt inueſtigetur. ibidem.
Doſes ſpeciales quorumcūq; pharmacorum pur-gantium deſignantur l.2.c.2.203
Doſes ex prima ſecunda & tertia regione pur-gantium ibidem.
Decoctum polypodij ex iure Galli veteris cum ali-is appropriatis ad hypochondriacam & coli-cam paßionem, pectoris & lienis mala l.2. c.15.257. & l.2.c.21.283.
Dolorem colicum afferentes pilulæ expertiſſi-mæ l.2.c.24.299
Dolori arthritico & Iſchiadico ſpecifice medetur opoponacum hauſtum l.2.c.26.310
Doloris colici remedium ex euphorbio l.2.c.34. 341.
Dolori colico proprie medetur cyclaminus ſum-ptus iniectus & admotus l.2.c.39.375
Diacarthamum magiſtrale & ſolidum pro de-licatis l.2.c.21.283
Decoctum veteris Galli agaricatum ad morbos pectoris l.2.c.28.316
Diaturpethi origo & cauſa compoſitionis. l.2. c.29.323
Diaſarum Fernel. l.2.c.31.326
Diaphnoides ſeu Laureola eſt tertia ſpecies Me-zerei l.2.c.44.407
Diaphnoides aquas ducit, & pituitam violenter, recte pro Mezeræo ſumitur ibid.
Daphnoides tranſit ad alexipharmaca ſi rite præparetur ibid.
Daphnoidis multiplex correctio præparatio & vſus ibid.
Diacaßiæ cum manna Auguſtanis vſitatæ com-poſitio, examen & vſus l.3.c.3.421
Dracontiorum & vagæ arthritidis remedium. l.2.c.22.288.
Diaſebeſten vſus, vires & examen l.3.c.5.426
Diaprunis lenitiui & ſolutiui compoſitio, exa-men, doſis, & vſus l.3.c.6.429
Dyſenteriæ definitio, cauſa, differentiæ, ſigna, & omnis generis exquiſita remedia l.1.c.34. 181. & ſeq.
Dyſenteriæ adprime conuenientiū purgantium formula traduntur l.2.c.17.261
Dyſenteriæ epidemicæ remedium l.2.c.38.365
Diapaſſulator. laxatiuor. quatuor genera. l.3. c.7.431
Diacatholici compoſitio, correctio, examen, vſus & doſis l.3.c.10.441
Diaphœnici electuarium corrigitur: & quomo-do rectius præparandum & vſurpandum ſit, docetur l.3.c.12.446
Diaphœniconis in Forma ſolida deſcriptio ibid.
Diaphœnico Fernelij deſcriptio. ibid.
Diacarthami Arnoldi examē, correctio, vires & vſus, & quod id cæteris omnibus aliorum ſit præferendum l.3.c.13.451
Diacarthamum in forma ſolida ibidem.
Diacarthami extractum iuxta Andernacum. ibidem.
Diaturbith cum Rhabarbaro vnde originem, in-crementum & perfectionem ſuæ compoſitionis acceperit l.3.c.8.433 464.
Diaturbith cum Rhabarbaro examen, vſus, doſis, & quibus affectibus conueniat ibid. 464.

Diaſenæ Nicolai & Diabelzemer Renodæi conſideratio, examen, vires, vſus & doſis l.3. c.20. 468.

Diacydoniorum tam roborantium quam laxantium prima origo, progreſſus & perfectio, vſus, virtus adhibēdi, regula & doſis. l.3.c.22.473

Diacydonium Galeni roborans ventriculum frigidum, & calidum ibid.

Diacydonium Nicolai, & Cordi ibid.

Diacydonium laxatiuum pellucidum, ſuaue, laxatiuum. ibid.

Diacydonium Fernelij laxat. ibid.

Diacydonium catholicum purgans ſine & cum Diagrydio ibid.

Diacydonium laxatiuum ſuaue Plateri ibid.

Diacydonites laxat. Auguſtan. ibid.

Definitio mercurij ſublimati l. 4. cap.3.562.

Definitio antimonij l. 4. c.15.616

E.

Ebuli vires & qualitas l.2. c. 38. 363

Ebulus & ſambucus purgant pituitam & ſeroſos humores ex abdomine & articulis ibid.

Ebuli germinum, foliorum, florum ſucci, rob baccarum, granorum horumq́; extracti, radicis, corticis, ſpongiarumq́; virtus & vſus. ibid.

Electuarij Eleſciph compoſitio, correctio, vires vſus & doſis l.3.c.19. 466

Epar antimonij l. 4.c.15.618

Eccoprotica ſeu lenientia pharmaca in quadruplici ſunt differentia l. 2.c.1.201.

Electuarij lenitiui Florenzolæ præparatio, examen, & vſus l.3.c.3.422

Electuarij de Pſyllio Meſuæ & Montagnanæ deſcriptio, differentia, examen, correctio, vires, vſus & doſis l.3.c.15.455

Electuariorum de ſucco roſarū differentia, cōpoſitio, vires, vſus, & doſis. l.3.c.17.462

Electuarium hydragogum Fernel. l.2.c.38.365

Electuarium hellebori nigri l.2.c.20.276

Electuarium diabryoniæ purgans. l.2 c.37.365

Electuarium diabryon. ad mala cerebri & neruos ibid.

Empirica ad dyſenteriam remedia l.1.c.34. 183.

Emulſio ſuauiter purgans pro delicatulis ex ſemine carthami l.2. c.21.283

Epilepſiæ præſtantiſſimum remedium l.2.c.22 286.

Electuarium nephrocatarcticum l.2.c.36.352

Electuaria ex ſucco Iridis ad hydropem l.2.c.40 380.

Elaterium ſtrenue purgat aquas, pituitam, & bilem, conducit hydropi & arthritidi potiſſimum, dein, cephaleæ, hemicraniæ, epilepſiæ paralyſi, viſcerum obſtructionibus, ictericiæ, l.2.c. 42.394.

Elaterij correctio, extractio, inſuccatio & vſurpatio ibid.

Elaterium faucibus illitum citat vomitum, naribus attractum pituitam, & vtero ſubditum menſes prolicit ibid.

Elaterij remedia varia ad hydropē, arthritidē, iſchiadem ibid.

Elaterium ſanat anginas occultas & Iliacam paſſionem ibid.

Electuarium de Mezereo ad hydropem Meſuæ & Fernelii l. 2.c.24.410

Euphraſiæ virtus ad oculorum affectus l. 3. c.39. 525.

Eſſentia chalybis l.1.c.12.63.& ſeq.

Extractum chalybis l.1.c.12. 65.& ſeq.

Per epicraſin quomodo fiant purgationes l.1. c.26.139

Epithymum Creticum purgat humorem atra-

bilarium

bilariũ à cerebro, corde, liene, & præcordijs, & quibus morbis proſit l. 2. c. 16. 259
Epithymum atros & craſſos humores incidit, tenuat, viſcera aperit, prodeſt quartanarijs & febribus antiquis; ſcabiei, lepræ, lienis obſtructioni & tumori, & hypochondriacis l. 2. c 1. 201
Errhinon ex cyclamino præſtans l. 2. c. 39. 373.
Electuaria de citro ſolutiua Guidonis, Renodæi, Argentoratenſium, Spirenſium, Actuarij, aliorumq́; l. 3. c. 21. 472
Eupatorium quale recipiendum ad mixturam pilularum de Eupa. c. 34.
Eupatorij genera ibid.
Error qui committitur in panchymagogorum præparatione l. 2. c. 13. 252
Extractiones Antimonii nazia l. 4. c. 21. 633.
Elixir antimonii l. 4. c. 21. 634
Euphorbii virtus & qualitas, ducit craſſos humores à cerebro, neruis, articulis, eorumque affectibus frigidis propriè conuenit l. 2. c. 34. 343
Errhinon efficax ex euphorb. l. 2. c. 34. 344
Eryſipelatis remedia ſelectiſſima l. 2. c. 38. 368.
Errhina ex elaterio l. 2. c. 42. 394
Eſula hydropicorum aquas, pituitam & atram bilem educit l. 2. c. 46. 416
Eſula quibus morbis conducat. ibid.
Eſulæ cortex potiſſimum vſurpatur ibid.
Extracti Eſulæ præparationes aliquot ibid.
Eſulæ corticis puluis & decoctum ibid.
Extractum agarici quomodo præparetur l. 2. c. 28. 316
Extractum granorum ebuli ſpecificum purgans ad hydropem l. 2. c. 38. 361. & ſeq.
Extractum Rhabarb. l. 2. c. 12. 241
Extractio diagridia varia & quæ ſit optima l. 2. c. 13. 245
Extracta purgantium omnium quomodo ritè fiant, & quibus menſtruis ibid.
Extractum Hellebor. nigr. l. 2. c. 20. 275

F.

Fallopii argumenta quibus definitionẽ purgationis Galenicã oppugnat, refutatur l. 1. c. 2. 6
Fallopii de cruditate & coctione deq́; putredine corrigenda, & minoratiuis purgationibus intermittendis opinio refellitur l. 1. c. 25. 130
Fatui exitum facilem parat crocus l. 3. c. 29. 503.
Fæniculi virtus & vtilitas l. 3. c. 39. 527
Fæniculum acuit viſum, & multiplicat lac. ibidem.
Fæcunditatem concilians remedium ex ſem. ammi l. 3. c. 49. 546
Facilem partum concilians remedium l. 3. c. 52 551.
Fratres Roſeæ crucis ſunt diſcipuli Paracelſi, profeſſores magiæ & commenticiæ immortalitatis l. 4. l. 10. 591
Febrium malignarum curatio rationalis l. 1. c. 8. 53
Febres malignæ & peſtis malignâ humorum putredine l. 1. c. 22.
Febres generantur cum putreſcunt humores, non vero cum putruerunt ibid.
Florum antimonii varia præparationes l. 4. c. 18. 624
Febres intermittentes an in paroxyſmis admittant purgationes l. 1. c. 27. 112
Febres intermittentes longe à craſſis humoribus vti quartanæ curantur vomitoriis & pur-

& purgantibus ſub paroxyſmo datis l. 1. c. 27. 143. & ſeq.
Febrium rigores ſiſtens remedium l. 2. c. 22. 288.
Febrium inſultus reprimit opoponacum. l. 2. c. 26. 309.
Febres tam lentas quam malignas exigens puluis l. 2. c. 31. 335
Formulæ lenientium compoſitorum cuiuſcunq; generis humores educentium l. 3. c. 2. 420
Flos caßiæ quid ſit & quomodo paretur l. 3. c. 3. 421.
Febrium malignarum & peſtis remedium ex chelidonio l. 3. c. 39. 526
Fundamenta medicinæ Paracelſicæ euertuntur l. 4. c. 6. 573
Florum antimon. ex regulo præparatur l. 4. c. 16. 621
Forma an non poßit agere ſine accidentium miniſterio l. 1. c. 4. 24
Formarum actiones immanentes & tranſeuntes, & virtuales ibid. & ſeq.
Formis primo adſcribenda purgandi virtus ibidem.
Forma eſt cauſa ſuarum qualitatum in materia ibidem.
Fœminæ hyſtericæ & virgines & viduæ caſtæ, & menſtruatæ non facile tolerant purgantia. l. 1. c. 15. 78.
Formali proprietate ſanantia morbos l. 1. c. 37. 193.
Folium quid ſit, eius vires l. 3. c. 49. 545.
Fumaria atros & bilioſos ſalſos aduſtoſque humores purgat, & ſanguinem vniuerſum mundat l. 2. c. 14. 253
Fumariæ ſuccus omnia cutis vitia, ſcabiem, lepram, & vitiliginem ſanat ibidem.
Fumaria ad febres chronicas, hypochondriacam, icteritiam, ſcorbutum & vermes prodeſt ibid.
Fumariæ ſuccus inſpiſſatus ad ſudorem promouendum in ſcabie datur ibid.
Fiſtularum & vlcerum putridorum remedium l. 2. c. 22. 287.
Flores geniſtæ inſtar capparorum conditi medentur calculo & ſcrophulis l. 2. cap. 36. 352.
Fæcula ex bryonia l. 2. c. 37. 359
Frangula craſſam bilem & pituitam per ſuperiora & inferiora educit l. 2. c. 43. 402
Frangula ſanguinis & viſcerum impuritates & obſtructiones eximit, cachexiæ, ſcabiei, eryſipelati & hydropi medetur l. 2. c. 43. ibidem.

G.

Galbanum quid ſit, quomodo à cæteris gummatibus differat, eius qualitas & vires l. 2. c. 24. 297
Galbanum reſpicit cerebrum, vterum, neruos & neruoſas partes ibid.
Galbani remedia ad cephalæa, epilepſiam, dyſpnæam, hydropem, vteri ſuffocationes, viſcerum obſtructiones, & arthritidem ibidem.
Galbanum quoquo modo vſurpatum vteri mala & cruciatus colicos lenit l. 2. c. 24. ibid.
Galbani oleum & ſuffitus excitat ſuffocatas ab vtero, & prouocat menſes & fœtum ibid.
Galbanum eſt antidotus veneni & beſtiolarum venenatarum, & pellit vermes ibid.
Gelatina ſeu pellucidum cydoniorum purgans ſuaue l. 3. c. 22. 474
Garyophyllorum hyſtoria & vires l. 3. c. 29. 498.

Garyo-

Caryophylli compeſcunt vomitum, alui fluxus, cæliacam & nauſeam, proſunt Paralyſi, incitant venerem, pellunt contagia ibid.
Geniſtæ vires & temperies l.2.p.36.351.
Geniſtæ ſemen, pituitam & feroſos humores ſtrenue educit ibid.
Geniſta medetur hydropi, lienis obſtructioni, arthritidi, calculo & ſtrumis ibid.
Gratiola pituitam, bilem & aquas per ſuperiora & inferiora violenter educit l.2.c.43 399
Gratiola cachecticis, hydropicis, viſcerum pertinacibus obſtructionibus & impuritate laborantibus medetur ibid.
Gratiola medetur ſcorbuto ibid.
Gratiolæ puluis, ſal extractum decoctum & infuſum venit in vſum ibid.
Gratiolæ ad hydropem, cachexiam & viſcerum infartus varia remedia ibid.
Generum, ſpecierum & indiuiduorum turpem confuſionem Paracelſus committit l.4.c.4.564.
Gonorrhææ remedia l.2.c.11. 238
Gonorrhææ remedium ex milio l.3.c.52.551
Gemmæ antimonij purgantes l.4.c.25.641
Globuli antimonii purgantes ibid.
Guttæ gummi varia nomina l.2.c.41.387
Guttæ gummi proprietas & virtus purgandi ſeroſas hydropicorum aquas, & arthriticorum ex articulis fluxiones l.2.c.41.388.
Guttæ gummi correctio ibid.
Guttæ Gummi doſis & exhibendi modus ibid.
Guttam gummi varij exhibendi modi & formulæ ad diuerſos humores ibid.

H.

Habitus corporis & tertiæ regionis ſuperfluitas recte non eximantur niſi prima & ſecunda ſint vacuatæ l.1.c.19.95.
Hæmorrhoidum remedium l.2.c.22.189
Hermodactylus non eſt colchycum ſed innoxie & vtiliter aſſumi demonſtratur contra Matthiolum l.2.c.32.331
Hermodactylus eſt Theriaca articularium dolorum, & conuenit ad luem ventream ibid.
Hemicraniæ ſpecificum remedium eſt euphorbium l.2.c.34.340 & ſeq.
Humor qualitate peccans requirit & indicat peculiare & ſibi determinatum purgans l.1.c.1.4
Humorum collectio in parte quot modis fiat, & quid in curatione huius conſiderandum l.1.c.6.39.
Humores in ventriculo collecti quomodo methodice educantur ibid.
Humor purgandus quot modis purgationem definiat l.1.c.16.81
Humores præter ſanguinem eiuſque partes nullam recipiunt concoctionem ſolaque præparatione præmiſſa quouis tempore, ſi vires, ferunt, recte euocantur l.1.c.16.81.
Humorum vitio quomodo ſiniſtra ſuccedat purgatio l.1.c.31.165.
Humores ſeroſos ab articulis & ex abdomine ſtrenue ducit gutta gummi l.2.c.41.389.
Hiera picra varietas vnde orta ſit, & qua de cauſa Galenus eam variatis hinc inde ponderibus tradat l.3.c.9.437
Hieræ picræ examen ibid.
Hiera picra potiſſimum ad ventriculi affectus ex prauis humoribus natis inuenta & vtilis eſt l.3.c.9.ibid.
Hiera picra tam craſſos quam tenues educit humores ex ſtomacho ibid.
Hiera picra prodeſt ſuffuſionem patientibus vitio ſtomachi bilioſas ventris affectiones vno die ſanat, inflationes diſcutit, tarda coctioni medetur

detur, mulieribus male purgatis opitulatur ibidem.
Hellebori nigri vera ad vſum iuxta veteres & neotericos præparatio l.2.c.20.274.& ſeq.
Hellebor. nigri virtus purgandi melancholicos, atrabilarios, & viſcidos pituitoſos humores ibid.
Helleborus niger, quibus conducat morbis ibid.
Hellebori nigri præſtantiſsima ad pertinaces affectus & varia remedia ibid.
Hydropem ſanantia remedia præſtantiſsima, ex Iride videlicet potiones, pilulæ, electuaria, ſyrupi, clyſteres l.2.c.40.379
Hydropicorum aquas ſtrenue educit gutta gummi l.2.c.40.ibid.
Hydropicorum remedia plura ibid.
Hiera cum agarico compoſitio & vſus l.3.c.9.436.
Hieræ Nicolai compoſitio, examen, doſis & vſus l.3.c.23
Hieræ Logadij Nicola. Myrepſ. examen, virtus & efficacia, vſus, doſis l.3.c.24.481
Hiera diacolocynthidos Pacchii ex Nicolao Alexandrino, examen, vſus, doſis l.3.c.25.483
Hyſtericarum affectionum remedia lib.2.c.38.367
Hydropi medetur cyclaminus l.2.c.39.373
Hypercatarſeos ſeu immoderatæ purgationis cauſæ, ſigna & accidentia l.1.c.33.169
Hypercatarſeos curatio methodica & remedia interna & externa ibid.
Hypericon bilem purgat, febres abigit, menſes & calculos ſemine exiget, vermes pellit, venenis medetur, vulnerariis miſcetur potionibus l.2.c.8.225
Hiperici aqua ad epilepſiam facit ibidem.
Hyperici ad vulnera neruorum aliarumq; partium oleum ibidem.
Hydroticum ad hydropem ex tartaro l.2.c.10.229
Humanæ ſubſtantiæ ſimilitudinem nihil induit extra hominem l.4.c.7.566
Humidum primigenium ſeu natiuum quid ſit l.4.c.9.582
Humiditas alimentaris eſt triplex & ſiccitas eſt triplex ibidem.
Humidum elementare in viua hominis parte non patitur nec perit ibid.

I.

Ialappii radicis hiſtoria & vires, ſeroſos bilioſos & pituitoſos humores educit lib.2.c.29.321
Ialappium vulgo Rhabarbarum nigrum nominatur l.2.c.29.ibid.
Icteritiæ remedium l.3.c.44.536
Indicationes curandarum partium generales l.1.c.6.38
Indicationes quæ à parte affecta ſumuntur ibid.
Intemperies qualibet quomodo curanda ibid.
Intenſum intendit remiſſum & remiſſum remittit intenſum in medicamentis tam ſecundis tertiis & quartis facultatibus, quam primis & manifeſtis agentibus l.1.c.36.189
Indicationes à parte affecta baſin determinantes ſeu coradicantia ſumuntur à dignitate, officio & ſitu partis l.1.c.37.193.& ſeq.
Infuſio hellebori nigri vt debite fiat l.2.c.20.274
Inflationem ventriculi & ſplenis ſedans remedium l.2.c.22.287
Iſchuriam & dyſuriam ſanat opopanacum l.2.c.26.309

Icteritiæ

Icteritiæ proprietate quadam medetur cyclaminus flauam bilem per ſudorem ſenſibiliter exigendo l.2.c.39.373.
Indi maioris & minoris examen, vſus & doſis proponitur l.3.c.14.452
Indum minus efficacius eſt maiore, & pituitam fortius educit ibid.
Iurulenta cur ſumpto pharmaco vulgo dentur l.1.c.30.161
Iris Florentina & Illyrica quomodo differat à noſtrate Germanica l.2.c.40.377.385
Iris noſtras purgat aquas & pituitam hydropicorum ſtrenue ibid.
Iridis ſucco potiſſimum vtimur.
Iridis remedia ſeu potiones, ſyrupi, pilulæ, electuaria, clyſteria experta ad hydropem ibid.
Iridis exoticæ ſeu Illyricæ & Florentinæ vires & vſus ibid.
Iliacæ paßionis curatio per elaterium l.2.c.42.391
Inuentio & origo pilular. l.3.c.27.487
Inſuccatio Aloes l.3.c.28.491
Inſuccatio Aloes non eſt inuentum neotericorum vel chymicorum ibid.
Icteritiæ medetur crocus l.3.c.29.502
Icteritiæ prodeſt chelidonium l.3.c.39.526
Iecoris ſpecificum remedium eſt ſuccus chelidonij l.3.c.39.525
Irrationalis & empyrica Paracelſi ratio purgandi & curandi l.4.c.6.574
Immortalitatem huius vitæ in terris quærere eſt ad Deum nolle ire in cœlos l.4.c.10.590
Immortalitas nulla arte comparatur nec ex auro exſculpitur ibid.
Ingenia prurientia monſtroſis nouisq; opinionibus facile ineſcantur l.4.c.10.591

L.

Ladani opiati probatiſſima & expertiſſima compoſitio l.1.c.33.170
Lac in ventre coagulatum ſoluit opoponacum l.2.c.26.309.& ſeq.
Lauendulæ ſeu pſeudonardi vires ad icterum, menſes & vrinas l.3.c.29.495
Laterum dolorem ſanat opoponacum l.2.c.26.311.
Lenientia pharmaca ſeu hypactica vel eccoprotica in quadruplici ſunt differentia lib.2.c.1.201.& l.3.c.1.
Lenientia eccoprotica vt operentur in magna copia ſumenda l.2.c.1.ibid.
Lipothymia & animi deliquia quomodo per purgationes excitentur l.1.c.31.65
Liquores martis varij l.1.c.13.69.70
Lenientium & lubricantium ventrem farrago & catalogus l.2.c.3.195
Lapis armenius quomodo differat à Lazulino, an ſit huius materia, an hoc efficacior, quomodo vterq; lotione crebra præparetur l.2.c.19.268
Lapis Armenius atrabilarium purgat humorem, & conuenit ad maniam, melancholiam, vitia ſplenis, lepram, cancrum, febres quartanas nigrum è cerebro & corde ſuccum educit l.2.c.19.ibid.
Lapis Lazuli diuerſa virtute præditus eſt videlicet melanagoga & cor roborante, ad vtramuis perficiendam diuerſa præparatione opus eſt l.2.c.19.ibid.
Lapidem Lazuli quo pacto ſiniſtre quidam præparent cum ad purgandum tum ad confectionem alchermes ibid.

Laureola ſecundum Arabes & Fernelium eſt tertia Mezeræi ſpecies, & pro eo rectius tutiusq; vſurpatur l.2.c.44.407
Laureolæ virtus, correctio & vſus ibid.
Laureola hydropicorum aquas & pituitam ducit, & præparatione legitima tranſit ad alexipharmaca ibid.
Lunæ ſchemata in purgando obſeruanda lib.1. c.28.149.
Lupulus bilem purgat vtramq; , ſanguinem mundat, iecur deobſtruit, febribus medetur, cutis vitia emendat l.2.c.8.225
Lipſii ſarcaſmi in gentem VVeſtphalicam diluuntur l.2.c.35.346.
Liquor expertiſſimus ad eryſipelas l.2.c.38.368
Lienis ſcirrho, tumori & obſtructioni quouis modo adhibitus medetur Cyclaminus l.2.c.39. 373
Lathyridis hiſtoria, vires & vſus l.2.c.45.412
Lathyris aquas citrinas violenter educit ex abdomine & articulis l.2.c.45.412
Lathyridis ſemen lac & folia in vſum veniunt ibid.
Lathyridis lac dolorem dentis caui ſedat, ſcabiē, verrucas & vlcerum putredinem tollit ibid.
Lac eſulæ ficubus inſtillatum quomodo rite purget l.2.c.46.414
Lenitiua ex manna l.3.c.4.425
Lumbricos pellit mirrha l.3.c.29.501
Laterum & pectoris dolores ſanat mirrha ibid.
Ligni aloes hiſtoria, vires, extractum l.3.c.29. 495
Lepidi ſeu Iberidis vires l.3.c.49. 544
Lepidium proprie iſchiadico dolori confert, & ſcorbuticis ibid.
Lepidii acetum obſtructo & tumefacto lieni confert ibid.
Longum piper colico dolori medetur l.3.c.50. 547
Libauii ſententia de auro an humidi primigenti reſarcire queat l.4.c.7.576
Liquor ſolis ſeu aurum potabile quomodo præparetur, vſurpetur, quibus cōducat l.4.c.14.615
Lapis ignis, mirabilis ſeu Panacæa antimonii quomodo præparetur l.4.c.20.631
Liquor rubeus purgans antimonii l.4.c.23. 640
Leo rubeus quid ſit ibid.
Lilium antimonii quid ſit l.4.c.23.639

M.

Macis hiſtoria & vires l.3.c.29.465
Manifeſta & occulta qualitate primam regionem purgantia l.2.c.1.200
Matricis torminibus confert, menſeſq; pellit daucus l.3.c.41.531
Matricis impuræ remedium l.2.c.11.238
Menſium remorantium remedia ibid.
Medicamentum Ætij ad reſtaurandum vires ventriculi elegantiſſimum l.3.c.22.474
Mechoaca purgat pituitam craſſam & ſeroſos humores, benigne & copioſe omni naturæ & ætati l.2.c.29.319
Mechoaca quomodo exhibeatur & quibus morbis conueniat ibid.
Mechoaca fœlicius in pulueris forma operatur ibidem.
Mixtura elegans ducens pituitam è pectore l.2. c.28 317.
Minoratiuæ purgationes in multis morbis ſub initium & augmentum morborum vtiliter, & in aliquibus neceſſario, cum videlicet natura materiæ multitudine aut in capace coctionis diſpoſitione premitur, datur l.1.c.23.& c.25. 115.133. & ſeqq.

Mino-

Minoratiuæ purgationes defenduntur contra Fallop. l.1.c.26.137
Medicamentum ſimplex eſt quod ex vna baſi conſtat, polychreſtum quod ex pluribus l.1.c.36.189
Mixtura tartari vitriolatæ compoſitio & vſus l.2.c.10 230
Medicamenta chalybeata fiunt cum vel ſine calcinatione l.1.c.12.64
Medicamenta chalybeata ad cachexiam & hydropem viſcerum obſtructiones & alui omniſque generis fluxus l.1.c.12. & c.13.65.& ſeq.69.
Medicamenta chymiatrorum ex tartaro lib.1.c.10 229.
Medicamenta omnis generis & ſecretiora ad dyſenteriam l.1.c.34.177
Methodi medendi ſuccincta & clara delineatio l.1.c.35.184
Medicamentorum componendorum cauſa & origo l.1.c.35 185
Menſes ducens balneum pedum l.2.c.33.340
Melancholicum humorem præparantia ſeu frigidum & ſiccum, ſeu aduſtum, acrem, acerbum, ponticum l.1.c.11.62
Melancholico humore corrupto nullus in corpore grauiores & diuturniores morbos producit l.1.c.11.61
Melancholicum humorem num recte præparent ſpiritus tartarei minerales & metallici & item acetum ibid.
Melancholicus humor quomodo purgandus l.1.c.16.83
Morbi Chronici à craſſis & lentis humoribus orti, quo pacto admittant purgationem ibid.
Morbi acuti vti definiant purgantia ibid.
Motus humorum quomodo definiat purgationem l.1.c.17.87
Motu humorum ad extra durante nunquam purgandum ſiue in variolis & morbillis ſiue arthritide, ſcabie, petechiis, tumoribus febriũ malignarũ ad axillas, inguina & cutem nunquam purgandum ibid.
Motus humorum in acutis ratione dierum parium vel imparum quomodo purgationem definiat ibid.
Motus quando conueniat ſumpto pharmaco purgante, & quæ eius vtilitas l.1.c.30.161
Menſtruum omnibus purgantibus extrahendis non eſt accommodatum l.2.c.13
Menſtruum cuiq; pharmaco extrahendo accommodatum l.2.c.13.246
Mollientia aluum ex ſem. carthami, pro ſenibus l.2.c.21.283
Menſes & fœtum mortuum propellens remedium l.2.c.22.288
Menſes prouocantes pilulæ meæ deſcriptionis ex Serapino l.2.c.23.294
Morſus rabidorum canum & venenatorum animalium ſanat opoponacum l.2.c.26.311
Mezeræi ſpecies, virtus, præparatio & vſus l.2.c.44.406
Mezeræum ſub ſe proprie complectitur chamelæam, thymelæam & laureolam ibid.
Mezeræorum quæ ſpecies tutius & ſecurius ad vſum recipiatur ibid.
Mezeræum ducit aquas violenter, vrinas & menſes exurget ibid.
Mirrhæ virts; & quibus morbis proſit l.3.c.29.494
Mirrha prouocat menſes, ſanat quartanam, facit ad tuſſim veterem & orthopnæam ibid.
Menſes pellit crocus l.3.c.29.503
Melancholicis prodeſt crocus ibid.
Menſes promouent pilul. Ruff. l.3.c.30.505

Milii ſolis ſeu lithoſpermi vires & vſus l. 3. c. 52. 551.
Mercurii definitio, differentia & natura l. 4. c. 1. 558.
Mercurium eſſe forma & qualitatibus ſummum venenum ibidem.
Mercurius intus calidus, catus ſumme frigidus ibid.
Mercurius quas inferat naturæ noxas. ibid.
Mercurium nulla ratione ita præparari poſſe, vt veneni naturam deponat l. 4. c. 2. 560
Mercurius non corrigitur per ſublimationem. l. 4. c. 3. 562.
Mercurii ſublimati definitio. ibid.
Myrobalani ſpecificum dyſenteriæ conſtituũt remedium. l. 2. c. 17. 261
Myrobalanorum virtus corroborandi & ſpecifica purgandi, omnes pene humores. ibid.
Eorundem præparatio, extractio & vſus ibid.
Myrobalani cum diuerſis ſubſtantiis conſiſtant, in qua nam horum parte vis purgandi peculiariter conſiſtat. ibid.
Mirrhæ vires l. 3. c. 44. 536
Marrubium viſcerum & pectoris obſtructionibus medetur, ictericiam ſanat l. 3. c. 44. 536.
Mercurius vitæ an poſſit innouare vetulas, & mutare ſubſtantias l. 4. c 4. 563
Metempſychoſin Pithagoreorum reducit Paracelſus l. 4. c. 4. 565
Medicamentum quid ſit l. 4. c. 9. 583
Metallorum nullum tranſire vel perduci poteſt in naturam nutrimenti l. 4. c. 9. ibid.
Manna Mercurius l. 4. c. 12. 602
Metallica remedia vitæ inſidiantur l. 4. c. 9. 588
Mercurius præcipitatus quid ſit, & quomodo præparetur, & an ita præparari poſſit vt non reducatur, variaque eiuſdem confectiones. l. 4. c. 11. 592. & ſeq.
Mercurium præcipitatum varij corrigendi modi. ibid.
Mercurius præcipitatus optime corrigitur igne vel auro adiuncto ibid.
Mercurius præcipitatus valet ad luem, lepram, elephantiaſin, febres contumaces, viſcerum obſtructiones, ictericiam, peſtem, venena. ibid.
Mercurius præcipitatus diaphoreticus, dulcis. ibi.
Mercurii ſublimati acris & dulcis præparatio l. 4. c. 12. 601.
Mercurius vitæ l. 4. c. 13. 605
Mercurius quomodo figatur cum Ioue & ſaturno ibid.
Mercurius vitæ auratus l. 4. c. 14. 610. & ſeq.
Medicamenta ex Luna præparata cerebri morbis calidioribus conueniunt. l. 4. c. 14. 616.
Melancholicis confert oleum & tinctura lunæ l. 4. c. 14. 616
Menſtrua conueniẽtia ad extrahendã tincturam antimonii l. 4. c. 19. 626
Mercurius antimonii quomodo præparetur l. 4. c. 20. 631
Mercuriale oleum antimonii quomodo fiat. ibid.

N.

Nauſea & vomitus ſumpta purgatione quomodo arceantur l. 1. c. 30. 160
Naturæ ratione quomodo moleſta & difficilis fiat purgatio l... c. 31.
Narcoticorum virtus & tempeſtiuus vſus l. 1. c. 33. 170

Nard

Nardi ſeu ſpicæ quatuor ſunt genera, acres & vſus l. 3. c. 29. 499
Naſturtium confert aſthmaticis, lienoſis, ſcorbuticis ex oxymelite l. 3. c. 43. 495
Narium hæmorrhagiam ſuccus porri ſpecifice ſiſtit l. 3. c. 43. 534
Neruorum muſculorumq́; contuſionibus prodeſt opoponacum l. 2. c. 26. 309
Neruorum neruoſarumque partium affectibus conducit euphorbium l. 2. c. 34. 342
Nigellæ vires & remedia ex ea parata l. 3. c. 43. 534
Nodulus ad vteri ſuffocationes l. 2. c. 37. 358
Nutrimentum nullum extra corpus humanum ita comparari & conſtitui poteſt, vt ſit ſimile humido natiuo. l. 4. c. 7. 576
Nux muſchata quid ſit, eius vires & vſus l. 3. c. 29. 499
Nucis muſcatæ remedium ad coli & inteſtinorum dolorem l. 3. c. 29. ibid.
Nucis muſchatæ remedia ad vteri cruciatus, ſtranguriam, alui fluxus, calculos & arenam ibid.
Nucis muſcatæ oleum deſtillatum ad paßionem colicam ibid.
Nitri virtus & vſus l. 3. c. 42. 534
Nitrum conducit febrium ardoribus pleuritidi & prunellæ ibid.
Nitrum vſtiones à puluere pyrio in corpus vi ſclopettarum adactas reſtinguit l. 3. c. 42. ibi.
Nitrum necat vermes ibid.
Nummus antimonii purgans l. 4. c. 25. 641

O.

Obſeruationes curationum dyſenteriæ ſimplicis & epidemicæ l. 1. c. 34. 178
Obſtructionis Epatis, lienis, vteri, & viſcerũ exquiſitißima & expertißima remedia l. 2. c. 25. 303
Oculis proprie medetur opoponacum l. 2. c. 26. 309.
Oculis ſpecifice medetur ſarcocolla, albugines & nebulas cicatriceſque delet, ophthalmiã, lippitudinem & epiphoram ſanat l. 2. c. 77. 313.
Obſeruationes duæ ſingulares de venenatis in corpore hum. beſtiolis pulſis & eiectis l. 2. c. 37. 359.
Oleum è ſemine Ricini expreſſum purgans l. 2. c. 45. 412
Oleum de cherua iniicitur ad colicam paßionem, ducit menſes, ſedat dolores aurium. ibid.
Olei ferri variæ præparationes & vſus l. 1. c. 13. 70.
Opiatarum compoſitio & tempeſtiuus vſus l. 1. c. 33. 170
Oleum hyperici ad vulnera neruorũ aliarumque partium l. 2. c. 8. 225
Ol. arthriticum l. 2. c. 11. 235
Ol. vulnerarium ibid.
Ol. therebinth. ibid.
Ol. Serapini vſus ad ſuffocationes vteri l. 2. c. 23. 296
Opoponax craſſos & viſcidos humores trahit à cerebro, neruis & articulis l. 2. c. 26. 309
Opoponax curat ſpaſmum totius & dolores arthriticos iſchiadicoſque ſumptum, & quoque modo adhibitum, prodeſt oculis ſpecifice. ibid.
Opoponax ſanat Iſchuriam & dyſuriam & laterum pectoriſque dolores ibid.
Opoponax pellit vermes, & ſanat venenatorum animalium & rabidorum canum morſus l. 2. c. 26. 311.
Opoponax vlcera fraudulenta & vetera ſanat, carnem generat, & proprie inducit ibid.

Origani vires, eiusq́; ſeminis ad ſtomachi mala, virtus l.2.c.8.227
Oris dentium & faucium malis medetur cyclaminus l.2.c.39.373
Obſeruatio ſanati hydropis l.2.c.40.384
Oleum ſycionium l.2.c.42.398
Occultarum anginarum per vomitoria & metaſyncrita ex Aetio curatio, paucis cognita & obſeruata l.2.c.42.396
Oxymel ex acoro ad induratos lienes l.3.c.29.498
Ol. Garyophyll. deſtillat. ſedat dentium dolorem l.3.c.29.498
Opobalſamum veterum quid fuerit, eius ſuccedanea l.3.c.29.500
Obſtructionibus omnium partium internarum conducit crocus l.3.c.29.503
Obſtructiones omnium viſcerum & menſium ſoluunt pilulæ Ruffi l.3.c.30.505
Oculorum affectibus quomodo medeatur euphraſia l.3.c.39.527
Origanum ex aceto confert lienoſis menſes ducit, tuſsi medetur, ſtomacho prodeſt l.3.c.43.535.
Oleum antimonij ad cancrum & vlcera deplorata præſtantiſsimum l.4.c.18.625
Oleum mercuriale antimonii eſt quarta medicinæ columna iuxta Fratrem Baſilium l.4.c.20.632.
Oleum antimonii Panaceam valens l.4.c.21.633.
Oleum antimonii quod ſit balſamus vulnerũ ibid.
Oleum antimonii quod Balſamus & ſulphur eius dici meretur admirandarum virium ad morbos inexpugnabiles l.4.c.22.639
Oleum ſalis antimonii ibid.
Oleum antimonij ad febres communes & malignas & peſtem l.4.c.23. ibid. & ſeq.
Oleum ſulphuris antimonii ibid.
Oleum antimonii dulce purgans ſine violentia à remotis partibus ibid.
Oleum antimonij ad luem Gallicam & epilepſiam & omnes pene morbos l.4.c.23.639
Olea antimonij compoſita l.4.c.24.640.& ſeqq.
Oleum polychreſton ibid.
Oleum antimonii mercuriale ibid.
Oxymel agaricatum Cratonis ad morbos pectoris l.2.c.28.316
Oxymel bryoniæ ad obſtructiones & tumores lienis & aſthma l.2.c.37.357

P.

Paſſulæ laxatiuæ totum euacuantes l.3.c.7.431
Paracelſi de Hellebora nigro effata l.2.c.20.274
Paracelſi opinio de dyſenteria & eiuſdem curatione l.1.c.34.184
Paralyſis initio non ſtatim purgandum l.1.c.17.89
Purgantia pharmaca cur alium quam quem proprie reſpiciebant, humorem aliquando trahant l.1.c.32.167
Pharmaci purgantis mala qualitate vel excedente aut imminuta quantitate quomodo difficilis & moleſta ſuccedat purgatio l.1.c.31.163
Peſti & febribus malignis quomodo conueniat purgatio l.1.c.24.125
Pilulæ de cera ad dyſenteriam l.1.c.34.179
Purgatio ſpecialis nunquam molienda niſi vniuerſalis præceſſerit l.1.c.1.4

Purga-

Purgationis differentiæ l.1.c.1.1
Pura corpora non ſunt purganda l.1.c.1.4
Purgatio quomodo à natura & pharmaco perficiatur l.1.c.1.5
Purgantia medicamenta num irritando, hoſtiliter fugando humores an familiaritate ſubſtantiæ trahendo vacuationem perficiant l.1.c.3.19
Purgantia ſaluberrima & ſecuriſsima eſſe quæ ſola vi tractrice operentur ibid.
Purgantia Paracelſica & chymicorum eſſe periculoſa ibid.
Purgantia quomodo ritè corrigantur ibid. & l.2.c.13
De purgantibus opinio Eraſti Scheckij, Paracelſi, Iouberti & Peuceri refutata ibid.
Purgantia quomodo plures, quam vnum ducant humorem ibid.
Purgantia an vniuoco vel virtuali & æquiuoco tractu trahant ibid.
Purgandi facultas à quo principio, an à forma vel ſubſtantiæ proprietate, aut occulta qualitate dependeat l.1.c.4.25
Purgandi virtutem primò à forma dependere l.1.c.4.25
Purgandi modum & rationem quæ definiant & determinent l.1.c.15.77
Purgatio per epicraſin quomodo fiat l.1.c.26. 139
Purgante ſumpto an dormire liceat l.1.c.30. 160.
Pituita alia venarum, alia excrementitia, & quomodo vtraque præparetur l.1.c.10. 58. & ſeqq.
In pituitæ præparatione obſeruandi canones, ibid.
Pituita frigida, humida, craſſa, lenta, ſalſa, acris fluens, vt præparetur ibid.
Præparantia humorem melancholicum & atrabilarium l.1.c.11.61
Pulueres ex chalybe ad cachexiam l.1.c.12.64
Præparatio humorum ad purgationem an conſiſtat in tenuium incraſſatione & craſſorum attenuatione l.1.c.14.73
Præparatio humorum an fieri poſsit externis remediis & victus ratione l.1.c.14. ibid.
Purgandi ratio per epicraſin qualis l.1.c.15. 78. & ſeqq.
Pueri non ferunt valide purgantia ibid.
Piperis trium generum vires, vſus l.3.c.50. 547
Pus legitimum quomodo generetur & quomodo à ſanie & ichore differat l.1.c.16.82
Puris materia ſanguis corruptus vel caro contuſa ibid.
Puris definitio ibid.
Petroſelini virtus & vſus l.3.c.39.528
Purgatio plenaria & minoratiua quandò conueniat ibid.
Pellucidum Cydonior. purgans ſuaue l.3.c.22. 477
Purgatio quando & quomodo in acutis vel chronicis conueniat ibid.
Purgatio minoratiua quid ſit ibid.
Purgationis & venæſectionis neceſsitate ſimul incidente, vtra præcedere debeat l.1.c.19.91
Polychreſtum medicamentum eſt quod ex pluribus baſibus conſtat l.1.c.36.188
Paralyſis remedia ex ſerapino l.2.c.23.292
Præparatio ad purgationem duplex eſt, alia humorum, alia corporis l.1.c.8.49
Præparatio humorum, alia eſt ad concoctionem, alia ad purgationem ibid.
Plethora pura venæſectionem requirit, impura,illioſa & melancholica primo illam, dein purgationem l.1.c.19.94

O o o o 3 Pim-

Pimpinellæ virtus, & quibus morbis conducat l.3. c.52.551
Putredinem eſſe ſummam cruditatem medicis l.1.c.20.102
Pus ex nullo humore præterquam ex ſanguine generari. ibid.
Putredinis definitio, differentia & natura l.1. c.22.113
Putredo perfecta in humano corpore ſalua vita aut parte, in qua hæret, non datur ibidem.
Putredo venenata & maligna in humoribus, producit febres malignas & peſtilentes ibidem.
Putreſcentium humorum in venis & abſceſſibus varii & indicibiles modi. ibid.
Præſeruatio quid ſit & quomodo perficiatur l.1. c.28.147
Pilulæ de Beniouin ad epilepſiam, paralyſin & arthritidem l.2.c.11.239
Paralyſis remedium ex terebinthina. ibid.
Phthiſeos remedium ex terebinth. ibid.
Pleuritidis remedium ex terebinth. ibid.
Præparatio & correctio vera Scammonei l.2.c. 13.243.& ſeq.
Pulueres ſenæ ex quibus conſtent l.2.c.18. 267
Pilulæ Iliacæ Rhaſis l.2.c.33.337
Pilulæ Paracelſi ad colicum dolorem l.2.c.33. 337
Pomum Colocynthid. ſolo odore purgans ibid.
Pilulæ ad hydropem l.2 c.40.382
Purgatio ſumpta ſi actione ſua fruſtretur, aut inſufficienter operetur, quid faciendum ſit l.1.c. 30.161
Primam regionem euacuantia diuerſo reſpectu præparantibus & purgantibus accenſentur l.2.c.1.201
Pilulæ quomodo à cœna fructuoſe dentur ad affectus capitis l.2.c.5.215
Pilulæ ad calculum præſtantiſſimæ l.2.c.36. 353
Potiones & apozemata ad hydropem vtiliſſima l.2.c.40.380
Pſyllii ſemen purgat bilem; non eſſe calidum vt ſentiunt Arabes. eius ad dolores capitis & podagricos vſus, & ad febrium ardores, faucium aſperitates & fluxiones calidas l.2.c.9.228
Pſyllii ſemen facit ad dyſenteriam. ibid.
Purgandi virtus an inſit pharmacis vi principii ſalini l.2.c.13.245
Panchymagogorum optima præparandi ratio l.2.c.13.252
Potio ad viſcerum impuritates & ſcabiem l.2.c. 14.253
Polypodium melancholicos & phlegmaticos humores purgat. facit ad lienis, inteſtinorum & pectoris morbos l.2.c.15.257
Pilulæ Serapionis ex agarico ad morbos pectoris l.2.c.28.316
Potio ad eoſdem ibid.
Panes martii purgantes ex mechoaca l.2.c.29. 320
Puluis antifebrificus ex aſaro ad febres tam lentas quam malignas l.2.c.31.326
Puluis ex aſaro menſes & vrinas mouens ibidem.
Puluis articularis Paracelſi l.2.c.32.333
Peſtis remedium ex euphorb. l.2.c.34.341
Peſti ex elaterio l.2.c 42.397
Pruna laxatiua conficiendi tres modi l.3.c.6. 430
Polii ſpecies, qualitas, vires & vſus l.3.c.49.545
Pilularis forma quibus affectibus potiſſimum ſeruiat l.3.c.27.487
Pilulas quaſdam recte à cœna dari demonſtratur, contrarium ſentientes redarguuntur ibid.

Pilulas quaſdam paulo ante cibum cum cibo & poſt cibum rationaliter exhiberi euidenter docetur. ibid.
Pilulæ cephalicæ ex aloe inſuccata l.3.c.28.491
Pilulæ angelicæ variorum generum ibid.
Pilularum angelicarum potiſsima ratio in aloes depuratione, extractione, inſuccatione conſiſtit l.3.c.28.491
Pilularum Ruffi examen, doſis, & vires ad præſeruationem peſtis, obſtructiones vteri, iecoris, cachexiam, ictericiam & vermes l.3.c.30.505
Pilularum aſaireth compoſitio vſus & vires ad ſubtiles capitis fluxiones, & affectus capitis ex conſenſu ventriculi l.3.c.31.506
Pilularum de Hiera cum agarico compoſitio, doſis & vires ad ventriculi mala, aſthmata & ſuſpiria. ibid.
Pilulæ ventriculum blanditer primaſque vias vacuantes, & ſtomachum roborantes l.3.c.32.507
Pilulæ Maſtichinæ eiuſque examen & vires ibid.
Pilulæ de aloe lota earumque examen ibid.
Pilulæ de Aloe & Maſtiche Nicolai, earum examen, vires & vſus ibid.
Pilularum ſtomachicarum examen, & quanam vere ſtomachicæ dicendæ l.3.c.33.509
Pilularum ſtomachicarum requiſita ibid.
Pilulæ ſtomachicæ Nicolai & Imperatoris ventriculo optime conuenientes l.3.c.33.511
Pilulæ de Rhabarbaro conueniunt epati & pertinacibus obſtructionibus & febribus diuturnis cachexiæ & hydropi l.3.c.34.513
Pilularum de eupatorio deſcriptio, vires & vſus l.3.c.34.514
Pilulæ Catholicæ ſeu totum corpus & quemlibet humorem purgantes ſunt aggregatiuæ, & de quinque generibus mirobalanorum, duorum generum l.3.c.35.515
Pilular. aggregatiuarum examen & vſus ibid.
Pilularum de quinque generibus mirobalanorum examen vſus & doſis ibid.
Pilularum Cocciarum examen correctio, virtus, doſis & vſus l.3.c.36.518.519
Pilularum aurearum compoſitio, examen, virtus, vſus & doſis l.3.c.37.520
Pilularum Arabicarum examen virtus & doſis l.2.c.38
Pilularum Lucis maiorum & minorum compoſitio, examen, virtus vſus & doſis l.3.c.39.525
Pilulæ Lucis quomodo oculis cerebro & ſpiritibus animalibus proſint ibid.
Pilularum ſine quibus eſſe nolo, examen, vſus & doſis l.3.c.40.529
Pilularum de nitro Alexandri examen, vires, vſus & doſis l.3.c.42.532
Pilular. de Colocynth. compoſit. examen, virtus, doſis & vſus l.3.c.43.534
Pilularum Indarum Haly examen, compoſitio, vſus doſis l.3.c.46.538
Pilularum de agarico examen, doſis & vſus l.3.c.44.535
Pilularum de fumaria examen, virtus, vſus & doſis l.3.c.45.537
Pilularum de lapide Lazuli & armenio differentia, examen, virtus, vſus & doſis l.3.c.47.540
Pilularum fœtidarum examen, vires, vſus, & doſis l.3.c.48.542
Pilulæ de ſagapeno examen, vires, doſis & vſus l.3.c.49.543
Pilulæ de ſagapeno menſes obſtructos potiſſimum mouent. ibid.
Pilularum de opopanace examen, vires, vſus & doſis l.3.c.50.546.547
Pilulæ de ſarcocolla l.3.c.51.548

Pilulæ de ſagapeno contra quartanam, camilli ibid.
Pilulæ de ammoniaco ad lienis duritiem, tumorem, melancholiam cachexiam & quartam l.1.c.51.ibid.
Pilular. de Hermodactylis examen vires & doſis l.3.c.52.553
Pilularum artheticarum Nicolai examen, doſis & vires l.3.c.52.549
Præparatio mercurii blanditer ſolutiui & diaphoretici l.4.c.11.594
Præcipitati conficiendi variæ rationes ibid.
Præcipitatus Glückradii ad icteritiam, febres & venena, ad hydropem & peſtem ibid.
Præcipitatus Bezoarticus contra peſtem & luem ibid.
Præcipitatus dulcis ad hydropem, luem, venena ibid.
Præparationes præcipitati cum auro ibid.
Præparatio Diagrydii iuxta Glückradium ibid.
Pilulæ mercuriales optimæ ibid.
Præcipitati externus vſus ad vlcera dyſepulotica putrida, ſcabiem, carnem auctam ibid.
Puluis emmeticus Algoretti l.4.c.13.606
Pilulæ ex auro vitæ ad hydropem aliosq; affectus grauiſſimos præſtantiſſimæ l.4.c.14.614
Pulueres antimonii diaphoretici l.4.c.17.622
Puluis antimonii dictus diaphoreticum theriacale l.4.c.17.622
Panacæa antimonii quomodo præparetur ex eius ſulphure, ſale & mercurio iunctis l.4.c.20.632
Palingeneſiam & metempſychoſin reducit Paracelſus l.4.c.4.565
Puluis antimonij fixus l.4.c.21.635
Puluis Antimonii albus emmeticus ibid.
Puluis Antimon. fixus mirabilis Fratris Baſilij ibid.635.

Q.

Q*Valitas occulta quid ſit, & quas habeat vires, quomodo inſeruiat formis* l.1.c.4.26
Quartanæ febres vomitu aut purgatione in paroxyſmis procurata curantur l.1.c.27.143
Quantum & quousq; in quolibet morbo purgandum, & quæ ſint notæ ſufficientis purgationis l.1.c.29.155
Qua forma & modo ſumendum pharmacum purgans, quid ante ſumptionem eius faciendum l.1.c.30.159
Quartanæ remedium ex abſinth. l.2.c.6.221
Qualis mercurius ad præcipitandum recipiendus l.4.c.11.593.
Quomodo vulgo & etiam rite exhibendus mercurius præcipitatus ibid.
Quercetani Panacæa panchymagogum ſeu Aquila l.4.c.12.603
Quomodo dextre ſublimatus dulcis exhibeatur & cum quibus ibid.
Quo pacto iuxta Chymicos ſedentur podagrici dolores ſpirituum acrium illitu l.4.c.13.605
Quomodo fiat Mercurius philoſophorum l.4.c.13.604
Quæ & qualia medicamenta chymice præparentur ex antimonio l.4.c.15.617
Quomodo Pharmaca quædam cum cibis non improſperè dentur l.2.

R.

R*Egionibus corporis tribus ſua ſigillatim aſſignata ſunt purgantia* l.2.c.2.203

Rhabarbarum eſt anima iecoris l.2.c.12. 241
Rhabarbarum dyſenteriæ, cachexiæ, hydropi, hæmoptoſi, & ſanguinis profluuiis peculiariter medetur ibid.
Rhabarbarum bilem purgat & viſcera ſimul roborat ibid.
Rhabarb. medicamentum ad caſum & ſanguinem coagulatum ibid.
Rhabarbari optima extractio l.2.c.12.241
Rhabarbarũ vulgo triplex eſt: flauum, album, & nigrum. Album Mechoaca, & nigrum Ialappa alias nominatur l.2.c.29.321
Radix geniſtæ tollit dolores renum & veſicæ, expellit calculum & ſabulum l.2.c.36.351
Remedium ad affectus oculorum ex euphraſiæ puluere cum mace l.3.c.39.525
Remedia ex hermodactylis ſimplicia & compoſita l.2.c.32.330
Remedia ad calculum arcana l.2.c.36.353
Rob ſambuci purgans, in eryſipelate & arthritide calida conuenientiſſimum l.2.c.38.362
Remedia ad eryſipelas & ambuſta expertiſſima l.2.c.38.365.
Remedia ad dolores podagricos ſelectiſſima ibidem.
Remedia ad hydropem ibid.
Rotulæ ex ſpongiis ſambuci ibid.
Ricinus ſeu cataputia maior pituitam & aquas ducit ex abdomine & articulis l.2.c.45.411
Ricini ſemen valet ad colicam, febrem cottidianam, arthritidem, & paralyſin ibid.
Rubinus ſulphuris l.2.c.11.240
Ricini cataplaſma vomitum citans l.2.c.45. 412
Ricini clyſtere ad colicam ibidem.
Ruta prodeſt oculis, adverſatur venenis, tormina, pectoris laterumq; dolores & vteri ſtrangulatus ſoluit l.3.c.39.527
Rutæ antidotus aduerſus venena ibid.
Ruſci vires, qualitas, & quibus affectibus conducat l.3.c.52.551
Rerum exſiſtentia non ſunt perennes l.4.c.4. 567
Remedia metallica ſemper inſidiantur humido natiuo & naturæ noſtræ l.4.c.6.572
Remedia metallica nunquam ſic comparari poſſunt vt naturæ noſtræ grata & ſatis idonea fiant ibidem.
Remedia metallica vitæ inſidiantur l.4.c.9. 588
Rubeus color chymicis perfectiſſimus l.4.c.11. 593
Reguli Antimonij communis præparatio l.4.c. 16.620
Reguli martis ſtellati duæ præparationes ibid.
Recte & Philoſophicè extrahendi antimonij modi potiores l.4.c.19.630

S.

Sanguis & ſemen putreſcens an indicent ſelectiuum purgans l.1.c.2.9.
Sanguis quomodo purgari dicatur Galeno ibid.
Sal antimonii l.1.c.7.44
Sal vitrioli vomitiuum & eius vſus ibid.
Sanguis ſolus exſpectat concoctionem ante purgationem l.1.c.16.83
Solus ſanguis recipit veram concoctionem ad purgationem neceſſariam ibid.
Saluſtii Saluiani errores & paradoxa de cruditate, putredine, febriumq; generatione refutantur l.c.21.& 22.283.& ſeq.
Situs partis affectæ quid iudicet l.1.c.37.193
Secretum antimonii diaphoreticum l.4.c.16. 621
Specifica & formali proprietate morbos ſanantia remedia l....c.37

Semen zinæ, ſanctonicæ aut zedoariæ quid ſit l.2. c.6.220
Spiritus Tartari non conuenit anginæ, pleuritidi, paralyſi, & phthiſi vti volunt Chymici l.2. c.10.231
Spiritus tartari quibus affectibus proſit l.2. c.10. ibidem.
Species pulnerum ſenæ quibus conſtent l.2.c.10 ibid.
Spiritus terebinthinæ eiusque vſus l.2. cap.11. 234
Scammonei vera præparatio l.2.c.13.243. & extractio ibid.
Salis antimonii præparatio l.4.c.20.632
Senæ aliorumq; purgantium extractio l.2.c.15. 250
Scorbuti remedia l.2.c.14.256
Secretum ex helleboro albo ad aſthma l.2.c.20. 282
Stella Fratris Baſilij ſignata l.4.c.16.620
Syrupus de Chalybe l.1.c.12.64
Syrupus de myrobalanis ad dyſenteriam l.1.c. 34.177.
Senes non ferunt valide purgantia l.1.c.15.77. & 80.
Syrupus ad hypochondriacam affectionem & ſcorbutum l.2.c.14.254
Syrupus de polypodio ad morbos lienis l.2.c.15. 258
Syderum ortus & coniunctiones quomodo reſpicienda in purgando l.1.c.28.149
Sena purgat primario humorem melancholicum, deinde pituitam craſſam l.2.c.18.266
Sena quomodo corrigatur & rite vſurpetur, coctionem non tolerat, infuſione ſola virtus extrahitur rectius l.2.c.18.266
Senæ folliculi an folia ad vſum potius recipienda ibid.
Senæ extractum quomodo fiat ibid.
Sena quibus morbis opituletur ibid.
Syrupi elegantiſsimi ad melancholicos & hypochondriacos affectus de helleboro nigro l.2. c.20.275
Serapinum purgat pituitam & aquas reſpicit, cerebrum, vterum, neruos & neruoſas partes l.2.c.23.291.
Serapini remedia ad cephalæam, epilepſiam, paralyſin, dyſpnæam, colicam paſsionem, hydropem, vteri affectus, quartanam, obſtructiones viſcerum, arthritidem ibid.
Serapini vſus ad externos affectus l.2.c.23. ibid. & ſeq.
Scyrrhi viſcerum remedia l.2.c.25.306
Spaſmo proprie conuenit opopanacum ſumptum l.2.c.26.309
Sal Indum an ſit ſaccharum cannæ l.3.c.46 539
Sarcocolla pituitam à cerebro neruisq; & potiſsimum ab oculis purgat l.2.c.27.313
Sarcocolla recentia & antiqua vlcera optime ſanat ibid.
Sarcocolla oculis ſpecifice prodeſt, ophthalmiam, epiphoram & lippitudinem perſanat, albugines, nebulas & cicatrices delet ibid.
Sal Indum, quid ſit, eius ſuccedaneum lib.3.c. 44.539
Sarcocolla aurium vlceribus meditur ibid.
Scyphus antimonii purgans l.4.c.25.641
Salem cur veteres omnibus pene purgantibus medicamentis addiderint l.2.c.28.317
Semina colocynthidis ſalubriter purgant l.2. c.33.335
Syrupus diacolocynthidos ad hydropem & coxarum articulorumq; dolorem l.2.c.33.ibid.
Soldanellæ qualitas & vis hydragoga l.2.c.35. 349

Soldanella non eſt virulentæ facultatis ſed benignum remedium ibid.
Soldanella gaudet conſortio Rhabarbari ibid.
Soldanellæ varia remedia vtpote tabulæ, potiones, electuaria, pulueres ad hydropem. ibid.
Soldanellæ doſis & vſus ibid.
Secretum ad calculum l.2.c.36.353
Surditati & tinnitui aurium medetur cyclaminus l.2.c.39.375
Schænanthi hiſtoria & vires, medetur conuulſioni, menſes ciet, viſcera aperit, hydropicos iuuat l.3.c.29.499
Spicæ ſeu nardi quatuor ſunt genera l.3.c.29.499
Spicæ virtus & qualitas formali proprietate fluxiones ſiſtit l.3.c.29.ibid.
Stœchadis virtus ad melancholiam, epilepſiam & vertiginem l.3.c.44.535
Syrupus de bryonia ſimplex & compoſitus.
Syrupus antimonii purgans l.4.c.25
Sambucus & ebulus quoquo modo ad arthritidem eryſipelata & ambuſta l.2.c.38.367
Sambucus & Ebulus purgant pituitam ſeroſos humores & acrem bilem à ventre & articulis ibid.
Sambuci & ebuli germinum foliorum, ſucci, corticum, radicum, Rob baccarum, granorum extracti, aqua, & ſpongiarum vſus & virtus ibid.
Specificum purgans ad febres & arthritidem & eryſipelata l.2.c.38.365
Scabiei expertiſſ. remed. l.4.c.11
Serpentum morſibus medetur Cyclaminus l.2.c.39.376
Scabiei & vitiis cutaneis prodeſt Cyclaminus ibid.
Syrupus Iridis l.2.c.40.381
Syrupus cucum. agreſtis l.2.c.42.396
Stranguriæ remed. ibid.
Syrupus de manna l.3.c.4.415
Syrupus de manna Mindereri laxatiuus ibid.
Syrupi roſarum ſimplices laxatiui ex ſucco vel multiplici infuſione l.3.c.8.434.& ſeq.
Syrupi roſarum adſtringentes fiunt ex roſis rubeis ſiccis, laxantes ex viridibus pallidis. ibid.
Syruporum præparationes veræ ibid.
Syrupus roſarum pallidarum ad cachexiam & hydropem vtilis ibid.
Species diaturbith cum Rhabarbaro ſine ſaccharo, dantur à 31. ad ℈ iiij.& vltra l.3.c.18.466
Stacte quid ſit eiuſq; vires l.3.c.29.501
Syrupus & extractum acori veri ad morbos pectoris ibid.
Saxifraga vera quid ſit l.3.c.52.551
Sali non ineſt primo & per ſe purgandi virtus l.4.c.2.561
Spiritibus Mercurii non eſt adſcribenda purgandi virtus l.4.c.2.ibid.
Sublimati dulcis quondam primarii Chymicorum ſecreti deſignatio l.4.c.12.603
Spiritus vini alkolizatus ad extractiones tincturarum antimonii aliarumq; rerum quomodo paretur l.4.c.19.628

T.

Tartarus habet vim digeſtiuam & purgatoriam l.2.c.10.230.& ſeq.
Tartari virtus ad febres chronicas & viſcerum obſtructiones ibid.
Tartarus vitriolatus, eiuſque vſus. ibid.
Tartari mixtura vitriolata. ibid.
Tartari ſpiritus. ibid.
Tartari varia ad varios morbos remedia. ibidem.

Tabulæ purgantes ex mechoaca l.2.c.29.320

Tempeſtates quæ purgando conuenientiores l.1.c.28.149

Temporis purgandi commodum in febribus continuis, & quæ nullam habent intermiſſionem l.1.c.27.143

Tempus anni & diei quod ſit purgationi conuenientiſſimum l.1.c.28.149

Tinctura chalybis l.1.c.12.65.& c.13.72

Thlaſpi bilem purgat, calculum pellit, internos abſceſſus rumpit, venenis aduerſatur & rabidorum canum morſibus impoſitum medetur l.2.c.8.226

Thapſia bilem vehementer purgat, alopecias explet, ſugillata delet. ibid.

Terebinthina aluum laxat, omnia interiora viſcera, epar, renes, veſicam, matricem, pectus & pulmones extergit, & mundat, vrinas calculum & menſes pellit l.2.c.11.232.& ſeq.

Tragæa laxatiua ex ſemine ebuli ad arthritidem & hydropem l.2.c.38.364

Tinnitui aurium & ſurditati medetur Cyclaminus l.2.c.39.375

Thymelæa eſt ſpecies Mezerei l.2.c.44.409

Thymelææ virtus, vſus & præparatio l.2.c.44.409

Tragooriganum bilem ducit, pectoris morbis & viſceribus obſtructis conducit, menſes aperit, languenti ſtomacho ſuccurrit l.2.c.8.227

Tria præcipua medicinæ therapeuticæ munia, conſeruare, præſeruare, curare l.1.c.28.145

Tinctura auri præparatio l.4.c.14.615

Tincturæ auri, virtus & vſus ibid.

Tinctura antimonii vires incomparabiles ad morbos grauiſſimos cumprimis ad lepram & ſanguinis impuritates l.4.c.19.627

Tincturarum antimonii extrahendarum varii modi & quis optimus ibid.

Tinctura antimonii quo recte & efficaciter vſurpetur cum calce vel tinctura auri ibidem.

Turgeſcentia quibus humoribus & morbis proprie accidat l.1.c.26.138

Tuſſis remedium ex terebinth. l.2.cap.11.233

Tuſſis remedium ex myrrha l.3.c.29.501

Tumoris viſcerum & partium remedia l.2.c.25.307

Tumoribus quibuscunque duris emplaſtrum efficaciſſimum l.2.c.26.309.& ſeq.

Turpethum purgat craſſam pituitam ab inteſtinis pectore & iuncturis l.2.cap.30.323

Turpethum quomodo corrigatur & rite exhibeatur, quibuſq; conueniat. ibid.

Turpethum quomodo fiat ſupremum ad iuncturarum mala remedium ibid.

Turpethum minerale quid ſit l.4.c.13.604

Turpethi mineralis variæ præparationes ibidem

Turpethi officinarum præparatio ibid.

Turpethum diaphoreticum ſeu Bezoarticum minerale ibid.

V.

Vermium & venenatarum beſtiolarum & venenorum remedium ex galbano l.2.c.24.300

Vermes pellit opoponacum l.2.c.26.309.& ſeq.

Vrinas & menſes exigens puluis ex aſaro l.2.c.31.326

Venenatorum animalculorum ſpecificum remedium eſt bryonia l.2.c.37.359

Vinum purgans Denii: & Vinum purgans Murlati l.2.c.40.380

Vermes

Vermes balſamica vi pellunt Pilula Ruffi l.3. c.30.505
Vitrificatio Antimonii l.4.c.15.617
Vitrum antimonij venenatæ & malignæ qualitatis adhuc particeps eſt ibid.
Vitrum antimonii quomodo præparetur vt innoxie ſumatur ibid.
Vinum euphraſiatum Arnoldi Villanouani ad oculorum affectus l.3.c.39.526
Vniuerſale ex auro medicamentum naturam contra omnes morbos muniens, dari aut comparari nequit l.4.c.7.576
Vires in quibus conſiſtant l.4.c.9.581
Vita quomodo conſeruetur ibidem.
Venenorum duo ſunt genera ibid.
Vſus & virtutes diaphoreticorum puluerum antimonii l.4.c.17.622
Vires quomodo determinent purgandi modum l.1.c.15.79
Vires an inhibeant & quomodo determinent purgationem humorum turgeſcentium l.1.c. 26.138
Viſcerum indurationis & ſcirrhi remedia l.2. c.25.303
Vomitum quomodo moueat agaricus l.2.c.28. 316
Vomitoria ex aſaro l.2 c.31.326
Vomitum illitu citat cyclaminus l.2.c.39.373
Vomitoria ex elaterio l.2.c.42.391
Vulnera & vlcera antiqua & recentia ſanat ſarcocolla l.2.c.27.314
Vlcera aurium eadem ſanat ibid.
Vteri dolores ſedans l.2.c.31.327
Vteri ſuffocationis remedia l.2.c.31.327
Vterinorum malorum remedia l.2.c.38.358
Vlcera putrida ſanat cyclaminus l.2.c.39.373
Vlcerum optimum deterſiuum & mundificatiuum eſt apium l.3.c.39.528
Vacuationum vniuerſalium differentiæ cap.1. l.1.1
Vere & autumno purgare vtiliſſimum l.1.c.28. 148
Vernæ purgationis vtilitates
Vitriolum vomitiuum, ſal vitrioli, vitriolum martis viride vomitiuum, Trochiſci vitrioli ad vermes l.1.c.7.44.
Vitriolum martis in puluerem redactum ad dyſenteriam l..c.13
Vlcerationis renum & veſicæ remedia l.2.c.11 235
Vrinæ ardentis & purulentæ mictionis remedia ibid.
Vlcerum putridorum remedia l.2.c.22.288
Vulnerum, neruorum & quorumque remedia ibidem.
Vomitus eſt euacuatio vniuerſalis reuulſoria vel deriuatoria l.1.c.5.33
Eſt motus violentior alui deiectione ibid.
Conuenit tantum robuſtis ibid.
quibus proſit quibus officiat ibid.
Prodeſt morbis pertinacibus qui cæteris remediis non cedunt ibid.
Valet in quartanarum acceſſionibus ibid.
Quo tempore conueniat ibid.
Vomitoria proprietate ſpecifica ſurſum in ventriculum agunt humores ibid.
Vomitum in alui fluxu & arthritide valde conuenire ibid.
Vomitoriorũ medicamentorum differentia l.1. c.6.41
Vomitoriorũ lenium & vehementium, ſimplicium & compoſitorum ex vegetabilibus petitorum materia & formulæ ibid.
Vomitoria ex mineralibus videlicet vitriolo, antimonio, Mercurio l.1.c.7.44

Vomitoria ex helleboro albo præſtantiſſima l.2. c.20.281
Vterinæ ſuffocationis remedium ex Serapino l.2. c.23.291
Vomitorium ad philtra & venefica aſſumpta ex lathyride l.2.c.45.412
Vomitorium ad febrem cottidianam ex ſemine Ricini ibidem.

X.

Xylocaſſia Dioſcoridis eſt macer veterum l.3. c.29.495
Xyloaloe ſeu lignum aloes alias agallochum, quid ſit, eius vires, & extractum l.3.c.29.

Z.

Zinziberis Zedoariæ & zerumbet differentia l.3.c.52.552
Zinziberis natalis virtus & quibus conducat affectibus ibidem.
Zerumbeth vires & efficacia ibidem.
Zedoariæ vires & vtilitas. ibidem.

F I N I S.

1 — 0 — 0
0 — 5 — 0
[illegible] — 0 — 0
2 — [illegible] — 0
0 — [illegible] — 0
2 — 10 — 0
0 — 15 — 0
3 — 5 — [illegible]

Tho Bish

James Snell

Tho

James Snell

James Snell his Boo[k]

spiritus —
[illegible] camphorat. gutt: 10. conserv[illegible]
eiusdem: et diascordii fracastorii. an. ʒi. D.
misceantur. ft

Rx: Soldanell: pulveris: ʒß
Rhabarb: elect: pulveris: —— ʒij
Specierum dialacca, adiarorum: ʒj.
an ——
Epatis lupi praeparat:
Limatur: chalibis aceto squillitico ʒ ʒß.
praeparata; an ——
cum melle despumato, q. s. fiat
Electuarium.

[illegible]

Extractum diacarthami ... datur ʒß, a ʒß ad ℈iiij.

℞: aquae cichor: ℥iij. cinamomi. ʒß. infundantur. In colatura dissolve cremoris tartari pulveris. ʒß. syrupi de rhabarb: ℥i. electuarii lenitivi ʒiß. diaprunii solutivi: ʒiß. misce, fiat potio:

diaphoreticum

℞: aquae stillatitiae cardui benedict: borag: et scabios: an: ℥ß. aquae theriacal: cochleare unum. syrupi caryophyll: ℥ß. spiritus theriacali camphorat: gutt: 10. confectionis alchermes: et diascordii fracastorii. an. gr. v. misceantur.

60
18

R. lacti aurora medicorum 480
60

1080

Aurora medicorum

Aurora

Vitriolu[m] medicorum

20
15.

100
20

300

133
300
277

27.

Sauh: 6

3.
6.

2
13.

1
3

1
4 — 3.

1
12

6: — 26.
T. — 26.
— 26.
— 13.
— 13.
— 13.
— 03.
— 03.
— 03.
— 03.
13.

142.

142. 14.
23

2
14
60

60
18

Sceitaque aurora medicorum 480
60

1080

Aurora medicorum

Aurora

medici

20
15.
100
20
300.

Sack: lb

6:— 26.
T. 26.
— 26.
— 13.
— 13.
— 13.
— 03.
03.
02.
03.
13.
142.

147.
23

2
3.
1
3
1
4
1
12